DE ANGELIS.

AVTHORE

P. F. CLEMENTE BRANCASIO DE CARAVINEA;

Ord. Min. Obſeruant. Reform. Prouinciæ Neap. Sacræ Theologiæ Lectore.

CVM DVPLICI INDICE;

Altero Diſputationum, Quæſtionum, & Articulorum, altero Rerum Notabilium.

F. Angelus à Tertia minorum de Sosencanna

Nunc Bibliothecæ S.tæ M.æ Vet. Andriæ.




NEAPOLI; Ex Regia Typographia Egydij Longhi MDCXLVI.

SVPERIORVM PERMISSV.

REVERENDISSIMO PATRI

FR. IOANNI DE NEAPOLI

TOTIVS ORD. MINOR. D. FRANCISCI
Ministro Generali.





Ccedentem ad Iouem, Reuerendissime Pater, priscorum mos inoleuit, vacuo non ire sinu, non inani pectore, aut manu, sed plena vtraque manu, onusto pectore, & sinu, sic suo litare Deo. Accedens Ego ad te, nec vacuus ibo: grauido quidē pectore, dum de Angelis hæc arcana concepi; onusto, (quin potius enixo) sinu, eorundem, quæ sub Torculari mox peperi: manu tandem nec vacua, dum Opus hoc, qualecumque, Tibi offero, Tibi dico, ac dedico. Iouis sub auspicijs militantes, fortunato sub Sydere vitā degere aiunt, est enim ille Fortuna maior: *iuuat ille cunctis*, Iouis, *hinc*, à iuuando: *Vniuersis adesse eum perhibent,* Iouis omnia plena: *insidentem collocant inter communis Hostes Naturæ, vt, amborum malignitati occurrens, vtriusq; infortunia reprimat, ardorem temperet, & algorem: fulmina, denique iaculando in improbos, probos autem eleuando ad æthera: Sed, & Ioannis nomen non longè distat, à Iouis, nec enim nomen in tè vacuum est: Quale namque extitit Sydus illud, quod te ad Seraphicæ Religionis fastigium euexit? nonne Fortuna illa maxima, Dei nempè voluntas fauorabilis, ac beneplacens,* in cuius manu Potestas est, & Imperium; Omnis enim potestas à Deo est? *O sè fœlices, qui tuo dignātur Regimine: sub tuo degunt Gubernio: tuis fruuntur Auspicijs, Tu namque Potestate, Imperio, vbique Religionis ades: cuncta prospicis, Cunctis prouides, Cunctorum necessitudini aptè obuias, oportunè occurris, improbos proteris, probos erigis, vt & verum sit, quod à* iuuando *dicaris, Ioannes,* omnibus iuuans. *Quale, namque iuuamen, quale tutamen à tè non auspicamur, talia in tè spectantes, & à tè præstolantes in nostræ Religionis progreßum, & incrementum? Tuis, quidem humeris*

Plutarc. Mathemat. Virg. Mars, Satur. Scotus quodl. 20. D.Paulus. Isidor.

dignum Opus: Tu quidem, alter velut Hercules, velut Athlas, tantam Molem subis, tantiq; Francisci Patris vices gerens, quid vltro Tibi superest assequendum? Gratijs, insuper tot fulges, tot emicas, vt vniuersa earumdem Gratiarum genera, in alijs quidem dispersa, in te tamen vno, videantur pacifica æmulatione collecta, Gratiam namque sonat idem nomen Ioannis. Si tuas autem laudes enarrare aggrediar, onerosus forte, ac impudens videbor, adulationis fucos ingerendo: fucos dicam, an focos? ve-

Eccle-siast. *rius quidem hos, siquidem veluti* ignitos carbones capiti tuo congeram (*quin & insufflabo*) *quibus exardescens zelus tuus maiori charitatis, ac vrgentiori obseruantiæ stimulo, doctrina, monitis, exemploq; nos prouoces ad perfectionem. Quanta enim animi amplitudine emines, quantanam in arduis generositate, strenuitate, commendaris, quanto iudicij tui libramine negotia, & si tricis inuoluta, facillimè extricas, quantauè dexteritate resoluis? Sed ne assentationi suspicionem ingeram, quantonam Rempublicam literariam fauore prosequeris? & quantum inde profectum, Te Duce, Te Patrono sperat consequuturam? Videris sanè magni illius Alexandri excelsum animum imitari, dicere*

Aul. Gell. *namque solebat,* Iucundiùs sibi esse de Republica literaria bene sentire, quam Regnis plurimis imperare: *Tu autem vtrumque præstas, nam & literaria studia magnopere foues, & literarum professoribus amplissime faues, vt eidem Principi magno in hoc quoque æquêris. Ad hæc, & ampliora à primis olim Religionis incunabulis, (quibus, Ego tecum coniunctus fui) illustre auspicium præbuisti, vt merito ad hos supremos honores euectus nunc fueris; hæc enim de tè plures pridem auspicati fuerunt, pluraque, in dies, auspicantur. Addat Deus maiora. Viue fœlix, & incolumis, ad annos Nestoreos.*

Reuerendissimæ Paternitatis Tuæ

Seruus addictissimus

Fr. Clemens Brancasius
à Carauinea.

SANCTISSIMIS ANGELIS

Opus, quod debet, Author
Dicat, dedicat.

Tibi
Militiæ cœleſtis Anteſignanus,
Tartarei Debellator Imperij,
Crucis Chriſti Vexillifer ad Iudicium,
Præpoſitus Paradiſi,
Ad ſuſcipiendas Animas conſtitutus,
Synagogæ olim, nunc Præſes Eccleſiæ,
Atque Cœleſtium Hierarchiarum Primas,
Tibi, inquam,
Inuictiſſime Princeps
MICHAEL ARCHANGELE.
Vobis
Animarum, & Corporum,
Vigiliæ, & Quietis,
Motus, & Status
Agendorum quorumcunque
Vniuerſo annorum decurſu,
Vitæ, ac interitus
Vigilantiſſimi noſtri Comites, &
CVSTODES.
Vobiſque inſuper
Beatiſſimi Spiritus
Ad intra Aſſiſtentes,
Ad extra Miniſtrantes,
Deo ſedulo obſequentes
Angeli omnes
Hoc, qualecunque Opuſculum
De Vobis agens,
Ad Vos redeat,
Veſtrum enim eſt:
VOBIS

Id debeo: Vobis dico, ac dedico:
Angelicum quidem Opus
At humanitus, non vt par eſt, angelice, **compactum**;
Parcite tamen ignauiæ,
Condonate inſcitiæ,
Indulgete incuriæ;
Atque
Memores dignemini eſſe mei,
Vt
Veſtra ſub Tutela viuendo in Terris,
Vobiſcum
Merear aſſociari in
Cœlis.

ADMODVM R. P.

CLEMENTI BRANCASIO

OLIM

DE DEO TRINO, ET VNO,

NVNC

DE ANGELIS

Acutissimo Scriptori.

STulta quid Icarios ausus, animisque superbis
Elatum, ad Superos quid Phatonta vehis?
Æthere dum subito ambusti cecidere, quid ipsis
Profuit exangues dedidicisse metus?
Gens mendax nostræ Fidei submitte rebellem
Ceruicem, in præceps non agit illa suos;
Eius inoffensis alis volat inter Alumnus
Aligerum æterno Castra perusta rogo;
Ingenijque sui, volucres sine pondere mentes
Quidquid habent vel agunt, culta Minerua docet;
Explicet angelicos nec mirum quod bene mores,
Tambene qui potuit explicuisse Deum.

Honuphrij Riccij Physiatri.

R. P. CLEMENTI BRANCASIO

DE ANGELIS scribenti.

IOSEPHVS BAPTISTA.

ALigeram, Domini peragit quæ iussa, Phalangem
Dum nosti, CLEMENS, pingere tam graphice:
E terris veheris vel Tu trans Ætheris Aulam,
Illa vel e Cœlis ad tua claustra volat:

APPRO-

APPROBATIO OPERIS.



FR. BENIGNVS A GENVA ORDIN. MINOR. REGVL. OBSERVANT. Reformatorum, Cismontanæ Familiæ Commissar. Gener.

Dilecto nobis in Christo, Patri Fratri Clementi à Carauinea, *Prouinciæ nostræ Reformatæ Neap. Concionatori, ac Lectori Generali. Salutem.*

CVM iuxta Apostolicas, & Ordinis nostri Constitutiones, reuisum, & approbatum fuerit Opus à te collectum, cuius Titulus est DE ANGELIS, & DE BEATITVDINE: tenore præsentium, cum salutaris obedientiæ merito, facultatem tibi facimus, quatenus seruatis seruandis, ipsum Typis mandare possis. Vale in Domino, quem pro nobis exorare memento. Datis Romæ die 16. Nouembris 1641.

Fr. Benignus à Genua Commissarius Generalis.

ILLVSTRISSIME, ET EXCELLENTISSIME DOMINE.

IVssu Excellentiæ Vestræ vidi supradictum Opus DE ANGELIS, & BEATITVDINE, & cum nil contineat contra Regiam Iurisdictionem, existimo posse Typis mandari 17. Aprilis 1646.

Excellentiæ Vestræ

Additissimus Seruus
Fr. Ioseph de Rubeis.

Vidit Arias de Mesa Regius Consiliarius, Delegatus per S. E. pro reuisione Librorum.

Visa supradicta Relatione IMPRIMATVR.

Zufia R. Sanfelicius R. Caracciolus R. Capycius Latro R.

Prouisum per Suam Excellentiam. Neapoli die 25. Aprilis 1645.

Barrilis.

INDEX DISPVTATIONVM, QVAESTIONVM, ET ARTICVLORVM.

DISPVTATIO I.

DISPVTATIO II.
De aßumptione corporum.

DISPVTATIO III.
De distinctione Angelorum.

DISPVTATIO IV.
De Oeuo mensura Angelorum.

rupti-

DISPVTATIO V.
De loco Angelorum.

DISPVTATIO VI.
De motu Angeli.

DISPVTATIO VII.
De Intellectu angelico.

DISPVTATIO VIII.
De voluntate Angeli.

DISPVTATIO IX.
De Gratia Angelorum.

DISPVTATIO X.
De peccatis Angelorum malorum.

DISPVTATIO XI.
De loquutione Angelorum.

Quæst.

DISPVTATIO XVII.
De potentia actiua Angeli in ordine ad sensū, intellectum, & voluntatem hominis.

DISPVTATIO XVIII.
De potentia Angeli in ordine ad Vniuersum.

DISPVTATIO XIX.
De Hierarchys Angelorum.

DISPVTATIO XX.
De Beatitudine Angelorum.

DISPVTATIO VLTIMA.

FINIS.



DE



DE ANGELIS.

DISPVTATIO PRIMA.



QVÆSTIO PRIMA.

De Ethymologia nominis Angelus.

1 QVOD primo se se offert, est, naturam explicare nominis quid, siquidem imponitur ipsum nomen *Angeli*. Et quidem Angeli nomen *Officium* indicat, non *Naturam*; inquit enim Ambrosius. *Quæris huius naturæ nomen? spiritus est: quæris officium, Angelus est, sicut homo, nomen est naturæ, Miles verò, officij*. Super Psalmum 103. hinc autem primò habemus, duo reperiri in Angelis, spiritum quidem, & officium, illud importat naturam, hoc verò importat ipsum nomen Angeli. Confirmatur hæc doctrina ex Gregorio, qui hom. 34. in Evangelia explicans illud Psalmi 103. *Qui facit Angelos suos spiritus*, inquit, *semper quidem sunt spiritus, sed semper vocari Angeli nequaquam possunt, quia tunc solum sunt Angeli, cum per eos aliqua nunciantur, vnde cum ait Psalmus, facit Angelos suos spiritus, etiam cum voluerit, Angelos facit; ideoque subdit idem Psalmus dicendo, & ministros suos ignem vrentem, seu flammam ignis*. Confirmatur insuper ex Augustino lib. 5. super Gen. ad litteram, cap. 19. itidem docente, *Nomen Angeli nomen esse officij non naturæ*; & denique ex deriuatione græca id confirmatur, idem namque Angelus latinè ac græcè nuncius, hæc ergo primùm sit ethymologia nominis ipsius Angeli, non enim per se primò significat naturā, sed officium.

Nomē Angeli est officij, non naturæ.

2 Hinc verò sic describi potest, seu circumloqui commixtim tum natura, tum munus ipsius Angeli, ex Damasceno. *Angelus est substantia spiritualis, intellectualis, libera, immaterialis, & incorporea, Deo ministrans, semper mobilis, gratia, non natura immortalis*. Vtrum autem hæc quā tradidimus, sit vera diffinitio, iam patet non esse diffinitionem in rigore, sed circumloquutionem traditam à Damasceno, qualiscunque sit talis de Angelo circumloquutio: quod verò in rigore diffinitio nō sit, ex inde probatur, quoniam non competit soli definito, siquidem etiam *Anima* rationalis est spiritualis, immaterialis, intellectualis, incorporea, & libera, vnà cū cæteris de Angelo enunciatis, & nihilominus anima non est Angelus. Dici tamen posset in eo discrepare, q. licèt anima nō sit de sui natura corporea, nihilominus vnitur corpori atq; informat corpus, quod nō contingit in Angelo.

l. 2. fid. orthod. c. 3.

Angeli descriptio.

3 Sed obstabis. Angelus namque etiam assumit corpus, vt suo loco patebit, sed occurritur latum esse discrimen, anima namq; assumit informando, Angelus assistendo. Verum non adhoc aspexisse videtur tradita circumscriptio, dum namque de Angelo ait, quod sit natura incorporea, id omnino Angelo accomodat tanquā ab intrinseco, & ex constitutione suæ naturæ conueniens, itaut sit de sui natura incorporeus, id autem constat quoque competere ipsi animæ, cum sit ab intrinseco suæ naturæ incorporea; accedit, quod talis etiam esset, dato quod nullum diceret ordinem ad informandum corpus. Dices, anima necessariò præsefert ordinem ad corpus, saltim aptitudinalem. Resp. animam & habere rationem spiritus, & rationē formæ: hoc secundum, dicit ordinem ad corpus, & propterea appellatur anima; est namque anima *actus, seu forma corporis*: illud verò, vtpotè ratio *spiritus*, abstrahit à ratione formæ, & animæ: patet, etenim Angelus est spiritus, nec tamen est anima, nec informans formas: anima item bruti est forma, & anima brutalis, & tamen non est spiritus: conuenit vero cum Angelo non ratione formæ, & animæ, sed spiritus: vt sic verum abstrahit à ratione formæ informantis: nec namque anima informat quatenus est spiritus, etenim pariformiter informare competeret Angelo, qui est spiritus: immo competeret ipsimet Deo, qui est summè spiritus: de Spiritu autem sancto docent Theologi, non per seipsū ex Magistro informare animam, vt aliqui contra Magistrū dist. 17 inuehuntur, sed ipsū habitum charitatis: charitas enim est forma informans animā; igitur licet anima sit spiritus, non tamen in sensu reduplicatiuo informat vt spiritus ne id contingat Angelo, & Spiritui sancto, sed cōperit animæ aliundè, vltra enim rationem spiritus, habet rationem formæ, actus, & partis, & huiusmodi, quæ omnia valde eam differre faciunt ab Angelo; accedit quod Angelus est substantia completa, anima verò pars hominis, & substantia incompleta.

In anima di- stinguitur ratio spiri- tus, & ratio animæ.

4 Quidquid tamen sit, aliundè cōstituitur, animæ quoque competere partes descriptionis reliquas, est enim & ipsa ex sui natura, libera, & Deo ministrās, dum obsequio, & seruituti Dei incūbit; est mobilis, vt patuerit quoq; denique gratia, nō natura, immortalis, ad eum sensum, quem de Angelo aperiemus. Sed hæc missa facimus.

5 Subdit Damascenus, esse semper mobile: si verū qua ratione poterit hoc currere, dum post diem iudicij nō amplius destinabuntur Angeli ad hæc inferiora, quomodo ergo erunt semper mobiles. Respondetur vel loqui in actu primo, habent enim potentiam motiuam, quę semper inest eis cessante post diem iudicij motu in actu secundo. Vel respondetur secundo, loqui sanctū Doctorem de tempore hoc decurrente vsque ad diem iudicij: siquidē Paulus ait, *Omnes sunt administratorij spiritus*, de quibus etiam & Iacob testabatur *scalam vidisse, & Angelos per eam ascendentes, & descendentes*, siquidē idem Paulus Hebr. 1. subdit, *In ministerium missi, propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis*. vel respondetur tertio loqui Damascenū de motu metaphorico, & morali, Angeli namque sancti, persistentes in contemplatione & fruitione Dei, *semper vident*, loquit Christus, *faciem Patris mei*, & Psalmista, *In quem desiderant Angeli prospicere*; quod si de malis Angelis loquamur, etiam & ipsi sūt semper mobiles, tum homines tentando in hac vita, tum reprobos torquendo in altera vita, tum denique Deum odio habendo iuxta loquutionem Psalmi, *Superbia eorū, qui te oderunt ascendit semper*. Vel quarto catenus appellātur semper mobiles omnes Angeli, quatenus sunt ex sui natura infaticabiles: ratio constat ex lib. de anima, siquidem *defatigatiō est passio potentiæ corporeæ, & sensitiuæ*, carent verò Angeli corpore, & sensu, ergo, vt sic, dici possunt semper mobiles, nunquam enim defatigarentur, dato quod detinerentur in perpetuo motu, sicut in ministerio patet tum bonorum Angelorum erga saluandos tum reproborū Angelorum erga præscitos in inferno cruciandos. Vel semper mobiles, sumpto motu metaphoricè, pro intelligētia, quia sēper intelligunt: propterea ab Arist. appellati fuerunt Intelligētiæ.

Angeli quo modo sem- per mobiles

6 Vltimum, quod Damascenus addit, est, *Angelos, esse gratia, non natura immortales*. Durum videtur hoc, quomodo nāmque immortalitas competat Angelo à gratia, & non à natura. Siquidem est de sui natura ens spirituale, vt diximus constabit quoque infra, carere cōpositione ex materia, & forma physica; vnde fit vt ab intrinseco sit incorruptibilis, & immortalis. Confirmatur, Immortalitas est debita naturæ ipsius Angeli, quia sicut corpori est debita ex natura corporis, qua corpus est, corruptibilitas, & mortalitas, ita Angelo debita est immortalitas, quia competens suæ naturæ, qua Angelus est, & spiritus est.

Quomodo Angelus nō natura, sed gratia immortalis.

7 *Sed respondetur*, quod Angelum cōsideramus, vel quatenus spiritus est, vel quatenus creatura est, primo modo loquendo, vtique incorruptibilitas competit ab intrinseco suæ naturæ, ratio quia immortalitas est debita spirituali naturæ, fundamentum huius est, quoniam sic postulat Angeli natura, vt sit omninò immortalis, sicut Bruti natura exigit ab intrinseco, vt sit mortalis, verum quia Author naturæ Deus non destruit, sed conseruat naturam, tunc verò rerum natura cōseruat, cum reddit singula singulis, prout postulat vniuscuiusque natura hinc est, vt immortalitas Angeli, quatenus Angelus est, & quatenus substantia spiritualis est, competat ipsi Angelo ab intrinsecu suę naturæ & ita Theologi docent, Angelos esse ab intrinseco incorruptibiles, & immortales iuxtà exigentiam suæ naturæ, sicut lapis, & brutū est ab intrinseco corruptibile & mortale iuxtò id, quod postulat propria ipsorum natura. Secundo autem modo loquēdo dicimus iuxtà loquutionem Damasceni esse immortalem gratia, non natura, ratio est, quia creatura nō est ens necessarium, sed cōtingenter liberè, & gratuitò creatur à Deo, hinc est, vt totum esse creaturæ dependeat à gratuita voluntate Dei, quod si vellet annihilare Angelum Deus, vtique posset, ideoq; immortalitas, quā possidet ipse Angelus, est effectus gratiæ Dei, siue gratuitę voluntatis Dei, cum namque Angelus nō habeat esse necessario, neque sit ens necesse esse per naturam, vtique neq; immortalitatem habebit ex necessitate naturæ, sed habebit solummodo eam consequenter necessario necessitate suppositionis ad suam naturam, quia dato quod hæc creatura sit talis speciei, nempè Angelus, sequitur necessitate suppositionis consequēter ad talem naturam, *sequitur* inquā, vt sit necessariò immortalis iuxta exigentiam suæ naturæ. Item accessorium sequitur naturam sui principalis, sed principale, nēpè natura Angeli, nō est ens necesse esse, sed est effectus gratuitæ voluntatis Dei, ergo accessoriū, nempè immortalitas, erit etiam effectus ipsius gratiæ Dei, sumendo gratiam pro gratuita voluntate Dei; & deniq; Angelus tum naturam, tum immortalitatem non possidet à se cum non sit ens independens, sed habet hoc totum dependenter à Deo, igitur meritò dicit Damascenus, iuxtà hucusque dicta, Angelum non natura, sed gratia esse immortalem. Insuper confirmatur authoritate Hieronymi Epist. ad Cyprianum presbyt. dicentis, *gratia Dei est, quod homo sit creatus*, & confirmatur vlterius dictum Damasceni ex sexta Synodo generali act. 11. vbi Patres inquiunt, *Angeli, & animas non natura, sed gratia esse immortales*? de re hac habebitur ex professo disputatio infra quæst. 7.

8 Vltra Damascenum, sunt & Patras alij aliter describentes naturam Angeli: ait enim Tertullian. in Apologet. cap. 22. *Omnis spiritus ales est, hoc Angeli, & Dæmones, igitur momento vbique sunt; totus Orbis illis locus vnus est: quid vbique geratur, tam facile sciunt, quam annunciant*. Athanas. lib. de comm. essent. c. de Angelis, inquit, *Angelus est animal rationale, expers materia, hymnis dicendis aptum, immortale*, Qualis verò sit sensus quod Angelum, Animal appellet rationale, sicut egit, & Gregorius habebimus infra quæst. 6. in fin. ex cæteris autem luculentissimum est descriptio illa Theodoreti in Epitom. diuin. decret: vbi sic scribit: *Angelos, nec vt Græcorum Poetæ, & Philosophi, in Deos referimus; nec in masculinam, & femininam incorporeā naturam distinguimus nec intemperantiæ coitus, quæ sub aspectū non cadunt, potestates accusamus? atque*

vt statuunt hæreticorũ fabula, esse creationis effectiones, fecimus. Et infra. *Nec incrementa opus habent, cum non diminuantur: neque coitu, cum sint corporibus liberi; quæ enim ab interitu naturæ aliena est, non eget incremento*. Concludit vero Chrysost. hom. 4. in c. 1. Gen. inquiens, *Archangelorum, Virtutum, Thronorum, Dominationum, Principatuum, Potestatũ, Cherubim, & Seraphim, quis sermo sufficiet enarrare magnificentiam*.

QVÆSTIO II.

Vtrum Angeli sint, aut probari posit Angelos esse, vbi etiam de Dæmonibus aliqua.

1 NEdum Saducæi, vt infra, verum & nouissimi sæculi hæretici quidam negarunt Angelos esse; vt de Georgio David, ac de plerisque alijs refert Coclæus & Lindanus indubitant. Item Dositheus penes Prateolum ex Phila 42. Insuper Libertini, penes eundem. De Saducæis vero, qui penes Hebræos de hæresi notabantur, vt ait Maldonat. cap. 3. Matth. num. 7. Lucas scribens Actor. c. 23. sic ait, *Saducæi dicunt non esse resurrectionem, neque Angelum, neque spiritum &c.* Fuit etiam quorundam Philosophorum error, omnino negans Angelos, docebant enim nihil in hoc mundo reperiri spirituale, sed totum quod est in mundo esse sensibile, corporale, & materiale; ita refert Aristot. 4. Phys. tex. 32. & 27.

Saducæi negant resurrectionẽ, & Angelos.

2 Bonos Angelos reperiri non negat Aristot. licet non sub nomine Angeli ipsos admittat, sed sub nomine Intelligentiæ, siue substantiæ abstractæ, malos verò reperiri, an neget, dicemus infra: ait autem Angelicum munus esse astra mouendi, non autem vexandi homines, sicut de malis Angelis dicitur in corporibus arreptitijs, a. 1. sect. 30 problematum: vnde concludebat tales, quos nos vocamus arreptitios non vexari à Dæmonibus, sed ab humore quodam melancholico. licet Alex. Aphrodis. 12. Metaph. c. 48. non putet improbabile, de mente Aristotelis, dari plures intelligentias, quæ non moueant Cœlum. Idemque Arist. Cœl. c. 3. ait Græcos, & Barbaros existimasse Deus esse per Deos autem idem intelligit Angelos 12. Met. c. 3. item 1. Polit. c. 1. Omnes gentes existimasse Deos esse, nempe Intelligentias.

Aristoteles Angelos vocat intelligentias, & substantias abstractas.

Arist. negat Angelos malos.

3 Quamuis autem Aristoteles tum ex loco recensito, tum etiam aliundè, negauerit malos Angelos esse, prout de ipsius Peripateticis Aristotelis sectatoribus, docet D. Thom. q. 16. de malo art. 1. Nihilominus Laertius in proœmio trahit ipsum in affirmatiuam sententiam; ait enim *Aegyptiis antiquiores esse Magos, Aristoteles author est l. 1. de Philosophia, duoque iuxta illos esse principia, bonum Dæmonem, & malum. Alterum ex his, Iouem, & Orosmadem: alterum, Plutonem, & Arimanium dici*. Subdit etiam, *hoc ipsum fatetur Hermippum, Eudoxum, Theopompum, Eudemum, &c.* quod si Magos admisit, ergo & Dæmones, etenim Magia occupatur in ministerio Dæmoniorũ, loquendo de superstitiosa.

Dæmones an ex Arist.

4 Discurrendum tamen foret de Genio, siue de Dæmonio Socratis de quo in primis Tertull. l. de An. c. 1. sic scribit. *Aiunt, Dæmonium illi, à puero adhæsisse: pessimum re vera, pædagogum*. Clem. Alex. 1. strom. *Socrati Dæmonium consueverat, non prohibens, sed adhortans*. Lactant. l. 2. c. 15. *Socrates esse circa se assiduum Dæmonem loquebatur, qui puero sibi adhæsisset, cuius nutu, & arbitrio, sua vita regeretur*. Minut. Fel. in Octau. *Socrates ad nutum assidentis sibi Dæmonis, vel declinabat negotia, vel petebat*. Cyprian. l. de Idol. van. *Socrates instrui se, ac regi ad arbitrium Dæmonis prædicabat*. August. l. 8. de Ciuit. Dei cap. 14. *A Dæmone Socrates admonebatur, vt ab agendo desisteret, quando quod agere volebat*,

Socratis Dæmon.

An bonus, an malus.

lebat, non fuerit prospere euenturum. An vero bonus fuerit, an malus, sic describit de eo Eugub. lib. 8. de peren. phil. cap. 25. *Daemon Socratis, cum Socrates esset vir bonus, hortareturq; homines ad virtutes, fortasse non esset malus sentire, fuisse bonum Angelum, qui & Balaam asinae apparuit, à sceleréq; auertit.* Tertullianus nihilominus recensitus, appellat ipsum, *pessimum Paedagogum.*

Dæmonis vox quid?

5 Pro complimento verò, necesse est inquirere quidnam importet vox ipsa *Dæmon*, & qualiter fuerit ab Ethnicis vsurpata, qualiterq; à Catholicis. In primis Plato in Phædone, Dæmones distinguit in bonos, & malos, eosque appellat *Custodes & Gubernatores hominum*. hoc ipsum tradit Porphyrius ad mentem Platonis, l. de Occas. & Carpentar. in Alcin. digress. 4. vnde & idē Plato, malos Dæmones, *Cacodæmones* appellat in contumeliam, & opprobrium: bonos verò, vocat absolutè *Dæmones*. Eosdem quoq; modò appellat, *medios inter Deum, & homines*; modò vocat *Deos minores*. Negat vero Bessarion l. 3. contra Calumniat. c. 7. Platonem vsurpasse Dæmones in malā partem aliquando, sed pro ipsis intellexisse naturas quasdam medias inter Deum, & homines, quorum custodia homines in Deum reducerentur. Idem refert Euseb. Cæsar l. 5. Præpar. Euang. c. 4. inquiens, *Genus Dæmonum inter Deum, & homines posuerunt*. Item de Homero ex Plutarcho, idem Euseb. scribit, *Homerus promiscue his nominibus vti videtur, eosdem modo Deos, modo Dæmones nuncupans*. Quidquid tamen sit de Philosophis, In primis dicimus, vox ista, *Dæmon*, idem importat, ac *Sapientem*. ita Lactant. l. 2. c. 15. inquiens, *Grammatici Dæmones dictos aiunt, peritos, ac rerum scios*. August. l. 9. de Ciuit. Dei c. 20. *Dæmones dicti sunt, quasi scientes*. Secundò dicimus, quod catholicè loquendo, nomen Dæmonis sonat in malam partem, sumitur enim pro Dæmonio, siue Angelo malo, vnde non est Catholicis concessum distinguere dæmonem in bonum, & malum; semper .n. est malus, ita Euseb. l. 4. præp. Euang. c. 3. inquiens, *Nomina ista dæmonum semper malè sonant, neque vllā bonam dæmonem nostrae dicunt Scripturae*. August. ibid. c. 19. *Nunquam bonos Dæmones legimus*. Et hinc Apuleius, ne animum legentis terreret, librum non intitulauit de *Dæmone Socratis*, sed de *Deo Socratis*, referente eodem Augustino. & tertio dicimus, quod licet Dæmon idem importet, ac sapiens, nihilominus subdit l. 9. c. vlt. *Quamuis nominis controuersias nolemus, tamen ita est detestabile nomen Dæmonis, vt hoc à sanctis Angelis remouere debeamus*. hæc Augustinus. Plura infra.

An bonū, &c.

6 Ad principale tamen intentum redeundo, sententia in primis catholica est. Angelos reperiri. Ita determinatum extat in Conc. Later. 2. in cap. firmiter, de summ. Trinit. & fid. cathol. vbi dicitur, *Creator omniū Deus de nihilo vtramque condidit naturam; spiritualem, nempe, & corporalem. Angelicā, mundanam, & humanam*. Patet quoque 2. Reg. 14. *Sapiēs es, sicut Angelus Dei*. Psalm. 8. *Minuisti eum paulominus ab Angelis*. Matt. 18. *Angeli eorum semper vident &c.* Plene autem de hoc sunt scripturæ: idipsum docuit Plato in Pimand. Arist. de quo supra.

7 Secundò dicimus, reperiri quoque Angelos malos, quos & dæmones appellamus. Assertio est tùm contra Philosophos, tùm contra Physicos quosdam: imò contra Cardanum, qui l. 16. de rerum variet. & l. 19. de subtil. negat dæmones esse; subditq; dæmones esse morbos, licet secretioris naturæ. Dæmones esse.

8 At pugnant cōtra diuinas Scripturas. Et quidem malos reperiri Angelos, docet Iudas Apostolus in sua Canonica inquiens, *Angelos qui non seruauerunt suum principatum sub caligine vinculis æternis reseruauit*, & Petrus epist. 2. c. 2. *Deus malis Angelis peccantibus non pepercit*, sicut etiam testatur Ioannes in sua Apoc. quod *factum est prælium magnum in Cælo, & Michael pugnabat cum Dracone, & proiectus est Draco ille magnus, qui cauda sua traxit secum tertiam partem stellarum*. Plato quoque distinctionem afferens Angelorum aiebat reperiri Angelos bonos, & malos: bonos quidem vocari aiebat, *Dæmones*, idest sapientes, malos verò appellandos, docebat, esse *Cacodæmones*, habemus ergò reperiri Angelos malos. Quod autem ipsi quoque

Humor melancholicus quoad arreptitios.

vexent homines in arreptitijs, probatur apertè ex diuinis Scripturis, & quidem primò Reg. 16. de Saul habetur, *Spiritus malus inuadebat Saul*, & Lucæ 18. atque Marci 5. mentio fit angelicæ legionis inhabitantis corpus arreptitium. *Nomen mihi legio*; sic enim respondit, dùm interrogaretur, *Est nomen mihi legio*. Marci etiam 5. & Luc. 8. interrogantibus discipulis respondit Dominus, *Hoc genus dæmoniorum non eijcitur, nisi in ieiunio, & oratione*. Ipsisque dæmonibus petentibus à Christo Domino licentiam intrandi in porcos, dixit, *Ite in porcos*. Vltra verò Scripturas contingunt in dies casus, quibus apertè conuincitur vexatio Dæmonum in arreptitijs. Recursus verò ad prædominium humoris malincolici inde eluditur, quod Arreptitij tales liberantur per Sanctos Dei homines, per exorcismos ab Ecclesia ad hoc specialiter designatos, & per orationes; quis verò Physicorum, quæ unquam illorum liberauit? aut quænam naturalis medicina idonea vnquam comperta est ad eos sanandos? quod humor concurrat malincolicus, & consimilis huius generis ad hæc, id fatemur, & admittunt omnes huius artis exorcizandi periti, ac ob id remedia etiam naturalia adhibent tàmopere melincholiæ, vel consimili prædominanti humori contraria; at non tota vis pendet ab humore, sicut nec tota liberatio pendet ab antidotis oppositis humori, sed principaliter ab exorcismo, oratione, meritis Sanctorum, ac precibus, & superna Dei virtute: quod si denique omnia attribuere tùm humoribus, dum inuaduntur; tùm naturali medelæ, dùm liberantur, nõ vtique subterfugere possunt Scripturas, tàm apertè attestantes inuasionem Arreptitiorum per Angelos malos: accedit, quod Arreptitij tales varijs loquuntur linguis, quas penitùs ignorabant: prædicunt aliqua ex futuris, & quandoque vera, non enim semper mentiuntur: norunt etiam manifestare res alioquin secretas, & occultas: hæc verò, & similia non præstat humor melincholicus.

9 Constito autem reperiri Angelos ex Scripturis, quærimus vtrum id possit ratione etiam naturali demonstrari. Nititur quidem Aristot. 8. phys. eos demonstrare ex motu cælorum, qui mouentur, nam quæ asserat id non poterit, nisi ex motu angelico prouenire, ergò dantur Angeli. Ratio hæc non conuincit. Primò, quia sustinentes cælos esse animatos anima informante, assererent motum talem esse ab Anima, non ab Angelo. Item responderent alij, motum prouenire ex propria natura, atque insita virtute motrice: sic ut vtrumque grauia, & leuia mouentur sursum, & deorsum à propria forma leuitatis, & grauedinis, ita mouerentur cæli circulariter à propria ad id virtute: posset etiam responderi moueri à Deo immediatè absque media vlla intelligentia: seu denique argumentatio Aristotelica si quid concludit, id solũ spectat ad Angelum, non vt Angelus est, sed vt intelligentia est, seu abstracta substantia: sub hac namque ratione admisit Angelos Arist. cæterum nõ cognouit, nec ex motu eos concludit quatenus Angeli sunt: patet namque discrimen; siquidem Angelos vt diximus ante quæst. idem sonat, ac Nuncius, est enim nuncius, legatus, & minister Dei, mittuntur verò Angeli teste Apostolo ad Hebr. 1. *Propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis* & mittuntur ad illuminandos tùm homines, tùm ipsosmet Angelos inferiores; Aristoteles verò non cognouit ministeria hæc Angelorum, non cognouit illuminationes angelicas, custodiam angelicam, ministeria angelica; quapropter non poterit ex Aristot. colligi reperiri Angelos, quatenus Angelos, licet colligamus ex eod. Aristot. Angelos prout substantiæ abstractæ sunt, vt intelligentiæ motrices cælorum.

Verû ratione naturali ostendi posse reperiri Angelos.

Rationes adducuntur, sed non conuincunt.

10 Probatur ex D. Thom. 1. p. q. 57. art. 1. ad perfectionem Vniuersi pertinet, vt in eo sint gradus substantiarum immaterialium: condidit autem Deus perfectum Vniversum; ergò erunt & Angeli, cum sint immateriales. Item gradus intellectuales sunt de perfectione eiusdem Vniuersi: huiusmodi sunt Angeli: Insuper perfecta causa assimilat sibi effectum: assimilatio autem consistit in imitatione causæ: vt ergò Deus est immaterialis, ita & produxit Angelos, qui sunt immateriales.

Probat id D. Tho. sed non conuincit.

11 Ve-

11 Verum nec sunt demonstratiuæ hæ rationes, & quidem omnes concludunt solummodò possibilitatem, non autem rei existentiam; siquidem licet possibiles sint tales plures, & distincti gradus immaterialium, & Intelligentiarum; nihilominus cum Deus agat ad extra liberè, non necessitatur eos creare. Item sufficeret admittere immaterialitatem, & intelligibilitatem Animæ rationalis, ad satisfaciendum argumento. Ad illud de assimilatione patebit in fine quæst.

Philosophi aliqui ex sacris codicibus Angelos didicerunt.

12 Dices, Plato l. 2. de leg. Mercur. Trismeg. apud Lactant. Firmian l. 2. diuin. Instit. c. 15. admiserunt Angelos: Resp. id non probasse à priori, sed tum ipsos, tum Philosophos reliquos traduxisse Angelorum cognitionem ex Sacris Scripturis, ex Oraculis Sybillarũ: non enim ratione aliqua demonstratiua id ostendere poterant, quæ conuincerent, ita quoque ad Aristotelem.

13 Hinc ergò dicimus, loquendo à priori nequaquam demonstrari posse reperiri Angelos: & rationes tum Aristotelis, tum Platonis, tum Philosophorum reliquorum ad id non attingere posse à priori. Ratio, quia est admodum remota à nostris sensibus cognitio Angelorum: eorum namque natura est vndequaque spiritualis, immaterialis, expers omnino sensibus: Nec quicquam commune habent Angeli cum sensibus nostris, vnde ex his ad illos deduci possit argumentatio; Ex sensibus namque corporeis inferre Angelum omni sensu carentem non licet, cum sit pura intelligentia.

A priori nõ potest naturaliter ostendi dari Angelos.

14 Dices, via alia remaneret naturalis ad deducendum ipsos, fortasse ex Symboleitate eorum ad nostram Animam; est namque Anima spiritualis, datur Anima huiusmodi, ergò datur Angelus; Nec ratio hæc valet, etenim iam dictum est valdè differre, cum illa, vltra rationẽ spiritus, habeat quoque rationem formæ informantis, dicat ordinem, vel actualem, vel aptitudinalẽ ad corpus, sitque ens incompletum, cũ non sit totus homo, sed pars hominis: at in his, Angelus nullam habet symboleytatem cum Anima, ergò neque hinc deduci possunt Angeli, non enim informant corpus, licet assistant, nec sunt totius compositi pars, sed verè substantia adequata, & completa: Cum ergò Angelos esse nec demonstrari possit per symboleitatem ad nostros sensus; nec per symboleitatem ad Animam, remanet, vt ratione naturali nequaquam demonstratione conuinci possit reperiri Angelos. & hinc Orat. 2. de Theol. Nazianz. concludit non posse, nisi imperfectissimè cognosci. Confirmatur verò, apertissimo testimonio August. qui in Enchyr. c. 58. ita loquitur. *Quomodo se habeat illa superna societas, & quæ sit ibi differentia personarum, dicant qui possunt, si tamen probare possunt, quæ dicunt; ego enim ista me ignorare confiteor:* loquuntur verò Patres, & vniuersim Theologi, præcipuè de probatione à priori, Est etiam Scoti q. 7. quodlib.

Probatur à posteriori.

15 Dicimus secundò, posse nihilominus aliundè veluti à posteriori, ex diuersis capitibus probari Angelos esse. Primum verò caput sunt diuinæ scripturæ tùm veteris tùm noui Instrumenti, de quibus tùm hic, tùm præced. quæst. tùm passim infra, testantur enim plura personarum genera in Scripturis vidisse Angelos, tùm Gedeon, tùm Daniel; tùm Zacharias, tùm Beatissima Virgo, ad quam missus fuit Gabriel Angelus dicens, *Aue gratia plena;* tùm in Apocal. Ioannes; tùm plurimi penès diuinas Scripturas. Secundum caput est ex humano, & Angelico commercio, docebat namque Angelus Iosephũ quid de Puero, quid agendum de Matre: hoc eodem commercio digni redditi sunt, plerique Sancti Dei homines, quibus familiarissima erat Angelica conuersatio, & frequens illuminatio, vt sicut de multis, ita de Beata Francisca Romana testantur historiæ. quod si ex Sanctis Angelis transeamus ad malos, sunt & improbi homines, quibus familiares sunt dæmones, & Angeli alioqui mali: ex quibus Plato de Socrate enarrans ait, habuisse Socratẽ commercium & familiaritatem cum spiritu quodam, quem appellare solent familiarem, spiritum alioqui dæmoniacum, spiritum malum. Tertium caput desumitur ex Magia; multa namq; eueniunt non arte hominum, sed dæmoniorum magia: & huius generis

erant,

erant; quæ à Magis Pharaonis fiebant prodigia, non humana virtute, sed dæmoniaca magia Exo. 8. vnde & hi tali dæmonum adiutorio vtentes, appellātur Magi, Incantatores, Malefici, Lamiæ, striges. Quintum desumi potest ex Incubis, & Succubis, qui inter malos Angelos contingunt: ait namque Augusti. reperiri Succubos, & Incubos damnato coitu vtentes, debellantur namq; obscenis reprobi Angeli. Quintum ex portentosis euentibus supra vires, industrias, & cogitatus humanos; accidunt namque vel terræmotus maximi, vel magnæ aquarum inundationes, vel insolitæ pluuiarum ingluuies, vel repentini, & inexpectati casus, & huius generis, quæ quidem dùm humana vel potentia, vel industria ad id nō attingit, Angelis id tribuendum est vel bonis, vel malis. & denique ipsi quoq; Arreptitij id ipsum fatentur, dùm lassati demum, atque à Sanctis Dei seruis deuicti, & defatigati vt sic loquamur, dæmones fatentur, tùm se dæmones esse, tùm tali nomine vertiri, tùm de tali Ordine, Hierarchia, ac Choro exci disse; hæc, & similia indicant reperiri Angelus à posteriori.

Rationes naturales ? conuincant. 16 Dicendum tertiò, rationes naturales à posteriori deductas, quatenus naturales sunt, non esse efficaces. Hæc assertio declaratur per præcedentem, ratione primi capitis, quatenus probatio innititur sibi diuinis Scripturis, reuelationibus, ac apparitionibus Angelorum; etenim diuinis Scripturis præstanda est fides: sicut præstanda quoque est reuelationibus ab Ecclesia approbatis: Quatenus verò eadem assertio innititur capitibus naturalibus, efficaciam non sunt; Inter cætera autem adesse communiter solet probatio deducta ex motu, quatenus innititur Cœli, vnde Aristoteles deducit dari intelligentias; eodemque medio probant communiter Scholastici dari Angelos: nam cum cœlum mouetur à seipso, ergò ab alio, hic alter non erit homo, cum non sit tantæ potentiæ, nec ex Philosopho Cœlum sit habitatio hominum, ergò erit Angelus. Verum, caput hoc non vrget, possent namque varij varia respondere. Tenentes namque esse animatos Cœlos, dicerent moueri à propria anima. Alij assererēt moueri quoque ab intrinseco propria vi, ac naturali impetu: diceremt alij moueri à propria forma; sicque aliter, & aliter, iuxta aliter, & aliter opinantes. Insuper dato, nullo istorum modorum moueri; nec insuper necessariò concluderet de Angelo, posset namque responderi, motum talem causari à Deo immediatè, ipse namque est Agens liberum agitq; ad extra, vt placet, siue mediatè, siue immediatè, itaque hoc caput de Cœli motu eliditur, vt etiam attigimus. Dices posse fieri ab Anima aliqua assistente, sicut etiam causare tempestates, &c. Resp. incertum est, an possit tot, ac tanta.

Caput alterum de varijs linguarum generibus in Arreptitijs, nec necessariò infert fieri hæc ab Angelo: posset namque idem homo plura callere genera linguarum, prout de Xerse refertur qui viginti callebat linguas; vel si homo talis arreptitius linguas plures non possideret, dici posset, id prouenire à Deo, qui sicut egit cum Apostolis loquentibus varijs linguis, ita & agere posset cum istis.

Aliud de varia corporū agitatione eorundem Arreptitiorum, eisdem soluitur, posse motum fieri immediatè à Deo ita etiā de tempestate, pluuia, &c.

Solum superest de Incubis, & Succubis, deque turpibus, inhonestisque actionibus Energumenorum: hoc quidem vim magnam facit. Ratio, quia fieri hæc à Deo magna blasphemia esset. Dices, occurrere etiam Deum ad substratum peccati: Resp. vtique verum, quādo simul cum eo cooperatur creatura, cui formale sit tribuendum; at in hoc casu vtrumque esset à Deo, tùm materiale, tùm formale, & Arreptitius se haberet solummodò vt instrumentum, dùm eo tempore non solent esse sui iuris, neque pleni arbitrij. Hinc aūt fit, vt distinguamus, vel namque operationes istorum sunt bonæ, siue saltē indifferentes, & vt sic esse possunt à Deo: vel sunt malæ, & vt sic erunt ab Angelis malis, nisi hæc tribuas animæ damnatæ assistenti.

17 Suarez in met. d. 35. sect. 1. nititur adstipulari creationem Angelorū lumine naturali: datur substantia ma- Probat Suarez vi naturali, sed non conuincit.

ter[illegible] e constat, ergò danda, & immaterialis, talis erit Angelus. secundò possibilius videtur dandam esse substantiam immaterialem, quam materialẽ: hæc de facto datur, ergo & illa: prob. anteced. Causa efficiens semper intendit assimilare sibi effectum: ergo Deus produxit Angelum, qui est adeo sibi similis in spiritualitate, & immaterialitate. Tertiò datur anima rationalis immortalis, ergo dabitur & Angelus; prob. cum sequatur substantia spiritualis incompleta, in qua inchoatur gradus, & ordo substantiæ immaterialis, ergò dabitur substãtia spiritualis completa, in qua compleatur ordo immaterialitatũ; at huiusmodi est Angelus.

18 Resp. ad 1. concludere de possibili, non de facto cum non agat Deus necessariò ad extra. Ad secundũ, currit de agẽte vniuoco, ei namque competit omnimoda assimileitas ad effectum, quia agit necessariò: Deus est agens æquiuocũ ad extra, ideo si vult, agit, & agit eo modo quo vult, dando effectui talem, ac tantum assimilationis gradum, quantum placet: quod si nollet, non produceret, vera etiam maior ad intra, non ad extra, vnde in productionibus diuinis reperitur vera assimilatio, non ad extra. Ad tertium, sufficit vt in tota coordinatione entium reperiatur ipse Deus, in quo solummodo reperitur adæquatio, & completio omnis gradus bonitatis, & perfectionis, atque est integrè, adæquatè, & vndequaque immaterialis: sicque pateret animam rationalem esse inchoatum fundamentũ, & incompletum immaterialitatis, Deum vero integrũ, & cõpletum, & consimilis esset Angelus, aut creatura altera immaterialis.

19 Dices, sensus cognoscit reperiri substantias materiales, ergo & intellectus inde arguit reperiri immateriales. Confirmatur, substantia prædicamentalis diuiditur in spiritualem, & corpoream; ergo naturali lumine constat dari Angelos. Resp. ad 1. solummodo posse argui reperiri primum efficientem, qui sit omninò spiritualis, nõ autem inde posse naturaliter argui efficaciter reperiri alia entia spiritualia. hoc docuit Apost. Rom. 1. *Inuisibilia Dei à creatura mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur.*

20 Ad confirmat. respond. sufficit vt argumentũ concludat reperiri substantiam spiritualem, quæ est Deus, & de hoc concludit, non de Angelo: licet Deus non sit in prædicamento & ita bene diuiditur substantia in corporalem, vt corpora, & spiritualem, vt est Deus. Substantiæ diuisio qualis.

QVÆSTIO III.

Vtrum Angeli creati fuerint in Cœlo Empyreo.

Ex Auicenna intelligẽtia creat intelligentiã.

1 FVit sententia Auicenn. qui 9. met. cap. 4. docuit, Intelligentiam creare Intelligentiam: itaut prima creauerit secundã, secunda tertiam, & tertia quartã, ac deinceps: quod tamen non est præsentis loci impugnare, de quo Scot. in 4. d. 1. q. 1. fuit insuper sent. Arist. 12. met. t. 41. & 41. Intelligentias esse entia necessaria, quia Deus agit ad extra necessario. De quo Scot. quodl. 2. & 1. d. 8. q. 5.

Simon Magus se faciebat progenitorem Angelorum.

2 Fuit error immò potius dementia Simonis Magi, ipse namque conditorem se constituebat Angelorũ, immò genitorem, non enim Deum asserebat procreasse Angelos, sed Simon ipse fatebatur se ex meretricula quadam appellata *Selene* Angelos genuisse, ità Irenęus testatur lib. 1. cap. 20. fuit item error, & aliorum æstimantium Angelos procreatos fuisse ab Adam, & vxore quadam appellata *Aysce*, anteriori quidem ad communem matrem omnium Euam; ità refert Perer. lib. 4. super Gen. q. 11. & Abulens penès ipsum. Perer. fuit denique & error alter aliquorum, qui Angelos nequaquam à Deo creatos esse asserebant, immò potius eos veluti quædam numina adorabant, & hi appellati sunt *Angelici*, vnde & no- Errores alij de Angelis.

men sortiuntur, vt appellentur *Hæretici angelici*, refert August. lib. de hæresibus cap. 39.

3 Circa errores, siue dementias recensitas duo contingunt, vel tria. Primum est, Angelos non esse creatos à Deo: secundum Angelos esse diuina quædam numina: & tertium Angelos genitos, seu procreatos fuisse ab hominibus. Circa tertium, vt hinc incipiamus, irrationabilitas huius asserti patebit infra, cum Angelos demonstrabimus non componi ex materia, & formarum esse entia materialia, & corporea, ac proptereà nec generare posse, nec gigni, exponentes locum illum Genesis 6. *Videntes filij Dei filias hominum, quòd essent pulchræ, acceperunt sibi in vxores.* Accedit quod generatio debet esse vniuoca, Angeli autem sunt alterius omninò rationis ab homine, tum quia Angelus est spiritus, tum etiam quia vtraque caret generatiua potentia actiua, & passiua, non enim inuicem procreantur Angeli, nec ab alio per propagationem seminalem, homo verò vltrà animam habet corpus, atque in eo exercere potest generatiuam potentiam, sicut de facto humana species per propagationem traducitur seminalem, ergo irrationabile est omninò asserere, Angelos habere esse per humanam generationem. Circa secundum iam patuit, atque ostensum fuit vnicum esse Deum, cætera verò esse opera, & creaturas formatas, ac dependentes à Deo, vt tom. 1. disp. de Vnit. Dei, quapropter implicabit Angelos esse Numina, inde enim destrueretur vnitas ipsius Dei. Et denique circa tertium Angelos creatos esse ab ipso Deo, tum ex dictis 1. & 2. quæst. tum ex infra dicendis patebit, aperta verò est definitio Concilij Later. in cap. *firmiter* de summa Trinit. & fide cath. dicentis. *Creator omnium Deus de nihilo vtramque condidit naturam, spiritualem, nempe & corporalem, Angelicam, mundanam, & humanam*, quo sit vt confitendum sit esse vere creaturas non autem Numina, atque esse entia non ab hominibus seminali propagatione producta, sed habentia esse per veram creationem à Deo.

Angeli non generant, nec generantur.

Angeli non sunt Numina, sed creaturæ à Deo.

4 Confirmatur ex ijs, quæ congerit Scotus tum in primo d. 2. q. [illegible] tum in secundo d. 2. q. 2. tum in quarto d. 1. q. 1. vbi docet, vnam esse primam omnium causam, quæ est improducta, & quæ habeat esse à se independenter, & à qua sint omnia alia. Quo etiã in loco quarti inuehitur Scotus contra Auicennã, qui statuebat quandam catenam aneam, qua mediante Angelus crearet Angelum, de qua re fusè ibi Scotus ostendens, nec Angelum creare Angelum, nec Angelo posse vllo pacto competere creationem, seu creatiuam potentiam, sicut idipsũ ostendit ibi Scotus de quacumque alia creatura, docens creaturam non posse vllo pacto creare. Multo minus competet Angelo per propagationem seminalem producere, seu produci, ait enim Christus Matth. 22. de prædestinatis in Cælo futuris, non nubent, neque nubentur, sed erunt sicut Angeli Dei in Cælo.

5 Comperto iam Angelos verè productos esse à Deo, nunc quærimus de loco, in quo facta fuerit creatio Angelorum, siue de loco creationis Angelorum. Circa rem hanc varij varia dicunt, & quidem asserunt alij creatos fuisse Angelos extra Cælos, nempe in aere, siue in suprema aeris ipsius regione tamquam in altiori, subtiliori, atque puriori, ità Rupertus Abbas lib. 1. super Gen. c. 11. atque Eugubinus lib. 7. de vera philosophia. Censent alij bonos quidẽ creatos fuisse in Cælo Empyreo, malos autẽ in aere inferiori, de quo refert August. lib. 7. super Gen. ad litteram cap. 10. Æstimãt, & alij Angelos superiores, siue altioris ordinis, & Hierarchiæ creatos fuisse in Empyreo Cælo, Angelos vero Hierarchiæ inferioris creatos fuisse in Cælis inferioribus, siue in inferioribus Elementis ad eum finem, vt & Cælos inferiores moueant, & Elementis præsint, atque vniuersa hæc inferiora gubernent, in quam sententiam abijsse videtur D. Thom. 1. par. art. 4. Dixere alij creatos fuisse in Cælo stellato, siue in Cælo illo, quod immediatius, & vicinius est Cælo Empyreo, cuius sententiæ fuit Innocentius III. super Psalm. 5. dum ait, Angelos peccasse in Cælis, in quibus sunt sidera & luminaria, supponit vero ibi peccasse Angelos vbi fuerunt creati,

Quo in loco fuerint creati Angeli.

Varij modi dicendi.

exinde

exinde vero tempore eorumdem Angelorum diuisionis accidisse, vt peccatores Angeli ad loca ceciderint destinata ipsis à diuina Iustitia, prout de Lucifero dicitur, *Quomodo cecidisti Lucifer, qui manè oriebaris*, Angeli verò boni qui non peccauerunt ascendisse dicantur ex ipsismet sydereis Cœlis ad supremum Cœlum Empyreum, quod etiam, & nouissimè amplectatur Lorynus in 2. Epist. Pet. cap. 2. & confirmari hoc potest ex loquutione Luciferi Isaiæ 14. dicentis, *Ascendam in Cœlum super astra Cœli exaltabo solium meum*, quod si Lucifer ascendere nititur in Cœlum, nempe Empyreum, sequitur vt non fuerit in Empyreo Cœlo creatus; probatur etiam siquidem supponitur non fuisse creatum in Cœlis, neque in aere illo intermedio igitur, dum nititur in Empyreum ascendere Cœlum consequens est, vt creatus fuerit in sidereo Cœlo. Probatur vlterius à simili, quoniã initio creationis fuit Adam extra Paradisum creatus, inde vero in Paradisum Terrestrem fuit intro[illegible], ergo & Lucifer vna cum cęteris fuit extra Empyreum conditus, inde autem boni in ipsum Empyreum Cœlum introducti, mali verò ad tartara perpetua destinati; prætereà non videtur conueniens asserere Angelos peccasse intra Empyreum Cœlum, ait enim scriptura, quod nihil coinquinatũ introibit in Cœlum, est enim locus ille purissimus, atque omni sanctitate refertus, sed Angeli peccauerunt vbi creati fuerunt, ergo non fuerunt creati in Cœlo Empyreo, sententiæ huic adhæret etiã Suarez tract. de Angelis lib. 1. cap. 5. & denique fuit sententia alia non dissimilis ab ista, Angelos extra Cœlos omnino, atque in nullo loco materiali creatos fuisse; exinde vero bonos persistẽtes in gratia, in Empyreum translatos fuisse, malos autem ad tartara; consentit inter cęteros idem Rupert. Abb. lib. 1. de operib. Trin. cap. 11.

Nõ colligitur ex scriptura vbi fuerint creati. 6 Quid vero nobis sit sentiendum aperiam. Primo autem dicimus non posse colligi ex Scriptura manifestè locum, in quo fuerint creati Angeli. Id patet, non enim id declarat Scriptura, vt constat.

7 Secundo asserimus Angelos nec in terra, minus sub terram, nec in aere isto intermedio creatos fuisse. Hoc est plus quam probabile, & ad hoc facilè consentiunt omnes. Suadetur, vnicuique rei Deus suum adaptauit ab initio productionis domicilium, & id iuxta conditionem, & naturam vniuscuiusque; animantibus enim terram, piscibus aquæ elementum, & volucribus assignauit aerem: indeque animantia creauit in terra, pisces in aquis, & volucres produxit in aere. Ergo consimiliter dum creauit Angelos, non in terra, nõ in aquis, non in aere, minus in igne eos crearit, existimandum est. Insuper creationis locus correspondere debet proportionabiliter naturæ ipsius rei creatæ; animantibus plantis, atque mistis cæteris, vtpotè vel imperfectioribus, vel ratione prædominantis Elementi assignauit domicilium infimum terræ, sicut & piscibus Elementum aquæ: volucribus verò, prout ad altiora à natura destinatis assignauit aere: ignis sphæram nulli addixit viuenti domicilium, *Quis enim habitabit cum igne deuorãte, aut cum ardoribus sempiternis*. Isa. 33. est namque ineptum ad habitandum. Cum vero Angelus sit spiritualis & incorporeus, ratione etiam eminentiæ, & perfectionis suæ naturæ debuerat superius ad omnia Elementa creari. Demum Angelus ipse præsidet regimine, & gubernio ipsi mundanæ creaturæ, ad id destinatus à Deo, ergo in loco eminentiori debuerat creari. Obstabis ex August. lib. 3. super Genes. cap. 3. dicente, creatos fuisse in suprema aeris regione. Resp. loqui iuxta mentem asserentiũ Angelos esse corporeos, nõ autem asseritiuè ex propria opinione. Sic exponit Alcasar Augustinum.

Nec in terra, nec sub terra, nec in aere.

Soluitur locus Aug.

8 Tertiò dicimus, probabilius videtur fuisse creatos in Cœlo Empyreo, quam alibi, siue in Cœlo sydereo, siue inferioribus Orbibus. Assertio hæc est communis, ita Beda homil. 1. in Exam. Strabo in cap. 1. Genes. Alexan. Alens. 2 part. quæst. 10. in 3 art. 2. vna cum Magist. cæterisque ferè communitèr Theologis in 2. d. 2. Prob. Ioannes ait Apoc. 12. *Factum est prælium magnum in Cœlo, & Michael pugnabat, & Draco pugnabat*, nomine autem *Cœli* per antonoprobabilius creatos in Empyreo.

 thono-

thonomasiam intelligitur Empyreũ, quia perfectius cæteris, & eminentius sicut etiam appellari solet *Cœlum Cœli*. quod si prælium factum fuit in Empyreo, verisimile est in eodem fuisse Michaelem, cum Dracone suisq; satellitibus creatum. Nec rationabiliter dici posset fuisse alibi creatos, inde vero in Empyreum translatos, vt ibi committerent bellum, poterant enim eo in loco creari vbi potuerunt bellare. Probatur insuper ex eo, quod scriptura adiecit, *nec præualuerunt, & non est inuentus eorũ locus amplius in Cœlo*, hinc deducitur in Empyreo fuisse creatos. Prob. mali Angeli fuerũt deiecti è Cœlo Empyreo, ergo in Empyreo bellauerũt. Itẽ Luc. 10. dicebat Christus, *Videbã Sathan tãquã fulgur de Cœlo cadentẽ*. Loca hæc explicantur amplius per rationem sequẽtem; & quidem inter angelicam creationem, eorumque pugnam, siue, totum vlæ decursum paruulæ intercesserunt morulæ. ad quid autem deseruire potuit, vt extra Cœlum crearentur, inde vero statim in Empyreum transferrentur ad pugnandum? poterant namq; in eodem Empyreo creari, vbi pugnauerunt. Præterea Ezech. 28. *In delicijs Paradisi fuisti*. constat vero Empyreum esse locum deliciarũ Paradisi. Rursus Angeli fuerunt creati simul cũ Cœlo, de quo quæst. seq. at initio cum illis Chaos fuit creatum solum Empyreum, vt ostendit Scot. 2. d. 16. quæst. 1. ex Gen. 1. primo namque fuit creatum Cœlum, & Terra: inde lux, inde firmamentum, inde Cœli reliqui, & Planetæ: non ergo creati in Cœlo sydereo, & planetali.

9 Insuper inde eiectus fuit Draco, vbi pugnauit: pugnasse autẽ, ait Ioannes in Cœlo; quod ratione perfectionis denotat Empyreũ: quod si inconueniens non fuit in Empyreo pugnare, minus inconueniens fuerit in eodem Empyreo creare: creatio namque abstrahit, vt sic, à rebellione, & pugna. Rursus Cœli sydereí inferiores sunt destinati ad motum: motus autem hic fieri debebat, sicut & nunc, ab Angelis; igitur Cœli illi syderei sedes erant etiã & tunc Angelorum mouentium: at tunc temporis initio rerum non habebatur adhuc Cœli motus, prior namque fuit pugna, & ruina Angelorum, quam Cœli moueri incepissent ab Angelis ad influendum in hæc inferiora: quod si tunc non mouebantur Cœli, frustra ibi collocati sunt Angeli: collocatio vero fieri debebat pro tempore oportuno ad mouendum. Confirmatur, dato quod in astris fuerit facta creatio, nihilominus roc solummodo creari ibi debuerant Angeli, quot sufficere poterant ad motum Cœlorum; ergo non omnes ibi creati fuerunt, nõ enim omnes mouent astra: igitur saltim reliqui fuerunt extra astra creati: at non in Elementis, vt patuit, ergo creati in Empyreo. Ratio hæc maximè omnium vrget; deducitur namque ex ministerio angelico circa astra. Et confirmatur amplius, iam Custodes Angeli deputati inde fuerunt ad vsque terras, ad custodiendos homines, siue Prouincias, vt suo loco dicemus; at nemo asserit rationabiliter Custodes Angelos creatos fuisse in terra, vel domi, atq; humana inhabitatione, siue Prouinciæ hac, vel Regno, eo quod custodię ipsorum tradenda fuisset humana natura habitans in terra: potuerunt namque extra terras creari, inde vero ad terram vsque pro humana custodia destinari; Ita potuerũt Angeli in Empyreo creari, inde vero ad loca syderea, gratia motus ipsorum destinari. Denique solum Empyreum Cœlum est immobile, mobiles cæteri: id vero maximè congruit creationi initiali Angelorum: nõ enim statim ac fuerint creati, Cœlos mouerent, sed inde: vnde fit vt immobilitas Empyrei optimè correspõdeat quieti initiali Angelorum. Accedit tale ab initio habuisse domicilium creationis, quale habere, inde habuerint peracta iam angelica Orbis cura, & administratione: at post diem iudicij perennis Angelorum Beatorũ sedes erit Empyreum, ergo idem quoque esse cõueniens fuerat in eorum creatione. Ad recensitos Patres accedit Origen. lib. 1. periarc. cap. 5. Ambros. de fug. sæc. cap. 7. Chrisost. homil. 10. de pęnit. c. 5. Gregor. 13. moral. cap. 6. Bernard. ser. 3. ad fratr. de quo & D. Thom. atque sequaces 1. par. q. 61. ar. 4. patebunt vero amplius ea, quæ diximus ex solutione eorum, quæ obstant in oppositum.

Nõ in Cœlo sydereo.

10 Et quidē Isaiæ locus obstat 54. de Lucifero, *Ascendam in Cœlum super astra Cœli exaltabo solium meum*. hinc autem cōcludi videtur nedum in Empyreo non fuisse creatum, verum nec in Cœlis intermedijs. Sed respondetur ascensum hunc nō esse localē, & physicum, sed moralem, & metaphoricum: erat namque præsentialiter in Empyreo: at inde in superbiam elatus appetijt æqualitatem Dei, de qua suo loco: per talem vero appetitum dicebatur ascendere, ascensus autem iste est metaphoricus: est autem frequens modus iste loquendi tum in sacris Scripturis, tum in prophanis; ait enim Psalmista dicendo: *Superbia eorum, qui te oderunt ascendit semper*: & Christus Iudæis. Io. 15. *Vt quid cogitationes ascendunt in cordibus vestris*. Per Cœlum vero, in quod nitebatur ascendere, intelligitur Cœlum Trinitatis, appetens solium Trinitatis, & æqualitatem Dei, sicut plurimi exponunt, de qua re infra suo loco. Poterat igitur ibi præsentialiter sistendo in Empyreo, ascendere, non ascensu locali, & physico, sed appetitu æqualitatis diuinæ, motu morali, & metaphorico.

Lucifer quã in Cœli ascensum appetijt.

Luciferi ascensus quã lis.

Obstat quoq; locus alter Sap. 7. *Nihil coinquinatum intrabit &c.* vnde inquinaretur Ciuitas illa sancta Hierusalem à peccato Luciferi, ergo nec ibi commissa est pugna, nec ibi peccauerunt. *Resp.* attendendam esse loquutionem Vatis, ait enim, *nihil intrabit*: docet ergo nullum coinquinatum fore admittendum, seu introducendum ibi: & ita iam euenit de ipsis Angelis; quãdo namque creatus fuit *Lucifer* cum Associis in Empyreo, non fuit creatus malus, nec in peccato sed ex sententia communiori in gratia: ergo dicitur quod nullus coinquinatus Angelus fuit ibi per creationem introductus: sicut & de hominibus nullus coinquinatus ibi introducitur, sed si quæ supersunt inquinamenta iustis ex vita hac degētibus, ea purganda prius veniunt in Purgatorio. hæc sit prima responsio. Respondetur: Secundo sensum Scripturæ esse, vt nedum nil coinquinatū intret, verum nec permaneat: in casu autem nostro nec intrauit, nec permāsit coinquinatum: non intrauit, quia non fuerunt creati mali: nec permansit, quoniam peracta iam pugna cōtinuo mali ceciderunt, ac inde fuerunt deiecti: quod aptissimè indicatur per verba recensita, *Videbam Sathan tanquam fulgur de Cœlo cadentem*: sicut enim fulgur velocissimè percurrit, ita & Draco cū socijs velocissimè ictu expulsi sunt ab Empyreo: quocunque autem modo intelligatur Scriptura, vtrique sententiæ nostræ fauet, siue intrando, siue persistendo: nec enim intrauerūt coinquinati, nec coinquinati permanserunt, sed statim atque coinquinati sunt, deiecti fuere.

11 Ex his concluditur, peracta iam pugna, Victores Angelos vna cum Principe Michaele, confirmatos fuisse, in eodem Empyreo, in quo creati fuerunt; verum non omnes pro tunc remanserunt in Empyreo; alios namque destinauit Deus in terris ad humanam custodiam, alios ad regimen Prouinciarum, & Regnorum: alios ad alia munia exercenda: Michaelem quoque ad tutelam Ecclesiæ; sicut namque erat in testamento veteri Præses Synagogæ, ita in nouo præses est ipsius Ecclesiæ, quibus muneribus peractis redibunt ad Empyreum. Mali vero expulsi continuo inde fuerunt, omni spe eo redeundo priuati.

Michael olim Præses Synagogæ, nunc Ecclesiæ.



QVÆ-

QVÆSTIO IV.

Vtrum Angeli fuerint ab æterno, an aliquando inceperint habere esse.

1 AN fuerint ante molem Mundi huius, creati Angeli, vel post, varia senserunt Patres, & Doctores; siquidem Origen. hom. 4. in Isaiam: Nazianz. serm. de Nat. Dom. Basil. homil. 12. in exam. & Chrisost. homil. 22. creatos affirmant ante creationem Orbis; subdit verò Cassian. collat. 8. cap. 7. *Adeo certam esse sententiam istam, vt de ea nemo dubitet*. Author lib. Ecclesiast. dogmat. c. 10. affirmat, terram veluti aquis obrutam, tenebris, & caligine circumfusam, atque Angelos creatos simul fuisse, ante tamen creationē lucis sæculis multis. Plato quoque de opificio mundi. ipsum docuit, Angelos ante Orbem creatos: idemq; sensit Gregor. 28. moral. cap. 7. Patresq; plures.

2 Suaderi potest hæc sententia, primo, argumento eiusdem Gennad. de Eccles. dogm. nisi ante sensibilem Orbem Deus creasset Angelos, otiosus fuisset: ne ergo otio torpuisse, dicatur, se exercuit quodammodo in creatione Angelorum. Secundo ex Iob 38. *Vbi eras, quando apprendebam fundamenta terræ, & me laudabant astra matutina, & iubilarent omnes filij Dei*. vbi ex versione septuag. Interpret. ita legit Cassian. *quando facta sunt sydera laudauerunt me omnes Angeli mei boni*. hinc elicitur, vt dum laudabant Deum Angeli tempore creationis syderum, & Orbis, vtiq; dicendum, & quid tunc fuerint, & quā anterius habuerit esse ipsi Angeli Dei. Tertio ex eodem Iob 40. vbi de Beemoth dicitur, *Ipse est principium viarum Dei*: per Beemoth intelligitur Lucifer, qui indè factus fuit Beemoth peccando: per vias vero ad extra, intelliguntur creaturæ, ergo Lucifer, cęterique Angeli fuerunt priores cęteris creaturis. Quarto colligi potest ex promissione Dei facta, de qua Apost. 1. ad Tit. *Quam promisit, qui non mentitur Deus ante tempora sęcularia*. Igitur ante creationem huius sęculi iam erat aliquis, cui facta fuerit promissio: is nō erat homo, vt constat, ergo Angelus ante sęcula. Quinto; id expostulare videtur conditio diuinæ bonitatis, vt semetipsam communicet semper, sicq; communicare inceperit, non quidem huius sensibilis Orbis initio per corporalem emanationem, sed etiam per inuisibilem, & angelicam productionem. Et Sexto, enarrat Moyses initio Genes. creationem Orbis: nec tamen mentionem facit Angelorum: ergo nō fuerunt simul cum Orbe creati: ergo ante Orbem: indecēs vero videtur dicere, creatos per Orbem, cum sint naturæ perfectionis in toto creato Orbe. Nec tandem desunt Patres, vt supra.

3 Communis tamen sententia ea est, vt asseratur creatos fuisse initio tēporis, quo creatus fuit ipse Orbis. Ita cum Mag. docent Theol. in 2. d. 2. non dissentit Scot. Alens. cæteriq; Theologi. D. Bonau. & D. Thom. 1. par. q. 61. art. 2. est quoque Theodoreti q. 3. in Gen. Epiphan. hęres. 65. August. 11. de Ciuit. Dei cap. 9. ac Beda in exam. suadetur vero Primo ex eodem Theod. si namq; ante Orbem creati fuissent per tempus aliquod vtique absq; loco extitissent in vniuerso, solum autē Deus est sine locali definitione, cum sit in semetipso. Declaratur ratio; licet namque Angeli non dependeant in fieri, & conseruari à loco, cum non sint dimensiuè in loco; nihilominus definiuntur loco. Adde quod tunc temporis fuissent, & non fuissent in Orbe. Fuissent, quia iam creati extitissent; nō fuissent, quia non habuissent locum, Orbis autem est omnis creaturæ locus. Item arguitur, si ante omnem fuerint creaturam creati, iam tunc nō potuissent appellari administratorij spiritus: ait vero Paulus, omnes sunt administratorij spiritus. Prob. seq. siquidem tunc deficiebat creatura, cuius facienda fuisset vel custodia, vel tutela, vel reuelatio, illuminatio, & huiusmodi. vt ergo An Angeli creati temporis initio.

in mi-

in ministerijs semper fuisse, dici potuisset, necesse est asserere, vna cum ipso Urbe creatos fuisse.

4 Rationes illæ vtique suadent cōmune intentum, nō tamen efficacitèr id ostendunt, possunt namque eludi, ac propterea sunt solo modo cōiecturales, & topicæ: & quidem ad illud de loco dici posset, potuisse Deum creare Angelos ante omnē locum, ratio quia potest eos suspendere ab omni loco: pōst. n. non pēdere Angelus in fieri, esse, & conseruari à loco, ergo potest eos conseruare, & creare sine omni loco. Potest itidem corpus conseruare sine loco, tanto magis poterit id de Angelo efficere: Potest creaturam conseruare, & creare extra Cœlum in spatijs illis imaginarijs, vbi nullus, nisi imaginarius adest locus. Sphæra insuper vltima non est quoad locari passiuè in loco: his ergo concludimus, rationem de loco non conuincere, quia per Dei potentiam potuerint creari ante Orbem, & existere absque omni loco.

5 Nec ratio secunda cōuincit, prob. etiam ante omnem creaturam si creati fuissent, vtique appellari potuissent administratorij spiritus: patet, quoniam & si nulla fuisset tunc creatura, cui administrarent, administrassent nihilominus Deo ipsi laudando, amando ipsum Deum, iuxta illud Psalm. *Laudate eum omnes Angeli eius, laudate eum omnes Virtutes eius.* Insuper ministerium nedum attenditur in ordine ad creaturam, ipsam, instruendo, illuminando, dirigendo, custodiendo, verum & in ordine ad Deum laudando, amando, iubilando, iuxta recensitum locum Iobi, *Cum me laudarent astra matutina, & iubilarent omnes filij Dei.* Vel Tertio dicendum, Angelos tunc quoq; fuisse administratorios spiritus, in ordine ad creaturas, non quidem actualitèr, sed potentialitèr, & virtualitèr, licet de facto pro tunc non exercuissent hæc ministeria.

6 Probatur vero principale intentum magis sufficienti, & apparentiori ratione: Angeli paruis morulis totum viæ decursum terminauerunt, demerendo, & merendo, igitur statim atque fuerunt in termino suæ viæ peccando, & merendo, ad gloriam, & ad pœnam destinati sunt; igitur eo tempore necessum fuit reperiri loca, in quibus vel pœnam luerent, vel beatitudine fruerentur. Confirmatur, Angeli sunt citissimi, & expeditissimi in suis operationibus, igitur in illis paucis morulis poterant operationes viæ peragere, vt inde præmia acquirerēt, aut supplicia: quapropter conueniens fuit, pro tunc loca fuisse iam creata, vel supplicij, vel præmij. Item Ioan. 8. de Diabolo dicitur, *Ille homicida fuit ab initio.* Sensus cōmunis Patrū est, vt ly ab initio intelligatur pauló post suæ creationis initium; adeò enim paruulæ intercesserūt morulæ, vt censeatur peccasse quasi ab initio. Dices, potuisse longis temporum seculis, siue in peccato perdurare, siue in gratia; inde veró magnis post seculis ad loca præparata destinari, siue magnis post seculis, loca supplicij, vel præmij creare. Confirmatur à simili, cum peccator homo, & iustus, non statim ac peccat, aut meretur, ad gloriam destinatur, ac gehennā, sed post, multo decurso tempore, vt plurimum. Sed resp. licet id potuerit agere Deus etiam cum Angelis, verisimile tamen est, vt communiter Theologi docent, non egisse; est namque Angelus expeditior homine in operationibus suis merendi, siue demerendi, nec tanta indiget, quanta homo, temporis mora, siue vt instruatur, siue vt operetur: antequam enim vsus illucescit rationis in homine, decurrunt tot anni, vel sex, vel vsque septem: nec homines omnes sunt æquè, vel ingenij, vel corporis viribus dispositi, vt statim, quæ necessaria sunt saluti addiscant, Angelis hæc non contingūt, cum corporis sensibusq; molis non præpediantur; quapropter mora tanta temporis non necessaria fuit Angelis quanta homini.

7 Probatur insuper, vnde est vt dicamus, Angelos ante seculum tanto tēporis spatio creatos fuisse? Respondet Cassian. & Gennad. ne Deus tanto tempore fuisset otiosus: verum ratio hæc est nulla; hinc veró deduceretur, Deum ab æterno, & semper creasse Angelos, prob. quid namque agebat Deus ante Angelorum creationem, dato quod eos creauerit multis ante Orbem seculis; aut Angelos creabat,

aut nihil: non secundum, quia per eos, etiam tunc fuisset otiosus, si creabat, quæro insuper, ante hoc creationis tẽpus, saltim imaginarium, aut creabat, aut non; non secundum, quia otiosus, si primum, ergo semper anterius creabat, & ita ab æterno creabat, ergo Angelos ab æterno creabat, & ita hinc sequitur ab æterno fuisse Angelos.

8 Se petes, quomodo ergo non fuisset otiosus, si ab æterno, seu ante Orbis creationem Angelos non creabat; nec enim retusio argumenti soluit illud: solutio patebit in respons. ad argum. princip.

9 Probatur vlterius, si creati fuerunt ante Orbem, vel creati fuissent multo spatio ante, vel paruo: neutrum dicendum: non primũ, quia Matth. 25. dicitur, *Ite in ignem æternum, qui paratus est Diabolo, & Angelis eius*. vndè concluditur statim creatum fuisse cum eis Orbem, præcipuèq; ignem, in quo luerent pœnam. Et confirmatur ex dictis, quia sunt expeditissimi in operationibus, tempusq; viæ fuit admodum breue: itaut cum penè creatus Lucifer, *& homicida fuerit ab initio*, siuè paulò post initium, vtique debuerat vna cum eo præparatus reperiri locus sui supplicij. Non secundum, quia cum Angeli sint partes Vniuersi ex 12. met. inconueniens fuisset, Orbem producere sine partibus, ac propterea partes debuerant vna simul cum toto Vniuerso, non ante, creari. Rationem hanc quam format Fauentin. in 2. disput. 7. num. 4. impugnat Vulp. in 2. cap. 1. d. 8. art. 3. inquiens ex primo sequi inutilẽ esse famosam Doctorum disputationẽ de diebus Moysis circa creationem, vtrũ fuerint naturales, an mentales: vnde concludit non fuisse simul creatum ignem, & locum supplicij. Ex secundo etiam addit, non esse id necesse, siquidem Angeli non sunt partes physicæ Orbis, quapropter non erat necesse simul cum eis creari Orbem. Concertatio hæc parum deseruit: & quidem ad illud de diebus, iam multi sentiunt non fuisse veros, & naturales, ac propterea simul fuisse creata omnia, iuxta illud Eccles. 18. *Qui viuit in æternum creauit omnia simul*, inter quos August. qui dies Moysis appellat dies angelicos, non naturales, l. 1. de Gen. ad lit. cap. 15. & l. 5. ar. 1. ad 5. & l. 11. de Ciu. Dei c. 9. Phylo Hebr. de allegor. Mosa. leg. Procop. Gaz. pluresq; ex Theologis, & D. Bonau. hoc æstimant probabile: quapropter sustinendo sententiã hanc benè currit ratio facta, vt fuerint creata simul Angeli, loca gloriæ, & supplicij. Sustinendo etiam fuisse naturales, probabilius videtur, vel parua post intercapedine creata fuisse loca illa, etenim cum citissimè se expedierint Angeli, (vtpotè in operando expeditissimi,) à decursu viæ, meriti, & finalis demeriti, debuerat quoque locus conueniens aptatus, & præparatus reperiri, vt statim atque fuerint in termino, aut præmia acceperint, aut supplicia. De secundo etiam, quod non sint partes physicæ Vniuersi, iam conceditur; at constat, Vniuersũ hoc etiam à Scoto vocari vnum, seu totum vnum; totum quidem, & vnum vnitate aggregationis, & ordinis: in tali autem toto vno nõ est necesse, vt partes sint eiusdem rationis inuicem, vel cum toto, cum non sit totum similare: quia vero Dei perfecta sunt opera: cum Orbẽ creauit & Cœlos; hi autem requirunt Angelos, qui moueant: Orbis ipse requirit Angelos, qui eum tueantur, gubernent, & custodiant: quia vero creatura intellectualis capax est meriti, & demeriti, & consequenter gloriæ, & gehennæ; hinc est, vt vna cum eis creauerit, & locum gloriæ, & supplicij: omnia hæc moraliter spectata, faciunt vnũ totum; vtique physicè spectando Angelos, non sunt partes Orbis, non enim corpus constat essentialiter ex spiritu, alias non esset corpus, sed spiritus: nisi tamen spiritus esset forma corporis, tũc enim esset pars totius cõiuncti, vt Anima in entitate spiritualis, est forma corporis, & est pars essẽtialis hominis: Angelus autem non est forma, nisi assistens; est ens per se subsistẽs, & consequẽter nõ dependẽs necessariò à corpore, vnde est vt potuerit creari absq; Orbe, sicut & esse potest per Dei potentiam absque Orbe: hæc, inquam, vera sunt physicè spectata: at spectãdo hæc omnia moraliter, prout faciunt vnum tale, ordinatum ad ostendendam Dei bonitatem, eiusque misericordiam, & in-

Conciliantur.

Certant Fauentinus, & Vulpes.

Loca supplicij, et gloriæ an creata simul cũ Angelis.

& in-

& in ista tempore gehennam, & gloriam; ita nempe Angeli ad ipsum spectant Orbē, & Orbis ad Angelos conformatur, nam & si Angeli non sint forma informans Orbis, sunt tamen formæ assistētes: assistunt enim Cœlis mouendo: assistunt hominibus custodiendo, illuminando: assistunt Ecclesiæ, totiq; Orbi gubernando, & regendo, iuxta id, quod canit in Collecta Eccles. *Mittere digneris Angelum sanctum tuum de Cælis, qui custodiat, protegat, visitet, atque defendat, &c.* cum ergo vt sic faciunt vnum, vtique creari simul debuit Angelus, & Orbis.

10 Sed redeamus ad pristina, Eccles. 18. dicitur, *Qui viuit in æternum creauit omnia simul*: & principio Gen. *In principio Deus creauit Cœlū, & terram*: primum locum iam plurimi ex Patribus exponunt de simultate temporis, licet non naturæ: quapropter si de vniuersis creaturis loquitur Eccles. vt simul creatæ fuerint, vtique cum cæteris non dissimilis sunt etiam Angeli, & Angeli cum eis. Secundum locum, per Cœlum intelligit August. Angelos lib. 11. de Ciuit. cap. 9. & l. imperf. super Gen. 3. de vniuersis intelligit creaturis, siue sit *in principio* idem sit, ac principium durationis, & temporis, siue pro principio intelligatur Filius, Verbum, siue diuina sapientia ex eod. August. Idē Gregorius exponens illud Iob 37. *Tu forsitan cum eo fabricatus es Cœlos*: per Cœlos ait, Moysen intellexisse Angelos l. 27. mor. cap. 24. idemque 32. moral. cap. 9. inquit, Deum simul spiritualia condidisse, atque corporalia: Beda quoque l. 4. in Exam. in principio Angelos docet vna cum terra creatos: notat vero Moysis loquutionem, variā quidem de terra ac de Cœlo: etenim de terra ait, *Terra autem erat inanis, & vacua*: Quia iam tunc habitatoribus, & frugibus erat inanis & vacua: id vero de Cœlo non dixit, quod esset inane, & vacuum; ratio, inquit Beda, quia mox creatum Cœlum suis incolis, hoc est, beatissimis Angelicis spiritibus repletum est: idem habet t. 8. quæst. in Gen. Dicta, idipsū negare l. var. quæst. in fin. docens ante creationem Orbis Angelos creatos: Verum semetipsum declarat, loqui de anterioritate dignitatis & prælationis, non temporis, aut durationis. Exponūt ergo Patres plures locum Geneseos etiam de Angelis: Ipseq; Rupertus asserit comprehendit Angelos nomine lucis, *fiat lux*, vt per lucem intelligat Angelos lib. 1. in Gen. cap. 10. quamuis in eo discrepet, vt non simul initio creatos, dixerit, sed eodē post, cum facta fuit lux: atque ex aere crasso, & humido, æstimans habere corpus aereum sicut autem August. Bed. & Greg. colligunt eorum creationem nomine Cœli, ita Rupertus colligit ex appellatione lucis.

11 Probatur demum assertio ex Concil. Later. in cap. firmiter, de sum. Trinit. & fid. cathol. ab initio temporis vtramque creaturam de nihilo condidit, spiritualem, & corporalem: Angelicam, mundanā, & humanam. Sunt vero Concilij verba hæc: *Creator omnium visibilium, & inuisibilium, qui sua omnipotenti virtutē simul ab initio temporis vtramque de nihilo condidit creaturam spiritualem, & corporalem: angelicam videlicet, & mundanam, & humanam.* Quæri autem solet, vtrum definierit hoc tanquam de fide Concilium: affirmat Ferrariens. 2. contrag. cap. 83. itaut oppositam asserere, sit hæresis: negat D. Thom. 1. part. q. 61. art. 3. immo nec erroneā putat idē D. Thom. propter authoritatē Nazianz. sicut & aliquorum aliorum Patrum: nihilominus communiter hodie Theologi temeritate notant oppositam sententiam, ita Bann. Valent. t. 1. quæst. 12. part. 2. Vasq. Molin. ad loc. D. Thomæ Suar. lib. 1. de Angel. cap. 3. Assertio an sit de fide.

12 Petes verò, si de fide non intendit id definire Concilium, quæ nam fuerit Concilij mens, ita scribendo? Resp. mentem fuisse eliminare errorē Origenis: existimabat autem Origen. Animas, creatas fuisse tempore multo ante corpora, tunc vero merita, & demerita acquisiuisse, propter quæ indē in hæc, vel illa, nobiliora, vel ignobiliora corpora detrusas fuisse, iuxta mensurā meriti, vel demeriti: hunc vero errorē damnans Concilium, ait nō ante creari animas, sed in ipsomet corpore creando infundi, & infundendo creari: & peccata, seu merita non adipisci extra corpus, sed in ipso corpore. Cōcilij mēs expenditur.

An possit definiri.

13 Postulabis; vtrum possit saltim definiri, si non est definita de fide. negat Vasq. 1. part. d. 224 cap. 3. & 4. ratio quia nec fundamentum habet in scriptura, nec in traditione. affirmat Suar. quoniam potest Ecclesia quando scriptura aliqua obscura est, declarare sensum germanum scripturæ: ex scripturis autem plurimis probabiliter, licet obscurè, elicitur creatio hæc ab initio temporis Angelorum.

Quonam die creati.

14 Specialius vero ad eam descendendo, censent Gennad. & Anastas. in Caten. Patr. creatos fuisse sexta die; Rupertus supra recensitus, nō initio prorsus temporis admittit creatos, quando creauit Deus Cœlum, & terrā, sed paulo post, primo indè die, cum dixit, *fiat lux*. Vulpes loc. cit. ait ante mundum creatos paruo aliquo spatio præcedente, hic negat tùm simultaneam, tùm subsequentem eorum creationem: Et quidem nec tenendum fuisse ante, nec post Orbem creatos: At quænam opinionum istarum esset durior, an admittens ante, an post creatos? videtur durior prima; tum quia Angeli pertinēt ratione ministerij, & gubernij quodāmodo ad Vniuersum, vt est dictum: si creati fuissent ante, iam non exercuissent Orbis gubernium: igitur minus durum esset dicere, creatos post: tum etiam quoniam debuerant prius reperiri Cœlos v. g. quos moturi fuissent, atque Orbem, cuius regimini addicti fuissent, vt inde conuenienter creati fuissent: Minus durum esset dicere, creatos aliquanto post, debuerāt namque Angeli præesse gubernio Orbis, ergo dato quod non simul creati fuerint cū Orbe, rationabilius tamen, vel minus irrationabile esset dicere, creatos fuisse post Orbem, licet aliquanto post, breui spatio. Verum quia simul creati fuerunt cum Orbe, vt ostendimus, ideo nec ante nec post Orbē producti sunt, sed vna cum ipso Orbe. Probant alij, quia alias eorum creatio facta fuisset extra locum. At non vrget, quia ante Orbis creationem descriptam à Moyse, nullus extabat locus, alias quærendū foret de loco illo, vtrum esset primus, an supponeret alium: si primus, habetur intentum, quod nō præcessit locus: si supponit alium, quæro iterum, an ille esset primus an supponit alium, sicque daretur processus in infinitum.

Creatio simultanea, qualis.

15 Circa creationem vero tum Angelorum, tum creaturarum cæterarum, circa creationem, inquam, simultaneam, non est autumandum, simultaneitatem illam fuisse mathematicā, seu indiuisibilem, & punctualem; Moyses enim enarrat sex dierū spatio creatum Orbem. Simultas autem illa consistebat in quadā collectione, & completione Vniuersi ex creaturis omnibus tum spiritualibus, tùm corporalibus; vndè Deus modò Chaos illud, modò lucem, modò Cœlos, ac sydera, modò plātas, & animalia, modò demū hominē creabat, ita vt perfecta, & cōpleta iam creatione Vniuersi cum omnibus partibus suis, dicatur Deus *creasse omnia simul*: quod apertiùs declaratur tenendo *simul* negatiuè, vt sit sensus, quod nihil increatum reliquerit Deus, quod pertinuerit ad Orbis creationem, & completionem. Explicatur quoque vt per *simul* intelligatur, *pariter*, quod idē est, ac omnia, & per omnia, & coniunctim nullo relicto: quomodo exponi potest illud Psalmi 13. *omnes declinauerunt; simul inutiles facti sunt* & 48. *Simul insipiens, & stultus peribunt*: Quod nō intelligitur de simultate tēporis, nec enim omnes homines eodem prorsus tēpore stulti facti sunt, nec eodem tempore stulti omnes perierunt, cum non omnes fuerint in eodem tempore; sed idem indicat *simul*, ac *pariter*, idest, *collectiuè*, quia omnes suo destinato tempore, nullo excepto peribunt. Id verò circa simultatem recipitur, quod D. Bonau. 2. d. 2. part. 2. quæst. 2. docet, quatuor coæua creata fuisse simul, vtpotè materiam primam, Cœlum Empyreum, tempus, & Angelos.

Simul, quid indicat.

Quomodo simul oīa ab initio.

16 Dices, quonam modo verum erit, seu illis diebus omnia creata fuisse, cum experientia doceat, per succedentia secula, multa denuò producta fuisse. Resp. loqui de creatione specierum: hæ namque omnes ab initio creatæ fuere, nulla derelicta, ratio est Philosophi, alias mundus fuisset imperfectum aliquando, deficiente namque aliqua specie, deesset mundo pars suæ perfectionis; de indiuiduis autem non

curat,

-cutat, nec namque imperfectum ait Vniuersum ex deficientia aliquorum individuorum, nisi saltim accidentaliter. Resp.2. creata fuisse omnia saltim in radice, ac virtute; siquidem creati fuerunt Cœli, creataq; Elementa, ex virtute autem istorum pẽdet influxus, & productio materialium effectuum; sicut ex seminibus planctarum, & vegetalium pẽdet radicitus effectio aliorum productorum: vel Resp.3. sensum esse, vt, generatim loquendo, amplectatur tum Moyses, tum Eccles. vtramq; creaturam, Angelicam, & corpoream, spiritualem, mundanam, & humanam, iuxta decretalis loquutionẽ, & ipsius Eccles. *qui viuit in æternum, creauit omnia simul*.

Ante creationem Orbis an otiosus Deus, & quid ageret.

17 Hinc ad argumenta dicimus, & ad primum, iam negatum remansit, Deum causandum fuisse de otiositate, ob inconueniens superius recensitum, oportuisset namque, ab æterno perstitisse in Angelorum creatione, ne causatus fuisset de otio, quid vero tunc agebat non creando quicquam Deus, vtique exercebatur suus diuinus intellectus, itaque sanctissima voluntas in intelligendo semetipsum, ac seipsum amando: intelligendo, atque se amando inuicem diuinæ Personæ. Item generando Verbum, ac spirando Spiritũ Sanctum: cuius generationis, atque spirationis actus non cessat, nec transit, sed ab æterno, & in æternum perseuerat, vt tract. de Trinit. tradidimus, cessat ergo otiositas, etiam nil ante mundum creando, nec Angelos.

18 Ad Secundum, Resp.1. Deum loqui cum Iob, ostendendo ei creationem Orbis anteriorem fuisse seculis multis ipso Iobo. Resp.2. astra creata fuisse quarta die, Angelos vero prius ipsis astris initio, vnde benè poterant interesse creationi astrorũ, atq; Deum in tali creatione laudare, erant enim creati vna cum Cœlo, & terra initio. Resp.3. dato quod simul creata fuerint astra, & Angeli, nihilominus poterant statim, atque creati fuerint laudare Deum; sunt namque expeditissimi in cognoscendo, cæterisque suis operationibus.

Behemot quid indicet.

19 Ad Tertium de Behemoth, exponit Gregor. 32. mor. cap. 18. de principio *dignitatis, eminentiæ, & perfectionis*, non tẽporis, & durationis, illo quidem modo antecedit, vtpotè in naturalibus nõ isto, cum simul creatus fuerit cũ cæteris. Dices, textus ait, *quem feci tecum*, igitur creatus fuit simul cũ Iob. Resp. vt sup. ly *tecum*, non indicare simultatem temporis, sed se tenere *collectiuè*, seu *pariter* ita vt sit sensus, Deum creasse omnia, & Luciferum, & Iobum: Vel *negatiuè*, itaut nil non creatum reliquerit, ex iam dictis. Respondent alij, per *Behemoth* intelligi Bestiam aliquam magnam, vtpotè Elephantem, sicut penès eundem Iob per *Leuiathan* 3. 40. intelligunt *Cete maris*: quæ quidem animantia præ corporis vastitate ac magna mole per excellentiã magnitudines dici possunt principium, seu principes bestiarum cæterarum.

Tecũ, quid quandoque significet.

20 Ad Quartum, non colligitur indè promissionem illam factam fuisse Angelis: Et quidem non Angelis facta fuit Incarnationis promissio, sed homini, *sicut loquutus est ad Abraham, & semini eius in sæcula*. Item per promissionem intelligi potest ipsum propositum & decretum Dei de mittendo Filium suum ad salutem hominum, vt consimilis habet textus Apost. 2. Timot. 1. *secundum propositum suum, & gratiam, quæ data est nobis in Christo Iesu ante tempora sæcularia*.

Incarnationis promissio an Angelis.

21 Ad Quintum, vtique id poterat agere Deus, verisimiliùs autem patet ex dictis non fecisse. Ad illud de communicare, vtique semper ab æterno Deus perstitit in communicatione suæ diuinæ Essentiæ, diuinarumq; perfectionũ ad intra diuinis Personis per generationem, & spirationem: cæterũ ad extra tunc se communicauit, cum expediens visũ fuit suæ diuinæ sapientiæ. Adde quod siue Deus se communicet ad extra per ostensionem suarũ diuinarum perfectionum, nil deperdit, nihilque acquirit, nisi respectum solum rationis.

22 Ad Vltimum, resp.1. ideò Angelos reticuisse, quia Populus ille erat rudis, & incapax intelligẽtiæ, & cognitionis angelicæ ex Anastas. & Theod. quæst.2. in Gen. Resp.2. obticuisse, ne Populus Hebræus adorasset Angelos

Angelorum mentio cur non facta à Moyse initio.

tanquam Deos, erat namque pronus ad idolatriam.

Vasquij instantia eluditur. 23 Responsio hæc displicet Vasquio; sequeretur namque, inquit, nusquam debuisse Moysem agere mentionem de eis, & tamen inde toties facit mentionem. At hoc non obstat; etenim tūc temporis cœpit Moyses agere mentionem, quando Populus erat sufficienter instructus de vnitate Dei, & quod non sit colendus alter, nisi solus Deus: tunc vero initio temporis, cum adhuc instructus plenè, vtpotè ob sui ruditatem, & ineptiam, nō fuerat, reticuit Angelos Moyses, ne ex contemplatione creaturæ adeò perfectæ, & eminentis, occasionem desumpsisset idolatrandi, & discedendi à Deo.

24 Sed quid ad plerosque Patres sententiæ oppositum: Dicendum eos fuisse tali opinione, cum tamen communis sit in contrarium. Quid vero ad Augustinū, qui lib. de Definit. & Incarn. cap. 6. inquit, *Quasi Angeli creati sint, vel quales, aut quomodo sint, non satis in manifesto distinguit.* Dicendum vel librum non esse Augustini: vel secundo inclinasse aliquādo in sententiam istā: cum tamen sententiam quoque communē oppositā docuisse, iam vidimus. Patrum sententiis in oppositū quid.

QVÆSTIO V.

Vtrum Angeli sint ex sui natura spirituales, an materiales, & corporei.

1 Disputationi huic ex duplici capite præbita fuit occasio; Primo ex doctrina Platonis, & Platonicorum; Secundo ex cap. 6. Genes. & quidem de Platonicis loquēdo, sententia fuit Platonicorum, Angelos esse corporeos, & materiales; quam sententiam sequuti fuere plures ex antiquis Patribus, de quibus infra; erant namque plures eorum Platonici, atque Platonicorū doctrinam redolentes. Ex capite autem sacræ Genesis desumpta fuit quoque occasio; siquidem ibi habetur, quod *Videntes filij Dei filias hominum, quod essent pulchræ, acceperunt sibi in vxores:* & infra. *Cum ingressi fuissent filij Dei ad filias hominum, illæq; genuerunt &c.* vbi ex versione septuaginta Interpretum loco *filij Dei*, habetur, *Angeli Dei*: quod si Angeli Dei vxores accipiunt, & ex eis generant, sunt vtiq; materiales, & corporei; vxores enim ducere, & generare opus est creaturæ corporalis non spiritualis.

2 Et ex hinc varij varia deduxerunt; etenim Euseb. lib. 5. præp. Euang. cap. 4. asserit ex Angelis, & Mulieribus genitos fuisse Gigantes, de quibus scriptura vetus tantopere loquitur: eosque fuisse illos, subdit Euseb. quos, Gigantes. veluti Deos, adorabāt Gentiles. Iustin. mart. apolog. 1. pro Christian. Angelos docet genuisse eos, quos appellamus *Dæmones*. Lactant. Firm. l. 2. diu. Instit. cap. 15. bonos Angelos, inquit, ad humanam custodiam fuisse destinatos, allectos aliquādo fuisse pulchritudine mulierum, & ex his genuerint inde non quidem Angelos, neque homines, sed tertium quoddam mixtum genus, eorum, qui appellantur Dæmones. Tertull. lib. de velād. Virgin. ait Angelos deiectos, & expulsos fuisse, nempè malos, de Cœlis, propter concupiscentiā mulierum, cum quibus congressi genuerint indè filios, & filias. Idem de congressu mulierum Methodius serm. de Resurrect. & Burgensis in loc. cit. Genes: qui quidem Burgensis citat in hāc sententiam Augustinum: At de Augustino potius dicendum, hæc scribere referendo, id, quod antiquitas tanquā verum æstimabatur, nempè reperiri *Faunos, Panes, & Sylvanos*, quos Galli *Dusios* vocant: qui etiā appellari solent *Incubi*, siquidem incubant, seu cubant cum mulieribus: siuè etiam quia succubāt, *succubi*. occasionem desumpserunt prædicti Doctores ex diuersa intelligentia præfati loci geneseos. In Fauni, Panes, Sylvani

hanc

hanc quoque descenderunt sententiã, Angelos esse corporeos, Anthropomorphytæ, siue Audiani, siue Vadiani, de quibus August. hæres. 50. & Theod. l. 4. hæret. fab. c. 10. asseuerant dixisse, Deum non esse spiritum, sed corpus, siue substantiam corpoream; quod si de Deo hoc senserunt, multo amplius id senserunt de Angelis.

3 Fauere verò opinio hęc de corporeitate Angeli sic suaderi: 1. colligi videtur ex scripturis; siquidem Psalm. 103. dicitur, *facit Angelos suos spiritus, & ministros suos ignem vrentem*: hinc deducitur habere corpus vel aereum, vel igneum: aerem namque denotat vocabulũ *spiritus*. & Ephes. 6. *non est nobis colluctatio aduersus carnem, & sanguinem, sed aduersus spiritualia nequitiæ in cœlestibus*. vnde elicitur habere corpus cęleste: atque ibid. cap. 2. *secundũ Principem potestatis aeris huius*, ergo corpus aereum.

4 Secundo determinatum videtur in 7. Synod. general. act. 5. vbi recepta fuit sententia Ioannis Episcopi Thessalonicensis inquientis, Angelos depingi, quia corporei sunt, cũ enim sententiam hanc protulisset in medio Synodi Episcopus, Patres eiusdem Synodi responderunt *etiam domine*. nempè ita fiat, quoniam ita est. Confirmatur ex 6. Synod. gener. act. vbi Patres aiunt *Angelos, & animas immortales esse non natura, sed gratia*: quod autem nõ est immortale ex sui natura, id corruptile est, & corporeum.

5 Tertio probatur rationibus, & quidem Dæmones ligantur, coarctantur, & constringuntur à Maleficis, & Strigis sicut ex opposito dissolui solẽt, & relaxari à sanctis Dei Hominibus. Quarto fugantur suffumigiis, delectantur carminibus: de spiritu autem immundo, qui vexabat Saul ait Scriptura quod Saul melius se habebat ad sonitum citharæ, quam David percutiebat 1. reg. 16. Quinto vruntur igne infernali, & corporeo, Matt. 25. *in ignem æternum, qui paratus est Diabolo, & Angelis eius*. Sexto Athanasius q. 12. de cõmuni Essent. Patris, & Filii, ait beatissimam Virginem vidisse essentiam Angeli in salutatione: si autem spiritualis fuisset non vtique corporeis oculis eam intuita fuisset, & Septimo Gregor. lib. 2. moral. cap. 3. ait circumscribi loco, idemque homil. 10. in Euang. inquit, *Iudæis, vtpote ratione vtentibus apparuit rationale animal*, nempè Angelus; animal vero est ens materiale, & corporeum.

6 Accedit Hilarius, qui can. 5. in Matth. ait: *Nihil est, quod non in substantia, & creatione corporeum sit, siue in Cœlo, siue in terra, siue visibilium, siue inuisibilium elementa formata sunt; nam & animarum species, siue & obtinentium corpora, siue corporibus exulantium, corpoream tamen naturæ suæ substantiam sortiuntur, quia omne quod creatum est, in aliquo sit necesse est*. Item Cassian. collat. 7. c. 13. *licet*, inquit, *pronunciemus nonnullas esse spirituales naturas, vt Angeli, anima nostra, & aer subtilis, tamen incorporeæ nullatenus æstimandæ sunt; habent enim secundum se corpus, quo subsistunt*. concludendo vero ait, *nihil esse incorporeum, nisi solum Deum*.

7 His tamen non obstantibus, cõmunis sententia est, Angelos siue malos, siue bonos esse incorporeos. ita cum Magistro docent sententiarij in 2. d. 2. & cum D. Tho. 1. par. q. 50. ar. 1. idem sensit Arist. 12. met. c. 6. 7. 8. vocans Angelos *substantias abstractas*: eatenus autem abstractas vocat, quatenus abstrahunt ab essentiali constitutione materiæ, & corporis. Probatur ex scripturis, & quidem Hebr. 1. *Omnes sunt administratorii spiritus*: Psalm. 103. vbi nos habemus, *facit Angelos suos spiritus, et ministros suos ignem vrentem*; Augustin. & Damasc. l. 2. de fide orth. cap. 3. explicant dicendo, *facit Angelos suos Angelos suos veloces tanquam ventum, & ministros suos tanquam fulgur*. Apocal. 1. *septem spiritus in conspectu Dei*: & cap. 5. *septem spiritus missi in omnem terram*: loquitur autem scriptura de Angelis, quos tum ibi tum alibi non corpora recenset esse, sed spiritus: & quidẽ velocissimi sunt, atque promptissimi ad Deo obtemperandum, & ministrandum. Item Luc. 8. exquirentem Christo Domino à Dæmonibus illis obsidentibus: *Quod est vobis nomen?* responderunt, legio: ipsa autem legio, teste Alex. ab Alex. est numeri 6666. at quomodo potuissẽt vnũ, idemque inhabitare corpus tot millia Ange-

Angeli incorporei.

Legio cuius numeri erat

Angelorum, si fuissent corporei? vel enim data fuisset penetratio dimensionũ: at hoc fieri nequit sine miraculo: si dixeris, iam datam fuisse penetrationem, & iam factum miraculum, vtique gratis id dicis: licet namque potuerit id facere Deus; quod vero id fecerit, nulla vrget ratio ad asserendum. Dices, corpuscula Angelica esse tenuia, & subtilia, ideoq; capere tot millia potuisse idem corpus humanum. Retunditur, etenim etiam corpuscula illa locum occupassent in illo corpore: cum vero fuerint in tam magno numero, vel ea capere non potuisset corpus illud, vel data fuisset penetratio dimensionum.

8 Probatur item & ratione, Angeli assistunt Cœlis mouendo illos; quod si corporei sunt, vel dabitur penetratio corporis angelici cum corpore cœlesti, cui insidet; vel dabuntur in ipso Cœlo cauitates, seu loca caua, in quibus insideat Angelus: vtrumq; autem inconuenit: prob. primum ex probatione, secundũ; etenim dari, necesse est, cauitatem aliquam, in qua, tanquam in cõcaua sede intrudatur Angelus mouẽs, ad hoc vt possit ibi benè, & æquanimitèr residere, alias impediretur residentia: dari autẽ cauitates in Cœlis, omnes negant: quod si hoc non admittitur, ergo datur penetratio dimensionũ corporis angelici cum cœlesti corpore. Item per descensum Angelorum à Cœlis, & per ascensum eorundem ad Cœlos, sequeretur, vel Cœlos in eorum transitu scindi, vel si non scindantur, dabitur penetratio dimensionum: patet à simili de trãsitu corporis per corpus penès nos, transiens namque gladius, vel clauus per lignum, scindat, & cauet, necesse est, ipsum lignum, non enim datur penetratio eorum: consimiliter necesse foret, toties Cœlos cauos reddi, & scindi, quoties per eos trãseunt corpora Angelorũ. Item Angelus in superficie conuexi, v.g. Lunæ residens impediretur à sphæra Mercurij, quia Cœli sunt contigui, ergo daretur locus concauus in *Luna* pro mouente Angelo.

Angeli inde fatigabiles.

9 Insuper Angelus est indefatigabilis in suis operationibus: siquidem defatigatio est passio corporis; ex improportionato namque labore aduenit membrorum relaxatio, & defatigatio, sicut labor, & insudatio: dato autẽ esse corporeos, vtique laxarentur tandem, & defatigarentur, immo defatigati, & laxati desisterent ab operationibus. Prob. quomodo poterit corpus aliquod materiale mouere primũ mobile tam breui spatio 24. horarum, absque defatigatione, insudatione, laxatione? nec enim Gigantes hoc facere possent, ab Oriente ad Occidens, iterum redeũdo ad punctum Orientis: eo magis, quo hoc non semel, non decies egerunt, non mense, nõ anno vno, sed per tot annorum millia præstitere, & præstabunt vsque ad diem iudicij, vt relinquam alios motus Cœlorum. quomodo etiam potuit Sathan tam breui temporis spatio circuire terram, penès Iob 1. *Circuiui terram, & perambulaui eam*, absque defatigatione, membrorũ, artuumque relaxatione? hęc quidem velocissimæ Aues tam breui curriculo id præstant; hęc ita sępè, & continuò, veluti in dies Sathan agit cum satellitibus circuiendo Orbem breuissimo decursu, & perambulando eum. Adde, si essent corporei, essent visibiles, palpabiles, tangibiles, corruptibiles, mortales, cæterisq; passionibus subiecti, quibus subiecta sunt corpora: hæc vero de Angelis experta non sunt, nisi quando aliundè sibi corpora assumunt, in quibus videntur, cæteraque munia, ad quę destinantur, ad oculum, & ad sensum extra exercent.

10 Probatur rursus ex Greg. 4. dial. cap. 30. *Si Diabolus*, inquit, *eiusque Angeli cũ sint incorporei, corporeo sunt igne cruciandi, quid mirum si animę antequam recipiant corpora, possint corporea sentire tormenta.* August. etiam lib. 21 de Ciuit. Dei cap. 10 cur non dicamus, *quamuis miris, veris tamen modis, spiritus incorporeos posse pœna corporalis ignis affligi, si spiritus hominum incorporei possunt, vel poterunt corporum suorum vinculis insolubiliter alligari?*

11 Accedit id, quod habetur in cap. firmiter de sum. Trinit. & fid. cath. in Conc. Later. sub Innoc. III, vbi habetur *Deum ab initio vtramque condidisse naturam, spiritualem, & corpoream: angelicam, mundanam, & humanam*, a

quod

quod si Concilium damnit, duo entium genera ab initio fuisse cōdita, spiritualia, & corporea: atque esse angelicam, naturam, mundanā, & humanam: humana quidem est cōflata ex corpore, & spiritu: mundana ex solo corpore: Angelica ergo remanet vt sit ex solo spiritu. Item in 6. Synod. act. 11. determinatur, Angelos esse inuisibiles: quod si corporei essent, forent de sui natura visibiles. Demum anima rationalis est incorporea ex Concil. Lateran. sub Leo. X. sess. 8. quid implicat Angelum Angelum esse quoque spiritualē. Immo

Anima intelligendo dependet à sensibus.

multo magis anima ordinem habet ad corpus, quam Angelus, est enim forma corporis, in operationibus potētiæ vegetatiuæ, & sensitiuæ, exquirit necessario corpus: immo dum est addicta corpori dependet quoque in intelligendo à corpore, tum propter ordinem potētiarum; tum ratione status viæ; tum demum in pœnam peccati, quæ tria capita docet Scot. & vltimum elicit ex August. primum autem, ex Arist. quia *oportet intelligentem phantasmata speculari*: etenim *Omnis nostra cognitio ortum habet à sensibus*. Angelus vero non indiget corpore in operando, nec est forma corporis, nec dependet à corpore: quod si Anima & si in operari dependeat à corpore, est nihilominus immaterialis, & incorporea, magis id cōpetit Angelo esse incorporeum. Hoc idem testantur Patres alii. Chrysostom. hom. 22. in c. 6. Gen. Ambr. ad Hebr. 1. Dionys. cap. 1. de cœlest. Hierarch. Nazianz. orat. 2. de Theol. Nissen. lib. de orat. aliique.

An de fide esse incorporeos.

12 At Vtrum sententia hæc sit de de fide: sanè videtur ita esse, nihilominus concludunt serè communiter Scholastici Concilij mentem fuisse omnia esse à Deo creata; cæterum non fuisse eius mentem decretare. Angelos esse spirituales; præcipuè quia post prædictum Concilium aliqui eorundem Platonicorum sententiam sustinuerunt, inter quos Caetan. lib. 2. ad Ephes. affirmat, corpora habere tenuia, & subtilia; idem habet super cap. 4. Genes. & adstipulatur Suessan. lib. 3. de Dęmonib. c. 3. saltem Angelos motores orbium esse corporeos. Concludunt vero communiter Scholastici, quod licet de fide nō sit, vt Martin. del Rio lib. 4. disquisit. magicar. cap. 4. q. 3. sect. 5. Molin. & Valent. quæst. 50 artic. 1 nihilominus magnæ temeritatis esset, & erroneum, asserere esse corporeos, præcipuè post prædictum Concil. ita Melchior Can. de loc. Theol. cap. 5. Xistus Senens. l. 5. Bibliotch annot. 8. Bartholom Zaranz. annot. ad 7. Syn. Genes. inclinat vero Vasq. 1 par. d. 178. nu. 8. esse definitam à Concil. licet non absolutè affirmet, sed temeritate oppositam notet. Concilij autem verba id indicare videntur, distinguit namque Concil. de spirituali, corporea, angelica, mundana, & humana: & quidem humanam opponit mundanæ; hæc namque constat ex solo corpore, illa ex corpore, & spirituali anima: Angelicam vero opponit corporeæ, vtpotè quatenus nullatenus corporea sit, sed omninò spiritualis; ad quid namque mentionem facere de spirituali, & corporea: si non daretur creatura nullatenus corporea, sed purè spiritualis. Dices, id egisse propter Animam, quæ est insuper incorporea, & spiritualis. Verum non soluis; quia iam de spirituali mentionem fecit, & de humana: cicauit autem Concilium membra hęc veluti distincta quod si humana iam continet animam, quæ est incorporea, & immaterialis: dum aliunde nominauit spiritualem propter & vltra humanam. vtique id retulisse videtur ad Angelicā; eo magis, quia mētionem quoque fecit ibi nedum de mundana, & humana, verum de Angelica essentia, & natura; quicquid tamen sit, saltem non caret temeritate.

13 Sed ad opposita argumenta respondendo, ad primum dicimus, ad illud Gen. de filiis Dei, & filiabus hominum, quod pro filijs Dei non intelliguntur Angeli, sed filij Seth, & Enos, eorumque posteri, ac descendētes, propterea appellati filij Dei, quia iusti erant: De iustis autem Scriptura ait, Psalm. 81. *Ego dixi Dij estis, & filij Excelsi omnes*. dicitur vero de Enos Genes. 4. *ipse cœpit inuocare nomen Domini*. pro filiabus vero hominum intelligebantur mulieres descendētes ex Cain, quæ ex opposito peruersæ erant, prout peruersus, & perfidus earum Parens Cain. hoc supposito sensus est, quod descen-

Quid pro filijs Dei.

Seth qualis

descendentes de Seth acceperunt in vxores, filias descendentes ex Cain, ex quarum inde coniugio geniti fuere Gigantes: ita August. lib. 15. de Ciuit. Dei cap. 23. Chrysost. homil. 22. in Gen. Athanas. q. 19. ad Antioch. Ambros. cap. 4. de Noe, pluresq; alij.

Literarū inuentor Seth

Confirmatur, quia Seth, ob literarum inuentionem, atque scientiam rerum cœlestium, adeo insignis euasit, tantaq; fuit penes homines in existimatione, vt ab ijsdem hominibus fuerit inde appellatus Deus: vt refert Pererius ad 6. cap. Gen. & Cornel. à Lap. ibid. atque hoc eodem Dei nomine insignitus quoque extitit ipse Enos, penes Cyrill. aduersus Iulian. lib. 9. atque Cæsarium dial. 1. Confirmatur insuper quia homines insignes antiquitus appellabantur Dij: quo etiam more, insigniri solet hoc nomine Dei, aliquid magnũ, & insigne, vt *Cedros Dei*, *Montes Dei*, vt obseruat Cornelius recensitus.

14. Respondetur etiam, quod licet perstiterimus in versione septuag. qui pro *filijs Dei* legunt *Angeli Dei*, nihilominus quadrat prædictus sensus eiusdē eiusdem Scripturæ; quandoque enim in scripturis ipsimet iusti appellari solent Angeli Dei: vt de Baptista, Malach. 3. *Ecce ego mitto Angelum meum*; & cap. 3. de Sacerdote iusto, *Labia Sacerdotis custodiunt scientiam, quia Angelus Dei est*. De Stephano Act. *intuebantur vultum eius tanquam vultum Angeli &c.* sæpissimè alibi: cum autem filij Seth fuerint iusti, siuè à Parentibus descēderint iustis, meritò appellari etiā potuerūt Angeli Dei. Resp. 3. pro filijs Dei exponi posse filios Potentum, siuè filios Magnatorum in Ciuitate: & pro filiabus hominum posse intelligi filias hominum cæterorum de Plebe, seu infimæ cōditionis: ita tradunt Symmac. vbi enim nos habemus, *filij Dei*, ipse traducit, *filij potentum*, teste Hieron. q. 3. quæst. hebraic. ex omnibus autem concluditur non intelligi Angelos, de quibus in præsentiarum agimus. Et respondetur vltimo, quod dato, malos Angelos, siue Dæmones cōiungi quandoque cum mulieribus, & ex coniunctione filios procreari: tamen generatio illa non esset opus Angeli; ratio, quia non esset Angelus, qui semen decideret, cum sit in sui substātia ens spirituale, semen verò corporale: Angelus autē nil aliud ageret, quam semen iam à Viro decisum asportare in matricem fœminæ, velut locum aptum generationi: filij vero inde geniti nō dicerentur Angeli filij, sed viri, ac mulieris illius, à quibus fuit semen vtrūque decisum, de quo suo loco.

Iusti appellati Angeli.

Filij Dei.

Angeli an possint habere filios.

De Gigantibus.

15 Quæres, quonam modo generari potuerint Gigantes tam magnæ staturæ à Parentibus ordinariæ, communisq; staturæ. Resp. id mirum non esse, quandoquidem Augustinus refert lib. 15. de Ciuit. Dei cap. 23. Romæ natam fuisse mulierem quandam gigantæam ex Parentibus quidem ordinariæ staturæ. Plin. lib. 7. cap. 16. ac Gell. lib. 3. cap. 1. scribūt iussu Oraculi dis. apertum fuisse, sub terra diu latitantem Gigantem Orestem, qui erat septem cubitorum. Plutarc. in vita Sert. de Antæo refert, fuisse quinquaginta pedum: Fulgosius anno Domini 1192. sexaginta cubitorū: Rubeaquens. alterius quinquaginta pedum. De Pallante refertur, quod supereminebat muros Vrbis Romæ: Boccac. in Genealog. de Erice ducentorum cubitorum: Sabell. lib. 1. En. 1. de quodam, cuius caput adæquabat magnum dolium, corpusq; cubitorum circiter 20. in agro Macareno inuentum ann. 1516. prope Panormum, item inuentum ann. 1547. cubitorum 18. cuius singuli molares erant ponderis quatuor vnciarum: atque August. lib. 15. de Ciuit. Dei scribit se vidisse in littore Vticensi molarem tam magnū vt molaribus nostris centum putaretur exæquari, aperta est autem scriptura tum de Gigante Goliath, 1. reg. 17. tum Genes. 6. *Gigantes autē erant super terram*: tum Deuter. 2. *Emim primi fuerūt habitatores eius, populus magnus, & validus, & tam excelsus, vt de Enacim stirpe quasi Gigantes crederentur, & essent similes filiorū Enacim*: atq; in lib. Num. 13. *ibi vidimus monstra quædam filiorum Enac de genere gigantæo, quibus comparati, quasi locustæ videbamur*. Quod si filiorum procreatio similis esse soleat Parentibus, vt ex Gigantibus Gigantes nascūtur, & ex minoris statura corporis filij oriantur consimilis staturæ;

nihi-

nihilominus nõ semper assimilatio interuenit inter Parentes, & filios, tum in temperamẽto, tum in cæteris membrorum corporis accidentibus; tum ingenio, indole, atq; moribus; per plures namque solent esse dissimiles: vt de Cicerone, aliòqui sapientissimo, filium genuisse stultissimum: atque de Suessano alias eruditissimo filiũ procreasse insipientissimum: vt insuper concludamus ex debilioris, infirmioris, infimæq; staturæ Parentum, filij quandoq; fuerint geniti gigantei: vel id tribuendum quoque sit ipsis astris, quorum influxu tam magni, ac proceri producantur homines gigantei: quicquid aliqui senserint de Gigantibus negantes, Gigantes fuisse super terram, æstimantes vocem eam *Gigantes* nõ corporis molem indicare, sed Animi elationem, atque mentis superbiam, apertè autẽ militant tum contra recensitas historiarum experiẽtias, tum contra ipsam scripturam: præcipuè contra enarrationem Gigantis Goliath, cuius tam distinctè, & singillatim describit giganteam staturam. An verò nedum naturaliter, sed etiam ope Dæmonum possint generari, vide disp. seq. q. 6.

Tullio, & Suessano filij dissimiles.

16 Redeundo autem ad intentum, circa Patres oppositum sentientes, dicendum ipsos fuisse Platonicos, præcipuèq; Augustinum qui vel dubius fuit, vel Platonem sequutus, æstimauit corporeos. Sicque de Patribus cæteris. Ad illud Athanas. vidit Beatissima Virgo spiritualem substantiam Angeli, non quidem oculis corporis, sed mentis: corpus autem assumptum vidit oculis corporeis. Ad illud Gregor. de circumscriptione, sensus est, Angelum non esse immensum, sed limitatæ naturæ, ac finitæ, ac propterea tanto definiri loco, itaut sit intra determinatã sphæram, sicut vnaquæque substantia limitata propria continetur sphæra, & non excedit: non autem quod sit loco circumscriptus ad instar corporum, cum sit spiritus.

Patres plures fuerunt Platonici.

Virgo an viderit substantiam spiritualẽ Angeli.

17 Ad illud eiusdem Gregorij de Angelo, quem rationale appellat animal, non esse sensum, vt verè animal esse existimet; sed per animal intelligit *substantiam viuentem viuam*, viuit vero Angelus: per rationale vero intelligit, *intellectuale*, est namque Angelus substantia viuens intellectualis, atque ratione vtens. vel respondetur propter humanam formam extrinsecè ab Angelo assumptam appellari à Gregor. animal rationale: cum namque homo sit rationale animal, tamque Angelus formam assumpserit hominis, vtique apparenter, & extrinsecè videbatur homo, qui est animal rationale, vel loquebatur idem Gregor. ad mentẽ Platonicorum, sicut & de cæteris Patribus.

Angelũ qualiter Greg. appellet rationale animal.

18 Vel denique dum Patres corporeum vocant Angelum, loquuntur cõparatiuè in ordine ad Deum; vterque enim, tam Angelus, tum Deus est incorporeus; attamen magis distat à corporeitatis natura Deus, quã Angelus; siquidem simplex est Angelus, & spiritualis, simplexque, & spiritualis Deus; attamen diuina simplicitas est summa, & infinita, simplicitas Angeli est limitata, & finita; quia ergo Deus superat omnem creatam simplicitatem infinitè, ideo Angeli simplicitas, licet compositionem respuat materialẽ, & corpoream, tamen comparata ad Deum est valdè imperfecta, & adeo inferior, vt quodammodo dicantur corporei, licet sint incorporei, & immateriales, ita Damasc. lib. 1 de fid. orthod. c. 17.

19 Ad scripturas iam dictũ, per spiritum non intelligi aerem, neque ventum, sed naturam Angelicam spiritualem: vel loquitur scriptura similitudinariè, & figuratiuè, ac metaphoricè expendendo naturam Angeli esse velocissimam, promptissimam, citissimã ad diuina exequenda mandata, instar eius, quod tradidimus ex Augustino: vbi namque legimus, *facit Angelos suos spiritus, & ministros suos ignem vrentẽ*; legit ipse, *facit Angelos suos veloces tanquam ventum, & ministros suos tanquã fulgur*: Ad illud de igne, intelligitur de charitate ex Aug. Ad illud Pau. per cœlestia sumitur aer, quia sunt Potestates habitantes aerem istum.

20 Ad id de sexta Synod. animaduertimus, non omnia in Concilijs contenta esse de fide, sed illa solummodo, quæ tanquam de fide decretare Concilia intendunt; non autem, omnia in eis reperta intendunt determinare, &

In Concilijs nõ omnia sunt de fide.

declarare tanquam de fide: hoc supposito, dicimus Synodū duo dixisse, Angelos nempè depingendos; & alterū, quia corporei sunt: primum est res definita: secundum est ratio rei traditæ: si ad primum inspiciamus, id quidem erit de fide: si secundum, non erit de fide; quia primō intendit Synodus definire veluti de fide: secundum verò non intendit declarare de fide, id verò est ratio rei traditæ à Patribus: quod autem ita sit, patet ex enarratione; siquidem Patriarcha referendo Ioannis Episcopi sententiam, dixit, ait *Ioannes, Angelos esse depingendos, quia circumcircumscripti sunt, & apparent in figura hominis*: quibus dictis responderunt Patres, *etiam Domine*, nempè ita fiat, vt depingantur in humana figura: cæterum quod corporei sint, nihil determinauit Synodus. Item finxerunt esse pingendos aduersus hæreticos id negantes.

21 Dices nuper ex eadem Synodo constitit, Angelos esse circumscriptos, ergò erunt corporei; patet, quia circumscriptio est passio solius corporis. Iam est responsum eatenus circumscribi dici, non quatenus corpora sunt, sed latè sumpto vocabulo circumscriptionis, quatenus sunt in loco determinato, & finito; quia ipsi non sunt immensi sicut Deus, qui nullo loco finitur, finiuntur autem, siue definiuntur Angeli adeò in sua Sphæra, vt extra illam esse non possint, vt dictum est ad consimilem loquutionem Gregorij.

Circūscribi qualiter dicuntur Angeli.

22 Ad illud alterum ē Synod. Angelos esse non natura, sed gratia immortales, responsio patet sup. ex quæst. prima, expendendo vltimam conditionem circumscriptionis, seu definitionis Angeli traditæ à Damasceno.

23 Ad id de odorib. & similib. dicendum, non esse necesse, vt Angeli sensus corporeos habeant ad percipiēdos odores, siue huiusmodi sentiant corporis passiones, & affectiones, siquidem mediante intellectu agēte species istorum abstrahunt, & intelligunt: quibus intellectis, voluntas inde vel tristatur, vel oblectatur circa ea; & quidem si oblectatur, morantur Angeli circa ea oblectamenta, vt diutiùs persistantur, prout libuerit; si tristantur, vtique inde abscedunt, si poterunt: hæc verò ab extrinsico, veluti signa, sunt manifestatiua siue oblectamenti, siue tristitię ipsorum Dæmonum, *facta naturam obiecti*, inquit August. scat. 21. de Ciu. Dei c. 6. *alliciuntur Dæmones rebus corporeis, non vt animalia cibis, sed vt spiritus signis*. idest, ex pacto inito, ex promissione facta & ex dato signo.

Odoribus, et fœtoribus qualiter afficiuntur Dæmones.

24 Ad id de maleficijs, & ligamine Dæmonum, dicendum est, non ligari dæmones materialibus nexibus, siue lineis funibus siue manicis ferreis, vel compedibus, his enim ligantur corpora, & nectuntur Animalia, non ergò ligantur phisicè, vt loqui solet; ligantur autem moraliter, id verò pendet ex pacto inito, & promissionibus factis cum Strigib. & Maleficis, vt ad tale signum assistant corpori huic, vel illi, eaq; præstent, de quibus inter se paciscendo cōueniunt: sicut ex opposito, solui dicuntur, dùm adimpleta iàm sunt promissa, siue dùm pacta non statur; cessante enim pacti adimpletione, cessat adimpletio promissi: quæ etiam solutio non est physica, sed moralis. soluuntur quoque per Sanctorum Dei Ministrorum orationes & exorcismos, quibus obsessi ipsi liberantur, & fugantur Dæmones, vel fugantur virtute alterius Angeli, superioris quidem natura, & potestate, Deo annuente.

Ligantur, et soluuntur maleficijs Dæmones qualiter.

25 Ad aliud de igne, quo torquentur mali Angeli, dicendum primò nō obstare plus contra Angelos, quàm aduersus purgantes Animas: sequeretur namque, nec ipsas Animas torqueri posse igne, vel Purgatorij, vel gehennali: quod si de Animabus, ijsque rationalib. & spiritualib. non implicat, nec implicabit de malis Angelis. Dicendum secundò, ignem non agere in Angelos phisicè, & materialiter, sed moraliter, & intentionaliter, quatenus instrumentum est diuinæ iustitiæ: dùm namque ignem, & tartari loca apprehendunt, quatenus instrumenta sunt punitiuæ iustitiæ, inde tristitiam assequuntur: apprehensus enim ignis veluti obiectum disconueniens ea ratione, qua est instrumentum vindictæ; disconueniens inquam, non physicè, soli enim corpori est sic disconueniens materialiter, sed disconueniens mora-

Igne qualiter torquentur Dæmones.

liter,

[illegible], vt ergo ſic diſconuenienter eis propoſitum aſſert vtique triſtitiã: Quo-niam inſuper potentia eorum motiua non poſſit ad libitum ab eis expendi, & exerceri, ſed ad Dei ſententiam de-ſtinato intruduntur, & arctantur loco, inde quoque triſtitia, & ſic de ſingulis. quod ſi denique Poetæ dicere licuit, *Verba ligant homines, taurorum cornua funes*. Quo loco duplex ligaminis ge-nus recenſet, phyſicũ, per funes, & mo-rale per promiſſiones, & verba: Demo-nibus ligamen quidẽ adnectitur à Ma-leficis, at id nõ phyſicum, ſed morale, de hoc autem agitur in 4. d. 44. à Sco-to, & Sententiariis.

Ligamen duplex ex Poeta.

QVÆSTIO VI.

Vtrum Angeli ſint ſimplices, an compoſiti ex materia, & forma.

1 FVit in primis Auicembronis Sententia, qui lib. *Fontis Vitæ*, opinabatur, Angelos nedum ſimplices non eſſe, verum compoſitos exiſtere ex materia, & forma: & hanc eiuſdem aiebat eſſe rationis cum ma-teria rerum ſublunarium. Addebat ta-men, quod licet ex materia conſtarent, & forma, nihilominus minimè cẽſen-dos ſore corporeos, atque quia ideo en-tia ſublunaria cenſẽda ſunt corporea, quoniam ex eorum ſubſtantia pullulat quantitas, cuius munus eſt res reddere corporeas; ex eſſentia vero Angeli nõ pullulat quantitas, & hinc negatur eſſe corporeos. Inſuper addit, in ratione quidem materiæ conuenire Angelos cum entibus ſublunaribus, ratione au-tem formæ differre, & hinc diſtare An-gelos, vtpotè incorporeos à rebus cor-poreis.

2 Ad hanc ſententiã accedere vi-detur D. Bonau. in 2. d. 3. art. 1. q. 1. & 2. & in eum ſenſum trahit ipſum Molin. 1. par. q. 50. art. 2. d. 2. adeſt quoque Ri-char. ibid. atque Alenſ. par. 2. q. 20. n. 2. docentes eſſe in eis materiam alterius tamen rationis, quę non ſit capax quã-titatis, vt ſublunarium, ac propterea Angelos non eſſe corporeos.

3 Verum vero D. Bonau. eius fue-rit ſententiæ, vt eum cenſet Molina, minimè fatendum; & quidem Sanctus Doctor ait, *materiam Angelorum, & corporum eiuſdem eſſe rationis metaphy-ſicè; à diuerſitate tamen formarum, tam Angeli, tam corporum prouenire eorũ di-ſtinctionem*. ex his vero verbis conſtat falli Molinam de intẽtione D. Bonau. aliud namque eſt materiam ſpectare *metaphyſicè*, aliud *phyſicè*: ſecundo mo-do inde prouenit, vt omnia entia tali-ter materiam participantia ſint omni-no corporea: primo autem modo ne-quaquam: quòd ſi in metaphyſica ſo-la ratione conueniunt, non eſt, vt cum Auicembrone conueniat Bonau. con-uenientia namque Auicembronis erat penès materiam phyſicè ſpectatam, non metaphyſicè. quænam vero ſit metaphyſica iſta materia; reſpondetur eſſe conceptum generis, ſiue conce-ptum aliquem tranſcendentalem, præ-dicabilẽ ſuo modo de Angelis, & cor-poribus, vt quemadmodum corpora conſtant ex genere, & differentia; ita conſtant Angeli ex differentia, & ge-nere: verum quia genus habet ratio-nem materiæ ſiue logicè, ſiue meta-phyſicè ſpectes; ideo ea ratione, qua tum corpora, tum Angeli habent ge-nus, dicentur conuenire in materia: Verum genus illud non erit vtique vniuocum, ſed vel æquiuocũ, vel vni-uocum analogum; ratio primi, quia genus materiæ corporum eſt vere ge-nus materiale, genus materiæ Angelo-rum erit ſolum ea ratione genus, quia habet rationem potentialis, contrahi-bilis inde per differentias Angelorum ſpecificas. Cum inſuper per materiam intelligitur genus, & genus ſit poten-tiale ad differentias ſpecificas: cumq; tam Angeli, tam corpora habeant ge-

Expenditur ſententia D. Bonau. ad-uerſus Molinam.

nus primo loco, quod contrahi debet per differentias specificas, reddēdo singula singulis; hinc fit, vt conueniant ratione materiæ, sic quidem, quatenus genus potentiale est, hæc vero materia appellatur metaphysica: Vel clarius loquendo, conueniunt in eo, quod in eis est quid potentiale, & differunt in eo, quod est quid actuale: primum est genus, quod quatenus est potentiale contrahibile, habet rationem materiæ; quia potentia, seu ens in potentia appellatur materia, vt dicemus infra: secundum est forma, quia ens actuale sumitur à forma, quæ est actus materiæ; & materia taliter sumpta, sub ratione simplicis potentialitatis contrahibilis, appellatur à D.Bonau. metaphysica, et si vt sic verum est, & negari non potest, quia tum corpora, tum Angeli cōstant ex genere, & differentia: licet genera hæc differant, quia corpora constant genere physico, Angeli, atque entia spiritualia creata genere metaphysico: Vniuocantur tamen in eo, ex quo entia omnia creata tum spiritualia, tum corporea constant ex actu, & potentia: actus sumitur à forma, potētia à genere, quod est abstractè materia; ratio quia creatura non est purus actus, vt Deus, in quo nō reperitur nec genus, nec differentia quia non reperitur potētiale, & actuabile, siue contrahens, & contrahibile, alias aliquando esset ens in potentia, nec esset ens de se hoc, vt traditum est tom. 1. de simplicitate Dei: cum tamen creatura nō sit purus actus, remanet, vt concipiamus in ea aliquid vt potentia, & contrahibile, aliud vt actus, & contrahens: illud erit genus, quod ratione potētialitatis habet vicem materiæ; & hæc consideratio est vniuoca, dum sic cōueniunt spiritus, & corpus logicè, & metaphysicè: quatenus tamen materia cōtractè sumpta, alia est corporum, alia, vt loquitur D.Bonau. Angelorum, sequitur vt sit æquiuoca: quia materia corporum est ens verè physicum, & nū, de principijs naturalibus physicis, materia Angelorum erit genus, quod iure merito appellari solet materia logica, seu metaphysica. hæc de D.Bonau.

Idem de Richardo, & Alex.

4 Ad hunc eundem sensum trahi possunt Alensis, Richar. & si qui alij, dum namque docēt, materiam eorum esse alterius rationis, planè currit; siquidem genus metaphysica quidem, seu logica materia est: & hanc sumunt prædicti Authores materiam in Angelis: corpora vero materiam habent, tum ratione generis, & abstractè; tum contractè, quia ens materiale compositum postulat principio cōposi materiali, & hæc materia physica est: vt sic vero sunt diuersæ rationis. Vel dicendum, quod eatenus Angelus ex materia, licet diuersæ rationis, constare, docent, quatenus solus Deus est purus actus, ens necessariò omninò simplex, & nulla cōpositione compactus; quia vero Angeli habent aliquid potentiæ cum suo actu: & non sunt entia necessaria, sed contingentia, & compositi: hinc suo modo tribuitur eis ratio materiæ, & quēadmodum corpora entia sunt defectibilia, quia habent materiam, quæ causa est generationis, & corruptionis, vt vero detur intelligi Angelos quoque non esse entia necessaria, sed annihilabilia, hinc traditur eis à prædictis Doctoribus ratio materiæ: non quidem physicæ, nec eiusdem rationis, cum sint incorruptibiles; sed modo explicato: Cum denique Angeli non sint omninò simplices, vt Deus, sed compositi, sumendo potentiam, quæ in compositione requiritur, relatam ad actum, dicuntur Angeli quodammodo habere materiam ratione potentiæ, at quia ea nō est materia corporea, & physica, ideo est aliæ alterius rationis, hæc de Alexand. & Richar.

5 Sed redeundo ad Vicembrontem, dicimus in primis, eius sententiam non posse consistere: & quidem non valet consequentia hæc, duo conueniunt in aliquo, igitur conueniunt in materia, itaut id, in quo conueniunt habeat rationem materiæ, penes ipsa: & prob. corpus, & spiritus conueniunt in substantia: at substantia non habet vicem materiæ, vt sic, patet; prædicamentum namque substantiæ continet, substantiam sub ratione entis perfecti, & completi, talia namque sunt prædicamenta, & præcipuè ea, quæ directè ponuntur in prædicamentis, habent enim rationem totius; materia vero est ens diminutum, incompletum, habetq; rationē

partis:

partiæ: si igitur Angelus, & corpus cõueniunt in aliquo, non opus est, id habeat rationẽ materiæ penes ipsa. Item albedo, & nigredo conueniunt in qualitate, tanquam in genere: at qualitas non est materia in ordine ad illas. Dices, genus sumi à materia, de quo infra. Ergo cum substantia, cum qualitas habent rationem materiæ. Resp. negando genus habere rationem veræ materiæ, sed se habere ad instar materiæ, vt paulò post, rationem afferemus.

6 Ex alio extremo sese offert Durand. qui 2.d.3.q.3. & Marsil. ibid. nedũ negant, Angelos esse materiales, verũ & docent, esse omnino simplices, nullaq; compositione compactos: idemq; habet Comment. 12. met. cap. 26. At id asserere idem est, ac Angelos facere Deum: & quidem solus Deus est omnis compositionis expers, omnis vero creatura aliquali compositione cõposita: Deus est vndequaque simplex, ac summè simplex; omnis creatura nullatenus summè simplex, sed cum aliquali simplicitatis gradu stat cõpositio, siuè physica, siuè metaphysica. solus Deus est extra genus, nec enim clauditur prædicamẽto, cum in eo includantur sola entia limitata, & finita: igitur omnis ex opposito limitata, & finita creatura clauditur genere: quod si est in genere Angelus, utique constabit ex genere: at genus exposcit differentiã, per quam contrahatur, tanquam materia, formam, per quam complicatur, & actuetur; ergo componitur Angelus ex genere, & differentia: Item substantia, vna cum accidente inhærente facit compositionẽ: adsunt plura Angelis accidentia, eaque separabilia, & inseparabilia: illa, vt operationes tum immanentes intelligendi, & volendi, fruendi, mirandi, amandi, odio habendi, & huiusmodi, reddendo singula singulis, tum transeuntes, vt mouendi, in loco definitiuè essendi, custodiendi, ministrandi, & sic de singulis: eaque omnes inde decidunt, & separantur ab Angelis. ergo componitur saltim accidentali compositione: inseparabilia, vt sunt intellectus, & voluntas, quæ veluti accidẽtia circumstant essentiam, inseparabiliter, & identicè, cum eadẽ Angeli essentia: quæ tamen ipsam informant Angeli essentiam: at quia informatio, & actuatio est metaphysica, ideò ex essentia, & potentiis erit compositio metaphysica, sicut ex separabilibus accidentibus erit physica. Rursus Angelus cum aliis rebus tum conuenit, tum differt: igitur componitur, & non est simplex. patet assumptum, conuenit enim Angelus cum Angelo in genere, differt in specie: conuenit cum corpore in ente, & substãtia, tanquam in genere, differt in specie: ergo oportet sit in genere, in quo conuenit: quod si est in genere, erit compositus; vbi namque adest genus componens, adsit quoque, necesse est, differẽtia cõtrahens: ex vtroq; vero insurgit compositio. Adest & conceptus esse, & essentiæ: adest conceptus naturæ, & suppositi.

7 Ex his ergo primo deducimus, Angelos non esse summè simplices, id namq; est solius Dei, vt suo loco ostensum. Secundo deducimus esse compositos: compositio autem erit ex genere, & differentia: ex actu, & potentia: ex subiecto, & accidente. compositione cum his, non ex his: ex essentia, & existẽtia: seu, ex esse, & essentia: ex positiuo, & priuatiuo, quatenus est ens annihilabile, & creatus de nihilo: ex natura, & supposito: compositione, inquam, metaphysica, vt probatum est contra Durand. ex positiuo, inquam, & priuatiuo, quatenus in ratione entis Angelus habet priuationem superioris perfectionis, licet non vt Angelus: quẽadmodum talpa dicitur cæca non in ratione talpæ, cui nõ compe. tit videre, sed in ratione animalis, cui competit videre.

Angeli cõpositio multiplex.

Talpa vnde cæca.

8 Et hinc tertiò dicimus, nõ componi physicè ex materia, & forma. est communis Theologorum in 2.d.3. cũ Scot. & D. Tho. 1. par. q. 50. art. 2. prob. ex Dionys. 4. de diuin. nom. *prima creatura, nempe Angeli, sicut incorporales, ita & immateriales intelliguntur.* Constitit etiam ex quæst. præced. esse immateriales, ac spirituales, iuxta id: Ps. 103. *Qui facit Angelos suos spiritus.* Atque ex Concil. Lateran. ibi recensito. *Deus vtramque de nihilo condidit naturã, spiritualem, & corporalem: Angelicam, mundanam, & humanam.* Insuper id do-

Non cõponitur physicè.

cuit

cuit Arist. 12. met. cap. 6. qui vna cum Auerr. sensit Cœlos materia non componi, ne cogeretur asserere, esse corruptibiles: & hinc arguitur, componuntur ex materia physica Angeli, ergo sunt generabiles, & corruptibiles, materia enim machinatur corruptionem, erunt alterabiles, calefactibiles, dealbabiles, vulnerabiles, varijsq; temporum, & locorum, atque Cœlorum, cæterorumque naturalium agentium iniurijs obnoxij. Dices, id non posse contingere, quia nulla esset potentia naturalis, quæ vincere posset, aut deuastare, seu alterare Angelorum naturam, & conditionem, sicut nec vlla datur naturalis potentia quæ alteret, corrumpat, & deuastet Cœlos: Sed occurritur, licet namque id non esset, sicut nec de facto est, sicut & Iob ait 14. *Non est potestas, quæ comparetur ei*, & 40. *numquid illudes ei, quasi aui, aut ligabis eum ancillis tuis*, cum alijs ibi; nihilominus Angelus inferior potest multa pati ab Angelo superiori, immo, & si esset materialis, posset destrui ab eo, cum sit maioris potentiæ, licet id non posset agens corporeum, & naturale, vel saltim licet id non eueniret, nihilominus non implicaret, posse euenire, ratio quia haberet materiam, quæ quantum est ex parte sua esset principium corruptionis; quod vero de facto corruptio non interueniret id esset per accidens. Item prob. anima intellectiua est materiæ expers, ergo multo magis Angelus. prob. cons. tum quia Angelus est anima nobilior; tum quia est abstractior à materia, quam ipsa anima; etenim anima quandiu corpus informat est inuoluta materiæ in informando; tum etiam quia quandiu viuit in corpore, pendet à materia in operando, omnis enim nostra cognitio pro statu illo pendet à sensibus; tum denique quia corpus ipsum oneri est ipsi animæ, ne adeo expedita, ac prompta sit in suis operationibus iuxta illud, *corpus, quod corrumpitur, aggrauat animam*. hęc vero non experitur Angelus, nec enim forma est corporis, nec pendet in operando à corpore: quod si anima, quæ tantopere pendet à corpore est nihilominus incorporea, & immaterialis, multo amplius id dicetur de Angelo, esset denique extensus, & quantus, pullulat enim quantitas à materia. Accedit, quod materia, ex qua cōstaret Angelus, aut esset eiusdem, aut alterius rationis cum materia communi: si eiusdem, ergo erit omnino materialis, cōsequenter corruptibilis, cum cæteris, quæ supra; haberet namque eadem accidentia, & passiones, quibus subiacent composita ex materia eiusdem rationis cum cæteris corporibus; si alterius, qualisnam erit, & cuius conditionis hæc materia: vel namque erit spiritualis, vel corporea: non primum, quæ namque est ista spiritualis materia, & vbi reperitur? si secundum, ergo Angelus constabit ex spiritu, & corpore: ergo spiritus in eo habebit rationē informantis formæ, & corpus rationē informabilis, sicq; non discrepabit ab homine, qui constat ex spiritu, qui est anima intellectualis, & corpore: pugnat vero cum recensitis q. antec. scripturis, vbi Angeli nominantur absolute spiritus, non autem quid constans ex spiritu, & corpore.

9 Sed arguitur aduersus dicta ex August. qui lib. 1. de mirabilib. script. cap. 1. ait, *Omnipotens Deus ex informi materia, quam ipse prius de nihilo condidit cunctarum rerum, hoc est, sensibilium, insensibilium, intellectualium, & intellectu carentium species multiformes diuisit*. ergo intellectualia, & insensibilia, vt Angeli, sūt quoque ex materia creati. Responsio patet ex q. præc. Augustinum, ac plerosque Patres fuisse Platonicos, & ad mentē Platonis loquutos: sicut Augustinus idē enarrat in Ps. 85, & 145. ait, corpora Beatorum post resurrectionem futura esse ad instar corporum Angelorum.

10 Obijcitur ex Arist. cap. de genere, vbi docet, *Genus sumi à materia, & differentiam à forma*: constant Angeli ex differentia, & genere, ergo constant ex materia, & forma. Respondet D. Thom. vbi sup. axioma Aristotelicum valere in compositis materialibus, non autem in spiritualibus, cuiusmodi sunt Angeli. Genus sumitur à materia, differentia à forma; declar.

11 Respōdemus nos primò, Aristotelē loqui proportionabiliter, & comparatiuè: comparatio autem in eo est, vt sicut materia est in potentia ad formam,

[illegible]

materiam, ita genus sit in potentia ad differentiam: & sicut materia trahitur ad formam ad constituendum vltimato compositum physicum; ita genus trahatur, siue contrahatur per differentiã ad constituendam speciẽ; ac sicut materia est pars compositi, ita genus sit pars speciei: currunt ergo proportionaliter materia, & genus: illa quidem in ordine ad compositum physicum, istud relatè ad compositum metaphysicum, constans ex differentia, & genere; dum vero compositum physicum constat ex forma, & materia physica, pariter Angelus, qui est compositum metaphysicum constabit ex materia, & forma metaphysica: illa est genus, hæc differentia. Resp. 2. aliud esse dicere, genus esse materiam; aliud id habere ad instar materiæ: primum negatur, conceditur secundum: supplet ergo genus vicẽ materiæ, quia in omni compositione reperiendum est vnum, quod habeat rationem materiæ: quod si implicat aliquando habere materiã, dabitur ei aliquid, quod gerat vicem materiæ: implicat Angelo habere materiam, ergo habebit genus, quod etsi non sit verè materia, id habebit tamen vice, & loco materiæ.

Angelus qualiter animal à Gregorio.

12 Obstabis ex Greg. qui homil. 10. in Euang. ait, loquens de apparitione Angeli facta Pastoribus, ait, inquam: *Iudæis, tanquam ratione vtentibus apparuit rationale animal, nempè Angelus quibus annunciare deberet Saluatoris aduentum.* vocat ergo Gregorius *Animal*: constat vero Animal ex Anima, & corpore; ergo & Angelus, & si constet ex spiritu, constabit tamen simul ex corpore. Pro responsione notandum quod à Tertulliano Deus interdũ appellatur corpus, referente, Augustino lib. de Hæres. hær. 86. qui tamen exponit Tertullianum, vt pro corpore intelligat substantiam. ita & Gregorius appellet Angelum animal rationale: idest viuens ratione præditũ. Responsio alia allata fuit præced. quæst. primo enim dicitur Gregorium cum plerisq; Patribus fuisse loquutum platonicè, æstimante Platone Angelos esse corporeos. Resp. 2. per animal non intelligitur verè sensitiuum compositum animasticum, corporeũ, quale describit Aristot. in lib. 1. de anim. & lib. de animalib. sed intelligere quid viuens; etenim animali competit viuere: eoq; magis perfectiori vtitur vita, quo gradu fruitur vitæ intellectualis, vt ergo ostendat eum, qui Patribus apparuit, fuisse suppositũ viuens, & viuens quoque vita intellectuali, ideo animal appellauit rationale. Resp. 3. loqui Greg. iuxta apparentiam, atq; iuxta formã, quam in apparendo sumpsit extrinsecam: assumpsit autẽ Angelus formam hominis, seu animalis rationalis, ex tali autẽ forma æstimabatur animal rationale, licet aliundè diuina interueniẽte illustratione cognouerint, non esse in essentia hominem, sed verè Angelum. Resp. 4. loquutus Greg. sic, vt contra distingueret Gẽtiles Magos, ab Hebræis: etenim illi syderibus, syderumq; influxibus vtebantur, & ducebãtur, propterea; apparuit eis Stella: hi vero ratione vtebantur, & scripturis; ideoq; Angelus apparuit rationalis Hebræis velut ratione vtentibus, ait enim Gregor. *Magos non Angelus, sed Stella perduxit; quia videlicet Iudæis tanquã ratione vtentibus rationale animal idest Angelus prædicare debuit: Gentiles vero quia vti ratione nesciebant ad cognoscendum Dominum non per vocem, sed per signa perducuntur.* cæterum in sua ipsorum essentia nõ sunt corpora, sed spiritus ex genere constantes, & differentia.

Angelus cur appellatur animal à Gregorio.

13 Quæ res, vnde nam desumitur ratio differẽtiæ, & generis in eis. Resp. genus sumi à ratione *spiritus*, siue *substantiæ spiritualis*, ait enim Apost. *Omnes sũt administratorij spiritus*: & Psalm. *facit Angelos suos spiritus*: differentia vero vel est nobis naturaliter ignota: vel est illa, quæ traditur à scripturis Sanctis, & Patribus.

14 Valentia, Molina, & si qui alij referunt argumenta D. Bonau. in oppositum principalis asserti, & soluunt: sed frustra laborant; vidimus enim Sanctum Doctorem non discrepare à communi opinione.

QVAE-

QVÆSTIO VII.

Vtrum Angeli ex natura eorum intrinseca sint incorruptibiles, indefectibiles, immortales.

1 SEnsus disputationis est, vtrum Angelus adeò sit ab intrinseco immortalis, vt nullatenus esse-tis, ac naturæ eius cōpetat posse à suo essentiali esse desinere, siuè per corruptionem, & mortalitatem propriè dictam; siuè per annihilationē; siuè per quemcumque modum deperdendi suū esse ab intrinseco: quatenus desitio, quæ sibi aduenirer, esset solummodo à potentia extrinseca, nullatenus tamen ab eius intrinseca natura potente deficere ab intrinseco: itaut quamuis per agens creatum extrinsecum desinere non possit esse, possit tamen desinere per Dei potentiam annihilantem: cuius tamen annihilationis ratio nullatenus possibilis sit ab intrinseca natura Angeli, sed solummodo pendeat ab extrinseca potentia Dei annihilantis.

2 D. Tho. 1. par. q. 50. art. 5. docet, Angelum esse ex sui natura immortalem, atque incorruptibilem, itaut ab intrinseco sibi competat incorruptibilitas: esse vero solummodo per extrinsecam Dei potentiam corruptibilem. sequuntur Caet. Ferrar. atque Dur. 1. d. 8 part. 1. q. 3. quibus nouissimè accedit Suar. de Angel. lib. 1. cap. 9 & 10.

3 Explicans vero Caetanus hanc sententiam ait, præmissa distinctione de duplici potētia reali, & logica: non esse in Angelo potentiam realem, sed logicam ad corruptibilitatē. q. 9. art. 2. ideoque potentiam negat realem, quia ea reperitur in materia, & rebus corporeis: logica autē est non repugnantia ad non essendum: verum quia non repugnat Angelo, vt non sit, ideò erit logicè, seù potentia logica corruptibilis; quia tamen abest materia ab eo, quę causa sit corruptionis, ideo negat realem potentiam.

4 Suadetur vero sentētia negans, mortales esse absolutè ab intrinseco his fundamentis. Primo, nulla reperitur potentia in Angelo intrinsecè ad non essendum, ergo: probatur assumptum, nō reperitur in eo ad non essendum ab intrinseco potentia actiua, nec passiua: prob. Primam Angelus non potest destruere seipsum, ergo intrinsecè in natura eius non est talis actiua destructiua potentia. Prob. Secundum, potentia passiua nō est ad non esse per se, & directè: ergo nulla est in eo realis potentia ab intrinseco ad corruptibilitatem. Secundò res postquam producta est, non est indifferens ad esse, & non esse: ergo Angelus iam productus non habet ab intrinseco potentiam, vt non sit, cū non erit indifferens, vt sit, & non sit. antecedens patet; antequam enim res ponatur in esse, tunc quidem indifferens est vt sit, & non sit, quia potest poni in esse, & perseuerare sub non esse. Tertiò esse rei est conforme ad inclinationem naturalem ipsius cuiuscunque rei; ergo non inclinatur ad nō esse: igitur dum Angelus est positus in suo esse, habebit semper inclinationem ad essendum, & nusquam potentiam ad non essendum. Quarto si ab intrinseco posset annihilari, vtique annihilatio esset ei violēta: prob. vnumquodq; ex intrinseca natura postulat conseruari in suo esse; ergo, desitio sui esse est sibi violenta; ergo ab intrinseco appeteret destructionē sui: id vero est violentum naturæ. Cōfirmatur, quia Deus violentiam inferret Angelo annihilando eum, sed Angelus non potest deficere per veram actionem positiuam, sed solummodo per negationem, ergo non est in potentia ab intrinseco ad non essendum. Sexto in tantum deficere posset Angelus à suo esse, in quantum Deus per actū suæ voluntatis vellet annihilare eum: vnde potentia eorum annihilatiua esset refundenda super voluntate Dei: dato autem per impossibile, Deum esse agens naturale carēs libero arbitrio, nullam habere potentiam Angeli annihilatiuam, sequitur, quia annihilatiua potētia non est, nisi eius voluntas: igitur negata potentia

actiua

actiua annihilaretur à Deo, negaretur potentia passiua annihilationis in Angelo; eo magis, quod potentiæ passiuæ debet correspondere potentia actiua, & è contra; at dato casu, nulla præter voluntatem, esset in Deo potentia annihilatiua actiua, ergo nulla in Angelo passiua: igitur de facto adueniat, vt si annihilaret Deus Angelũ, non id ageret per potentiam aliquam actiuam, ac propterea nec in Angelo esset potẽtia annihilationis realis passiua; totum ergo penderet à Dei voluntate. vndè tota annihilationis ratio esset negatiua, non positiua.

5 His accedunt primò, anima rationalis ex sui intrinseca natura est immortalis, ergo multò amplius Angelus, cum sit nobilioris conditionis; antecedẽs prob. ex Concil. Later. sub Leone X. sess. 8. ibi enim definitur, animã esse immortalem. Item Dionys. cap. 4. de diuin. nomin. loquens de similitudine Angeli, & animæ, ita ait, *Quod mentes sint incorporeæ, quod vitam per se, essentiamq; suam habeant, eamque ab interitu liberam.* igitur ambo sunt per naturam à corruptione liberi. Damascen. lib. 2. de fid. orth. cap. 3. Angelum vocat natura immortalem; & lib. de decret. & plac. cap. 7. *Quod vacat corpore, id rationis est particeps, & immortale, vt animus, Angelus, & Dæmon.* Basil. super Psal. 44. *In quo statu creantur, in eo perpetuò remanent, seruata simplici, & eadem immutabili propria naturæ substantia.* idem ferè Patres oẽs, Athanas. lib. definit. & Iulianus Toletanus Archiep. lib. 1. de fut. sęc. cap. 2. *Angeli ita conditi, vt etiam si peccarent, mori nõ possint, homines verò propter peccatum mortis pœnã incurrisse.*

6 Dices, prædictas rationes, & Patres concludere de immortalitate extrinseca pendente à manutenẽtia Dei non annihilantis, cæterum ab intrinseco esse annihilabiles; contra, ignis est combustiuus non solũ quia Deus conseruat illi combustiuam virtutem, & concurrit cum eo, verum quia etiam ab intrinseco suæ naturæ competit ei virtus comburẽdi: igitur Angelus erit tum extrinsecè à Deo conseruante, tum etiam ab intrinseco suæ naturæ incorruptibilis.

7 His tamen non obstantibus dicendum primò, si sumamus corruptionem propriè, & rigorosè, prout est substantialis transmutatio materiæ de forma in formam, Angelum esse ab intrinseco, ac de natura sua incorruptibilem, & immortalem, est communis cum D. Thom. sup. & discipulorũ; cum D. Bonauent. in 2. d. 8. art. 2. q. 2. Scot. q. 5. Okam. in 2. q. 5. Richar. 2. q. 2. Alex. par. 2. q. 4. & hoc de cunctis veritas hęc communis: & probatur ex opposito; materia est principiũ corruptionis ab intrinseco, itaut compositum ex materia physica sit ab intrinseco corruptibile; ergo vbi deest materia, ibi deest ab intrinseco principium corruptionis: constitit in præcedentibus, Angelos carere materia physica, ergo sumpta corruptione strictè, erunt Angeli incorruptibiles ex sui natura ab intrinseco. Item corrumpi est in partes scindi, diuidi, & disrumpi; caret vero partibus physicis Angelus, nõ ergo vel disrumpetur, vel corrumpetur. Rursus corrumpi, est formam substantialem separari à materia: carent materia, ergo nec eorum indiuidua forma separari poterit à materia. Assertio hęc vera est etiam in ordine ad potentiam extrinsecam quamcumque: itaut verum sit; per nullam potentiam creatã posse Angelum verè corrumpi: immò nec per potentiam increatam, sumpta, inquam, corruptione propriè & rigorosè dicta: quamuis enim possit Deus Angelum annihilare, nõ tamen potest corrumpere; patet namque discrimen vtriusque, itaut in corruptione maneat materia tanquam subiectum commune generationis, & corruptionis, ex qua expellatur antiqua, & in quam inducatur noua forma: in annihilatione vero totum esse desinit, nullo remanẽte communi subiecto, sicut in creatione fit productio totius de nullo præiacente subiecto, quia fit de nihilo: at nequit separari physicè forma Angeli à materia physica Angeli, quia in eo nulla est huiusmodi physica materia: ergo nequit corrũpi physicè per quãcunque potentiam siuè creatam, siuè increatam, sicque dicetur incorruptibilis ab intrinseco. quæ intrinseca incorruptibilitas erit fundamentum incorru-

Corruptio sumpta multipliciter.

corruptibilitatis extrinsecæ. Probatur insuper assumptum, rationalis anima est ab intrinseco, & ex sua natura incorruptibilis, & immortalis, vtpote carens materia physica ex Later. X. ergo multo amplius Angelus, cum sit nobilioris naturæ: eadem quoque anima nullam experiri potest corruptibilitatẽ ab extrinseco, stante in rigore nominis corruptionis, & mortis, quia hæc sunt passiones entis materialis, & corporei; vndè nec per agens creatum nec increatum potest, vel scindi physicè, vel verè corrumpi, ergo consimilitèr Angelus. Demum Athanas. lib. de Trinit. *Angelus, & anima rationalis sunt immortales*, ac Dionys. lib. 4. de diuin. nom. *intellectuales substantiæ vitam habent indeficientem, ab vniuersa corruptione, morte, materia, & generatione existentes munita*: idemq; confirmant authoritates aliæ anterius recensitæ.

8 Secũdo dicimus, sumpta corruptione latè, & extensè pro omnimoda desitione substantiali rei, quæ etiam amplectatur modum desinendi, quemcumque, etiã per annihilationẽ, Angelus nõ est immortalis, siuè indefinibilis, siuè inannihilabilis ab intrinseco, sed ex sui natura ab intrinseco erit defectibilis, & annihilabilis. est contra Authores in oppositum recensitos: est vero assertio D. Bonau. Richar. OKam. in 2. q. 13. atq; Scoti 1. d. 8. q. 5. art. 2. ad quæst. & in 4. d. 49. q. 6. ac Gab. 2. d. 2. q. 1. ar. 2. fundamentũ huius nõ est petendũ à materia, quæ ibi non est, sed aliundè: sit autem illud; nulla creatura est ens necessarium ab intrinseco, ergo omnis creatura est ab intrinseco defectibilis: assumptum patet, & sequela tenet; etenim dempta necessitate essendi sequitur defectibilitas. Item omnis creatura de se est ens contingens, ergo de se intrinsecè contingenter se habet in suo esse, ergo potest ab intrinseco deperdere suum esse. Insuper antequã creatura habuerit esse, erat indifferens ad esse, & non esse, non enim ex se intrinsecè magis determinabatur ad esse, quã ad non esse: determinatio ad esse facta fuit ab extrinseco à voluntate extrinseci agentis ponentis in esse: ergo & modo quantũ est de se dum habet esse non adeo necessitate intrinseca postulat conseruari in actuali esse, vt ei repugnet annihilari, & deperdere suũ esse. Rursus si Angelus est ab intrinseco annihilabilis, ergo erit ab intrinseco indefectibilis, ergo ex natura sua erit ens necesse esse, ergo erit Deus; etenim solus Deus est ab intrinseco immutabilis, indefectibilis, inannihilabilis, & omnino necesse esse: dabitur ergo in errorem, vel Philosophorum æstimantium intelligẽtias, seu Angelos esse æternos, & entia necessaria: vel in errorem fidei, communicando Angelo necessitatem essendi ab intrinseco, faciẽdo eum veluti alterũ Deum, ens indefectibile, & necesse esse. Confirmatur ad Timoth. 6. *solus Deus habet immortalitatem*. Augus. de lib. arb. lib. 3. cap. 1. *vera immortalitas est immutabilitas*. loquimur vero de quacumque mutatione siuè desitione, siuè accidẽtali, siuè substantiali: itaut vtraq; ei non repugnet ab intrinseco: iam enim mutabilis est accidentalitèr, siuè intelligẽdo, & volendo, siuè localitèr operando: mutabilis quoque est ab intrinseco substantialitèr omnimodè ab esse suo desinendo.

9 Potentiam hanc nõ æstimamus solummodo logicam cũ Caetano, verum dicimus esse etiam potentiã realem, itaut reali potentia passiua sit ab intrinseco Angelus defectibilis, & quidem nulla est ratio, cur negãda veniat potentia talis realis passiua; si enim aliqua vrgeret, ea esset, nempè quia ex positione passiuæ potentiæ videretur admitti in eo materia, quæ est passionis subiectum: at perperam id inducitur, siquidem absque materiæ positione poni etiam potest passiua potentia in Angelo: & quidem annihilet v. g. Deus Angelum; quæro ad quid terminabitur annihilatio? dandus erit terminus recipiens, & capax annihilationis: Item destructio hæc habere debet subiectum, quod destruatur: quod vero destruitur verè patitur, at passio haberi nequit sine passiua potentia. Accedit, quod negata potentia passiua reali, nõ esset Angelus realitèr, & verè annihilatus. Prob. si annihilatio fundatur solummodo super potentia logica, cum hæc sit non repugnantia terminorum, sequitur quod dicere, Angelum esse anni-

annihilatum, idem sit ac dicere, non repugnare, Angelum esse annihilatum: hoc autem est contradictoria concedere, quia esset annihilatus, & non annihilatus: annihilatus ex hypothesi, quod annihilaretur; non annihilatus, quia non verè reali passione pateretur annihilationem, sed solummodo logicè; quod est, non repugnare esse annihilatum. Addimus, potentiam ad non essendum non esse positiuam, sed negatiuam: non primum, quia caret materia, quæ est principium positiuum corruptionis: ergo secundum, quia ei non repugnat per Dei annihilationem deficere: sed de hoc fusius quæst. seq.

Angeli an gratia, an natura immortales.

10 Tertio dicimus, cōparando Angelum ad Deum potentem illum annihilare vtique *gratiæ, & beneficij, atque doni Dei esse, quod non corrumpatur*, sequitur ex dictis, estque D. Bonau. Scot. Gabr. vt sup. & prob. non sunt Angeli entia necessaria, sed contingentia, ergo non tenetur Deus eos conseruare. Item, non tenebatur eos creare, ergo nec tenetur creatos conseruare. Insuper eorum creatio, & conseruatio pendet à nutu, & voluntate Dei, ergo gratiæ, & doni Dei est, quod non annihilentur. Confirmatur aperta authoritate Damasc. lib. 2. de fid. orth. cap. 3. *Angelus est natura substantialis, gratia non natura immortalitatem suscipiens*. Idemque habetur in 8. Synod. gener. act. 10. *Angelos, & homines immortales esse non natura, sed gratia*, quorum verborum sensum etiam explicuimus sup. 3. quæst. Plato item in Tim. *O Dij Deorum s. Angeli, quorum opifex idem Pater ego: opera siquidem mea, dissolubilis natura*. expressius Gregor. lib. 16. moral. cap. 18. *Omnia in nihilum tenderent, nisi ea manus Omnipotentis conseruaret*. Item Iustin. 1. quæst. Gentil. contra Christian. q. 13. *Quorum immortalitas ex alter ius voluntate dependet ea immortalia esse non possunt itaque solum Deum immortalitatem habere dicimus*. & denique Sap. 11. *Quomodo autem posset permanere aliquid, nisi tu voluisses, aut quod à te vocatum non esset, conseruaretur?* igitur doni, & gratiæ Dei est, quod conseruetur, posset enim ab ipso Deo annihilari, cum ex eorum intrinseca ratione, & natura non repugnet.

11 Dum vero gratiam Dei esse, sed gratia Dei est, non à natura, immortales asserunt Patres; per gratiam hic sumimus, gratuitam ipsius Dei voluntatem, gratuito, & gratis volentis conseruare eos in suo esse, quæ etiam appellatur gratia conseruationis; sicut namque gratis, & gratuito creauit; sic gratis, & gratuito cōseruat: non autem sumitur pro gratia auxilij specialis in ordine ad operationes, & merita, agitur namque ibi de natura, non de operatione, & sic dicuntur immortales per gratiā: ex cuius opposito Deus per naturam, non ex gratia alicuius, dono, vel beneficio alterius possidet immortalitatem, vt loquitur Hieron. dial. 2. contra Pelag. *solus Deus habet immortalitatem, quia per naturam habet, non per gratiam*.

Gratia quid nam hic.

12 Cum etiam cōseruat Deus Angelos in sua immortalitate, nō est concedendum, auferre ab eis potentiam passiuam ad annihilabilitatem; eam enim semper conseruant; ratio quia consequitur talis passiua annihilabilis potētia naturam creatam, quæ vt diximus, est ens ab intrinseco contingens, defectibile, & non necessarium; sed aufert solummodò actum deficientiæ, & annihilationis.

13 Consimili gratię, dono ac beneficio conseruat Deus corpora Beatorum, & Cœlos ipsos, ne corrumpantur: quod enim non corrumpantur gratiæ est, & doni Dei: prob. corpora namque Beatorum constant ex vera materia, ergo sunt ab intrinseco corruptibilia. Cœli etiam constant ex materia, & eo magis, quę sit eiusdem rationis cum materia sublunarium ergo corruptibiles. Accedit, quod ambo sunt entia creata, non necessaria, sed contingentia, & consequenter ab intrinseco defectibilia, ergo gratiæ est Dei. Verum est tamen, differentiam aliqualem interuenire circa ea; siquidem Beatorū corpora à corruptione præseruantur, vel per qualitatem aliquam à Deo impressam iuxta sic sentientes, quod tamen circa Angelos non est asserendū de qualitate, cum sufficiat Dei voluntas conseruans in suo esse: quod si sentiamus penès Beatos corruptionis pręseruationem prouenire à Dei volūtate non concurrēte cum opposito cor-

rumpente, de quo Scotus 4. d. 49. quæst. 13. caret paritas in verâque, vt vtrorumque immortalitas pendeat à Dei voluntate conseruante; adest tamen diuersitas, siquidem corpora Beatorum præseruabuntur, ne contrarium agens lædat; de tali autem læsione contra Angelos dubitandum non erit, siquidem nullum agens creatum potest vel alterare, vel corrumpere Angelos, item immortalitas Beatis competit ratione status beatitudinis, immortalitas Angelis competit ratione naturæ, quæ nulli agenti creato est vel in minimo obnoxia. De Cœlis etiam, incorruptibiles quidem sunt à naturali agente, sicut, & Angeli: corruptibiles tamen vtrique à Deo, at dispari modo; quandoquidē si corrumperet Cœlos Deus, id ageret per destructionē formæ præsentis, & introductionem formæ nouæ in materiam: si vero destrueret Angelos, id faceret non per siuē antecedentis formę destructionem, siuē nouę impressionem, cum careat materia transmutabili de forma in formam; sed per totius suppositi Angelici in nihilum redactionem, & conuersionem.

14 His actis, soluuntur rationes oppositæ: & ad primā, licet Angelus non habeat potentiam actiuam quâ possit destruere seipsum, habet tamen potentiam passiuam, qua possit destrui, & annihilari à Deo. Cum ais; potentiam passiuam non esse in ordine ad nō esse. Resp. quod Deus, siue quodcumque creatum agens non producit res, vt nō sint, sed vt sint, pro loco tamen, vt tempore determinato, siue perpetuo, prout perpetuò duraturos Deus cōdidit Angelos; tamen in eis est potentia ad desistendum à suo esse, quantum ex se; quod si potentia passiua non est ad nō esse, id verum primò, & per se, at tamen secundariò dicit capacitatē, & subiectionem ad non esse; equidem primò dicit ordinē ad esse, quia tamen subiectum talis potentiæ est contingens, idē saltim secundariò dicit ordinē ad posse non esse; nam prius est esse, & super eo, tanquam super ente contingenti fundatur passiua potentia ad posse non esse: vel potētia passiua non dicit quidem ordinem ad non esse, directē, dicit tamē ordinē ad posse nō esse indirectē.

15 Ad Secundū, postquam res producta est non quidem est indifferēs ad esse, quod habet; habet enim determinatē iam illud: sed est indifferens ad posse conseruari vlterius in tali esse, à vndē cum determinatione actualis esse stat indifferentia ad perseuerandum, & conseruandum in suo esse: quod quidem à libito pendet, & voluntate Dei conseruantis in esse.

16 Ad Tertium, & Quartum, comparando creaturas ad Creatorem, nulla est in eis violentia, etiam Creatore destruente creaturā, quia omnis creatura est in perfecta potentia obedientiali ad Creatorē: vnde si graue à Deo feratur sursum, nulla violētia ei imprimitur, quæ tamen sibi imprimeretur, si ab agente traheretur naturali: sicque si lapis destruatur à Deo, nulla violentia ei iniicitur, quæ nihilominus inferretur, si destrueretur ab agente creato; hinc est, vt dum Angelus destrueretur à Deo nulla violentia Angelo imprimeretur; est namque creatura in manu Dei, & in perfecta obedientia ipsius Dei, vt de ea faciat, quicquid libuerit Deus, siuē creando, siuē conseruando, siuē penitus dissipando. Cum autem dicitur; creaturam inclinari semper ad ad essendum: verum, quia nihil appetit destructionem sui; at id intelligitur in ordine ad agens creatum, ad quod cū non sit in perfecta potētia obedientiali, contradicit, & pugnat, vndē violentiam sentit, si ab eo destruatur: in ordine vero ad Creatorem non adest talis violentia, quia ibi perfectē subijcitur, estque in eius seruitute, pleno dominio, perfectaq; potentia obediendi: Hoc vero totum intelligitur primo de appetitu naturali; fallit namque quandoque de appetitu elicito; homo namque sæpius conqueritur de Deo, & peccator obmurmurat, quare Deus mortē inijciat, calamitates, tribulationes immittat: appetitu autem naturali omnis creatura tam irrationalis, sensata, insensata, & libera obedire appetit Creatori: quod si libera creatura non obedit, id est per accidens, & inordinatē se habet, ratione peccati, quod rebellionem incurrit ad Creatorem, cum tamen debeat esse omnis creatura in perfecto dominio, seruitute, plenaque poten-

Creaturæ à Creatore nulla violentia.

potentia obedientiali in ordine ad Creatorem: & ita patet ad Tertium, & Quartum, & ad confirmationem.

17 Ad Quintum negatur assumptum: etenim per Dei voluntatē, diuinamq; positiuam volitionem, ac positiuum imperium destrueretur à suo esse: verum est tamē, quod terminus talis actiue potentiæ esset nihil, quia redigeretur in nihil: forma namque materialis iam terminatur intrinsecè ad nihil in sua corruptione, & nihilominus agens corrumpens eam operatur destruendo per veram, realem, positiuamq; actionem: duplex namque est talis potētiæ terminus, proximus, & remotus, primus est forma recipiens, & terminans actionē, secundus est formæ ipsius defectio, ita & Angelus primo terminat in entitate sua positiuam Dei actionem, secundo autem sequitur eius defectio; talis est namque ordo naturæ, siue naturalis, & ordinatus modus concipiendi destructionem.

18 Ad Sextū, data hypothesi, Deum non agere per intellectum, & voluntatem, nihilominus Angeli essent intrinsecè defectibiles, quod sit, vt negata v.g. volūtate à Deo, si remaneret in eo potentia aliqua spiritualis actiua, seù potentia aliqua naturalis executiua, ad mentem Philosophorum dicentium Deum agere ad extra non liberè, sed necessario necessitate naturæ, posset Angelus per talem potentiam annihilari. Quicquid tamen sit, iam Deus si annihilaret, vtique per vim, & nutum voluntatis suæ annihilaret: dato autē casu, & si deesset principiū annihilandi liberum, nō deesset principium physicum spirituale, & naturale: voluntas enim est principium morale. Vel dato casu, quamuis deesset omne principiū extrinsecum ex parte Dei, quatenus ex hypothesi esset agens naturale, non tamen deesset in Angelo potentia passiua, & realis suæ annihilabilitatis, quia semper esset ab intrinseco ens defectibile, & contingens, & hoc sufficit.

19 Ad Concilium, & Patres, eorum intentio est negare in Angelo corruptiuam, & destructiuam potentiam in ordine ad agens creatum, nulla namq; creatura talem vim habet, sicut loquitur Christus Matth. 10. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem,* sicut & Angelum, *non possunt occidere;* non vero negant annihilatiuam potētiam in ordine ad Deum, iuxta illud tritū Sap. 11. *quomodo autem posset aliquid permanere, nisi tu voluisses, aut quod à te vocatum non esset, conseruaretur?* Vel dicendum in terminis scholasticis, esse quidem intrinsecè incorruptibiles sumpta corruptione propriè dicta, quatenus est effectus, & passio materiæ primæ; non autem esse inannihilabiles, prout annihilatio defectionem absolutè indicat totius esse.

Qualiter Angeli incorruptibiles.

20 Ad illud de igne est disparitas; siquidem ignis de necessitate suæ naturæ, qua ignis est, habet vim comburendi, quā si abstrahas iam non erit ignis: sique calorem ab eo demas, iam non erit ignis calidus: vtrumque vero, tum calefactiua, tum combustiua potentia competit necessariò igni, quia est necessariò ex sui natura ens combustiuū, calefactiuum: at Angelus non est necessariò ens, cum sit ens contingens, & à libera voluntate Dei dependens: igitur virtus igni necessariò ab intrinseco conuenit, eamque sibi conseruat Author, & moderator naturæ, ne ipsa ignis natura pereat; esse vero, seù conseruari in suo esse non competit ab intrinseco ipsi Angelo, ideoq; Deus priuando suo esse Angelum, nihil ei debitum tolleret, quia non debetur ab intrinseco ipsi Angelo, ideoq; Deus priuando suo esse Angelum, nihil ei debitum tolleret, quia non debetur ab intrinseco sibi esse, nec cōseruari in esse, quia est ens contingens: ignis verò licet etiam sit quid contingens, & liberè à Deo creetur, liberèq; conseruetur in esse, tamen postquam recepit esse, postulat ab intrinseco suæ naturæ necessariò potentiam comburendi, alias esset implicatio dare ignem, qui non sit combustiuus, sicut esset quoq; implicatio, dare Angelum, qui non sit intellectiuus, & volitiuus: ideo licet creare, & conseruare Angelum sit contingens, tamen iam creatus, est necessariò intellectiuus.

Quæres, quam certum sit Angelos esse incorruptibiles, & immortales. Respondet Valent. tract. 1. disp. 4. quæst. 1. punct. 4. §. *quod autem,* inquiēs: *Et si*

Quam certū sit esse immortales.

Et si non tamen ex fide compertum est, tamen à Theologis existimatur ferme certum ex fide, itaut id negare, sit temerarium, & erroneum. Molina quaest. 50. art. 5. ait, adeo certam esse de hoc, Diui Thomae conclusionem, vt contrarium sit periculum in fide. Vide, quae supra diximus quaest. 5.

QVAESTIO VIII.

Vtrum Angeli sint annihilabiles per potentiam realem passiuam in ipsis existentem.

1 CAetanus relatus quaest. praeced. ait, potentiam, qua Angelus est annihilabilis, non esse, nisi potentiam logicam, quae est non repugnantia terminorum: vnde esse annihilabilem, non est, nisi non repugnare ad fieri annihilandum; caeterum, nullam admittit in eo potentiam realem ad posse annihilari.

2 Alij aiunt, non in Angelis, sed in Deo reperiri potentiam ad annihilandum. Adducitur ad hoc D. Thom. de potent. quaest. 5. art. 3. vbi inter caetera, sic habet; *Sicut in potentia Creatoris fuit, vt res essent antequam essent in seipsis, ita in potentia Creatoris est, postquam sunt in seipsis, vt non sint.* Et infra. *Sic igitur, per potentiam, quae est in altero, scilicet in Deo, sunt mutabiles, in quantum ab ipso potuerunt ex nihilo produci in esse, & de esse possunt reduci in non esse.* Hinc vero infertur, Angelum esse solummodo terminum, non autē subiectum talis potentiae; quae potentia subiectiuè esset in Deo terminatiuè tamen in Angelo, seu ad Angelum, si annihilaretur.

3 Probari autem potest sententia haec, Primò potentia, quae sit principium desitionis, siue transmutationis substātialis, siue corruptionis, non est, nisi materia; sunt autem Angeli immateriales, ergo carent potentia hac reali. Item Secundo Angelus non est subiectum capax passionis corruptiuae, ergo erit solummodo terminus, & obiectum annihilationis: antecedēs patet, quoniam potētia passiua non est, nisi materialitas, seu materia, qua tamen carent Angeli. Insuper Tertiò Angeli sunt ab intrinseco incorruptibiles, & immortales, ergo carent potentia ab intrinseco reali, qua tendāt ad desitionem. Praeterea Quartò, in eo distinguuntur materialia à spiritualibus, ex quo illa habēt ab intrinseco intimam potentiam machinantem corruptionem, propterea, sunt ab intrinseco corruptibilia, ergo spiritualia carebūt principio tali intrinseco annihilationis. Quintò in creatione nulla reperiebatur potentia realis in creatura, quae crearetur, sed erat solummodo in Deo creante; ergo & in annihilatione, nec vlla reperietur realis potentia ad annihilari, sed tota erit in Deo potente annihilari. Antecedens patet; mundus enim antequā creatus fuisset, erat sub nihilo, at potētia realis non subiectatur in nihilo: ergo tūc ante sui creationem, nullam habebat potentiam realem ad essendum: ita pariter de Angelo antequam creatus fuisset de nihilo, nullam potentiam realem habebat ad essendum, ergo nec modo potentiā talem habet ad non essendum. Sextò mundus ante creationem nō habebat, nisi potentiam logicam ad essendum: cum autem Angelus consimiliter non habuerit, nisi potentiam logicam ad essendum, pariformiter non habebit, nisi potentiam logicam ad non essendum.

4 Nos autem in primis dicimus, Caetanum diminutè, & incōpletè explicuisse annihilationem possibilem Angeli, seu potentiam logicam ad annihilari. Et quidem potētiam hanc explicat solummodo per negationem, dicendo, non repugnare Angelum annihilari. Hoc vero non sufficit, ergo addendum quid aliud probatur assumptum:

ptum: Omnis negatio fundatur super affirmationem, siue omne negatiuum supponit positiuum, de quo praedicetur, & rationem, secundum quam praedicetur: ergo vltra negationem repugnantiae praesupponi debet aliquid positiuum. Dices, iam praesupponitur positiuum ipsius naturae Angeli, de hoc enim nulla est controuersia, nam de Angelo dicitur, quod non repugnet annihilari. Contra; hoc non sufficit, est enim assignanda etiam ratio talis repugnantiae, & propterea in argumento posui vtrumque, tum subiectum positiuum praedicationis, tum rationem praedicandi: exemplum sit, lapis non tendit sursum: negatio haec supponit nedum lapidem tanquam subiectum, sed & rationem repugnantiae ad tendendum sursum, quae est grauitas: ergo negatio talis tendentiae praesupponit subiectum, & rationem negationis tendentiae, alias incompletè traderetur, quod lapidi repugnet tendere sursum. Sic à pari, dum ait Caetanus, Angelus habet potentiam logicam, idest non repugnantiam ad annihilari, non tradit sufficienter eam nostram, oportet namque aliquid positiuum anterius admittere in ipso, quod sit ratio formalis, per quam non repugnet annihilari.

In Angelo est potentia realis ad annihilari.

5 Secundo dicimus, verè in Angelo adest potentia realis ad posse annihilari. traditur conclusio haec est conformis Scoto in 4. dist. 49. q. 6. D. Bonauentura in 2. dist. 8. p. 1. art. 2. q. 2. OKam. in 2. q. 7. Gabr. in 2. d. 1. q. 1. ar. 2. Richar. Alexandr. part. 2. q. 16. m. 3. quatenus docent, omnem creaturam esse ex se mutabilem, etiam essentialiter.

6 Suadetur autem, si non haberet potentiam realem ad annihilari, non esset realiter annihilabilis. ergo debet eam habere: probatur assumptum, ideo corporalia sunt corruptibilia, quoniam habent potentiam realem ad corrumpi; ergo proportionabiliter, ideo spiritualia sunt annihilabilia, quoniam habent potentiam realem ad annihilari: paritas currit, reddendo singula singulis quoad potentiam talem: quamuis namque corporalia, & spiritualia differant in ratione talis potentiae, nihilominus conueniunt in communi, vt vnumquodque habere debeat, ad corrumpi, & ad annihilari suam realem potentiam.

7 Dices, sufficere, vt potentia in Angelo sit logica, seu non repugnantia ad annihilari. Contra, ex hoc sequitur, quod si Angelus annihilaretur de facto, iam non esset verè annihilatus, probatur, annihilatio fundatur super non repugnantia, ergo Angelum esse annihilatum, idem est, ac dicere, non repugnare esse annihilatum: haec autem sunt contradictoria, esse, annihilatum, & non annihilatum. Confirmatur, esset annihilatus, ex hypothesi: & non esset annihilatus, quia verè per nullam realem potentiam pateretur annihilationem.

8 Item, qua ratione in corporalibus admittitur potentia realis, quae est materia, & non admittitur in spiritualibus vno modo proportionaliter potentia realis? nulla apparet ratio, vt ibi apponatur, hic negetur. Dices, in corporalibus esse materiam, ipsa enim est causa corruptionis, quae tamen non potest esse in Angelo, cum sit immaterialis: Contra, quia vnicuique enti defectibili correspondere debet potentia realis suae defectibilitatis, conuenienter, & proportionaliter ad subiectum defectibile, vt defectibili materiali correspondeat potentia materialis, defectibili immateriali correspondeat potentia immaterialis, ergo quamuis in Angelo non sit potentia materialis, aderit tamen potentia immaterialis.

9 Insuper, ideo communiter Theologi, praecipuè antiquiores, dixerunt, Angelus esse ab intrinseco, atque ex sui natura annihilabiles, quoniam verè in ipsis potentiam considerabant realem ad deficiendum, licet potentia illa non esset materia, cum sint spirituales.

10 At quaeres, si daretur potentia haec realis, quaenam illa esset? non materia, cum in Angelo non insit, ergo nil aliud poterit in esse.

11 Respondeo, cum omnis creatura sit ens contingens, creatum, & dependens à suo Creatore, hinc est, vt in omni creatura reperiamus potentiam realem ad annihilari: dependet Angelus à Deo in esse, fieri, & conseruari: Non est ens necessarium, sed contingens: non est ens increatum, sed creatum, finitum, & limitatum: ergo hinc eliciemus fundamentum reale suae annihilationis. Potentia ergo realis in

Potentia ad annihilari super quo-nam fundatur.

spiri-

spiritualibus, est contingentia, & dependentia: hæc autem sunt realiter in Angelo, immo sunt idem realiter cum eo: ergo contingentia, & dependentia erunt rationes fundamẽtales talis potentiæ realis ad annihilari: siue eadem contingentia, & dependentia stabit loco potentiæ talis, his fundamẽtalibus rationibus talis potentiæ addi possunt & aliæ consimiles, vt ratio creati limitati, finiti, & huiusmodi. Et hinc sequitur, quod prænotauimus aduersus Caetanum, ipsum diminutè explicare potentiam istam annihilationis per non repugnantiam; quare namque non repugnat annihilari; ideo, quia non sunt Angeli ens necesse esse, ergo quia sunt ens contingens; hic contingentia sui esse, erit fundamentum, seu potentia realis ad annihilari. Item Angelus non est à se, sed dependens ab alio, in cuius potestate situm est, vt eum conseruet, vel annihilet, igitur dependentia erit fundamentum reale, seu potentia realis annihilationis. Confirmatur ex opposito, quare namque Deus nõ est annihilabilis? ideo, quia est ens necesse esse, non est ens contingens, ac propterea non poterit desinere esse, vnde necessitas essendi erit fundamentum suæ omnimodæ immortalitatis: est insuper independens ab alio, ergo à nemine poterit experiri corruptionem: igitur independentia fundamentalis ratio suę immortalitatis. ita quoque dicendum de sua infinitate, illimitatione, æternitate, & similibus, ex quibus deducitur potentia & ratio suę indefectibilitatis: puta contingentia, dependentia, finitas, creatio, limitatio, & huiusmodi. Vnde est, vt potentia hæc non sit materia, quæ in Angelis nulla est, sed hæc, quæ recensuimus, & similia.

12 Ad opposita faciliè respondetur. Ad Primum iam est dictum, non esse materiam, sed quid aliud.

Ad Secundum, quamuis non sit capax passionis corruptiuæ, est tamen capax passionis annihilatiuæ, at huius fundamentum non est materia, sed ea, quæ diximus.

13 Ad Tertium patet ex tota quęst. præcedenti.

14 Ad Quartum, tum corporalia, tum spiritualia habent ab intrinseco rationem fundamentalem suæ defectionis: id vero reddendo singula singulis; vt materia corporalibus sit ratio machinans corruptionem, spiritualibus vero non materia, sed ea, quæ attulimus.

15 Ad Quintum, non est par ratio de creatione, & annihilatione, etenim mundus ante creationem nihil erat, ergo nec habebat quidquam reale, vt probat argumentum: dum enim erat nihil, non poterat fundare potentiam realem, non enim ens reale fundatur in nihilo: in annihilatione vero iam reperitur existentia realis Angeli annihilabilis, & consequenter, cum fundamentum est reale, poterit super eo fundari ratio, seu potentia realis: quapropter ante creationem verè nõ aderat, nisi potentia logica, quia non repugnabat Angelum, & mundum creari: post autem creationem, accepti sunt, vltra potentiam logicam, etiam potentiam realem.

16 Ad Sextũ, militat eadẽ respõsio.

QVÆSTIO IX.

Vtrum per Dei potentiam creari possit materia spiritualis.

1 QVI Angelos putãt cõponi ex materia spirituali, cõcedunt consequenter, dari materiã spiritualem. In hanc sententiam citantur D. Bonau. Alensis, & Richard. à Molina, & Valentia, alijsq; supra quæst. anteced. citatis. An vero D. Bonau. huius fuerit opinionis, & qualem admiserit materiã in Angelis tradidimus antecedenti quæstione.

2 In

2 In primis autem non posse dari materiam spiritualem, sic arguitur. Vbi non est transmutatio, seu vbi non potest esse transmutatio, ibi nō potest esse generatio, & corruptio, ibi nō potest esse materia: at creatura spiritualis non est transmutabilis essentialiter, quia nec est generabilis, nec corruptibilis, ergo nec dari poterit materia spiritualis. Secūdo materia est principium transformationis, generationis, & corruptionis: ergo si daretur, vtique creatura spiritualis ex hac materia composita esset generabilis, & corruptibilis. Tertio Cœli non transmutantur, non corrumpuntur, quoniam materiam habent alterius rationis: materia autem illa nō est spiritualis, sed corporea, non ergo incorruptibilitas Cœlorum prouenit ex materia spirituali, quæ nec est in Cœlis, nec ex inde incorruptibilitatem Cœli adipiscuntur. Quarto, essentia talis compositi ex materia spirituali, haberet suam formam: hæc autē forma, vel esset spiritualis, vel corporea: nō corporea, cū compositū, de quo loquimur, esset spirituale, at spirituale nō est ex forma corporea, quale .n. esset hæc forma tale dandū spirituale, spirituale: si corporale, corporale: nec spiritualis, quia sequeretur, substantias spirituales esse inuicem transmutabiles; probatur, etenim forma hæc spiritualis educeretur de sua materia spirituali, sicut forma corporalis educitur de materia corporali: at in eductione formæ materialis è materia corporali interuenit transmutatio, & corruptio, ergo consimiliter interueniret transmutatio substantialis Angelorum, siue animarum rationalium, si ipsarum esse educeretur de materia hac spirituali. Quinto, non datur de facto nec recognitur, datam vnquam fuisse talem spiritualem materiā, ergo nec potest dari.

3 Vasquez 1 par. q. 50. ad. disp. 2. ait, *Nullum materiam habentem vidimus concessisse, nisi corpoream.*

Materiā spiritualē dari posse nulla implicat.

4 Dicimus tamen ex aduerso, nullam reperiri implicantiam, vt dari possit per Dei potentiā, materia spiritualis: ex qua & forma spirituali, consurgat inde substantia completa spiritualis, seu totum compositum spirituale. Probatur, potest dari, imo datur, materia corporalis, quæ sit substratum formæ corporalis; ergo dari poterit materia spiritualis, quæ sit informabilis à forma spirituali. Consequens probatur, nulla apparet repugnantia, nulla subsistens contradictio, ergo. Confirmatur, *materia, & forma sunt inter se correlatiua* ex 2. phys. t. 26. ergo reddendo singula singulis, vnicuique formæ debebit correspondere, seu poterit correspondere sua particularis materia eiusdem generis cum ea, itaut formæ corporali correspondeat materia corporalis, & formæ spirituali materia spiritualis.

5 Item forma spiritualis de facto informat materiam corporalem, ergo multo fortius informare poterit materiam spiritualem: antecedens patet de anima rationali informante corpus. Et probatur consequens, magis conuenit spiritus cum spiritu, quam corpus cum spiritu; etenim spiritus cū spiritu conuenit ratione spiritualitatis, vniuocè prædicabilis de vtroque, corpus tamen cum spiritu non ita conuenit, cum differāt genere, nec prædicetur quid proximè, tanquam genus de ipsis: si ergo forma spiritualis informat corpus, seu materiam corporalē, poterit & forma spiritualis informare materiā spiritualem: vnaquæque enim series illarum constituit suum ordinem: spiritualia namque constituunt ordinem spiritualium: corporalia corporalium: & ita locum ampliorem habebit recensitū axioma Aristotelis, quod *materia, & forma sunt inter se relatiua.*

6 Insuper, substātia spiritualis potest esse subiectum formæ accidentalis: ergo & poterit esse materia formæ substantialis: antecedens patet, anima namque, & Angelus sunt materia, & subiectū intellectionis, volitionis, &c. quod si non implicat, dari substantiam spiritualem, quæ sit materia spiritualis formæ accidentalis, nec implicabit, posse dari substantiam materialē spiritualem tanquam materiā formæ substantialis spiritualis.

7 At postulabis, si materialis est possibilis, cur non datur, nullus enim datam vnquā fuisse testatur, hanc materiam, vt dicebat Vasquez. Respondetur primò non defuisse, qui materiam hanc dari, concesserint in Angelis, vt

sunt ij, qui asserunt, Angelos componi ex materia spirituali, vt initio notauimus, & præcipuè Aureolus docens, dari materiã in Angelis, quæ tamen sit alterius rõnis à materia rerũ corporaliũ.

Materia spiritualis cur de facto nõ detur.

8 Respondetur Secundò, id prouenire ex multiplici capite: quoniam si materia daretur spiritualis, ob quam fieret compositum vndequaque spirituale, tunc compositum illud esset inuisibile, impalpabile, intangibile, impassibile, incorruptibile, immortale, & huiusmodi: si namque Deus, sicut homini dedit formam rationalẽ spiritualem, ita & contulisset materiam spiritualem, seu corpus spirituale, vtique redderetur inuisibile; spiritualia namque oculis non videmus, esset impalpabile, non enim tanguntur, nec palpantur spiritualia: vnde Christus Dominus ad suadendum Discipulis, verè resurrexisse in eodẽ corpore, quod viuens habebat, dixit eis, *palpate, & videte, quoniam spiritus carnem, & ossa non habet, sicut me videtis habere*. esset impassibile, & incorruptibile, non enim spiritus obnoxius est corruptioni: at Deus fecit hominem corporeum, vt passiones istas, consimilesque, naturæ, posset experiri. Et quidẽ post peccatum, reddidit hominem ipsum mortalem, *Morte morieris, terra es, & in terram conuerteris*, qui ante fuerat immortalis per gratiam, *poterat enim ex Dei gratia, non mori*; quomodo autem passiones infirmitatis, mortis, & corruptionis posset experiri, si ex materia constaret spirituali. Item decreuit Deus vt mediantibus sensibus corporis, tentationibus resistendo, mereretur homo sibi vitam æternam: homo namque mereri potest tum intus, tentamenta experiẽdo in anima, tum extra in corpore, Angeli autem non habẽt corporis sensus, in quibus exerceantur, sed intellectu, & voluntate meruerunt, & demeruerunt gloriam, & gehennam, reddendo singula singulis. Rursus circa homines non se habuit Deus in eorum productione, sicut in Angelis, quãdoquidem Deus ipse immediatè produxit Angelos per creationem, at de hominibus statuit, vt humana species multiplicaretur per seminalem propagationem: si autem homo esset vndequaque spiritualis, etiam materia spirituali compaginatus, quomodo posset generare, quomodo propagare? non enim seminalis propagatio munus est spirituũ, sed corporum. Accedit, quod homo dicitur *paulominus minoratus ab Angelis*, vt Psalm. 22. *Minuisti eum paulominus ab Angelis*. Minoritas autem ista, præcipuè pendet ex ratione corporis, quia Angelus est spiritualis de toto, homo autem ex parte; corporalis est namque ratione materiæ corporalis, & spiritualis ex capite animæ rationalis. Ex his ergo, & consimilibus rationibus probari, & reddi commodè potest ratio, cur etsi possibilis sit, non tamen de facto detur materia hæc spiritualis.

Materia, quæ nam causat corruptionem.

9 Ad rationes autẽ in oppositum, respondetur: & ad primam dicimus, solam materiam corpoream esse causã transmutationis, generationis, & corruptionis, de hac enim loquitur Arist. dicendo, *materia est causa generationis, & corruptionis*; materia tamen spiritualis non præstaret hoc; quapropter cessaret in tali composito transmutatio essentialis, atque corruptio.

10 Ad Secundum respondetur consimiliter.

Cœlũ vnde incorruptibile.

11 Ad Tertium, etsi materia Cœlorum sit alterius rationis à materia sublunarium, negant Scotistæ, vnde negatur assumptum. Ad probationẽ vero, quod incorruptibilitatem non assequuntur, quia materiam habent alterius rationis, negatur hoc, non enim hinc incorruptibilitas, sicut nec etiã eorũ materia est alterius rationis: nec incorruptibilitas prouenit, quasi ipsorum materia sit spiritualis est enim corporea, non spiritualis, sed incorruptio euenit aliunde, vel quia non suscipiũt peregrinas impressiones, vel quia nullum agens creatum valet destruere Cœlos, reseruantur enim omnipotentiæ Dei; vel aliundè, vt in materia de Cœlo, & Mundo.

Spiritus cuiusnam formæ corporeæ subiectum.

12 Ad Quartum, forma illa esset spiritualis, non enim materia spiritualis, informaretur à forma corporali: spiritus namque non est subiectũ formæ corporalis, & quantæ, nisi successiuę, vt Angelus, & anima sũt subiectum motus, qui est forma successiua:

cæte-

creaturum, cum forma correspondere debeat materiæ, si materia daretur spiritualis, forma quoque substantialis esset spiritualis. Cum autem infertur, forte formas illas spirituales transmutabiles, negatur, iam enim diximus, transmutationē esse effectum materiæ corporalis, & formæ corporalis: vnde fieret, vt à nullo Agente fieri possit substantialis hæc transmutatio, nisi ab Agente increato; Deus namque ipsis daret esse per creationem, ipsisq; pro libito, auferret ab eis esse, per annihilationem.

De facto ad potentiā an valeat negatiuè, an affirmatiuè.

13 Ad Quintum, iam primo aliqui dixerunt dari de facto, vt retulimus. Secundo dicimus, negando consequens, posset enim dari, si Deo placeret dare, multa namque non dantur in vniuerso, quæ possent dari, si Deus vellet. Itē ex negatione facti nō deducitur repugnantia, & implicātia ad dari; hoc autem necesse esset demōstrari, repugnare talem materiam dari, rationes namque oppositæ hoc non præstant, vt vidimus.

De facto ad posse, & de posse ad esse, an quomodo, & vbi valeat.

14 Dices de facto ad potentiam valet consequentia. Respondetur Primo valere *affirmatiuè*, vt Sortes scribit, ergo potest scribere, valet consequentia. Respondetur Secundo, quod loquēdo *physicè*, semper valet de facto ad potentiam, ratio, quia factum est effectus potentiæ, ergo posito effectu, indicatur interuenisse potentiam, alias negata potentia non haberetur effectus, *Remota enim causa; remouetur effectus*. Loquendo autem *moraliter* non valet. illud autem dicitur posse fieri moralitèr, & politicè, quod aptè, benè, congruè, & legitimè, atque conformiter ad leges, fit: multa fiunt, quæ tamen, iuxta rationem rectam, fieri non possunt: quo stante, non valet consequētia de facto ad potentiam, Sortes enim priuata authoritate, nullaq; causa rationabili vrgente occidens Caium, *facit quidem*, at facere non potest, nempè *moraliter*: hoc idē explicatur alijs terminis, aliud namq; est *posse*, & aliud *benè posse*. Sortes interimere Caium *potest*, at non *benè potest*: quod est dictum, potest *physicè*, non potest *politicè*, & *moralitèr*. Respondemus Tertio, de facto ad potentiam, loquendo *negatiuè* valere in diuinis ad intra; vt Pater non habet plures filios, ergo non potest habere: Filius non generat, ergo non potest generare: Spiritus sanctus non spirat, ergo nec potest spirare: valent hæ, & similes consequentiæ, quia in diuinis nō differt esse à posse: & posse, ac esse ad intra, sunt ab æterno simul: vbi valet vndequaque inferre *ab esse ad posse, & à posse ad esse*, est enim Deus ens necesse esse, licèt non valeat ad extra à posse ad esse, cum ad extra agit liberè, potest namque plura facere, quæ tamen non facit. Respondemus vltimò, valere negatiuè in *essentialibus*, vt homo v.g. non habet plura prædicata essentialia, quàm hæc, ergo nec plura potest habere; valet, etenim ab initio habet omnia essentialia, non tamen valet negatiuè in accidentalibus, vt Sortes non habet de facto perfectionem hanc accidentalem, ergo non potest habere, negatur. In essentialibus valet, quia *Natura in essentialibus non deficit, sicut nec in necessarijs*. Ad propositum autē negatur consequens.

Finis Primæ Disputationis.



DISPVTATIO II.

De assumptione corporum.

QVÆSTIO I.

Vtrum Angeli verè aliquando assumant corpora.

1 IN primis, Angelos verè assumere corpora, seu aliquando assumpsisse, videtur in dubium reuocasse Augustinum: quandoquidem lib. 3. de Trinit. cap. 1. sic scribit: *Fateor excedere vires intentionis meæ, vtrum Angeli manente spirituali sui corporis qualitate, per hanc occultius operante, assumant ex inferioribus elementis corpulentioribus, quod sibi coaptatum quasi aliquam vestem mutent, vertantq; in qualibet species corporales, etiam ipsas veras, sicut aqua vera in vinum conuersa est à Domino: an ipsa propria corpora sua transforment in quod voluerint, accomodata ad id, quod agunt?* & cap. 3. *Illas autem nubes, & ignes, quemodo fecerint, vel assumpserint, quis nouit hominum?* Accedit Bernard. serm. 5. in Cant. inquiẽs, *Cæterum verũ ipsis spiritibus naturalia corpora sint, sicut hominibus sint, an verò ipsi spiritus, corpora, cum opus est, sumant, rursusque, expleto opere, ponant in eandem, de qua sumpta sunt, materiam dissoluendo, nolo, vt à me requiratis: videntur Patres de huiusmodi diuersa sensisse, nec mihi perspicuum est, vnde alterutrum doceam.* Damascenus inde lib. 2. de fid. orthod. cap. 4. imaginarias ait, esse tales apparitiones dicens, *Permissione Dei falla*, *& fortitudinem habent, & transferũtur, & transformantur, in quãm volunt figuram secundum imaginationem.* Epiphanius verò hæres. 26. videtur negare, ait enim, *Quomodo potest Dæmon, qui spiritus est immundus, & incorporeus, corpora assumere?* Carthusianus in 2. d. 8. q. 1. in hanc sententiam trahit Albertum, aliòqui relatũ ab Vdalrico penès eundem Carthus. lib. 4. summ. ac denique Tiraquellus Iurisconsultus lib. 2. cap. 9 Ad Alex. de Alex. inquit, *Apparitiones, de quibus agit ibi Alexander, cæterasque consimiles, esse mera somnia:* idemque repetit ad cap. 23. lib. 5.

2 Cæterum negare Angelos verè assumpsisse aliquando corpora, pugnat apertè cum vtraque scriptura, veteri, & noua, vt paucis ostendam. In primis autem Genes. 3. malus Angelus assumpsit corpus Serpentis, primos Parentes tentando. & cap. 19. Apparuerint Angeli Loth, de quo ait text. *qui cum vidisset eos, surrexit, & iuit obuiam eis:* prius autem cap. 18. apparuerant Abrahæ: describuntur verò circumstantiæ plures, ne visio appareat imaginaria, etenim recepit eos, hospitio, lauitq; podes, comederunt inde, atque loquuti fuerũt ad eos, vt hinc pateat, verè assumpsisse corpus, sicut hinc argumentatur Greg. lib. 28. moral. cap. 2. inquiens, *Nisi cum Angeli ad tempus ex aere corpora assumerent, exterioribus nostris profectò obtutibus non apparerent, nec cibos cum Abraham caperent, nisi solidum aliquid ex cœlesti elemento gestarent.* Hoc idem docet historia Tobiæ, dum Angelus Raphael corpore assumpto duxit, & reduxit eum ad Parẽtes. Penès Danielem c. 8. habetur visio Angeli sub specie viri, inquit enim, *Stetit in conspectu meo quasi species viri.* item cap. 10. hinc Isidor. lib. 5. Orig. cap. 8. *Angeli corpora, in quibus hominibus apparent, de superno aere sumunt, solidamq; speciem de cœlesti elemẽto induunt, per quam humanis obtutibus manifestius detegantur.* Ex nouo autem testamento, Luc. *Missus est Gabriel Angelus ad Mariam Virginẽ.* colloquutus fuit cum ea, *Aue gratia plena:* responsoque, atque consensu accepto, *Ecce Ancilla Domini &c.* continuò discessit Angelus ab ea. Ad Pastores quoque sensibilitèr apparentes, cecine-

Angeli in corporibus assumptis.

cinentis: *Gloria in Excelsis Deo &c. Annuncio vobis gaudium magnum.* Actor. 12. dixit Angelus ad Petrum, *Sequere me. Angelus eius est.* vidit autem eum Ancilla: plena sunt his Euangelistarum Oracula, plena Apocalypsis Ioannis, vt id negare sit fidem veri, toribus canonicis denegare: vndè concluditur à Nazianz. orat. 49. de fide, *Si Angeli in figura hominum sæpè sunt visi, & tamen aliud non sunt, quam quod esse norunt; neque substantiam mutant, cum corporis formam sumunt, quanto magis ipse Dominus, qui omnia fecit, qui ipsis Angelis, vt hæc possint, sua institutione concessit?* Hoc quoque communitèr alij docent Patres, & hoc Scholastici in 2. d. 10. cum Magistro, & cum D. Thom. 1. part. q. 51. artic. 2.

Patrum explicatio.

3 At quid ad Patres in oppositum adductos? De Augustino varia habemus, licet namque sic ibi loquatur, tamen alibi expressè videtur admittere, vt Epist. 102. inquiens, *Abrahæ quippè vigilanti sic apparuerunt, vt eis, etiam, cum pedes lauit eis, contrectando sentiret.* & lib. 15. de Ciuit. cap. 23. scribit, inquiens, *Angelos apparuisse hominibus in talibus corporibus, vt non solum videri, verum etiam tangi possent, eadem verissima scriptura testatur.* Ex his autem deducitur, quod semota postmodum dubitatione, quā prius tenebatur, clarè asseruerit, assumere corpus, quod amplius cōfirmat in Epist. 49. q. 1. ad Deograt. inquiens, *Angelos istas sumpsisse, non ficto, seu inani phantasmate, sed manifestissima veritate.*

4 Ad illud Bernardi, iam temporibus priscis plerique Patres, quia erant platonici, asserebant, Angelos esse corporeos: alijs tamē ex aduerso inficiantibus, ob quarum sententiarum varietatem meritò Bernardus sic loquitur.

5 Damascenus exponi potest, vt eatenus dicat: *secundum imaginationē*, quatenus doceat corpora illa non esse Angelis connata, seù connaturalia, sed gratis, & liberè, atq; extrinsecè assumpta. Vel ibi imaginatio idem importat, ac figuram externam.

De Eliæ filiis dæmonum Gnosticorum.

6 Ad Epiphanium, mens eius fuit confutare hæresim Gnosticorum, qui aiebant liberos Eliæ conceptos fuisse ex fœmine eiusdem dormientis, suscepto ab vna ex Dæmonijs, itaut liberi inde procreati, appellarentur ab eis filij vnius ex Dæmonijs. Dementiā tamen hanc confutans Epiphanius ait, quonammodò possent Dæmones cum sint spiritus, concipere in vtero, fœtum formare, indeq; prolem corpoream parere? hac ergo ratione procedit, non autem negat, aliundè posse corpus assumere, vt in eo functiones alias exerceat, de quibus infra.

Doctoribus sanctis reuerentia debita, & si relinquatur quidoque.

7 Ad cæteros, qui videntur idipsū negare, vel bono quidem sensu explicentur, vt sensu tradito ad Damascenum, siue consimili, si potest, quod si non potest, salua ipsis debita reuerentia, ad sententiam communem recurratur.

8 Tertullianus insuper lib. de Carne Christi, ait, *Angelos assumpsisse carnem humanam, & eo ipso factos esse, quod natura non sunt.* Vnde infert, vnire sibi corpora vnione hypostatica, ad instar Verbi diuini, vnientis sibi humanam naturam. Sicque locum illum Malachiæ 11. explicat, dicentis, *Ecce Ego mitto Angelum meum*, pro Angelo autem, intellexit siue Malachiam, siue Ioannem Baptistam siue Prophetam alterū, itaut Angelus ille vniuerit sibi hypostaticè naturam humanam: At error est hic maximus, quem confutat præcipuè Hieronymus in Aggæi 1. Nec obstat Malachiam vocari, Angelum, etenim mos est scripturarum Angelos appellare eos, qui *Dei voluntatem annunciant*, inquit Hieronym. & planè patuit, idē importare nomen *Angelus* ac Nuncius: quemadmodum etiam, subdit Hieronym. Christus Dominus Isa. 9. appellatur *Magni Consilij Angelus*. Item creaturam posse assumere hypostaticè naturam creatam negant vniuersalitèr Theologi in materia de Incarnat. & Scot. in 3. d. 1. quæst. 4. & D. Thom. 3. part. & in 1. q. 51. art. 2.

Angeli quādo nō creati, ex Orig.

9 Origenes tract. 1. in Ioan. differentiam in hoc, non admittens inter Angelos, & animas, aiebat, etiam illos, veluti ante corporeum mundum creatos, inde ob aliquorum peccata, fuisse plures ipsorum ad corpora hæc destinatos, atque ibi intrusos. Inania sunt hæc, merè adinuenta gratis, & absque fundamento.

10 Phi-

Ex Philosophis Cœli animati.

10 Philosophorum plures, præsertim ex Platonicis, Cœlos existimabāt animatos, ob idque ipsorum animas esse intelligentias, quæ sint eorum formæ informantes, & animantes. Veritas tamen catholica est, esse formas assistentes, motrices Cœlorum, nec Cœlos ipsos esse animatos, nec Angelos animas Cœlorum. Ratio quoq; naturalis, conuincit, cum suppositum sit incommunicabile, vt *quo*, & vt *quid*, quomodo ergo suppositum Angeli informare valebit? Item substantia completa, & in vltima actualitate, non est ordinabilis ad vlteriorem, nec in ratione perfectibilis, nec ratione informantis perfectiui: talis est angelica personalitas, & subsistentia. Consimilis quoque sententia adscribitur Aureolo à Capreolo in 2. d. 3. quæst. 1. de hoc Scot. in quodl. quæst. 9.

Plures Patres, qui, platonici, aiebant Angelos corporeos.

11 Basilius de Spirit. sanct. cap. 16. & Ioann. Thessalonicens. in Conc. Nicen. 2. Act. 5. aiunt, Angelos in proprijs corporibus apparere. Verum, iam diximus, plerosq; ex antiquis Patribus fuisse platonicos, proindéq; cum platonicis sustinuisse, Angelos fuisse corporeos, quo principio fit, vt dum apparēt, in proprijs corporibus apparere dicantur: at oppositum tradidimus supra in propria disputat.

Quare corpora assumant.

12 Quare vero corpora assumant; in prompta rationes sunt, etenim cum sint entia spiritualia, sunt quoque de sui natura oculis, sensibusq; cæteris corporis impervia, sive inattingibilia, vt ergo videri, & palpari possint, assumunt corpora: dum insuper diuino sic placet imperio, vt hominibus sēsatim reuelent, colloquantur, aliaque id generis, compleant, necesse est corporea specie apparere. Item vt ex sensibilibus deueniamus in cognitionē creaturarum insensibilium, iuxta loquutionem Apostoli, *Inuisibilia Dei per ea, quæ facta sunt, à creatura mundi intellecta conspiciuntur*, ergo assumunt, tum ad manifestandū se, eo tamen modo, quo nos sumus capaces; tum ad ministeria diuina, ergo humanā naturam expirando; tum ad nostrum profectum, & vtilitatem; & hoc à bonis; tum vero ad nostra damna, & hoc à malis.

QVÆSTIO II.

Ex qua materia Angeli forment sibi corpora.

Angeli corpora non sibi formāt ex nihilo.

1 TErtullianus recensitus existimauit, Angelos, corpora, quæ assumunt, formare de nihilo. Verum id est impossibile, etenim *de nihilo nihil fit*, nempè à creatura, cum autem producere de nihilo sit creare, & creare competat soli Deo, hinc nequaquam poterūt Angeli formare sibi corpora de nihilo. Item Agens creatum præsupponit necessario materiam ex qua agat.

Ex qua nam materia formēt sibi corpora.

2 Hoc stante, infertur, formare ex aliqua præsupposita materia. Quænam vero sit illa, in primis communiter docent Scholastici formare ex aere, ita D. Thom. Bonau. Scot. cæterique: At cur primo loco ponitur aer pro materia, & non aliud elementum? Ratio est, quia facilis est formatio ex aere, facilisq; resolutio: Primum patet, quia non est elementum durum, sed de facili tractabile: Secundum quoque sequitur ex primo, quia dum corpus est adeò tenue, & subtile, de facile resoluitur corpus ex inde formatum, & euanescit. Dices, nullus labor inesset Angelo ad formanda corpora ex elemento terræ, siue ex corpore alio, vel materia densiori, Item corpus illud esset constantius, & solidius, & fortè aptius ad operationes agendas, ergo non aere, sed ex his. Respond. etsi nullum Angelus experiatur laborem, cum sit infatigabilis, nihilominus interueniret ibi maius tempus in formatione, dum tamen, in formando ex aere, non expostulatur tantum tempus, nec enim putandum est, Angelum longo ante tempore, re- Ex aere.

tinere

tinere penes se corpora præparata, quin potius tunc præcise ea format, cum ea est assumpturus, & propterea aerem assumit ad formandum, quia est levior, tenuior, atque aptior ad opus, ita cito adaptandum. Ad secundum, in primis bene aduit Angelus duritiem, constantiam, & soliditatem corpori præstare, iuxta rei exigentiam, de quo infra: attamen si ita durum, & tenax esset, non posset ita confestim resolui, citoque evanescere perfunctis iam operationibus, sicut velocissime disparet, & resolvitur ipse aer assumptus.

3 Quale vero esse debeat elementum aeris, an purum, sive ex se solo, negat Scotus cum cæteris; ideoque admixtum sumit vaporibus, fumo, exhalationibus, aqua, nubibus, & alijs huius generis; Ratio, quia in solo aere non possit, saltem ita de facili videri, nec operationes plurium generum formare, nec organa varijs coloribus formata repræsentare, aer namque non est coloratus, tum ergo corpus, quod debet apparere, variasq; functiones peragere, necesse sit habere organa varijs coloribus distincta, opus quoque materiam consimiliter coloribus distinctam præbere, at id non præstat solus aer: Nec item aer est susceptiuus illorum accidentium, in quibus debet apparere. Hoc idem habet Durand. in 2. d. 8. q. 1. qui licet referatur, ut eum docens ex puro aere formari corpora, nihilominus, inquit num. 7 formari de aere inspissato, qui facillime coloratur, & figurari potest, sicut patet in nubibus, idemq; habet D. Thom. art. 2. ad 3. posse aerem condensari, ut patet in nubibus, & q. 6. de pot. art. 7. ad 7. indicat, per aerem intelligi vaporem, seu fumum, qui in aeris naturam tendunt. Confirmant D. Bonau. Aegid. Richar. Gabr. cæteriq; in 2. d. 8. addit vero Albertus de quatuor Coqu. 1. p. quæst. 9. art. 11. inquiens, *Dicendum quod Angeli ex æthere corpora assumant, & quod habet potestatem densandi ea, non commixtione alterius corporis, sed simpliciter*. in hoc tamen non recipiendam docet, formari ex aere simplici, absque commixtione alterius corporis; iam enim rationes præfatæ oppositum conuincunt, non enim aer est coloratus, nec habet accidentia illa, quibus componitur corpus visibile, palpabile, & huiusmodi; ergo non sufficit aer solus, aer etenim simplex, quo nammodo coagulari poterit ad duritiem ossium, & dentium; ad temperaturam carnis, ad soliditatem vngium; quomodo colorari ad varietatem vestium, & ad alias innumerabiles corporis qualitates?

4 Sistendo insuper in elemento aeris, duas partes distinguit ex Aristotele idem Albertus, & Alensis; vnam, quæ est supra elementum aquæ immediate; & alteram, quæ est circa elementum ignis; indeq; docet Alber. corpora formare ex superiori portione prope ignem, quia purior est: verba eius sunt: *Aether autem, licet multipliciter dicatur, ut docet Aristot. in Metheorologicis, tamen principaliter dicitur corpus, nō ignis, sed lumine inflammās, & inflammatum, & talis est superior pars aeris, quæ pura est, eo quod vapores ad ipsam non attingunt: Ex hoc ergo, meo iudicio, corpora assumunt, secundum quod potest elici ex dictis Sanctorum*. loquens vero de Angelis malis, ait, *Dæmonibus debetur aer caliginosus; ex ipsa enim caligine significantes respondere, quod tentator, & mendax est*. ex tali autem discursu elicitur, corpus formare, bonos nempe, ex æthere. Alensis item part. 2. q. 34. mem. 4. ait, aerem continere duplicem partem, superiorem, quæ appellatur *Aether*, & hæc purior est: & inferiorem, quæ non est adeo pura: assumere autem, docet, inde corpora Angelos bonos, nempe ex æthere, malos vero de aere inferiori: vterque tamen videtur sentire fieri de aere solo.

5 Dices, idipsum docuisse Bedam, & Gregor. 28 moral. cap. 2. significantes solummodo aerem, & nil aliud: Responsio mox patebit.

6 At si non ex aere solo, & simplici efformant sibi corpora, quare dicuntur potius ex aere, quem aliunde formare? Ratio est, quia & si plurima concurrat, quia tamen principalis pars est aer, cætera vero adiuncta, minus principalia, hinc de aere ordinarie fit mentio, & hoc sensu loquutur Beda, & Gregorius citatus.

7 Cum vero diximus, inter rationes cæteras, cur de aere sumant corpora,

An ex solo aere.

Aetheris, & aeris differentia ex Alber. & Alēs.

Aer præualet in formatione.

Corpus formatum an statim euanescat.

ra, finalem esse, quoniam, dum perfecto iam ministerio, Angeli corpora derelinquunt, ea statim euanescunt, talis est autem aer, vt cito aer resoluatur, & euanescat, id quidem, vt plurimum intelligendum est, ita namque contingere solet, vt corpora assumpta, vt plurimum, perfuncto ministerio euanescant, attamen limitatur regula, vt aliquando corpora talia etiam perfuncto ministerio, perdurent, prout fuit corpus Serpentis adhibiti in decipiendis Parentibus Adam & Eua, ita Pererius ibi, licet addat Cyrillum in Lyra positum: prout etiam de Columba, cato, quod verum, & viuens animal fuerit, de quo tamen tom. 1. de Trinit. disp. vlt. nam August. lib. 2. de Trinit. cap. vlt. & epist. 102. putat, formatam fuisse immediaté ab Angelis: Diuus autem Thom. part. 3. q. 39. art. 7. Ambros. lib. de iis, qui init. mist. cap. 4. Tertull. lib. de Carn. Christ. aiunt, fuisse viuam, & veram: ob idque Author oper. imperf. in cap. 5. Matth. sensit immediaté formatam, & assumptam fuisse à Deo: de quo tamen non ibi.

Non formant ex corpore cœlesti.

8 Ex hinc excluditur corpus cœleste, vt nō possint ex eo formare corpus; ratio, tum quia Cœli non sunt à creatura alterabiles, nisi ad motum, & quietem, nunc enim ab Angelis mouentur, & post iudicium quiescēt, tum quoniam nō recipiunt peregrinas impressiones, vt calidum, frigus siccum, humidum, siue colores, & qualitates alias; tum ex alijs quia ipsorum materia sit alterius rationis à materia sublunarium: tum quoque, quia si eadem corpus assumerent, ergo abscinderent è Cœlis partem aliquam, & ita corruptibiles redderentur, at Iob ait, *solidissimi sunt, quasi ære fusi* cap. 37. interim vero quidnam poneretur loco partis illius? alias opus esset, vt Deus partem illam repararet per creationem partis de nouo: vel si negaueris hoc supplementum, interim Cœlum remanebit mancum, & mutabile ob deperditionem partis illius: quod si postmodum pars illa rediret, peracto iam ministerio, ergo à primo ad vltimum erunt essentialiter, alterabiles, per deperditionem, & abscissionē primo, & per redditionem partis eiusdem secundo. Dicens Isidorum de summo Bon. cap. 12. asserere, de Cœlo corpus induere, ait enim, *Angeli de cœlesti elemento solidum induerunt, per quam humanis obtutibus manifestiùs demonstrentur*. At respondetur, quandoque Cœli nomine sumi elementum aeris, vt ponet Iob 14. *Volucres quoque Cœli*. Item non ait Isidorus, formare de Cœlo, sed de elemento cœlesti, per cœleste autem elementū intelligitur elementum aeris, meritoq; quia veluti separatum à terra, & superius terra, hanc induere solet significationem Cœli, siue elementi cœlestis.

Quid possit Angelus imprimere in corpus formatū ab eo.

9 Remanet igitur, vt ex aere, taliter attemperato forment corpus. In id etiam corpus possunt duritiem, & mollitiem inducere, illam, condensando, illam, relaxando partes, vt tum cartilagines, cum neruos, & ossa, tum vero veram carnem visui, & tactui repræsentent: quāuis Vasquez dicat, non fore vera hæc de duritie, & mollitie, etenim sensus decipitur in tangendo: quod si bené aduertas, comperiet esse falsa: at de his infra.

Durities, & mollities talium corporum vnde nam oritur.

10 Vnde autem ortum, & causā habeat talis durities, dixerunt aliqui prouenire à solo Angelo, conseruante, & constipante vapores illos cum aere, taliter, vt cohere, vel disperdi nequeāt ab extrinseco impetu siue venti, siue alterius fortioris agentis: Alij aiunt, non procedere à condensatione & constipatione facienda per Angelum positiuè, sed ab Angelo prouenire quasi negatiuè, vtpote resistendo contrario Agenti. Verius tamen primum, quod suadetur, quia eidem vapores, atq; exhalationes condensatæ iam, non ministerio angelico, sed opificio naturæ, inde causant nubem, rorem, pruinam, niuē, grandinem, siue quid intensius, & durius, vt tonitrua, fulmina, sagittas, acris, lapides, trabes, cometasq; cum cæteris metheorologicis impressionibus igneis: hæc profectò, nempe condensationem, & constipationem facere valebit insuper Angelus in materia de qua formandum veniet corpus, vt in eo apparerent partes duriores, siue tenuiores, iuxta exigentiam corporis.

11 Circa colores, sunt qui negant colores in nubibus, aiuntque, esse apparentes, nō veros, quales sunt vel colores in collo Columbæ, vel in arcu

Iridis,

Colores ex his sunt veri.

Iridis. At qualis hæc philosophia? Nubes non sunt corpora simplicia, sed mixta, ergo susceptiuę sunt quatuor qualitatum, ex quibus componuntur colores: assumptum patet, constant enim ex vaporibus, & exalationibus, hæc autem colorata sunt, sicut & calida, humida, & sicca, reddendo singula singulis. Item de Monte Thabor circa discipulos dicitur, Et nubes lucida obumbrauit eos Matt. 13. de Christo Domino ascendente in Cœlum, consimiliter. Dices, lucem fuisse miraculosam. Concedo ratione magnitudinis luminis: at simpliciter nubes possunt esse naturaliter coloratæ: Dicere autem, nō posse nubes colorari nisi à solo Deo, esset multiplicare miracula, sine necessitate, cum naturaliter sic eueniat, vt nubes à natura varijs coloribus decorentur: tales quoque sunt cæteræ aereę impressiones: vnde hinc dum Angelus corpus sibi coagmentat ex aere vaporibus affecto, consequens fit, etiam coloratum inde corpus promanare: hoc dicimus contra Vasquez cap. 2. asserentem, colores illos esse apparentes, vt in Iride, non veros.

Colores nubium quibus assumpti sunt veri.

12 At non ita est, etenim colores ex quatuor qualitatū admixtione prouenientes, veri sunt: qui autem ex luminis flexione, inflexione, siue reflexione accidunt, ij sunt apparentes, vt patet in Iride, Collo Columbæ, & huiusmodi. at vapores efformātes nubes, extracti è corporibus mixtis, constant mixtorum ipsorum qualitatibus, ergo sunt veri, non apparentes: ex vaporibus igitur corporum mixtorū trahuntur colores veri: licet verum quoque sit, in ijsdem nubibus adesse colores etiam apparentes, promanantes ex solis reflexione, at non sunt primo denegandi colores veri. & hoc si nubes extrahantur à mixtis, secus si à simplicibus corporibus, vt ab Elementis.

Quale erit corpus assumabile.

13 Ex his vero hęc deducuntur, habita namque materia formandorum corporum, breuiter dicendum remanet, quæ possit, & quæ non possit sibi corpora efformare: Scotus ergo cum cæteris hæc docet: Non potest formare corpus perfectè mixtum, loquendo de corporibus perfectis, Adde, siue viuum sit, siue insensatū; ratio, quia si viuum erit, requiritur concursus Parentum mediante seminatione, animalia namque perfecta non nisi vniuocè producuntur, per viam generationis: Angelus autem non generat: quid vero possit circa hoc, dicetur infra: Item ad id requiritur tempus, ergo nec poterit ita confestim hæc formare, & assumere: Insuper, requiritur creatio animæ rationalis, si sit homo, at Angelus nō potest creare: dicere autē, quod Deus ad formationem corporis humani factam ab Angelo, Animam infundat, vnde quæso colligitur hoc pactum inter Deum, & Angelum? solum namq; cum homine Deus pactum inijt, inducendi Animam, quotiescumq; corpus fuerit à Parentibus formatum, & perfectè organizatū: de cæteris vero animantibus brutis, nec facultatem talem habet Angelus producendo siue corpora, siue animas, iam enim conclusū fuit suo loco, Angelum non posse producere substantiam. Item nec potest virtute propria producere corpus viuū imperfectum: vnde nec poterit producere muscam: de corporibus quoque cæteris insensatis, nec quidem ea producere valebit, siuè perfecta sint, vt aurum, lapides pretiosi, & huiusmodi, siuè imperfecta: Ratio omnium ibidem allata fuit, quia nec valet de se producere substantiam, nec qualitatem, & huius generis. Benè tamen applicare poterit actiua passiuis, qua applicatione facta, sequuntur inde, virtute Cœlorum corpora talia, prout agebāt Magi Pharaonis, ope, doctrina & adiumento Demonum, optimè namque norunt virtutem rerum, atq; astrorum, vt ritè sciant, pro loco, & tempore applicare actiua passiuis: eo magis, quò materia obedit Angelis ad nutum, nempè quātum ad motum localem. His stantibus: possunt sic, vel sic formare, & assumere corpora: eaque quidem imperfecta: signum autem huius, quod corpora talia ex aere, sic affecto sint imperfecta, dat Scotus, inquiens, ea talia corpora, perfuncto iam angelico ministerio, statim euanescere, vt accidit corpori assumpto ab Angelo Tobiæ, quod in fine functionis sui ministerij, statim euanuit.

QVÆSTIO III.

De natura assumptionis, & corporum assumptibilium.

Assumere corpus quid sit.

1 COnstito iam quomodo formare corpora possit, dicendum de assumptione, quærendo quid sit Angelum assumere corpora. D. Thom. & Scot. relati aiunt, *assumere idem est, ac ad se sumere*. Item addunt, non esse ibi, tanquam formam informans, nec veluti hypostaticè vnitum; sed tanquam intrinsecus motor. Addit D. Thom. in ordine ad repræsentandum ipsum Angelum. Addit insuper Aureolus, vnitur Angelus cum quadam similitudinaria apparentia. Scotus profectò non addit hanc conditionem, vt corpus repræsentet Angelum assumentem. Quæ conditio, verum necessaria sit, videndum, nam corpus Angeli Tobiæ non repræsentabat Angelum: Nec item corpora virorũ, sed Angelorũ Abrahæ, & Lothi. Item nec corpus Serpentis in Paradiso Terrestri, insuper posset assumere cadauer, & hominem etiam viuum ex Mol. attamen neutrum repræsentat Angelum, nisi aliunde, vt Angelus Tobiæ in fine cognitus fuit, non ante, dum in fine se ipsum manifestauit. ita de cæteris, vt quid ergo, est ne absolutè necessaria conditio ista? Scotus, vt dixi, eius non meminit: quapropter dicendum, quod quandocunque Angelus corpus format ad eum finẽ, vt Angelus appareat, vtiq; currit doctrina D. Thomę, & Aureoli, & ita sæpè contigit in scripturis, vt de Angelo Gabriele, de Angelo apparente Phanuel, deque plurimis, tunc namque apertè, & palam se ipsum ostendit: at quando abstrahit à fine hoc, vel in totum, vel ad tempus, tunc in corpore non aderit, nisi sub ratione motoris, & ita profectò cadauer, siue lapis, lignum, siue corpus hominis viuentis, vel bruti, non repræsentabit, nisi tale in suo genere per se, sed per se, quoniam aliunde ex accidentibus aliquibus intelligi poterit, saltem indirectè adesse ibi Angelum, bonũ, vel malum: & ita refertur, vt infra, nusquam malos Angelos assumere corpus hominis perfectum, & completum, sed semper in eo aliquam apparere partem, & membrũ alterius generis, siue alterius animalis, quo inde agnoscatur, saltem indirectè esse corpus mali Angeli: de hoc infra. Breuis autem sit resolutio, quod assumere, de sui natura, ordinatur ad repræsentationem, siuè directè, siuè indirectè, vt magis infra, in fine.

Angelus in corpore tanquam motor.

2 Hoc autem stante, quod sit ibi vt motor, sequitur, vt vniatur illi: non quidem vnione substantiali, qualis est formæ informantis ad materiam, vel qualis est vnio hypostatica: sed vnione accidentali: Hæc autem vnio erit respectus extrinsecus aduenies, qui consurgere solet ex applicatione simplici, sed vnione duorum extremorum. Obseruandum vero hic duos interuenire respectus, vnum realem, & alterum rationis: primus erit vnio ista quidquid dicat Suar. nam extrema sunt realia, vnio quoque est à parte rei, ergo inter ea consurgit relatio realis: Secundus erit rationis, considerando hoc totum fieri in ordine ad manifestandũ, & exprimendi conceptũ mentis angelicæ: vnde Angelus hic dupliciter se habet primò, tanquam motor, secundò, tanquam liberè, & voluntariè exprimens conceptus suos: primus respectus est realis, quia motus est realis: vel si assumat absq; motu, saltem assumptio veniet contemplanda, quæ à parte rei est & realis: secundus autem rationis: vnde non valuit distinguere Suarez inter illos duos respectus lib. 1. cap. 36. nu. 7. Confirmatur ex Richar. d. 8. art. 1. q. 2. ad 2. dicente; *assumptionem terminari ad vnionem per accidens, eo modo, quo sit vnum ex motore, & instrumento moto.*

3 Sed an sufficiat adesse ibi tanquã motorem, vt dicatur assumere? minimè quidem, ita Scot. Bonau. Thom. ratio, alias Angelus mouens Cœlum, diceretur assumere Cœlum; non enim vnitur illi, vt repræsẽtetur per illũ, nec

vt

vt appareat per illud. Dices, ex motu Cælorum inuestigauerunt Philosophi intelligentias, ergo motus Cæli est Angeli demonstratiuus. Resp. Angelum repræsentari à corpore contingere dupliciter, primo vel tanquam per signũ indagandum: secundo, quia verè sustinet de facto corpus illud personam Angeli: primo modo tantum, Cœlum repræsentat Angelum, motus namque est signum Angeli mouentis, ut non secundo modo: exemplum secũdi modi esset, dum namque legatus alicubi comparet, ibi repræsentat personã sui Principis, à quo sufficitur, seu mittitur: ita corpus, dum verè per internam, & circumquaque, vt ita dicam, inhabitationem, assumitur, tunc dicitur repræsentare personam Angeli: Hoc vero plura inferimus, Primo Cœlum non assumi, quamuis moueat, vt diximus: Secũdo Asinam Balaam, cuius fauces, & linguam mouebat Angelus, nõ fuisse assumptam ab eo, non enim principalis intentio erat repræsentare Angelum, sed aliud. Insuper nec Serpentem loquentem primis Parentibus Dæmon assumpsit: item nec Energumeni, cum à Dæmonibus obsidentur, assumuntur, nec lamiæ, aut striges, siue hirci assumi dicuntur, dum de loco ad locũ asportantur; ratio iam dicta est, quia non fiunt hæc vt personam Angeli præ se ferant, saltem principaliter, licet assun[illegible]dè, vt diximus, tanquam ex signo indagari id possit: Nec cũ Angelus Prophetam veluti per capillos, asportauit ad ferendum prandium Danieli: fuerunt quidẽ hæc signa, vt indagari possit, hæc fieri per Angelum. Hæc quidem procedunt loquendo in natura, & rigore assumptionis, hæc namque de sui natura, per se sum. strictè sumpta: at loquendo largè de eodem verbo assumendi, possunt prædicta omnia dici assumi; nam dum assumere, latè sumptũ idem est, ac arripere, mouere, & transferre, vtique omnia recensita, & huius generis mouet sic Angelus, vnde & sic, impropriè loquendo, dicerentur assumere: attamen id est abuti vocabulis: dicitur quidem Matth. 4. de Christo, quod assũpsit eum Diabolus, at qualis sit quæso assumptio ista? non propriè, & rigurosè sumpta, sed latè namquè transportauit.

Ratio motoris an sufficiat ad assumptionẽ.

4 An possit corpus viuens, vt etiã hominis assumere, negat Durand. d. 8. q. 1. quia tunc non repræsentaret Angelum, sed hominem, at si potest assumere cadauer, cur non corpus viuum? etenim nec cadauer repræsentat Angelum de se, posse tamen illud assumere, est in confesso apud omnes, cur non ergo corpus viuens? Ad rationem autem dubitandi, ait Moli. quod *vt Angelus appareat in corpore aliquo, non est necesse, vt corpus assumptum effigiẽ habeat Angeli, id enim nulla ratione fieri potest, sed sufficit, vt nõ propriam rationem corporis, quod exterius apparet, sustineat, sed Angeli, sub quo latet, cum, cuius personã sustinet, esse Angelum.* & Infra, *Hac eadem ratione existimo*, inquit, *Angelum assumere posse corpus viuum hominis; neque enim ad id necesse est, vt intret substantiam animæ rationalis, sed satis est, si moueat ad loquendum corpus.* Circa hoc vltimum, quod non sit necesse, vt intret substantiam animæ, adde etiam & corporis, non videtur malè sentire, ratio, quia, dum Angelus nõ informat, nec hypostaticè vnitur, vt quid penetraret illa? sufficeret enim quicunque motus, etiam ab extra, ab eodem Angelo causatus: Verum est tamen, quod communis sententia talis est, vt penetret intro per totum corpus, sitque totus Angelus in toto, & totus in qualibet parte per assistentiam ad mouendũ, & hoc cum cæteris recipimus. Scotus autem apertè hoc indicat, inquiens, *Assumere est esse intrinsecus motorem corporis.* & in ista quæst. Hic vero obseruandum, aliter inesse in Energumenis, aliter in corporibus aliis ab eo formatis, primo modo est insessio eius, vt sic dicam, in humoribus, qui materiam præbent morborum, & infirmitatum, inde vero partes corporis exagitat, siue linguam ad loquendum, siue alia, id generis. Secundo autem modo insidet in toto corpore. Circa vero primũ, quod Molina dixit, non oportere, vt corpus assumptum effigiem habeat Angeli: licet lateat eum esse Angelum: At hæc contraria sunt, quæ prius dixerat disput. 2. initio, inquiens, oportere repræsentare personam, quam corpus sustinet: modo tamen ibidem §. *quando ergo*, ait oppositum, nisi pro saluando

An assumere valeat corpus viuum.

Quomodo malus Angelus est in energumenis, aliis-

ipso recurras ad quæ nuper diximus.

Angelus an definitiuè in corpore assumpto.

5 Eidem Molinæ ibid. Valentiæ, Suario, & Vasquio non placet, quod Scotus cum Gabriele dixerit, Angelũ esse definitiuè in illo corpore, quod assumit; subditq; Molin. Scotum dicere, Angelum ibi non esse extra illud corpus. Ita quæ Molina cum cæteris in aperto, & peruiò, quid autem non insudaret in obscuro? sententia Scoti non est, Angelum non esse simul extra illud corpus, dummodo tum corpus, tum extraneum sit intra sphæram actiuitatis Angeli, sed indicat Angelum esse ibi verè per veram applicationem suæ substantiæ, non solùmodo per operationem, vt Thomistæ, itam primò sit ibi per veram substantiam præsens, signum autem talis præsentialitatis sit, quia est ibi definitiuè, definiendo ibi substantiam suam per veram applicationem substantiæ, non autem per solam operationem: hic est germanus sensus: quòd autem alij addunt, ideo diffinitiuè, quia nõ per immensitatem, non facit ad rem, non enim de hoc ibi mouetur quæstio, sat enim notum est, immensitatem esse solius Dei; melius alij, ideò diffinitiuè, quia non circumscriptiuè &c.

Formandi virtus à quonam.

6 Virtus hæc, corpora assumendi, à quonam sit, quæritur: D. Tho. q. 51. art. 2. ait, corpora formari virtute Dei, seu ope diuina: Alens. 2. par. q. 35. m. 5. formari quidẽ à Deo, vltimatè, sed ab Angelo præparatiuè. Cæterũ D. Bonau. Scot. Gabr. Alber. cæterique, formari aiũt ab eodem Angelo, modo iam explicato. Ratio potest esse, quoniam tale opus non superat virtutem Angeli: diuina autẽ virtus adhibetur à Deo vbi non suppetunt vires creaturæ, nec facit miracula sine necessitate.

Corpora à bonis, malisq; Angelis formata differre solent.

7 Corporum assumptibilium à bonis, prauisq; Angelis, aderit vtique differentia, vt ordinariè loquẽdo, Dæmones corpora efforment è materia, alioqui fœtida, limosa, putrida, cœno, & huius generis, decent namque hęc malos Angelos, qui cœnis oblectantur, spurcitijs, & obscœnis: dixi, ordinariè loquendo; quoniam quandoq; etiam ipsi formant sibi corpus venustum, pulchrũ, ac visu delectabile, vt incautos decipiant, siue muliebri specie appareant, siue virili, siue etiã & speciem præseferat alicuius Sãcti, vel Crucifixi, vel Angeli boni, vt Sanctorum historiæ enarrant, præcipuéq; Chronica nostri Ordinis, ait namque Paul. Hebr. 7. quod *Angelus Sathanæ transfigurat se in Angelum lucis*, Angeli verò boni, corpus adaptant ex aere nitido ex materia spectabili, itaut foris ostendant eo modo, quo capax est humana mens, puritatem, simplicitatem, & sanctitatem, quæ pollent: Diuinæ autẽ munus Clementiæ est, ne ita frequenter Angeli tenebrarum in Angelos se transforment lucis, ne pro libito decipiant, compescit namque misericordia Dei ipsorum ardentem nocendi libidinem.

8 Gentiles quoque de suis ipsorum Dijs cecinerunt in hoc genere formandi sibi corpora, ait namque Homerus Odiss. de Dæmon.

Atque Dei hospitibus peregrinis se assimilantes
Sub specie diuersa Vrbes, atque Oppida obseruant,
Et malefacta hominum simul, & benefacta notantes.

9 Item Hesiod. lib. 1. oper. & dier.

Continuò facti sunt diui mentis Tonantis,
Atque colunt terras, hominum custodiam agentes
Qui nunc quid iustè obseruant, quid fiat iniquè,
Aere vestiti peragrantes vndique terram.

10 Atque Vergil. lib. 10. Aneid.

Tum Dea nube caua tenuem sine viribus vmbram
In faciem Aeneæ visu mirabile monstrum
Dardaniis ornat telis, clypeumque, iubasque
Diuini assimilat capitis, dat inania verba,
Dat sine mente sonum &c.

Maleficiorũ ventũ, & Lunam obseruari à dæmonibus in formãdis corpor.

11 Pro complemento autem huius capitis notanda est stultitia quorundã Maleficorũ penes Mart. del Rio lib. 2. q. 28. sect. 11. aiebant namq; Magi quidam, quod ad corporum assumptionem Dæmoni duo sunt necessaria, ventus secundus, & Luna plena; nam si ventus sit aduersus, nõ poterit corpus coalescere: si verò Luna sit decrescẽs, vel cornicularis, non posset, defectu materiæ, formare corpus, nisi valde pusillũ, & pro Lunæ augmento, maius, vel minus. Ridiculum autem hoc putat del

Rio,

stio, inquiens, *Ridiculum videtur, quasi acquiescat Dæmon. Deo non impedijsse, verum sidera (?) voluisse, & defectum illum lunaris influxus supplere &c.*

Assumptionis naturæ amplior declaratio.

12 A primo autem ad vltimū epilogemus quidnam sit assumere, (quod supra promisimus) D. Bonau. part. 1. art. 1. q. 2. dic. *Angelus assumere corpora, tanquam instrumenta, siue organa ad operandum: sicut signa ad manifestandum: sicut complementa, vel habitacula ad habitandum.* D. Thom. de pot. q. 6. artic. 7. ad 1. *Angelum assumere corpus, non est sibi naturam vnire, sicut homo assumit cibum; neque vt vniat suæ personæ, sicut filius Dei assumpsit naturam humanam, sed ad suam repræsentationem.* Scotus ibidem: *Angelum assumere non est informare corpus, nec hypostaticè sibi vnire, sed tantum esse intrinsecū motorem.* Alensis 2. part. q. 35. m. 3. *Est sumptio corporalis creaturæ sibi coniuncta, vel quasi vnius cum creatura spirituali ad manifestationem ipsius creaturæ spiritualis, vel ad demonstrationem diuinam.* Atque Richardus recensitus, *Assumere est eo modo, quo fit vnum ex motore, & instrumento moto.*

QVÆSTIO IV.

Vtrum asportatio Strigarum: conuersio in varias formas: & apparitiones in corporibus assumptis, per Dæmones sint semper veræ.

1 DE tribus in hoc capite erit breuiter agendum, occasione præsentis materiæ de assumptione corporum: Primum est, vtrum verè à Dæmonibus asportentur Sagæ, Lamiæ, siuè Strigæ ad loca à Dæmonibus destinata, an verò sit phantastica omnino imaginaria, & illusiua talis prætensa asportatio, siuè assumptio. Secundum, qualisnam sit conuersio illa in formas varias facta ab ipsis Maleficis, siuè Dæmonū quorundam hominum: & tertium, vtrum apparitiones in corporibus assumptis ab ipsis Angelis malis sint semper veræ, an aliquando falsæ.

ARTICVLVS I.

Vtrum verè à Dæmonibus asportentur Sagæ, Lamiæ, siuè Strigæ.

5 CIrca Primum non desunt Authores, qui dicant huiusmodi lamiarū asportationes esse phantasticas, & falsas: inter cæteros sunt Ioannes Baptista à Porta lib. 2. Magiæ natur. Alciat. lib. 8. Parer. cap. 22. Vairus lib. 2. de fascin. cap. 13. Camerar. oper. subcis. cap. 72. Author fortalit. fid. plu-resque adde & Lutherum, Melancthonem, Sectariosq; plures &c. Fundamentum primarium deducitur ex cap. Episcopi 26. q. 5. atq; Concilio Aquilensi, sed Ancyrano 1. vbi sic habetur: *Illud etiam non est omittendum, quod quædam sceleratæ mulieres, retro post Sathan conuersæ, Dæmonum illusionibus, & phantasmatibus seductæ, credunt, & profitentur, se nocturnis horis cum Diana Dea Paganorum, vel cum Herodiade, & innumera multitudine mulierū, equitare super quasdam bestias, & multarum terrarum spatia, intempestæ noctis silentio pertransire, eiusque iussionibus obedire, velut dominæ, & certis noctibus ad eius seruitium euocari: sed vtinam hæ solæ in sua perfidia perijssent, & non multos secum ad infidelitatis interitum pertraxissent, nam innumera multitudo hac falsa opinione decepta, hæc vera esse credunt, & credendo, à recta fide deuiant, & errore Paganorum inuoluuntur, cum aliquid diuinitatis, aut Numinis extra vnum Deum arbitrantur: quapropter Sacerdotes per Ecclesias sibi commissas, populo Dei omni instantia prædicare debent, vt nouerint, hæc falsa esse, & non à diuino, sed à maligno spiritu talia phantasmata mentibus fidelium irrogari, siquidem ipse Sathan transfigurat*

se in

se in Angelum lucis, cum mentem cuiusque mulierculæ ceperit; & hanc per infidelitatem sibi subiugauerit, illicò transformat se in diuersarum species personarum, & similitudines, & mentem, quam captam tenet in somnis deludens &c. ecce quomodo non veras, sed delusorias ait Canon, esse huiusmodi asportationes.

3 His adduntur rationes: Prima, quoniam, dum inter eas, destinato, (vt dicunt) loco, Iesus nomen pronunciatur, statim euanescunt, nec amplius appareat, totusque eorundem congressus, & conuentus dissoluitur, ergo signum hinc elicitur, phantasticas esse conuentiones tales, siue apparitiones. Secundò, quoniam, experientia duce, plures ex ipsis, sero iam antecedenti, iam illitæ, & inunctæ, asportationis causa, indè tamen obseruatū sit, nusquam noctu illa è lecto migrasse, sed iacentes, dormiente igne, somnoque soporatas repertas fuisse, vt de pluribus testatur Spineus, Olaus, Tostatus, Grillandus. Tertiò, non videtur posse Dæmonem corpora transportare, atque hinc Abcistus contendit, nequaquam Dæmonem asportasse Christum Dominum in pinnaculum Templi, & in montem excelsum: probans id auctoritate Origenis homil. 31. in Luc. Quartò asserri potest de Samuele, qui non verè, sed fictitiè fuit resuscitatus à Phitonissa. Et Quintò de Nabucodonosore, non verè, sed apparēter conuerso in bestiā. Item de Moyse apparente in corpore ficto &c.

4 Verum in oppositum pugnant comuniter Theologi, & in primis Alphons. de Cast. de iusta heret. pun. c. 16. Abulens. in cap. 4. Matt. q. 47. Sixtus Senens. lib. 5. Bibliot. cap. 73. Angles q. 2. de mag. art. 4. Syluest. ver. hæresis nu. 3. Caietan. 2. 2. q. 95. art. 3. Mirandul. lib. 3. dial. Strix. Guilelm. Paris. de vniu. p. vlt. cap. 23. Malleus Maleficar. Martin. del Rio lib. 2. q. 16. & lib. 5. sect. 16. Pegna. Nauar. in man. cap. 11. nu. 38. &c. quos sequūtur Recentiores ad 1. p. D. Tho. de Angelis q. 51. Vasq. Valent. Suarez, cæterique.

Asportationes quidoque veræ.

5 In hac re duo vitanda sunt extrema: vnum est, eorum, qui aiunt, nusquam transferri, sed phantasticas, non veras esse vsquam, huiusmodi asportationes: hoc quidem falsum est, cuius sententiæ fuit quoque Plin. lib. 3. natur. histor. cap. 1. & 2. nam Authores relati pro affirmatiua sententia de multis referuntur vere ita contigisse, vt verè, & realiter fuerint translatæ, testes etiam sunt ipsimet venefici: Item ratione confirmatur, saltem non esse id impossibile, iam enim probatum est præcedentibus capitibus, Angelos posse assumere, & transferre corpora, quid ergo implicabit, vt transferre quoque valeant, siuè per se ipsos, Angeli mali, siuè super hircos equitantes, siuè hastis innixas, siuè modis aliis ipsas strigas, & magos? nisi tamen Deus id impedierit, at dato, quod non impediat, iam potentes sūt Dæmones ad id præstandum: ergo hinc patet, non implicare contradictionem, vt asportentur: Adde autem ad non implicantiam, experimenta, & casus ab Authoribus relatos, & ita concluditur, esse veras quandoque huiusmodi translationes. Ergo hinc deluditur hoc primum extremū, vt non sit verum, quod plerique aiunt, nunquam verè transferri.

Quidoque falsæ.

6 Alterum extremum est eorum, qui ex opposito aiunt, semper esse veras, & reales huiusmodi translationes, & nunquam falsas. Hoc conuincunt Authores oppositæ sententiæ, nō enim verum est, semper personaliter transferri; hoc probant experiētiæ prætensæ à secūdo argumentu primæ sententiæ: atque hinc Abulensis in Genes. q. 344. cap. 1. narrat, sagam quandam, se præsente, cum se vnxisset, vt nescio quò, abiret, grauissimo de repente somno oppressam, in terram corruisse, itaut ne igne quidem potuerit excitari; quæ tamen inde experge facta affirmabat, se multas regiones peragrasse, cum tamen eo tempore immobilis ibi permansisset. Caetanus de se ait. *Ego quoque, inquit, ab vna muliere amante quendam, scio, quod Diabolus vnxit eam nudam, suadens illi, quod sic duceret eam ad domū sui dilecti, & profundam, postquam fuit extra se multo tempore, & crederet se cum dilecto suo fuisse, inuenit se in suo loco, ita relaxatam, quod refocillatione indigeret.* Itē enarrat aliud, inquiens, *Persona fide digna mihi enarrauit, se vetulam illam, quæ promiserat, se*

iturum

lteram in suam cameram, nolle illa inue-nisse eandem in propria camera insensibi-liter constitutam &c. plura huiusmodi penes relatum.

Asportatio-nis exēplū.

7 Verè tamen transferri, de puero scribunt, qui à Patre malefico in conuen-tum Dæmonum, ac strigarum relatus, cum ob infanda, & horrenda, quæ ibi fieri videbat, in admirationem raptus, exclamasset, & vocasset nomen *Iesu*, subitò cuncta disparuerunt, ipso tamen solo ibi remanente: postridieq; domū rediisse, quæ milibus à loco illo milliari-bus distabat. Fertur de *Striga* quadam, quæ dum, peractis iam diabolicis fun-ctionibus, è loco discederet, domum asportantibus quoque Dæmonibus, re-uersura, ex medio in itinere, campanu-la tunc personante ad signū Angelicæ Salutationis, continuò disparentes Dę-mones, eam comes in itinere, vt erat, nudam dereliquerunt: plura apud re-latos.

8 Pauca hæc pro vtraque parte exempla addidi, vt confirmarem in extrema prorsus ire Authores plures.

9 Igitur, reiectis extremis, media sententia est sequenda: idemque dici-mus, apparitiones tales nec semper esse veras, nec semper falsas, propterea que quandoque veras esse, quandoq; falsas.

Concilij, & Canonis sē-sus.

10 Sed sensus Concilij, & Canonis exquiritur, quid namque respondendū ad hæc? Nauarrus ait, Canonem intel-ligi communiter, & regulariter, ita ta-men, vt aliquando verum sit etiam op-positum: quapropter, peccare ait, mor-taliter credentes semper verè asporta-ri, non tamen si credant id rarò, & ali-quandò fieri: Castro inquit, loqui Ca-nonem de Strigis, seu mulieribus de-scriptis in illo Canone, non autem de mulieribus nostri temporis, quasi no-stræ quidem personaliter transferantur, non autem illæ: Non placet Vasquio disp. 164. cap. 3. num. 16. parua enim esset differētia huius temporis ad illud. Alij negant authoritatem Concilij, quia sit tantum Prouinciale, & quod potuerit errare: hoc autem non pla-cet Delrio ibid. Alij negant esse Con-cilij Ancyrani, eo quod talia exempla-ria in Græcis, & Latinis Codicibus ho-diè non extent: nec hoc eidem placet, probans iam reperiri &c. Tandem re-spondet ipse cum eodem Alphonso de Castro, Turrecrem: atque Victoria, in-quiens, *Quædam in illo Canone narrari, quæ per naturam rerum à Dæmone perfi-ci non possunt, vt alloqui, & videre cerne-re Herculem, & Achillem, qui sunt in In-ferno: Item equitare super bestias, quæ tanta spatia tam citò, & per aerem confi-cere nequeant: Item equitare cum Dia-na, vel Herodiade, cum nec vlla sit Dia-na Dea, vel superstes Numen, nec Hero-dias illa saltatricula vbibi in terris equi-tet, in Inferno cruciata. Item agnoscere vllam diuinam naturam, præter Deum: quare huiusmodi asserere, re vera hæreti-cum esset. Alia verò in eodem Canone memorantur, quæ nec rerum naturæ repu-gnant, nec vires Sathanæ superant, vt est hoc ipsum, de quo nunc agitur, & talia non negat Canon, posse contingere, sed tan-tum indicare voluit, non esse credendum, semper ea contingere, sed aliquando ima-ginationis vitio tribuenda.* Summa au-tem explicationis hæc est, vt tanquam hæretici mulctentur, qui credunt, hæc fieri à spiritu diuino, cum tamen fiant à spiritu sathannico: item qui credūt, Dianam, Herodiadē, & huiusmodi esse Deas, cum tamen vnus sit verus Deus regnans in Cœlo, & in Terra; præmiās bonos in Cœlo, & puniens Herodiadē cum sequacibus, in Inferno. Insuper credentes illas bestias esse veras, siue posse naturaliter ex se solis per aera in-cedere, breuique temporis spatio in longinqua migrare, cum tamen sæpis-simè non sint vera animalia, (possent tamen quandoque vera animalia assu-mere) sed compacta, & conficta à Dæ-mone, ab eoque assumpta, cuius etiam ope, & diabolica virtute, per aera trās-portentur, atque in longinqua breui temporis curriculo transuehērur. hęc, & similia, quæ impietatem, & supersti-tionē sonant, damnat Canon, & Con-cilium; cæterū non damnat, quod ali-quādo verè, & propriè personalitèr ab eodē nefario spiritu per hircos, aliaué vehicula transportentur: damnat ergo modum, & circumstantias tales Con-cilium, non autem facti ipsius substan-tiam. Validitatem tamen Canonis il-lius, atque Concilij demonstrat erudi-tè Tanner. t. 1. disp. 5. q. 5. dub. 3. à n. 11. & deinceps: & contenta in eis repe-riun-

tiuntur penès August. t. 3. lib. de Spir. & Vit. cap. 28. & ita sanè Dæmon illudit sagas, vt reputent esse vera, plurima, quæ omninò falsa sunt, & superstitiosa.

Illusio qualiter fiat à Dæmonibus.

11 Quomodo autem fiat illusio, & deceptio talis, dicendum, eam contingere posse pluribus modis: Primò immutando, seu alterando obiectum: cũ namque sit Dæmon scientissimus, materiaque obediat ei ad nutum, in ordine ad motum locũ, poterit circa obiectum facere immutationem talem, vt præsens faciat apparere veluti absens, & absens præsens: vel talem formam oculis obiectare circa principale obiectum, vt faciat, illud apparere aliter, quam sit: hoc autem modo docet August. lib. 18. de Ciu. Dei cap. 18 Dæmonis opera factum fuisse, vt socij Diomedis viderentur conuersi in aues, socios Vlissis in bestias, atque Arcades in Lupos. Secundò alterando sensum, & organum, siuè internum, siuè externum: commouendo humores, quo fiet, vt res appareat aliter, quam sit: qua etiam ratione febricitantibus dulce apparet amarum, prædominante in palato humore cholerico. Item alterando phantasmata, perturbando ea, siuè transferendo de parte in partem eiusdem organi, siuè de organo in organũ vt in propria quæst. diximus: siuè species sensibiles existentes in phantasia transportando ad sensus exteriores, vt existiment qui talia patiuntur, quasi rem videre proprijs oculis, taliterque ordinando species illas, siuè simul nectendo, & præsentando oculis, vt illis appareant, vti vera, verèq; ibi præsentialiter fuisse, alioquutam fuisse, negotiatum fuisse, atque huiusmodi peregisse, cum tandem è loco suo nusquam recesserit. Insuper, quantum est de se, poterit causare speciem cuiuscunque materialis obiecti, in phantasia, inque sensu exteriori, quibus mediantibus speciebus repræsẽtet, quę velit, taliter, ac si verè sic essent: possunt denique & ipsam cognitionẽ causare in mente, eorũ, de quibus velint, vt hinc magis decipiant; qualiter verò hæc contingant, vide ibi, plura namque possunt ex parte sui, quorum tamen non est capax intellectus hominis pro statu viæ alligatus sensibus, vt ibi diximus. Et tertiò poterit immutare, & alterare re medium, siuè aerem, siuè medium quodcunque concurrens ad operationem: quo fieret, vt operatio quoq; esset falsibilis, ac remaneret illusio sẽsus à Dæmonibus. De his autem amplius mox dicemus. Et tandem dum sagæ intrãt, & exeunt, non est putandũ penetrare parietes, aut ianuis clausis id facere, sed Dæmones cautè, & silenter, illuso adstantium sensu, occlusa loca adaperire, & adaperta iterato recludere, indeque eas asportare: vel etiam per caminum, &c.

12 Ad fundamenta autem in oppositum respondendo, dicimus, ad primũ, disparere quidem Dæmones, non valentes ferre virtutem tanti nominis: non tamen inde infertur, non verè aliquando transtulisse: Vel secũdò, disparere eorum conuenticula, atq; cessando ab illis, confestim sagas ad propria reportare, ex qua celeri asportatione, siue reditu, dicantur euanuisse.

13 Ad Secundũ, ita est, vt aliquando sic contingat, vel impediente Deo, vel Dæmone asportationem talem ad tempus aliud transferendo, vel etiam, vt illudat maleficos tales, hæc enim facere potest, si Deus non impediat.

14 Ad Tertium, falsum assumit Alciatus, verè namque fuit à Dæmone asportatus, vt ait textus Matt. 4. & inter cæteros probat ibi Abulensis q. 34. additque Gregorium dicentem, *Certè dum dicitur Deus homo in sanctam Ciuitatem à Diabolo assumptus, humanæ aures audire expauescunt; iniquorum tamen Diabolus caput est; quid ergo mirũ sisse ab illo permisit in montem duci, qui se permisit à membris illius crucifigi?* Origenem affert, veluti sentientem, quod Christus *sequebatur, sponte proficiscens*: at respondet Abulens. quod sequebatur, *non pedibus ambulans, sed sequebatur eius voluntatem, quia spontè tolerabat* quasi *Athleta* inquit Orig. sequebatur, non timens, nec horrens eius tentationes, de quibus tamen semper victor remansit.

15 Ad illud de Samuele, nõ Samuelis animam, sed vmbram excitatam fuisse, & apparuisse, dixerunt Tertull. lib. de anim. cap. 57. Iustin. ad Gent. q. 57. August. lib. quæst. vet. Test. q. 27.

& lib. 2.

[illegible] doctr. Christ. cap. 23. quę habentur in rep. nec mirum [illegible] Item Hieronymus in Matt. 6. appellat, sa-[illegible] Basil. in cap. 8. Isa. Rupert. lib. [illegible] de oper. Trin. pluresque. At vero [illegible] fuisse veram ipsius animam, docent Lyran. Hugo, Carthusian. [illegible] lib. 4. cap. 11. Iosephus lib. [illegible] cap. 15. item August. lib. de cura pro mort. ag. cap. 15. & 16 qui sententiam mutauit, sicut & Hieronymi in cap. 7. Isa. [illegible] Basil. ep. 80. [illegible] cap. 18. 1. Reg. quod [illegible] ex Eccl. [illegible] habetur, [illegible] Genesis in prophetia [illegible] Atque Paralip. [illegible] iuxta septuaginta, *Interrogauit Saul [illegible] ad quaerendum [illegible] Samuel Propheta*. Accedit [illegible] Thom. qui 2. 2. q. [illegible] art. [illegible] ait quod si admittitur Ecclesiastici auctoritas, [illegible] verè [illegible] Samuel apparuisse ac necesse [illegible] illum esse [illegible] ideoque hunc similiter [illegible] Doctores, verè apparuisse.

ARTICVLVS II.

De Nabuchodonosore, Moyse, Elia & morbo quodam Neapoli grassante.

1 AD id de Nabuchodonosore, Valesius de Sacr. Phil. cap. 20. & Hieronym. Mercurial. lib. 2. variar. lect. cap. 20. hanc Regis immutationem seu metamorphosim processisse ab humore melancholico, quo laborabat, ob quem, taliter passi putant se in Animalium formas mutari, taliaq; agunt, & patiuntur, qualia ipsamet animalia; itaut alij sibi videantur in Canes conuerti, & latrent: alij in Lupos, & vlulent; alij in Boues, Leones, Equos, Gallos, & mugiant, rugiant, hinniant, cantent, & huiusmodi: quem morbum appellant *Melancholiam Caninam*, & *Lupinam*. Hi homines [illegible] eiulare solent, solitaria loca quaerere, noctuque incedere, siue in cœno ipso sese, ad instar Apri, volutare: tales erat Bellerophon, de quo Homer. Iliad. 3. cecinit.

Nā miser in syluis mœrens errabat opacis,
Per campos solus lotos, perque auia rura;
Ipse suū cor edens, hominū vestigia vitās.

2 Talemque Neapoli morbum prædominari fama est, vt hoc morbo laborantes, taliaque agentes communi nomine appellet *Lupo humano*, corrupto tamen vocabulo, *Lupo menaro*: videlicet lupina melancholia elaborantes, videantur sibi in Lupos conuerti, Canibus interea de more oblatrantibus ad eorum vlulatus. Addunt alij in pœnam his infligi paternæ maledictionis. Morbus Lupo menaro.

3 Maiora his humor hic causat: etenim Timon Athen: quondam die astantibus silentium indicens aiebat: *Est mihi in hortis arbor ficus, a quà plurique homines se suspendunt: ita si quis vestrum suspendere se in ea cupierit, acceleret, antequam ipsam euellam, etenim ibi aedes construere intendo.* delirabat omnino, nec quidquam veri proferebat. Plura ex his refert Galenus, & post eum Lemnius lib. 2. de complex. vtpote de eo, qui membra posteriora putabat vitrea esse, ob idque nunquā vel iacebat, nec posterioribus hærebat, sed sedebat, metuens fractionem eorum. De alio, qui mortuum se existimans, ab omni prorsus cibo, potuq; abstinebat, cum verò septimus dies peruenerit, qui inedia confectis lethalis esse solet, quidam dum in obscuro conclaui, nigris linteis inuoluti, mortuos se simulantes, comederent, interroganti illi, quinam hi, & quid agunt? respondentibus domesticis, illos esse quosdam mortuos, qui fame laborantes, comedunt, & bibunt: at ille, igitur, mortui comedunt? ita sané, responsū: afferte, ergo & mihi de prandio, vt comedam, putabam namque mortuos nō comedere: qui tandem adeo citò conualuit. Tandem de alio, qui ingentem nasum sibi videbatur habere, atque excreuisse in immensum, supra quem tamen Medicus farcimen, siue molam carnis admouit, quæ paulatim abscissa, interdumque naso ipso omnino aliqualiter subpuncto, siue leuiter excoriato, & inciso, vt magis eum illuderet, siuè potius illudendo sanaret, præscripta inde salubri dieta, plenè à malinconia tali liberauit, siuè phrenesi curauit. In- Illusiones variæ, ac curationes.

super de Hypochondriaco, cui vterus, ac intestina flatibus turgebant, narrāt putasse, ranas, ac bufones interiora sua obsidere, ac rodere: præstita inde sibi, vulgari de more, potione, immissa retrò in peluim ranis, ac bufonibus, putans per secessum ea purgasse, illicò sanus euasit.

Plurima varia de Nabuchod.

4 Hæc relata sunt, vt consequenter dicatur ad præsens institutum, aiebat ergo Vallesius Nabuchodonosorem tali morbo laborasse, ad idque talem sibimet apparuisse: Elicitur autē hoc antiquius ex D. Thom. qui lib. 2. de Regim. Princip. cap. vlt. ait, non reuera transformatum fuisse in bestiam, sed quia imaginatio eius erat vitiata, & corrupta, ideò talis sibi esse videbatur. Quamuis Bellarm. lib. de Scriptor. Eccles. dicat, librum hunc non esse Diui Thomæ. Idem ait Mich. Med. lib. 2. de Rec. in Dei fid. cap. 7. transformationem non fuisse veram, sed phantasticā. Pererius inquit, non mutasse figuram, sed phantasiam, complexionē, & gestus. Maldonatus, nil in figura corporis mutatum censet, præter vngues, & capillos, qui nisi crebro resecentur, solent ferinam formam præseferre. Dorotheus in synopsi, & Epiphan. in vita Dan. aiunt, interius quidem seruasse formam hominis, vna cum anima rationali, at exterius mutatum fuisse in figurā Bouis, & Leonis: anterius quidem Bouis, posterius verò Leonis: Addit Septuaginta dicere capillos eius creuisse in similitudinem Leonum: eo magis, quo, rōne superbiæ, fuit cap. 7. Leoni comparatus: quapropter Pictor quidam figuræ ipsius adiecit cornua, & caudam, iuxta morem, & libertatem Pictorum: talem verò ex gemina specie effingunt Minotaurum, & Gigem Poetæ, ex Ouid. de Trist. lib. 4. Eleg. 6.

Centimanumq; Gigē, Semibouemq; virū
Semibouemq; virū, semiuirumq; bouem.

Nabuchodonosoris figura qualis

5 Quidquid tamen plurimi dicāt, hæc verisimilia sunt de Nabuchodonosore. In primis non amisit esse hominis: fuit enim semper homo, semperq; animam eandem habuit rationalem, atque in esse specifico, & essentiali hominis nihil deperdidit, nec animam eius corpus aliud, siue Bouis, siue alterius bestiæ, aut feræ informauit, præterquam suum proprium, tum quia non datur transmigratio animarum de corpore in corpus, iuxta Pithag. tum quoque, quoniam rationalis anima non est forma communis, siuē homini, siuē alij ferino corpori: ergo secundum humanam speciem, & essentiam nequaquā fuit in aliam speciem, siuē alteri feræ, siuē alterius commutatus: nulla ergo fuit in eo commutatio specifica, & essentialis. Loquendo tamen de commutatione accidentali, ea quidem in eo fuit multiplex: & primo, incedebat nudus, rori, pluuiæ, glaciei, imbribusque Cœli, noctu, diuque, ad instar feræ obnoxius: species visus erat aliquāto accidentaliter immutata, accedens ad ferinam, nec enim desijt homines vultu quoque ferino, maximē, qui diu victitant inter feras. Cutis corporis non mollis erat & morbida, sed dura, hispida, ferina: pilos, capillosque oblungos, crassosque, hirsutos ac copiosos & spissos, eisque copertus, vt aues plumis, siue vt feræ suis tegumentis hirsutis, & pilosis: vngues instar auium rapaciū. Non erectus erat incessus, sed curuus, manibus pedibusque repens, vt bestia quadrupes: victus, herbæ erant, earumque radicibus vescebatur, idque appetebat, veluti fera, nam *cor feræ datum est ei* idest, etiam appetebat, quæ appetit fera: nec mirū, quia Anachoretæ, & Eremitæ herbarum radicibus vescebantur, Persæ Cardamo: Aethyopes locustis; Sauromatæ milio: Ophiophagi serpentibus; mulier ab Alberto relata araneis, & Mithridates veneno vescebantur, omnes tamen incolumes ob consuetudinem: seruante etiam Deo Nabuchodonosorem, ne periret, vtpotē, alioqui cibis regijs, ac delicatis vesci solitum. Mugiebat, vt Bos, id verò ex imaginatione, & existimatione de se habita huius generis, vt relatum est, siue ex malincholia bouina procedebat: eoque magis, quo assuetus inter Boues, mugire frequenter audiens, & ipse quoque mugiebat. Interim verò bestiæ non lædebant illum, vel quia & ipsum quoque veluti feram, existimabant, vel magis, quia Deus ipsum præseruabat, ne læderetur ab eis. Septem annis in hoc statu miser admixit, vt impleretur, quod habetur in textu Dan. 4.

Deus

Domini sciat, quod dominetur Excelsus. Tandem aiũt alij, interim rationis vsu fuisse priuatum, quo tempore vtebatur imaginatione, & phantasia, qua sibi videbatur esse fera, & bestia, iuxta illud, *Cor feræ datum est ei* inquit autem D. Thom. quod secundum vitiatam imaginationem, sibi conuersus videbatur in Vrum, idest, in Bouem siluestrem. Quod autem dicitur de rationis vsu, de secunda quidem rationis, seu de actu secundo voluit intelligi quo vsu, secundoq; actu priuantur amentes & phrenetici, non autem de ratione ipsa in actu primo quia verè semper fuit homo, anima prædictus rationali: His satisfit ad obiectum de Nabuchodonosore: Hęc autem omnia colliguntur ex textu, sic enim habet, *Eadem hora sermo completus est super Nabuchodonosor, & ex hominibus abiectus est, & fœnum vt Bos comedit, & rore cœli corpus eius infectum est, donec capilli eius in similitudinem Aquilarum crescerent, & vngues eius quasi auium.*

De Moyse, & Elia. 4 Ad illud de Moyse, & de Elia, ait Tertull. lib. de Resurr. *Moyses, & Elias, alter in imagine carnis nondum receptæ; alter in veritate nondum defunctæ.* & Lyra, Moyses non resurrexit, sed anima apparuit in corpore sibi adaptato, vt Angeli in assumptis corporibus: Elias autem adductus fuit de loco vbi fuerat translatus.

ARTICVLVS III.

De fabulosis, & illusorijs transformationibus.

Fabulosæ transformationes. 1 Circa secundum Caput propositum, an posse Dæmon transmutare corpus humanũ, vtique fabulosa sunt, quæ vel Ouidius in suis Metamorphosibus, vel Poetæ alij cõfinxerunt de Ioue, deque cæteris in varias formas abeuntibus: sigillatim vero de Circe, Diomede, Vlisse, Archadibus, ac huiusmodi, vana esse docet, præcipuè August. lib. 18. de Ciuit. Dei cap. 17. inquiens, *Hæc Varro astruit, commemorans alia non magis incredibilia, de maga illa Circe, quæ socios Vlyssis mutauit in bestias: & de Archadibus, qui sorte ducti trãsnabant quoddam stagnum, atque ibi conuertebantur in Lupos, & cum similibus feris per illius regionis deserta viuebant; si verò carne non vescerentur humana, rursus post nouem annos, eodem renatato stagno, reformabantur in homines.* Item cap. 18. scribit, *Nam & nos, cum essemus in Italia, audiebamus talia de quadam Regione illarum partium, vbi stabularias mulieres imbutas his malis artibus, in caseo dare dicebant, quibus vellent, seu possent viatoribus, vnde in iumenta illicò verterentur, & necessaria quæque portarent, postquæ perfuncta opera, iterum ad se redirent, nec tamen in eis mentem fieri bestialem, sed rationalẽ, humanamq; seruari, sicut Apuleius in libris, quos Asini aurei titulo inscripsit, sibi accidisse, vt accepto veneno humano animo permanente, Asinus fieret, aut indicauit, aut finxit; hæc vera vel falsa sunt, vel etiam insolita, vt meritò non credantur:* inde verò subdit, *Nec sanè Dæmones naturas creant, si aliquid tale faciunt, de quibus factis ista vertitur quæstio, sed specie tenus, quæ à vero Deo sunt creata, commutant, vt videantur esse, quod non sunt;* concludendo autem ait, *Non ita solum animum, sed nec corpus quidem vlla ratione crediderim, Dæmonũ arte, vel potestate, in membra, vel lineamenta bestialia veraciter posse conuerti.* Confirmatur & ratione, id Dæmones non posse, quandoquidem non possunt formam substantialem inducere, ergo nec substantialiter cõmutare: assumptum probatum remansit agendo de potentia angelica: Item nec possunt formas accidentales producere, quantum est de se, quibus valeant accidentia inducere de specie belluina in homines, vt ibi &c. ergò quidquid in hisce enarratur, totum prodit ex illusione, ac delusione, iuxta capita recensita, quibus solent Dæmones illudere sensus.

2 Dices, nonnè vxor Loth conuersa fuit verè in statuam salis, vt Genes. 19. Respond. hoc non propria Angeli virtute factum, sed diuina in pœnam suæ conuersionis retrorsum, contra Dei præceptum, potuit ergo Deus hoc facere, quod tamen facere nequit Dæmon, vt ibi quoque adnotauit D. August. cap. 18. addit autem D. Thom. de Malo q. 16. art. 9. ad 3. factam fuisse virtute diuina à Dæmonibus, qui Vxor Loth vere in salẽ conuersa.

erant Dei inſtrumenta; vndè inſtrumentaliter ſe habebant. Hoc autem plenius reſoluitur, inquirendo an Angelus poſſit inducere formam ſubſtantialem in materiam, de quo diſput. 16. quæſt. 2.

Dæmonum illuſio varia in corporibus aſſumptis.

3 Ad Tertium tandem Caput accedendo, ſæpiſſimè illudunt, falſa pro veris demonſtrando. Refert autem Scotus in reportat. in 2. d. 8. q. 1. Dæmonē geſtaſſe, veluti viuum, per annum, corpus cuiuſdam Regis iam defuncti, agebatq; cum cadauere illo, plus, quam quatridiano, imo per annum vita functo, operationes tales, vt appareret nō iam corpus defuncti, ſed viuentis: Item Cæſarius, ſimilia legi, ait, in vita S. Patritij Hybernorum Apoſtoli, de quodā homine, iam defuncto, in cuius corpore pluribus iam annis inhabitans Diabolus, vt veluti viuentis ſpecies in eo cerneretur, tandem ad imperium viri ſancti exiuit, corpuſque corruens in terram, continuò in puluerem abijt: & de Clerico quodam, adeò dulciter canente, vt omnes raperet in admirationem, quouſque Vir quidam, ſeruus Dei, Dæmonem adiurans, exireq; imperans, inde eū eiecit, Cadauere interim corruente, & grauiſſimè fœtente. De Milite quoque, quem Dæmon deluſit, afferendo ſibi Virginem ad explendam venerē, in cuius tamen amplexu comperijt non talem fuiſſe, ſed cadauer bestiæ fœtidiſſimū: penès Gulielm. Pariſ. part. vlt. de Vniu.

Mortuus per annos plures geſtatus vt viuus.

3 Comprehendi aliundè poteſt eorum illuſio in corporibus aſſumptis, quandoque Corpora humana non ſolent aſſumere integra & vndequaque completa, ſaltem in apparentia; Dixi, ſaltem in apparētia, iam enim aſſeruimus non poſſe formare corpora perfecta, ſed nunc addimus, nec quidem ea ſimulare vndequaque perfecta, ſaltem, vt plurimum, nam ſæpè deficit membrum aliquod, vel membrum aſſumit ferinum; vel corpus ex parte alatum; itant ſiue in pedibus, ſiue alibi ſignum reperiatur fallaciæ, & illuſionis, ſumendo membrum aliquod, ſiuè ſerpentis, ſiue catti, felis, canis, & huiuſmodi, aut aliquid aliud illorum; vt teſtatur Binsfeldius tract. malef. cap. 12. de confeſſ. ſecund. cur autem ita agunt? non-

Corpora à dæmonibus aſſumpta, vt plurimū imperfecta, & nō integra.

ne potens eſt Dæmon corpus abſque membris his effingere, vt vndequaque redoleat humanum? poteſt quidem attamen Omnipotentis miſericordia impedit, nè ita de facili incautos decipiat, ſed apparente ſigno illo, comprehendant corpus eſſe fictitium, illuſum, ac dæmoniacum. Hæc verò procedūt ordinariè, & vt plurimū, etenim iuſto iudicio Dei, quandoque transfigurat ſe taliter in Angelum lucis, vt nonniſi ex ſpeciali auxilio Dei, valeat comprehēdi, vt ſæpè recolitur in Chronicis, hiſtorijſque Eccleſiaſticis.

4 In huius autem confirmationem refert Alex. ab Alex. lib. 2. Gen. dier. cap. 9. de quodam, qui cū in lecto, vna cum huiuſmodi ſpectro luctaretur, ad tactū pedis illius, animaduertit, pedem ad inſtar glaciei, gelidum, ac rigentem eſſe. Item Caetan. 2. 2. q. 95. art. 3. de alio, qui cubans cum Dæmone in aſſumpto humano corpore, cū operam daret Veneri, nec delectationem illam experiretur in eo, quam cum vera muliere ſentiebat, præcipuè ob carnium, corporiſque frigiditatem, conqueſtus cū Dæmone de hoc, cur non item cum eo accideret; reſponſum à Dæmone accepit, *ſe non poſſe facere carnes meliores*. At nonne poterat & corpus calefacere, carnemq; ſic calefactam Amaſio adiungere? ſcit enim applicare actiua paſſiuis, qui namque ſcit, & valet ignem accēdere, vt egit in bona Iobi, ſciet quoque, & valebit, quod minus eſt, calorem inducere: At, etſi id poſſit, & ſciat, nihilominus ſtat ſolutio data, vt Deus id non permittat, ad hoc vt quiſque noſcat, ſaltem ex parte aliqua, corpora aſſumpta, eſſe dæmoniaca, & falſa.

Dæmon incubans corpus aſſumit frigidum.

5 Occaſione hac Vaſquez recenſitus ait, tactū, ſi benè, & plenè attendatur, non poſſe decipi circa corpora aſſumpta: vndè infert, quod Abraham, ſi plenè attendiſſet, comperire potuiſſet, pedes, quos lauit, Angelorum, non fuiſſe veros, ſed aſſumptos. atque hinc, infert, eſſe efficace argumentū Reſurrectionis Chriſti id, quod deſumitur ex verbis eius, Matth. 21. *Palpate, & videte, quia ſpiritus carnem, & oſſa non habet, ſicut me videtis habere*: ita ſi offeratur corpus verum viuum, & fictitium, ex

Tactus non decipi poſſit circa corpus aſſumptum.

tactu

cadit quidem efficaciter cognosci poterit, quale sit verum, quale suppositiuum. Sequitur idem Suar. lib. 4. c. 35. ex parte tamen; nam concedit, quod si benè attendatur, aperietur differentia inter vtrumque, tamen inde subdit, posse Angelos quoque inducere duritiem, & mollitiem, quibus repræsententur ossa, & caro; Additque, fieri posse, diuina, saltem virtute, corpus tale, vt neque per sensum tactus discerni possit inter verum, seu naturale, & illud sic efformatum. Concludendo verò, inquit, signum illud de *Palpate, & videte*; non esse de se solo sufficiens ad faciendam certam fidem, sed ad moralem quandam certitudinem, & euidentiam, præcipuè coniunctum cum alijs; ita num. 12. Addit insuper Martin. del Rio lib. 2. q. 28. sect. 1. Christum loqui ibi de spiritu, non autem de cadauere assumpto, dum aiebat, spiritus carnem, & ossa non habet: licet prædicti dicant, loqui etiam de corpore à spiritu assumpto: & confirmat, quia dum Discipuli viderant eum intrasse ianuis clausis, putabant spiritum esse, ergo hinc liquet, inquit Mart. loqui absolutè de spiritu. Indeque subdit, posse omninò Dæmonem taliter corpus assumptum temperare, vt prorsus sensuum tactus fallat: *Cur, inquit, qui sensuum principem, nempè visum, potest decipere, non queat tactum, sensum maximè terrestrem, & vilissimum, minimeque spiritualem?* Cum Vasquio sentit Caietan. 2. 2. q. 95. art. 3. signum illud, seu argumentum Christi de *palpate, & videte*, fuisse verissimum.

QVÆSTIO V.

Vtrum Angeli in corporibus assumptis exercere possint operationes vitales.

1 INitio supponendum est fundamentum resolutiuũ totius quæstionis: circa quod communiter conueniunt Philosophi, & Theologi; est autem id, quod *Actio vitalis est illa, quæ producitur, seu procedit à viuo, seu à principio viuenti coniuncto, siue à toto viuente constante ex actu, & potentia, actu, inquam primo, & potentia, nempè à susceptiuo talis potentiæ, quemadmodum vnumquodque creatum constat ex actu, & potentia; materia, & forma, siue physica, vt viuentia corporea, siue metaphysica, vt Angelus, anima rationalis &c.* hinc verò fit, vt dum principia sũt viuentia, producere quoq; valeant operationes viuentis, seu vitales: ex opposito autem, non viuentia, producere nequibũt operationes vitales. At quia triplex reperitur vita, seu viuens, intellectiua, vegetatiua, & sensitiua, iuxta diuisionem animarum, hinc operationes etiam vitales ad hoc triplex genus reducuntur, vitales intellectiuæ, vitales vegetatiuæ, & sensitiuæ.

Actio vitalis quid.

2 Incipiendo autem ordinatè ab intellectiua, cui associatur & volitiua, omne namque intellectiuum est volitiuum; dicendum, Angelum in corpore assumpto exercere posse operationes intelligendi, & volendi; patet, est Angelus intellectiuus, & volitiuus, ergo potest in corpore assumpto intelligere, & velle. Hic vero est aduertendum, quod licet intelligat in corpore, non tamen intelligit per corpus, ratio, quia cum non sit corporeus, non eget corpore ad intelligendum; id namq; competit homini, cuius intellectus, cum sit alligatus sensibus, (saltẽ pro statu isto) pendet in intelligẽdo à sensibus, *oportet enim intelligentem, phantasmata speculari*, vndè per species, & phantasmata abstracta à sensibus, indè intelligit: Angelus autem non sic, sed per species siue sibi concreatas siue ab ipsis obiectis immediatè abstractas, non tamen mediante corpore, in quo est.

Angeli operantur vitaliter intelligẽdo, volendo.

Intelligit in corpore assumpto, sed non per corpus.

3 Accedendo inde ad potentias cæteras, quæritur de comestione, an in cor-

Comedere an possit.

in corpore assumpto possit comedere. Suarez lib. 4. cap. 38. Molina q. 51. ar. 3. Valent. ibid. pluresque recentiores, qui ex ipsis transcripserunt, inquiunt, Scotum in 2. d. 8. q. 1. asserere, quod Angeli in corpore assumpto verè comedant, rationemq; deducunt ex Scoto, quia comestio non est actio vitalis: at operationes, quas Angeli in corpore assumpto exercent, non sunt vitales, quia corpus non est viuum, ergo benè possunt comedere, cum comestio non sit actio vitalis, & talis fuit non actio vitalis Angeli penès Tobiam cap. 12. in hunc eundem sensũ de Scoto descendit Volp. de Ang. disp. 17. art. 4. miror tamē, vt tam apertè allucinati fuerint in sensu Scoti, quod demonstro, nam Scotus ibi comestionē considerat tripliciter. Primò est diuisio cibi, Secundò, prout est traiectio eius in stomachum; & Tertiò, quatenus est digestio, ac conuersio cibi: primis duobus modis, inquit, non esse actionem vitalem, ac proindè, posse sic comedere Angelum: Tertiò autem modo negat, posse sic comedere, quia talis est actio vitalis; Verba autem eius sunt sub litera B. inquiens, *Sed si loquamur de comestione, quæ præcedit nutritionem, illa non est, nisi diuisio cibi per motum localē maxillarum, & traiectio eius in ventrem, per motum localem. & tunc potest fieri exalatio, & resolutio in humores, vel elementa. & illi motus locales possunt fieri circa corpus virtute Angeli*: hæc Scot. Notanda autem sunt verba illa, *Comestio, quæ præcedit nutritionem*: de hac autem, quatenus præcedit nutritionē, ait, non esse operationem vitalem: at doctrina hæc est verissima, & communis omnium, etenim molatio cibi, atq; traiectio fieri possunt etiam ab extrinseco motore in cadauere, vt si quis in os cadaueri proijciat cibum, indè hinc indè exagitet maxillas eius, ac demum vi, & motu externo injiciat per fauces in stomachum, operationes hæ non erunt vitales, cadauer namque non viuit, nec motus hi prouenient ab ipso, virtute propria, sed ab extrinseco proijciente, & injiciente: ergo stat doctrina Scoti, vt operationes has antecedentes ad nutritionem possit præstare Angelus, meritoq; dixit, eas non esse vitales. Quod autem Scotus indè dicat, illam esse veram comestionem, verèq; comedere, vndè quæso deducunt ex Scoto? non legi penès ipsum verba talia: ergo impostura est aperta: clarè namq; docet, in nutritione consistere veram comestionem: seu tunc comestionem esse veram, quando ordinatur ad nutritionē, quod si abstrahat ab ea, ait, non esse actionem vitalem, & consequēter nec veram comestionem: quod apertè confirmatur ibidem paulo infra, dicens, *vel dico, quod erat comestio ordinata ad veram nutritionem*. loquitur autem de Christo, vndè eatenus comestionem appellat veram, quatenus ordinatur ad nutritionem. Insuper in Report. d. 8. q. vn. §. *sed apparet*, loquendo de nobis, ait, *Sed de nobis in comedendo, primò fit diuisio cibi, postea in ventrem trahitur, & ita est vera comestio; ideo saluando, quod Angelus potest per illud corpus cibum sumere, & postea in ventrem attrahere, & tunc post, per conuenientia media exhibita, exhalare illud per fumos, ita quod, non sit ibi conuersio.* Nota autem, quod cùm dixit, *primò fit cibi diuisio, postea in ventrem trahitur, & ita est vera comestio*, non vult dicere, quod ista duo de se sola sufficiāt ad veram comestionem, alias contradiceret sibi in loco nuper allato, sed hæc duo ordinat ad conuersionem in substantiam alibi, proptereaq; negat hæc in Angelo, quia in eo post hæc duo non fit conuersio, vt concludit, inquiens, *ita quod non fit ibi conuersio*. Et denique ad omnem dubitationem in re hac, de Scoto, remouendam, sufficiat id, quod in sententijs in fin. *Ad tertium* scribit, *Ad tertium patet, quod nullus actus vegetatiuus, vel cognitiua competit propriè Angelo in corpore*: ex quo consequenter de comestione diceret, nō esse propriam, & veram comestionē. Hoc habito de Scoto, taliter quoque concludunt omnes, comestionem illam Angeli penès Tobiam, non fuisse veram, & propriam, deficiente principio viuenti ipsi corpori assumpto, non enim Angelus informabat; sed tanquam extrinsecus motor regebat, gestabat, mouebat; eò magis, quo non ordinabatur ad nutritionem: vim autem huius doctrinæ fundant in verbis eiusdem Angeli,

Suarez non cepit Scotum.

Comestio tripliciter sumpta.

geli, dicebat enim, *videbar vobis comedere*, loquutio vero per verbum *videor* est impropria, ergo impropriam, & imperfectam denotat comestionem. Et ad hunc sensum trahendus est Alensis, & quisquis sic loquens. Potest deniq; quæstio esse de solo nomine, & ita ait Aug. *lis est de solo nomine* 13. de Ciuit. Dei cap. 22.

4 Nec insuper præteribo vnum aliud, quod Suarez ibidem imponit etiam Scoto; ait namque, Scotum docere, Christum dominum in manducatione facta post resurrectionem, conuertisse cibum in substantiam suam, veréq; fuisse inde denuò enutritum: ob quod Scoti hanc, vt ait, & Durandi sententiam, esse temerariam, licetque in defensionem huius sententiæ afferat Nazianzenũ quodam Dial. nihilominus respondet, inquiens. *Verba Nazianzeni incerta sunt, & vix intelliguntur*. Quidquid sit de Durando, de Scoto nunc est agendum, atque videndum, vtrum re vera ita senserit: In primis autem dico, Scotum nunquam docuisse, Christum ex tali comestione fuisse enutritum; Colligo Primum hoc, ex communi sensu Expositorum Scoti; quorum nullus id docuit ad mentem Scoti, sed solummodo responsionem illam attulerunt, vt iacet in Scoto: dum autem textus ambiguus est, sensus expetendus est ex vnanimi consensu Interpretum, & Glossarum. Item, nedum vllus, quem viderim, ex Scotistis, verũ nec vllus quidem externus à Schola Scoti, quem legerim, in talem sensum traxit vnquam Scotum, præcipueq; de hoc agunt de eadem sanctissima Societate, Molina, Valentia, & Vasquez, hi tamen ausi non sunt hoc impingere Scoto: Suarez autem eos perlegit, vt inde capere potuisset, solum ipsum esse singularem censorem, an dicam impositorem huius singularis opinionis ad Scotum. Vt verò experiamur, qualis sit mens Scoti, dico, Scotum non dicere *de facto* Christum, aut corpus alterum gloriosum, sicut ibi meminit, comedisse conuertẽdo cibum in substantiam alibi, atque enutriendo seipsum, hoc quidem nunquam Suarez, aut quisquis alter lincei, cernere poterit in Scoto, sed loquebatur, primò, ex natura rei, nempè, nulla erat implicantia, vt potuisset cibus ille cõuerti in Christum, dato, quod Christi corpus non habuisset debitam quantitatem, imò tunc potuisset quoque, nedum enutriri, sed etiam & augeri: idque ipsum docet vniuersaliter de omni corpore glorioso, vt insuper possit comedere, nutriri, & augeri per diuinam potentiam: Obijcit tamen sibi, vel tacitè Scotus, inde enim sequeretur, aliquid de corpore Christi, siue alterius Beati fore deperdendum, nutritio namque est reparatio deperditi: item in nutritione sit actio, & passio, quia *omne agens in agendo repatitur*, respondet tamen posse enutritionem, & augmentationem fieri absque tali deperditione, & repassione: ad quod argumentum aspexit etiam Suarez, attamen vel difficultate pressus non respondit; talis ergo est sensus Scoti, non vt loquatur de facto, sed ex suppositione, & ex natura rei. Afferam vera loca duo eiusdem Scoti, quorum alter alterum explicat: is quidem in 4. d. 8. q. 1. postquam conclusit, comestionem, quatenus excludit nutritionem, non esse actionem vitalem, sic aduersus seipsum obijcit, inquiens, *Et si dicas, si comestio non sit operatio vitalis, ergo non valet argumentum ad probandam veram Christi resurrectionem de comestione eius cum Discipulis suis, quod est contra Sanctos: Respondeo, ad probandum resurrectionem eius, sunt multa alia argumenta in Euangelio efficaciora isto, & ita cum alijs benè probat, & si non per se tantum. Vel dico, quod erat comestio ordinata ad veram nutritionem, quia non est inconueniens, quod corpus gloriosum possit conuertere corpus non gloriosum in ipsum, sicut esse simul, potest cum corpore non glorioso: Nec propter hoc est corruptibile, quia potest aliud conuertere in se, possit enim Deus facere corpus gloriosum in minori quantitate, & illud augere per comestionem: nec tamen aliquid corrumperetur de nutrito, & aucto*. Hæc habet Scotus in sententijs: In Reportatis verò 4. d. 8. q. 1. §. *dices secundum hoc*, hoc eadem expressius declarat, & in fine eiusdem §. concludit inquiens. *Et sic posset Christus verè fuisse nutritus, & auctus ad debitam quantitatem ipso, quod cessit de vtero Virginis glorioso*. vbi

Suarij impositum ad Scotum.

Comedens Christus post resurrectionẽ, an fuerit nutritus.

Nutritio fieri pôt absq; passione, & deperditione.

Comestio Christi argumentum quale resurrectionis.

Corpus gloriosum potest nutriri, & augeri.

sensu est hypoteticus, puta, dato quod Christus natus fuisset, sicut animo, ita etiam & corpore gloriosus, dum quidem infans & paruulus nasceretur, vtique corpore augmentetur per verã nutritionem, at corpus illud ex hypothesi si fuisset ab initio gloriosum, etiã gloriosum mansisset, & augmentatum: hoc tamen non contigit de facto, quia corpus fuit mortale, ergo Scotus loquitur facta suppositione. Dices Scotus ait, illam sumptionem fuisse ordinatam ad nutritionem, ergo fuit nutritiua, de mente Scoti. Respond. fuisse ordinatam, quantum erat de se, quia erat apta ad nutriendam, non tamen ait, quod nutriuit de facto.

Nec potuit augeri.

5 Cõstito quid dicendũ de sumptione, & nutritione, idem quoque asserendum venit de augmentatione, vt vt corpus tale minimè augmentaretur ratio, quia augmẽtatio est opus viuentis, corpus illud non viuit, itẽ augmentatio est effectus veræ comestionis, atq; nutritionis, at non verè comedit, nisi apparenter, nec nutritur, igitur, nec augmentabitur.

De cibo sumpto à Christo, & Angelis qd factum.

6 At quid fiet de cibo illo in ventrum traiecto? Resp. Primò resolui in vapores, exalationes, elementa, atque in materiam primam: & ita quoque contigit Christo Domino, cibus enim, quem sumpsit, exalauit, & conuersus fuit in præiacentem materiam. Dicendum Secundò, quod dato, quod cibus ille non resoluatur, nihilominus ex eo non fiet augmentatio corporis, sed tantum iuxta positio, seu appositio, vel additio eius ad corpus illud, hæc verò nõ dicuntur augmentationem, sicut nec vitalem actionem; loquimur autem de Angelis comedentibus, non enim nutriretur, nec augmentaretur corpus assumptum.

Loquutio an vera.

7 Circa loquutionem, nec verè loquitur, cum non sit operatio vitalis in tali corpore. Hincque loquutio Serpentis in Paradiso Terrestri ad Euam, *Cur præcepit vobis Deus ne comederetis* &c. nõ fuit vera loquutio: nec similiter Asina loquendo ad Balaam Numer. 22. non enim habebant principium vitale ordinatum, & dispositum ad hanc operationem, plura namque requiruntur ad formationẽ vocis ex Arist. in Locis quibus tamen magna ex parte carebant istæ vndè de his ait D. Thom. videbantur quidem loqui, *Non quia daret illis Dæmon, aut Angelus virtutem loquendi, sicut datur mutis per miraculũ, sed quia ipsimet per aliquem motum localem, sonum formabat loquutã, & articulata vocis similitudinẽ, & modum habentem*. Hoc etiam modo existimandum est fuisse Idola, loquuta, atque Gentilium simulacra, vt simulachrum fortunæ, Canem Simonis &c. insuper caput recisum, de quo Aristot. lib. 3. de Part. cap. 10. ait enim ibi de capite Sacerdotis Iouis præciso, & loquutione sua manifestante Cercydam, homicidam, ait, inquam, *Fieri nõ potest, vt caput, præcisa arteria, & sine motu pulmonis loquatur; nec apud Barbaros, qui capita, summa celeritate abscindunt, talis quid, vnquam euenisse accepimus*, etsi quid, euenisse, id tribuendum est, vel imperio diuinæ Iustitiæ homicidam manifestantis ad punitionem. Sed Sanctis quoque aliquibus martyribus id ipsum refertur, loquuta fuisse ipsorum capita, at id virtute, & ope Angelorum sanctorum, formantiũ in aere tales voces: licet nonnulli dixerint, ipsosmet Martyres fuisse loquutos, *supplente Deo vices partium deficientium in genere causæ efficientis*. Est autem loquutio sonus in aere editus, cũ voluntate significandi, debitis instrumentis formatus: corpus assumptum, aliquin non viuũ, carensq; instrumentis requisitis, loqui non poterit, vt etiam tamen formabit Angelus assumens, vt Lucæ 1. dum dixit Angelus, *Aue gratia plena: Audi Maria Virgo &c. loquutus est Angelus dicens*, vt sępè in scripturis. Bruta autem non dicuntur loqui, sed sonũ edere: vel quid simile loquutioni humanæ proferre, vt Psittaci, plurésque aues.

Loquuntur & animalia

Quid de Auis

Quid de malachite

An capita abscissa,

Auium loquelam calluisse Porphyr.

8 Refert vero Porphir: Apollonium Tyanęũ, voces, & garritus auiũ etiam mérè penetrasse, vereq; intellexisse, quippe fertur de Hirundine, quã cum audisset ad Hirundines alias vicinas res, ob strepere, dixit inde Apollonius ad Sodales, garritus ille, atq; obstrepitus significat, quod Hirundo illa socijs annũciat, iumentum frumento onustũ, ante portã Vrbis cecidisse, frumentũq; corruisse,

quasi

quasi inculcans eos ad edendum. Idemq; referunt de Mercurio Trimegisto, de quo & scripsisse aiunt, librum, cuius titulus, *De mutua animalium loquela*. hoc idem de Tiresia, & Melampo antiquitus fuit fabulatum: quod autem de Hirundine afferimus. Alij referunt de Passere, vt quia Hirundo frumento nõ vescitur. De his verò scribit Martin. lib. 2. cap. 15. inquiens, *Est necessarius, fateor affectus corporis, & appetitũ posse suis vocibus indicare, & horum notitiam posse, diuturna obseruatione ab hominibus conseruando & posset Dæmon, qui hoc habet perspicacissima, Magos ea docere: quod an velit facere, aut vnquã fecerit, nescio, nam est incredibile, ea fecisse.*

Non audiũt Angeli in corporibus. 9 Quod si non loquũtur, ergo nec audiunt: eadem namq; militat ratio, cum operationes sint totius cõiuncti: licet autem consequentia non sit necessaria, sunt enim loquuntur, & non audiunt, nihilominus ex eodem principio colligitur impotentia ad audiendum, cum enim auditio sit operatio vitalis, ita sicut loqui non possunt, sic nec audiunt. Dices, Gabriel Angelus loquebatur ad Virginem, audiebatq; sermonem, & responsa, atque interrogationẽ eiusdem dicebat, *Quomodo fiet istud, quia virum non cognosco?* sic de Angelo comite Tobiæ ob interrogationes multas, responsionesq;, decursas tum domi, tum in itinere, inter eos: sicque de plurimis. Respond. Audire Angeli idem est, ac intelligere, ita Scot. quod namque nos sensu auditus percipimus, ille percipit intellectu: quo fit, vt corpus, in quo est nil Angelo referat per situm auditus, quem nullum habet, nobis autem auditus deseruit, sicut & cæteri sensus, vt indè intelligamus rationem subordinationis intellectus ad sensus, qua subordinatione carent Angeli, cũ sint puri spiritus, propterea que dom. Arist. aiebat, *Omnis nostra cognitio ortũ habet à sensibus*. Non loquitur de Angelis, quia carent sensu. Cum etiam dicitur, quod *Angeli multa didicerunt ex prædicatione apostolica* (atq; Paulus aiebat, prædicare vt innotescat etiã Angelis) Primò respond. nõ inde inferri, Angelos in assũptis sẽper corporibus hæc omnia obijsse, & secũdò, vt iam diximus, nõ sẽsu, sed intellectu, ea percepisse.

Angelũ audire quid sit.

An videat: rideant: inspirent: tussiant. 10 Nec consimiliter vident: possũt quidem corporis assumpti oculos aperire, palpebras attolere, eas comprimere, & claudere: attamen non erit actio videndi vitalis. Possunt os aperire, & genas dilatare, vt videantur ridere, nõ tamen verè ridebunt, etenim risus fit mediante imaginatione, siue phantasia, atque delectatione circa rem nouam, & ludricam; at corpus non viuens, caret imaginatione, delectatione, & huiusmodi. Possunt insuper simulare tussim, inspirationem, atque respirationem, nihilominus hæc requirunt virtutem naturalem residentẽ in pulmone, hoc autem caret corpus fictitium.

Angelus corpus assumptum an mouere possit motu progressiuo. 11 An verò moueri possit motu progressiuo corpus illud: de motu quidem simpliciter sumpto non est dubiũ, constitit enim, Angelum mouere posse & seipsum, & alia; At verum causare possit in eo motum progressiuum, respondet D. Conan. in 2. d. 8. p. 1. art. 3. q. 2. posse, ratio, quia & si corpus illud non viuat, quia tamen motus progressiuus non est ab anima, vt informante, sed vt mouente, hinc poterit mouere progressiuè. Scotus negat, atque *Motum localem potest causare in corpore assumpto, & ita, motum, qui videtur progressiuus.* nota ly *videtur* vnde motum talem esse progressiuũ, solummodò in apparentia, non ex natura rei, quia progressio postulat principium viuens. Et confirmatur ex D. Tho. opusc. 43. ar. 5. vbi ait, ad motũ animalis triplex potẽtia concurrit, quædam per modum dirigentis, & hæc est phãtasia, & æstimatiua, quibus appetitui ostenditur quid prosequendum sit, quidue fugiendum: quædam per modũ imperantis, vt voluntas, seu appetitus, vna cum concupiscibili, ad assequendum, & irascibili ad fugiendum: & quædam per modũ exequentis, hæc autem est virtus exterior dispersa in musculis, lacertis, & neruis: at omnia hæc indicant principium vitæ, à quo, vt sic, promanant. Et denique Arist. lib. de animal. mot. cap. 4. ait, *Animal quod appetit, illud statim facit*; indèq; *Bibendum mihi concupiscentia dicit; hoc autem esse potabile sensus dicit, aut imaginatio, aut intellectus, mox bibit. Sic igitur ad motum, &* ad ope-

Ad motum Animalis multiplex potẽtia concurrit.

ad apparitionem animalia impelluntur, existente quidem vltima causa illius motus appetitu. at deest talis appetitus in corpore aereo &c. Dices, sufficit, vt Angelus viuat, ad hoc vt motu progressiuo queat moueri corpus. Obiectio hæc non magis militat contra motum progressiuum, quam contra operationes recensitas, & recensendas. Respondetur autem, non sufficere, quia non est ibi vt forma informans, & dans esse animatum, & viuum; sed vt assistens, & mouens. Exemplo res illustretur, ex motu desumpto ex ipsa scriptione, manus namque mouet calamum, & ipsamet manus mouetur: at ex differenti principio promanat talis vterque motus, namque manus manat ab anima informante ipsam manum; at motus calami promanat à manu nõ quidem informante; sed solum mouente calamum: ex primo autem fit, vt motus manus in ipsa receptus sit operatio vitalis, atque motus animalis, at motus calami, licet originariè, quatenus productus à manu, sit vitalis, tamen quia non est productus à calamo, hinc ratione eius non erit vitalis: insuper scriptio hæc, vt promanat à manu, est actio vitalis, vt autem à baculo non est vitalis: Dices, scriptio permanat ab anima, tanquam à radice, & à manu, tanquam ab instrumento, attamen vtrinque est vitalis, ergo erit quoque vitalis, vt promanat ab instrumento calami: concesso antecedenti, negatur conseq. quia manus est instrumentum viuens, calamus non viuens: cum ergo Angelus non informet corpus, non poterit motus talis esse verè progressiuus, nisi apparenter, & ad hunc sensum trahitur D. Bonau. Dices, Angelus poterit mouere modo pedem vnum, modo alterum: nunc tibiam vnam, nunc alteram organicè: at motus organicus est motus progressiuus. Resp. concedendo suppositum, & negando minorem vniuersaliter sumptã, tunc namque organicus erit progressiuus, cum manabit à toto coniuncto; seu à principio viuenti coniuncto per informationem: non autẽ sic ibi: poterit ergo organicè, & inorganicè ipsũ mouere, at nõ motu progressiuo: & ita intelligenda venit scriptura Genes. 3. quod *Deus ambulabat ad auram post meridiẽ*; & cap. 18. vbi de Angelis Abrahæ dicitur, *Abraham simul egrediebatur, deducens eos*: erat autem ambulatio, siuè egressio, siuè motus progressiuus, materialis tantum, non formalis, in ratione progressiui, maximè sustinendo in loco primo, Angelum sustinuisse personam Dei, Deus enim est immobilis, quamuis, & si de ipso personaliter dicatur, non desint expositiones remouentes hanc imperfectionem mobilitatis à Deo; sustinendo tamen apparitiones fuisse impersonales, de quo tract. 2. de Trinit. disp. 5. q. 2. ipse Angelus ambulando, & progrediendo, sic, vt diximus, formabat motum progressiuum.

Dicendum remanet de Generatione, an possint generare, at de hoc in sequentibus.

QVÆSTIO VI.

An sint in rerum natura Dæmones incubi.

Homines quosdam æquiuocè genitos fabulantur Poetæ.

1 HOmines plures, via alia, quam vniuoca, veputa ex parentibus alterius speciei, enatos aliquando fuisse, fabulantur Poetæ: atq; hinc, Pasiphen, & Europam Tauri concubitum admisisse; Ledam Cygni: Alcmenam Amphytrionis; Danaim aurei impluuij: Semiramidem Equi: Romulum diuino congressu à sua matre progenitum, ex Liu. l. 1. ab Vrbe Cond. Acciam sororẽ Cæsaris, ex consortio Apollinis, sub specie Draconis Augustum peperisse; referente Dione lib. 45. Neronem ex angue conceptũ; Hunnos ex Alanis strigibus Goticis natos: ex cæteris vero Alexandrum, ex

Olim,

Olimpia cū congressa Draconis procreatum: ad quod insuper addit Clem. Alex. lib. 1. Strom. inquiens, *Volebat Alexander videri filius Ammonis, & cornutus effingi à Statuarijs*: de quo infra.

Alexander cornutus effingi voluit.

2 His accedunt, quos Semideos sidem fabulabantur, veluti Heroes ex Dijs genitos; Inter cætera autem Plutarc. lib. de Homero ait, *Aristoteles tertio de Poetica scribit, in Insula Io quasdam [illegible] Nelei Codri filius Coloniam in Ioniam ducendo præfuit, puellam indigenam à Genio quodam ex eorum numero, qui cū Musis Choros ducunt, compressam, peperisse Homerum.* Item August. lib. 15. de Ciuit. Dei cap. 23. ait, *Celeberrima fama est, multique se expertos, vel ab eis, qui experti essent, de quorum fide dubitandum non est, audisse affirmant, Syluanos, & Faunos, quos vulgo incubos vocant, improbos extitisse mulieribus, & earum appetisse, ac peregisse concubitum; quosdam Dæmones, quos Galli drusios nuncupant, hanc assiduè immunditiam, & tentare, & efficere, plures, talesque asseuerant, vt hoc negare, impudentia videatur.* Confirmatur hoc idem D. Antonius Abbas, de quo Hieronymus scribit, quod cum ad visendum Paulum, Heremitarum Patrem, progrederetur, incidit in homunculum quendam, hispido corpore, cornuta fronte, adunca naribus, pedibusque caprinis, & interrogans ab eo, qui nam esset, responsum accepit loquentis, *Mortalis ego sum, & vnus ex accolis heremi, quos Varias delusa Gentilitas, Faunos, Satyrosque, & incubos vocans colit.* Potuit autem generari ex feminibus diuersarum specierum. Ne vero putetur fabula, subiungit idem in vita Pauli, *Hoc ne cuiquam ob incredulitatem, scrupulum moueat, sub Rege Constantino, vniuerso Mundo teste, defenditur; nam Alexandriam huiusmodi homo viuus perductus, magnum spectaculū Populo præbuit, & postea cadauer exanime, ne calore æstatis dissiparetur, sale infuso, Antiochiam, vt ab Imperatore videretur, allatum est.* Isidor. lib. 8. Orig. inquit, *Quem vulgo incubonē vocant, hunc Romani faunum ficarium dicunt, ad quē Horatius,*

Faunis Satyros Semideos dixi.

Faune Nympharum fugientium amator.

3 Exortos ex his incubis Dæmonibus, appellabat antiquitas Semideos, quales existimabat recensitos, atque Hercules Sarpedones, Aeneas, pluresque: Inter eos autem liceat connumerare impium Lutherum: de eo namq; fertur, quod cum Mater sua in balneo quodam elaboraret, continuò ab incubo Dæmone compressa, ibidem cōcepit Lutherum: nec tamen Lutherus id negabat. Referunt Serrar. in Tob. cap. 6. q. 4. fol. 67. & Fontan. in histor. sacr. atq; Syluius in libris Lypsiæ editis. Referunt & de Merlino, concubitu pariter Dæmonis procreato de Cocotone Dæmone, cum mulieribus se commiscente, liberis inde natis, eosq; nasci præsertim bicornes, vt vel hinc ostentare voluerit Alexander recensitus, se filium Dei esse, ac propterea statuam eius fore bicornem, seu bicornutam, efformandam. Iapones Xacam suum sic nasci tradunt: ac deniq; hæc antiqua, & cœca Gentilitas credidit de suis falsis Dijs, cū stupora, adulteria, atque infanda plurima de Ioue, deque cæteris putauit, natos inde ex concubitu Nympharum, aliarumque fœminarum, Heroas, & quos appellabat Semideos.

Lutherus à Dæmone matrem incubante cōceptus.

Merlinus insuper. Filij Cocotonis Dæmonis bicornes.

4 Dari Dæmones incubos, præter recensita, (semotis tamen fabulis Poetarum) sistendo tamen in authentica relatione Augustini, Hieronymi, Isidori, ac cæterorū, comprobatur amplius ex dicendis. Et quidem Isa. 13. habetur, *Ibi habitabunt struthiones, & pilosi habitabunt in loco;* vbi Glosa ait, *Pilosi sunt syluestres homines hispidi, qui Incubones, vel Satyri, vel Genera Dæmonū sunt.* Hoc insuper significat Innoc. 8. & habetur cap. Episcopus 26. q. 5. inquiens, *Non sine ingenti animi molestia ad nostrum peruenit auditum, complures vtriusque sexus personas, propriæ salutis immemores, & à fide deuiantes, Dæmonibus incubis, & succubis abuti.* Vltra verò exempla allata accedit factum relatum à D. Bernard. vt patet in eius vita lib. 2. cap. 6. & penès Lyrinensi. in Spec. Nat. lib. 2. cap. 127. ad cuius conspectū accessit mulier quædam, cum qua Dæmon annis septem in proprio lecto cubauit: quam indè liberauit à nefario spiritu ipsemet Bernardus. Refert aliud Nider in formic. cap. 9. de Dæmone altero,

Dæmones incubi, & succubi.

tero, qui ad instar meretricis vniuersim succumbebat: atque ex nefario concubitu, siue succubitu, mercedem plurimam conquirens, cum tandem de hoc coram Cursore quodam, quem ad suas illecebras adducere non poterat, gloriaretur, protinus, sicut fumus euanuit. Adsunt & plura penes mox recensendos: Demũ dari Dæmones tales, taliter testatur Augustinus relatus, vt concludat, inquiens, *Hoc negare, impudentia est*. Addit Syluest. lib. 2. de Strigim. cap. 4. p. 2. dicens, *Dæmones incubos, idest, in forma viri cum mulieribus coeuntes, & succubos, idest, viris se in forma supposite mulieris exhibentes, esse, negantes, catholicè non loquuntur*. & Malleus Malefic. par. 1. q. 3. inquit, *In tantũ esse catholicum, quod eius oppositum asserere, est, nedum dictis Sanctorum, sed & traditioni Sacræ Scripturæ contrariũ*. Authores plurimi referuntur quæst. seq. est namque, quoad hoc, idem, vtriusque quæstionis intentum.

QVÆSTIO VII.

Vtrum Dæmones incubi possint generare?

1 SVb duplici titulo quæstio agitari potest: Primò, vtrum Dæmones possint generare: Secũdò, vtrum ex congressu Dæmonũ cum mulieribus, asportato aliundè ad matricem semine, possit proles procreari. Primus sensus ab vniuersis exploditur, tum Catholicis, tum Hæreticis, fundamenta allata sunt supra; etenim generatio est operatio agẽtis corporei, Dæmon est spiritus: semen non emittunt spiritus. Generatio est operatio vniuoca, ergo proles genita erit vniuoca Dæmoni generanti: at spiritus, & corpus non sunt eiusdem speciei, oporteret igitur prolem, alioqui corpoream, per semen corporeũ genitam, esse non corpoream, sed spiritualem, & spiritũ, sicut spiritus est Dæmon. Dices, retinere rationem corporei ex parte matris, quæ mulier est, & de humana specie, vnde hinc quoq; proles esset vniuoca, eiusdemq; rationis cum Parente. Contra, ergo ex parte altera erit spiritualis, eiusdemque rationis cum Dæmone. Probatur conseq. homo cõstat ex anima, quæ est spiritus, & corpore: corpus haberet talis proles à matre corporea, ergo animam haberet à Dæmone, esset q; anima rationalis eiusdem rationis cum Dæmone, eiusdemq; naturæ vniuocæ: at quorsum hæc deliria? In hoc igitur non stat difficultas. Stat verò in secundo sensu, ideoque quæritur vtrum Dæmon possit semen à viro effusum, siue in somno, siue in vigilia, transportare ad matricẽ alicuius mulieris, ipso eam incubante, indeq; nasci prolem veram, & humanam.

2 Qua in re, vltra hæreticos, negãt aliqui, vt Ioann. Bapt. à Porta recensitus, Cardanus allatus, Pontinib. tract. de lam. Viricus lib. de Phyton. Nicol. Remig. lib. 1. Demonol. cap. 6. plures q; fieri posse, vt indè nascatur proles. Circa hoc etiam Conimbric. lib. 2. gener. & corrupt. q. 10. art. 3. videntur ambigere, dum aiant, *Nam ad generationem humanam, semen aliundè assumptum, ita accomodare valeant Dæmones, vt proles concipiatur, ambiguum est: idque fieri posse negant nonnulli ex Schola Medicorum*. Inclinat quoque Perer. lib. 8. in Genes. cap. 6. disp. 3. num. 74. inquiens, *Ingenuè fateor, me olim de ea re multum dubitasse, & nunc vehementer ambigere*. Sententiæ huius fuit olim Plutarc. in Numa Pomp. atque Plato in Symposio: Seneca in Herc. inquiens, *Mortale Cœlo non potest iungi genus*. cui consonat Apuleius de Deo Socratis, dicẽs, *Nullus Deus miscetur hominibus*. Quod si id testatum reperiatur, *ad morum potius, virtutumq; assequendarum institutũ id referendum sit* inquiunt Plutarcus, *Nunquam enim Dij, vel Genij humana forma congressu delectati sunt*. Ex Patribus autem accedunt Chrisostom. homil. 22. Negãtes ex semine à dæmone asportato posse fieri generationem.

mil. 22. in Genes. & Cassian. collat. 8. cap. 21.

3 Fundamenta verò hæc sunt: Primo, ex diuersis specie non potest nasci homo, quia generatio, seu productio eius debet esse omninò vniuoca, non enim homo potest æquiuocè produci: Dæmon, & homo, seu mulier distinguuntur specie, ergo ex ipsis non potest nasci homo. Secundò sequeretur, Dæmonem fore patrem talis prolis, eatumq; appellandum verè filium Diaboli. Dum namque Christus Pharisæis aiebat, *Vos ex patre Diabolo estis*, non loquebatur de filiatione naturali per veram generationem, sed de filiatione morali per imitationem, imitando Diabolum; at in hoc casu proles talis appellanda veniret filia Diaboli per realem generationem. Tertiò, si id possent Dæmones, vtique frequentissimè præstarent, at casus hi perpauci recensentur, vel potius non sunt veri. Quartò, generatio est operatio vitalis animæ vegetatiuæ, caret Dæmon anima vegetante, & sentiente, ait autem Arist. lib. 2. de gener. anim. cap. 2. *Generationis gratia est mas, & fœmina in rerum natura*: Vndè desumitur argumentum, quærendo, Dæmon est ne mas, an fœmina, profectò differentia talis non reperitur in Dæmonibus, ergo quaque versus nequibunt generare. Quintò, sequeretur, quod post corpusculi organizationem, animam illam vel infunderet, & crearet Deus, vel crearet, & infunderet Dæmon: non secundum, cum creare non possit: nec primum, quia concurreret Deus ad tam magnū flagitium. Sextò Sagæ ipsæ in confessione testatæ sunt, semen à Dæmonibus receptum, & in ipsas transfusum, esse frigidum, & potius causare horrorem, quam voluptatem; item quod ex eorum congressu nullam experiātur voluptatem, quin potius summum percipere dolorem. Septimò, semen eo ipso, ac est excisum, deperdere spiritum, & calorem; magis id contingere in tanta mora asportationis de viro in mulierem: licet autem breui tempore agere id valeat Dæmon, nihilominus non poterit, eò tunc virtutem eius taliter conseruare, vt validum sit ad generationem; inquit enim Arist. 2. de gener. an. cap. 3. *Dissoluitur, versumq; in spiritum euanescit, cum naturam humidam, aquasamque habeat*. Octauò, si possunt generare incubando, poterunt quoque succubando, at id omninò falsum. Nonò, fabulosum est, quod aiunt de muliere grauidata in balneo, ex semine in aquis deciso, & à matrice attractum, quia spiritus deperduntur.

Sagæ confitentur ex cōgressu cū Dæmone experiri horrorem, dolorem, & frigidū semen.

4 Opposita tamen sententia communissimè recipitur, vndè primò dicimus, posse Dæmonem, semen aliundè asportare ad mulieris matricem, indeq; debito tempore, fœtum formari, & partū. Hæc sit prima pars conclusionis. Altera est, habere Dæmonem scientiam tantam, tantamq; virtutem, vt sciat, & possit conseruare semen illud in sua naturali facultate, saltem breui tempore, ne euanescat: scit namque, & potest applicare actiua passiuis. Pars Tertia est, quod proles illa non dicetur partus, aut filius Diaboli, sed viri, & mulieris: viri quidem illius, à quo semen desumptū: & mulieris illius, quæ in se semen recepit, concepit, & peperit. Quarta, vt Diabolus in hoc casu se habeat solummodo tanquam motor, asportator, & applicator seminis, non autem tanquam decisor, non enim spiritus decidit semen: & Quinta, quocunque modo Dæmon se habeat, hic, siuè quæcunque actio sibi in hoc casu contingit, id sibi contingere per accidens, dicendū est, non per se, vndè appellabitur causa per accidens, non per se, talis conceptionis, generationis, partus, & huiusmodi. ratio, quia nihil ponit de suo, nisi motum, asportationem, conseruationē seminis, atque eiusdem infusionem in matricem, cum verò semen tale non producat, nec decidat ipse, nequaquam conceptionis, generationis, atque partus dicendus erit siue pater, siue causa ipse. explicationes assertionis deseruiunt pro ipsius probatione. Accedit autem indè experiētia ex allatis exemplis quæst. præced. ergo ita esse, concludendū, vt nil amplius oporteat immorari. Authores hoc ipsū docentes sunt D. Thom. in 2. d. 8. q. 1. art. 4. D. Bonau. ead. d. p. 3. q. 1. Scot. ibid. q. 1. qui addit, inquiens, *Hoc attribuitur, non quidem Angelo bono, quia absit, quod talibus vilibus se immisceat, sed Dæmoni &c.* Item

Dæmon potest semē ad matricem asportare.

Partus non dicetur filius Dæmonis.

Semen scit, & pōt Dæmon cōseruare in sua naturali facultate.

Richar.

Richar. Dur. Ægid. Gabr. cæterique recentiores, siue cum Magistro in 2. d. 8. siue ad q. 51. art. 3. 1. par. D. Thom. Item Alph. de Castro l. 1. de iust. hæret. pun. cap. 16. Victoria Relect. de Mag. Syluest. loc. cit. Abulens. in cap. 6. Exod. q. 12. Xist. Senens. l. 5. Bibl. annot. 73. Authoresq; librorum aduersus Strigas, Maleficas, præcipuè Malleus Malefic. &c. Theologis autem accedunt Valles. de Sacr. Phil. cap. 8. Codronch. lib. 5. de morbis venefic. cap. 10.

Dæmon ab poterit succumbendo concipere.

5 Hæc sic procedunt, loquendo de Dæmone incubo: at quæres, numquid fieri quoque poterunt, Dæmone succubo, simulante v.g. corpus mulieris, & succubat viro, in eam seminanti, vtrũ conceptio inde fieri poterit, & generatio, partus? nequaquam poterit quidem succumbere, semenq; suscipere, at concipere non poterit, ratio, quia ad generationem ex parte matris non sufficit seminis susceptio, sed requiritur corpus viuum, organicum, aptumq; ad concipiendam prolem, fouendam, nutriendam, pariendã, & huiusmodi, quæ tamen præstare non poterit corpus nõ viuum, sed formatum à Dæmone, vel cadauer exanime.

Filios ex succubo dæmone suppositios, & illusiuos.

6 Dices, contigisse ferũt recensiti, vt Vier. 2. de præstig. cap. 46. Aliquem ex succubo Dæmone natos pueros; vt ex muliere quadam reperta in mari, nusquam tamen loquente, eodeq; in vxorem ducta, ac sobole, ex ea recepta, deque plurimis succumbentibus viro, & peperisse. Sed respondendum, totũ id fuisse illusionem Dæmonis; etenim illa compulsa tandem loqui, euanuit, tandemq; puerum, quem peperisse videbatur, eripuit. Item dicendum, vel partus illos fuisse suppositios, vel fictitios; si namque fuerunt veri infantes, poterat Dæmon aliundè surripere, sibi supponere, vt partus eius apparerent; si verò tales non fuerint, vtique fraus, & lusus Dæmonis est. Non longè sunt, quæ de Iphigenia, & Diomede August. refert lib. 18. & cap. 18. de Ciu. Dei, vt pro illa, Ceruã, & pro hoc aues supposita enarrentur.

Quale, & quantum semen Dæmõ excipiat.

7 Dum verò Dæmon operi huic incumbit, vt semen à viro excipiat, & transferat in locum aptum generationi, sequitur, vt tale, ac tantum semen accipiat, quale, & quantum fuerit necessarium ad nefaria sua complenda: quapropter poterit semen recipere, vel hominis alioqui debilis complexionis, vt infirma, vel minus firma sit valetudo fœtus concipiendi: vel viri robustioris, vt robustior proles euadat: vel quoque si velit, partum gigni gigantæum, assumere poterit semen crassissimum, spiritibus affluens, ac ferè exprimum, idque ex viris robustissimis, proceræq; staturæ, seligendo quoque mulierem consimilis temperamenti, & staturæ, vt inde facilè parti possint Gigantes: ita Valles. cap. 8. l. 2. de Sacr. Phil. quidquid negauerint Lorina in Lib. Sap. cap. 14. & Perer. in psalm. 18. Sententiam autẽ nostram docuit prius D. Thom. de pot. q. 6. art. 8. ad 7. cùm ait, *Possibile est, quòd per talem modum homines fortiores generentur, & maiores, quia Dæmones volentes in his effectibus mirabiles videri, obseruando determinatum situm stellarum, & viri, & mulieris dispositionem possunt ad hoc cooperari, & præcipuè si semina, quibus vtuntur, sicut illi petunt semina, quibus vtuntur, per talem vsum, aliquod augmentum virtutis consequantur.* Dari autem Gigantes supponimus ex disp. 1. q. 7. quod vero de Gigantibus dicimus, idipsum asserimus de oppositis Pigmæis, atque Pumilionibus: si namque viros seligant huiusmodi, semenq; excipiant tenue, paruæq; virtutis, adaptando insuper, & femellam huiuscemodi conditionis, orientur indè Pigmæi, & Pumiliones.

Angeli boni nõ se his immiscent.

8 Denique obseruandum, non Angelos bonos, sed malos huiuscemodi nefariis operã nauare, vt ex Scoto tradidimus, quod Diuus etiam Thomas docuit art. 8. ad 5. Et inter malos non omnes, sed inferiores, & infimos his vacare, ita namque obseruauit Malleus Malef. part. 1. q. 4. inquiens, *Hæ spurcitia ab aliquibus infimis perpetrantur, à quibus superiores propter nobilitatem naturæ secluduntur.* Ratio etiam esse potest, quia vnusquisque ad singulare genus tentationis singulariter à Lucifero destinatur, vndè viliora vilioribus cõmittuntur pro diuersitate naturæ, vt alter de ambitione tentet, alter de auaritia, de gula alter, de ira, deque cæteris singuli, qui ad tentandum destinantur,

Obscænis dæmones inferiores incumbunt.

Singulis vitiis singuli dæmones incumbunt.

ut dæmon alius sit de obscenis, & ad hæc patranda facinora, vnde Cassianus aiebat, *Vnicuique vitio certus spiritus incubare: nec omnes Dæmones vniuersis hominibus inferre possunt*. Verum est tamen mutuò se inuicē adiuuare, vt fortius aggrediantur, atque conentur magis ad victoriam.

Potest, & scit conseruare spiritus feminis ne euanescant.

9 Ad opposita autem respondendo, ad Primum, Secundum, & Quartū responsio habetur ex declaratione conclusionis. ita quoque ex eadem doctrina respondetur ad Nonum, quia possūt saltem breui tempore conseruare spiritus, ne euanescant. ita etiam respondetur ad Septimum.

10 Ad Quintum, Deus infundit animam illam, nō Dæmon: Ad inconueniens, respōdetur, quod sicut Deus, velut causa vniuersalis concurrit cum omnibus, etiam permittendo alia mala, peccata, aliaq; facinora, ita & permittere poterit hæcique quatenus mala, ratione deformitatis pro formali sunt ab eo permissiuè; ratione substrati, & materialis effectiuè, concurrendo cum causa secunda.

11 Ad Sextum, vel id euenit, quia Dæmon nolit delectamenta illa præbere, cum tamen possit, si velit: vel Secundò, ita permittente Deo, vt magis abhorreant Malefici, & Strigæ nefaria ista, dum in eis non delectationem sentiunt, sed dolorem: vel vt in ipsomet facinore experiri incipiant dolores, quibus maiores eis præparantur in Inferno.

Strigæ succumbendo Dæmonijs cur nō oblectentur, sed horreant, & doleant.

12 Ad Octauum, iam ratio fuit allata, cur incubando possint, non autem succubando.

Finis Secundæ Disputationis.



DISPV-

DISPVTATIO III.

De distinctione Angelorum.

QVÆSTIO I.

Vtrum omnes Angeli sint vnius naturæ, an vero inter eos reperiatur distinctio specifica.

Solutionem nescire fatetur Aug.

1 DE vnitate, vel plurificatione specifica Angelorum magis conuenit inter Scholasticos, quam inter Patres: siquidem distinctionẽ admittunt ferè omnes Scholastici, pauci enim exciperentur: Patres verò per plures negãt, vel dubij remanent. Et quidem ait Aug. in Enchirid. cap. 58. & ad Orol. cap. 11. *Huius dubij solutionem nescire, si omnes Angeli inter se differant essentialiter, vel solum personaliter.* idẽ inquit Bernard. & Damasc. Ex alio, verò, capite distinctionem negant, Basil. l. 3. contra Eunom. inquiẽs, *Angeli omnes sicut appellatione vnius, ita eiusdem sunt naturæ inter se.* Nyssen. cap. 17. de Opif. mun. *Ad infinita propè millia;* Nempè indiuidua. *Angelos diffusos, vt ex vna natura, & multi esse numero possent.* Anselm. l. 2. cur Deus ho. c. 21. *Angelos esse eiusdem naturæ, licet nõ sint eiusdem generis, sicut homines.* Atque idem Damasc. l. 2. de fid. cap. 3. licet dubius primo loco extiterit, nihilominus inde subdit, *Vniuscuiusque speciei vna est natura, & omnium Angelorum vna est natura.* l. de decr. & plac. c. 1.

possibilis est distinc. specifica Aug. Damasc.

2 Quicquid tamen sit de opinionibus antiquorum, id tamen dicimus, Primò possibilem esse distinctionem specificam Angelorum, possibilemque eorum specificam multiplicationem: tuentur eam communiter nedum Scotistæ, verum & Thomistæ; discrepant enim solummodo in multiplicatione indiuiduali sub eadem specie, vt suo loco. Prob. Primò, Patres, qui dubij de hoc fuerunt, vt August. & Damasc. licet de facto ita esse dubitauerint, asserant nihilominus apertè eam esse possibilem; ratio, quia qui de opinione aliqua dubitat, censet vtique eam esse possibilem, vel non impossibilem: ergo in primis possibilis est multiplicatio in sententia dubitantium, de ea. Probatur Secundò ex parte Patrum negantium; siquidem iam de facto multiplicationẽ negant: vtrum verò negauerint possibilitatem contrariam, id non constat ex ipsis; igitur saltim negatiuè deciditur quæstio ex ipsis, non contrariè: nempè non apertè contrariantur possibilitati specificæ multiplicationis, sed nihil de ea decidunt hæc de Patribus.

Consentaneum est de facto ita euenisse D. Th. Scot.

3 Secundò dicimus, nedum possibile id esse, sed valdè consentaneum rationi fore, asserere ita de facto aduenisse, vt verè sit in Angelis multiplicatio specierum, est Scholasticorum communis; Diuus enim Thom. de facto multiplicationem specificam admittit, licet neget indiuidualem; Scotus etiamq; de facto multiplicationem adstipulatur, & specificã, & indiuidualem, vt infra. Item ex fundamento alio efficimus, quæri enim potest, vtrum de facto creauerit Deus supremam naturam possibilem creari: negat id Scot. 3. d. 13. q. 1. in respons. ad argum. licet summamque concedat, creatam iam summam gratiã in Christo; dubitat tamen fuisse creatam adhuc summam naturã possibilem creari. quo stante arguitur, tum de facto, non datur summa natura creata, ergo datur multiplicatio specifica in Angelis. Consequens sequitur saltim de possibili: dato namque quod de facto omnes Angeli eiusdẽ sint speciei, nihilominus, cum possibile esset, dari superiorem, supremamq; naturã, daretur vtique multiplicatio, & distinctio specifica. Confirmatur, talis enim

Non datur de facto summa natura creata Scot. datur summa gratia ex Scot.

summa

summa natura non esset, nisi in genere eiusdem spiritualis, & intellectualis, cuiusmodi sunt Angeli, si ergo posset dari suprema natura, ea quidem esset in genere talis naturæ spiritualis, & intellectualis, atque ita dum esset cæteris Angelis superior, videretur esse alterius speciei. Ratio hæc est valdè apparẽs; nihilominus eludi posset, dicendo talẽ summam naturam fore alterius generis à natura angelica: quapropter cũ differrẽt genere, non essent sub eodem genere differẽtes speciei; quæstio namque non est de distinctione specifica, & generica, sed de distinctione specifica sub eodem genere. Sed contra arguitur, quandoquidem natura illa esset eiusdem generis, & prob. omnis natura intellectualis creata comprehenditur sub eodem genere, patet id de omnibus Angelis, qui omnes in sententia omnium, sunt eiusdem generis: Angelus item, & rationalis anima sunt eiusdem generis, tum ratione spiritualitatis, tum intellectiuitatis, quibus aliundè differant. sed natura illa sũma creabilis esset quoque spiritualis, & intellectualis, ergo essent eiusdem generis: prob. min. supremus naturæ gradus, est gradus spiritualitatis, & intellectiuitatis; adeò enim hoc verum est, vt Deus, ipse sit talis spiritualis, & intellectiuæ naturæ; at natura illa non esset minoris conditionis cæteris speciebus, quia esset perfectior cunctis, ideoq; appellaretur summa creata, ergo essent omnes eiusdẽ generis, & per consequens daretur sub eodem genere multiplicatio specifica in eis.

4 Probatur insuper aliundè principale intentum, & confirmatur ratio præcedens: Vniuersa natura angelica differenti & vario modo participat naturam intellectualẽ etiam in essentialibus specificis: ergo datur multiplicatio specifica. Prob. anteced. natura intellectualis diuersimodè specificè participatur, itaue multiplicetur specificè, ergò multiplicabitur quoq; quatenus contracta ad angelicam naturã: assumptum patet de Angelo, & anima rationali, quæ non sunt eiusdẽ speciei, & in eis multiplicatur species naturæ intellectualis: cur ergo est vt eadem intellectualis natura non possit multiplicari in iisdem Angelis; nec enim videtur maior ratio, cur implicet multiplicatio in Angelis intra latitudinem naturæ angelicæ, non verò implicet in ordine ad Angelum, & animam intra naturæ limites intellectualis. Rursus implicatio vtique esset, si v. g. tota intellectualis natura participata esset ab vnica, atq; totali specie angelica, non enim remaneret aliquid participandũ ab aliis: talis verò participatio non reperitur. Prob. natura intellectualis non participatur, neque imbibitur totaliter ab anima rationali, quin potius vna cũ anima participat, de ea etiam natura angelica: ergo nec censendam adeò totaliter imbibi ab vnica specie totali omniũ Angelorum, vt non possit diuidi in plures species. Confirmatur, natura angelica est finita, ergo participat modo finito naturam intellectualem: ergo non totaliter. Item qua ratione aduenit, vt diuina natura non participetur à pluribus Diis, sed vno tota, & totaliter comprehendatur, & includatur Deo? indè quidem, quoniã ea infinita est, & infinitè, modoq; infinito participat, & cõplectitur ipsã Deitatem Deus, vndè nõ habet latitudinẽ specificam graduum, vt diuidi, & participari possit à pluribus Diis. At angelica natura finita est, quò fit, vt Angelus finitus in entitate, finitus quoq; sit in participatione specificæ naturæ, ita vt nec totam imbibat, sed ex parte comprehendens, relinquat aliquid participandum à cæteris angelicis suppositis.

5 Præterea receperunt ab initio creationis Angeli gratiam non æqualem, sed inæqualem, id verò non iuxta mensuram meritorum, quæ in primo creationis momento non erant; sed iuxta proportionem naturæ, nobiliori enim nobiliora, inferiori verò inferiora incrementa, & dona gratiæ collata fuere, vt vniuersi Theologi docent, de quo suo loco: cum ergò constet diuersimodè gratiam recepisse, cõstare quoque poterit diuersos creatos fuisse in specie, & natura. Rursus dari perfectionis gradus maiores, & minores inter eos constat, variæ enim sunt Hierarchiæ, eæque distinctæ iuxta maiorẽ, minoremq; excellentiam naturæ. In-

Angelorũ gratia ab initio iuxta proportionem naturalium.

super de Lucifero tantopere commendatur eius eminentia, excellentia, dotes, penès Ezech. 28. Datur in super Angelis modò superioris, & inferioris, illuminantis, & illuminabilis; eorum qui sæpiùs, eorumque, qui rarò mittuntur, vel nunquam ad extra, de quo infra: at hæc, & similia non cogūt nos adstipulari in eis accidentalem solummodò distinctionem, vel ratione muneris, & officij, vel ratione nobiliorū accidentium, quin potius probabilius videtur iudicandam, quaque hac distinctionē essentialem specificam naturarum.

Multiplicatio specierū materialiū subiunariū hic dispensationis.

6 Insuper ex eo, quod in hoc mundo sublunari corporeo advertit, id contemplemur; etenim multiplicat Deus tum in genere aquatilium, tum volatilium, tum quadrupedum, species tot, & tot, vt ignoretur numerus. multiplicantur quoq; ipsa vegetabilia, adeò vt quis nesciat species eorū enarrare, plurificantur species metallorū, ac lapidum; cur autē est, vt negemus multiplicasse quoque Deum species Angelorum? Item specierum multiplicat o quàm maximè exornat Vniuersū pulcherrimus namque apparet Orbis ex multiplicatione tot specierum, pulchriorq; vtique, quam si sola ei tradita fuerit multiplicatio indiuiduorū; quò fit, vt pulchritudo hinc proueniēs minimè denegāda Cœlo Empyreo, quod sedes est Angelorū, vt hinc etiam speciositas eius augeatur, ex multiplici specie eorum.

Multiplicatio specifica in astris.

7 Denique Cœli ipsi, ipsaq; astra multiplicantur specie, tot stellæ, tot sydera, totque Orbes specie differentia. Dices, etsi ita sit, vnicum tamen est in propria cuiusque specie; vnus Sol, Luna vna, Mercurius vnus, sicque de cæteris. Sed occurritur, id magis confirmare intentum; etenim omnia hæc differunt specie, & sunt plura specie, ergo plures poterunt esse species Angelorū. Solùm indè inferri posset vnitas indiuidualis, vt sicut Sol est specie, & indiuiduo vnus, Luna vna specificè, atque indiuidualiter, ita sub vnaquaque angelica specie sit solus vnus Angelus: at hoc non facit ad intentū, nec destruit, quod conclusimus, agere enim de eo nō spectat ad præsens, agimus enim nunc de multiplicatione specifica, illud vero quæsitum tangit de multiplicatione indiuiduali Angelorū, sed de hoc infra. Immò retunditur argumentū, siquidem & si de facto vnus sit Sol, vna Luna, specie, & numero vnum; de possibili tamen non implicant esse plura, vt Logici concludunt in cap. de Specie, & Genere: ita ex hinc adstipulabimur infra multiplicationē quoque possibilem indiuidualem; cum vsque modò adstipulati fuerimus multiplicationem actualem, siuè saltim possibilem specierum.

8 Ad Patres in oppositum dicendum, eos mille talis sententiæ: Scholasticos vero re amplius examinata sensisse aliter, sicque tractu temporis in Scholis sententiam communē introductam fuisse, Angelos differre etiam specie. Patres in hoc dissidēt à Scholasticis.

9 Vrgebis, omnis pluralitas reduci debet ad vnitatem; igitur magis æstimandū Angelos omnes contineri sub vna specie, atque vnica natura, & confirmatur, etenim Deus non plures, sed vnus est, accedit verò Angelus ad Deū magis quā cæteræ creaturæ, ergò vnus itidem erit numerus eorum specie. Respondeo pluralitatem reducendam esse ad vnitatem, intelligi quidem, si congruè, & conuenienter id fieri potest: hinc namq; sequeretur, in Mundo vnicam debere esse rerum speciem, atque tollendas fore tot animalium, vegetabilium simplicium, mixtorumq; species: sequeretur etiam vnicum debere esse in tota humana specie hominem, vnicum numero, & sic de singulis: at id incongruum æstimauit supremus Orbis Moderator, propterea q; tot rerum, indiuiduorumq; produxit species; à pari autē valdè decens esse æstimant Theologi produci plures Angelorū species. Ad id de Deo non currit paritas, quoniam Deus est de se hic; & propterea est vnus solus, Angelus nō sic vt Deus vnicam, & totaliter in se complectitur Deitatem, itaut nil ab alijs desumendū relinquat, Angelus non totaliter participat naturam Angelicam; quapropter participandam quoq; ab alijs naturam admittit, vt de Deo, & creaturis traditum est t. 1. disp. de Vnit. Dei. Omnis pluralitas reducitur ad vnitatem, exponitur.

10 Obijcies, anima rationalis est vnica specifice, ergo & Angelus: cur nam-

Cur anima rationales sint specificè [illegible] Angeli.

namque vniuersæ rationales animæ sub vnica continentur specie, & non Angeli. Resp. 1. aliqui quod anima, quia est pars, ideo non multiplicatur specificè, Angelus est ens completum, ideo multiplicari possit specificè. Licet doctrina sit vera, etenim anima est ens incompletum, Angelus completum, nihilominus quid implicaret, etiam dari multiplicationem specificam in animabus; ratione ampleti, & incompleti est, cur implicet, animam multiplicari specificè, & non Angelum, inquit Volp. [illegible] d. 8. art. 11. num. 8. sed contra hoc, sequeretur enim nusquam multiplicandas esse specificè formas corporeas, cum tamen oppositum constet, dantur enim plures formæ specificè distinctæ, vt forma specifica Equi, Leonis, Hominis, Aquilæ, & ita in singulis generibus, & speciebus, & tamen formæ illæ sunt entia incompleta, quia sunt formæ partium, contradistinctæ à forma totius, ergo non currit ratio.

Suarez respondet.

11 Respondet Suar. l. 1. de Ang. cap. 15. fin. animam esse in altero extremo totius latitudinis naturæ intellectualis, & propterea cum in hoc genere infimum tenet locum, non fuit necessè, ipsam multiplicari specificè, Angelum verò tenere locum medium inter animam, & Deum: ac propterea posse multiplicari specificè: Deus namque in vno extremo non multiplicatur: anima quia in altero infimo extremo, ideò non multiplicatur: Deus quatenus in supremo entium extremo est vndequaque vnus & non multiplicatur: anima veluti infima in tali genere ex parte alterius extremi, nec similiter specificè multiplicabitur: restat ergo vt Angelus veluti locum possidens medium, multiplicetur. Responsio hæc est magis apparens quam vera: si namque ideò Deus non multiplicatur, quia est in vno totius naturæ intellectualis supremo extremo, sequitur et anima ratione alterius extremi nullatenus multiplicetur, nedum specificè, verùm & numericè: sequela tenet, nam per te Deus ratione extremi non multiplicatur, itaut extremitas sit medium, & ratio ad negandam multiplicationem at Deus nec multiplicatur specificè, nec numericè, cum sit genere, specie, & numero vnus: ergo dum anima est in altero extremo, nec multiplicabitur specificè, nec etiam numericè, vnde deberet dari anima vna numero, seu intellectus vnicus secundum Auen. Item arguitur, inde sequi debere potius multiplicari animam specificè; prob. extrema habent inter se oppositionem ex sui natura, itaut quod vni conceditur, alteri denegetur; quod namque conceditur albedini denegetur nigredini in ratione extremi: & quod conceditur corpori denegetur spiritui in ratione extremi: dixi in ratione extremi; nam non omne, quod vni conceditur extremo, est denegandum alteri extremo; etenim albedo, est ens, qualitas, accidens, & huiusmodi, quæ tamen non deneganda sunt nigredini, cum sit insuper ens, qualitas, accidens: & corpus est ens, & substantia, spiritus quoque sit ens, ac substantia: at verò in ratione extremi, quatenus extremè opponuntur, verum est quod id, quod denegatur vni, conceditur alteri, et specifica ratio nigredinis non competit albedini, nec ratio formalis albedinis, qua sic, competit nigredini: nec ratio corporis, qua corpus, competit spiritui, nec ratio spiritus, qua spiritus, competit corpori, est namque illud corruptibile, hoc incorruptibile, & sic de cæteris eorum naturalibus affectionibus, hoc stante infertur minor, sed Deo quatenus in supremo extremo nullatenus competit multiplicitas nec numerica, nec specifica, ergo animæ quatenus in infimo extremo competet omnimoda multiplicitas, neduum numerica, sed specifica.

12 Ideo respondemus, animam nec multiplicari specificè, quia nec homines multiplicantur specificè: iam verò constat, omnes homines esse vnum specificè, ergo & anima omnium hominum erit vna specificè: multiplicantur vero homines numericè, ergo multiplicabuntur animæ rationales solummodo numericè, & hæc videtur ratio sufficiens. Sufficiens ratio affertur.

QVÆSTIO II.

Vtrum sub eadem specie possint esse plures Angeli numericè distincti.

ARTICVLVS I.

Affertur sententia auctoris.

1 Præsens disputatio exagitari potest tum de facto, tum de possibili: quid scilicet potuerit ex absoluta potentia, vel possit facere Deus, quid tandem de facto egerit, atque quid magis expediens, ac decens fuerit circa creationem ipsorum Angelorum, vtrum sola specie, an numero etiam sine individualiter distinctos creauerit siue creare potuerit ipse Deus.

D. Thomas [illegible] negat de possibili.

2 In primis D. Thom. vtrumque negare videtur, tum de possibili, tum de facto, 1. quidem 1. par. q. 50. art. 4. verbis vtitur impossibilis, insuper docet, quod si Deus annihilaret vnum Angelum, in quo tota esset per consequens sua species, non posset Deus speciem illam contentam in tali Angelo reparare, nisi eundem prorsus reproduceret annihilatum Angelum. In eundem sensum explicat eum Caiet. ibid. atque lib. de ent. & essen. c. 5. [illegible] ex hinc ergo colligitur D. Thomam negare id esse de potentia absoluta possibile. Ex alio vero capite aliunde videtur id potius concedere, esse possibile et probabile; nam ex opusc. [illegible] vbi sic loquitur: *[illegible] substantiæ separatæ non [illegible] in sua natura [illegible] distinctionem, et naturalem causam multiplicationis, possint tamen fortius multiplicationem ex superna[illegible] quia esset implicatio contradictionis.* Concedit ergo de possibili id non implicare de potentia supernaturali primæ causæ: & ita interpretatur [illegible] cap. [illegible] insuper idem D. Thom. respondens ad Auerroem [illegible] vnitatem intellectus, [illegible] opusc. loquitur de [illegible] *[illegible] quod Deus facere non possit, quod fiat multi intellectus eiusdem speciei, credentes hoc implicare contradictionem.* Quod si contra Auerroem inuchitur negatorem etiam de possibili multiplicationem intellectus, vtique tacitè inuehitur contra Theologos negantes, esse possibile multiplicationem individualem angelicæ substantiæ, currit enim paritas: vtrumque enim, tum intellectus, de quo disputat Auerroes, tum Angeli, de quo certant Theologi abstrahunt à materia & sunt entia spiritualia. Aegid. quodl. [illegible] & 7. possibilitatem ipse quoque adstruit, ait enim, *Quod Deus id potuit ut [illegible] præter causam naturæ [illegible] esse substantia separata, cuius est [illegible] illud. & sic posset rei in eadem specie multiplicare*. demum Capreol. in 2. d. 3. q. 1 docuit, posse id sustineri de mente D. Thom. atque pari modo Thomistæ plures exponunt D. Thom. vt dum id negat, intelligatur non quidem de potentia Dei absoluta, hoc enim possibile. Quoad alterum verò sensum, quid contigerit de facto, id communiter à Thomistis recipitur, vt negauerit D. Thom. de facto conditos esse plures in eadem specie: in hoc concordant omnes, licet circa eius mentem non concordent de possibili. De facto etiam loquens Aegid. ex propria mente id negat, ait enim, *Deus hoc potuit, sed [illegible] ordinem, quem videmus, non decuit*. & Argentinas denique in 2. d. 3. q. 2. licet vtrumque probabile admittat, id tamen de facto ductum esse negat. Accedit Vasquez qui rem testatur esse incertam, & dubiam: quicquid tamen sit, concludunt vnanimiter Thomistæ negando, reddendo singula singulis. argumenta vero eorum potissima hæc erunt.

3 Primò, *in abstractis à materia idē est quod quid est cum eo cuius est*, ex 7. met. c. de partib. diffinit. Angelus est abstractus à materia, ergo idem est essentia, ac ratio indiuidualis, sed idem est species, & indiuiduum: ergo non potest Angelus ab Angelo distingui, nisi quatenus specifica essentia vnius distinguitur à specifica essentia alterius.

Secun-

Secundò Auicenna 9. met. cap. 4. Intelligentia superior producit intelligentiam inferiorem: at productio non est rei eiusdem speciei, ergo respectu distinctæ speciei: ergo Angelus distinguitur sola specie ab Angelo. Tertiò omnis differentia formalis est differentia specifica; Angeli differunt formaliter, ergo & specificè: antecedens probatur ex 8. met. t. 10. vbi formæ æquiparantur numeris, ita verò se habent numeri, vt per additionem, vel subtractionem vnitatis vnius variatur species numeri. Confirmatur, Angeli differunt solummodo in forma, non autem in materia; carent enim materia, ergo penes eam nec conueniunt, nec differunt: igitur differunt in sola forma: at omnis differentia in forma est differentia specifica, ergo differunt solum specificè. Quartò omnis forma separata à materia continet in se totam perfectionem suæ speciei, vt patet: albedo separata à materia contineret in se totam naturam, & perfectionem albedinis: abstrahit vnusquisque Angelus à materia, ergo vnusquisque continebit totam perfectionem, atque amplitudinem suæ speciei, ita vt nihil relinquat participandum ab alio. Quintò in operibus perfectis nihil est nisi id, quod per se intenditur à natura, demitur verò id, quod est per accidens: pluralitas specifica per se intenditur à natura, pluralitas verò numeralis intra eandem speciem intenditur per accidens; prob. infinitũ non intenditur per se à natura, cum natura abhorreat infinitum: quidditas vero numeralis quantũ est de se potest procedendi in infinitum. Confirmatur, alias in vnaquaque specie angelica deberent produci Angeli numero infiniti. Sextò multitudo indiuiduorum admittitur propter conseruationem speciei alias corruptibilis, ne pereat species: sic enim species cõseruantur in indiuiduis, vt pereunte vno, succedente altero conseruetur in eo species: Angeli verò sunt incorruptibiles, ergo non indigent numerali multiplicatione, vt cõseruentur species. Antecedens patet ex 2. de an. t. cap. 9. Septimò ex 1. de cæl. in corporibus cælestibus nõ reperitur, nisi vnicum indiuiduũ vnius speciei, vt in specie Solis vnicus Sol, in specie Lunæ, Martis, Iouis, vnica Luna, vnus Mars, vnus Iuppiter, sic de singulis. Octauò in specie Phœnicis vnicus fœnix, vt tradunt Tertullian. lib. de resurrect. carn. Cyrill. catech. 8. Clem. Pap. lib. 1. const. apost. Ambr. pluresq; Patres, & communiter vulgus: esse ergo non vnicus in sua specie Angelus? Nonò, in iis, quæ sũt eiusdem speciei non datur prius, & posterius ex 3. met. t. 11. sed circa Angelos eiusdem ordinis dantur primi, medii, infimi, ex Dionys. cap. 10. Angel. Hierarc. Decimò omnis distinctio numeralis sumitur à materia: carent Angeli materia: Prob. ant. nam materia est principium indiuiduationis, & consequenter principium indiuidualis numerationis. Confirmatur, distinctio specifica sumitur à materia: habent Angeli solam formam, carent vero materia, ergo distinguntur sola specie, non numero intra eandem speciem.

ARTICVLVS II.

Resoluitur dari posse multiplicationem numericam sub eadem forma specifica.

1 Ex opposito adest cõtraria sententia, Angelos multiplicari posse nedum specificè, verum & indiuidualiter sub eadem specie, ita vt sub vna atoma specie esse possint, immò de facto sint plures Angeli. eam defendũt Scot. in 2. d. 3. q. 7. & in quodlib. q. 2. D. Bonauent. ibid. cum Rich. Duran. Gab. Marsil. atque Alens. 2. p. q. 20. in 2. & ex Thomistis Ferrariens. loc. sup. cit. quibus accedunt recentiores communiter, vt Valent. Molin. Vasq. Suar. l. 1. cap. 15. cæterique vt plurimum expositores ad cit. loc. D. Thom.

Sub eadem specie plures Angeli.

2 Rem verò hanc in duo capita distinguimus: in primo namq; agimus de possibili, & in secũdo de facto: quærendo primò vtrum possibilis sit talis numerica plurificatio, indeq; vtrum sit rationabilius concedere eam de facto, vt ita acciderit de facto.

3 Circa Primum sit assertio, potest sub vnica specie angelica reperiri multiplicatio numerica Angelorum. Probatur verò Primò, omnes quidditas quan-

quantum est ex natura sua est commu-
nicabilis, ergo natura angelica erit cō-
municabilis: at nulla natura est pluri-
bus communicabilis in identitate na-
turæ nisi sit infinita. Prob. de diuina
natura, quæ ideò pluribus suppositis
eadem numero communicatur, quia
est infinita; igitur omnis alia finita, &
creata quidditas erit cum distinctione
suæ naturæ pluribus communicabilis;
ergo à primo ad vltimū angelica spe-
cies erit pluribus indiuiduis commu-
nicabilis.

4 Secundò si quidditati quantum
est ex se repugnaret communicari plu-
ribus, aut illud prouenirēt ex perfe-
ctione quidditatis in se, aut ex imper-
fectione: at neutrum istorum impedit
communicabilitatem. Prob. min. non
impedit communicabilitatem perfe-
ctio, quandoquidem quidditas diuinæ
naturæ est infinitè perfecta, & tamen
est communicabilis: nec impedit im-
perfectio. Prob. quidditas namque, &
natura vegetalium, sensibilium, cun-
ctorumq; imperfectorum mixtorū iam
communicabilis est pluribus, & de fa-
cto tot indiuiduis plantarum, anima-
liumq; communicatur: igitur natura
angelica communicabilis pluribus nu-
mero erit ex alterutro istorum capitū,
vel quidem ex eius perfectione, vel ex
eiusdem imperfectione.

5 Ad argumenta hæc Capreol. &
Caietan. respondent, communicabilita-
tem posse considerari tripliciter, vel cū
distinctione naturæ communicabilis,
vel cū identitate eiusdem naturæ: vel
tertiò tanquam natura supposito in
vnione hypostatica: Primo modo cō-
municatur vniuersale inferioribus. Se-
cundo communicatur diuina Essentia
Personis: & Tertio humana natura
supposito, vel suppositis: quouis modo
accipiatur maior primi argumēti erit
falsa: de quidem diuina natura non est
communicabilis primo modo, quia
non diuiditur in suppositis, in quibus
est in identitate naturæ: quidditas etiā
creata non est communicabilis secun-
do modo, quia nulla est cum identitate
numerali in pluribus, quod proprium
est solius essentiæ Dei: Tertius quoque
modus est falsus, quoniam diuina na-
tura non est sic communicata creatis
suppositis: colligūt ergo ex dictis ma-
iorem propositionem esse vndequaque
falsam.

6 Addūt indè commisisi fallaciam
in arguendo, nempè consequentis à su-
periori ad inferius affirmatiuè: non
enim valet, est animal, ergo est homo:
sic non valet, quidditas est communi-
cabilis, ergo erit communicabilis cū
distinctione, vel identitate naturæ.

7 Ad Secundum verò respondent,
communicabilitatem primo modo,
cū distinctione naturæ repugnare An-
gelis propter eorum perfectionē: com-
municabilitatem in identitate naturæ
repugnare eis ob eorum imperfectio-
nem, quia soli competit diuinæ Essen-
tiæ: ac denique communicabilitatem
tertio modo repugnare quoque ob eo-
rundem imperfectionem.

8 Argumenta hæc Scoti adeò effi-
cacia sunt, vt vsque modo soluta non
sint, quicquid Valentia dicat, quod ea
minus sint efficacia: & quidem con-
tra responsiones datas arguitur effica-
citer, quæro autem, quidditas aut est de
se communicabilis, aut non: primum
concedunt Capr. & Caet. sicut & om-
nes vtriusque Scholæ: hinc verò iterū
quæro, quomodo erit communicabilis,
aut cum identitate, aut cum distinctio-
ne naturæ: de tertio modo nō loquor,
quia non facit ad rem: diuisio quidem
hæc est absolutè necessaria, & sufficiēs;
omnis namq; quidditas dum est com-
municabilis, absolutè dicendum est,
quod vel erit in vnitate, vel distinctio-
ne naturæ communicabilis: hoc enim
negari non poterit, sicut & nemo ne-
gat: quod amplius patet, quia quæcū-
que quidditas si creata est, iam cōmu-
nicatur cū diuisione naturæ: si increa-
ta, iam communicatur cum identita-
te naturæ. Confirmatur, alter modus
cōmunicandi non suppetit: hoc iacto
fundamento ruunt responsiones assi-
gnatæ: at Angelica natura est verè
quidditas, ergo verè communicabilis:
sed oportet assignare modum commu-
nicabilitatis, ergo altero istorum mo-
rum modorum communicatur: at nō
communicatur tanquam in identitate
naturæ, cum sit solius Essentiæ diuinæ,
ergo communicabilis est in distinctio-
ne naturæ, & per consequens pluri-
bus

bus indiuiduis communicabilis erit.

9 Item per te non est communicabilis in identitate, non est communicabilis cum distinctione naturæ, nec quidem communicatur in vnione hypostatica, quia de hac non quærimus: ergo nullo pacto erit communicabilis: at verò vna cum cæteris communiter concedût, esse communicabilem ergo altero istorum modorum communicabilem: quod si modos hos negaueris, sequitur, concedas nullo modo esse cõmunicabilem, quod est alienũ à Theologia, & philosophia; à Theologia quidem, quoniã diuina Essentia est tribus personis cõmunicabilis; à philosophia, siquidẽ natura cuiusq; rei id postulat, vt sit de se pluribus cõmunicabilis abstrahendo à suppositatione, non enim loquitur de supposito, & persona.

A superiori ad inferius qualis argu tio.

10 Insuper contra id, quod dicunt, committi fallaciam à superiori ad inferius affirmatiuè; aduertere deberent, ne & ipsi fallantur; quandoquidem Logici docent in tract. de fallac. à superiori quidem arguere ad inferius affirmatiuè, contractè, id vtique est falsum; arguere verò disiunctim, id vtique verum: à consequentia verò disiunctiuè illata, indè optima ratione venitur ad intentũ concludendo firmiter id, quod probandum assumitur: explico, non valet arguere, est ens, ergo compositũ sicut nec valet; est ens, ergo est simplex: est namque conceptus entis indifferens ad ens compositũ, & ens simplex: quapropter non valet inferre, Deus est ens, ergo est ens compositũ, est namque simplex: sicut nec valet, Angelus est ens, ergo est ens simplex, etenim ex supradictis est metaphysicè compositus; valet verò sic discurrendo inferre disiunctim primò, indè contractè: vt Deus est ens; ergo vel ens compositum, vel simplex: sed non est compositum, ergo remanet vt sit simplex: de Angelo insuper, est ens, ergo vel compositum, vel simplex: non simplex, ergo compositus, quemadmodũ non valet ista, est animal, ergo est homo: potest namque esse brutum: valet tamen disiunctim, est animal, ergo vel rationale, vel brutale: at non est Franciscus animal brutale, ergo erit homo, & rationale. Et quomodo à superiori ad inferius tenet non quidem contractè immediatè descendẽdo ad alteram partem: sed descendẽdo primò disiunctim, indè verò remouendo alterum contradictoriorũ, & addendo id, quod contradictorium non est, & quod maximè conuenit. Applicemus, non vtique valet hæc conseq. quidditas Angeli est communicabilis, ergo erit communicabilis in identitate naturæ; iam enim constat implicantia: at valet ita dicere, quidditas Angeli est communicabilis, ergo vel in identitate, vel cum diuisione naturæ: sed non cum identitate, ergo remanet vt cum distinctione naturæ. hæc consequentia non potest rationabilitèr negari: sicut non valet, quidditas in se est communicabilis, ergo cum distinctione naturæ: negatur conseq. quidditas namque diuinæ naturæ, est communicabilis cum identitate naturæ; quia arguitur contractè: at disiunctim, seù disiunctim arguendo, quidditas est communicabilis, ergo vel cum identitate, vel cum diuisione naturæ: quidditas angelica non est communicabilis cũ identitate naturæ, ergo cum distinctione ipsius naturæ. ergo communicabilis pluribus indiuiduis. Discursus optimam redolet logicam, quem negare est destruere logicam: perperam ergo negant hanc cõsequentiam; necesse namque est in alterum impingere extremum.

11 Rursus ex sufficienti modorum communicandi enumeratione id conuincitur: relicto namque modo communicãdi per vnionem hypostaticam, siuè alio quocunque accidẽtali, vt per gratiam, gloriam, & huiusmodi, de quibus modò non agimus, omnis modus communicandi naturam tanquam superius ad inferius vel est cum identitate, vel cum distinctione naturæ: diuisio hæc est necessaria: Angeli quidditas non communicatur in identitate, ergo communicatur cum distinctione naturæ: alterum horum cogẽris concedere. Insuper negant Caet. & Capr. communicari in identitate, & distinctione naturæ, igitur inferam naturam Angelicam nõ esse communicabilem: concedunt verò esse communicabilẽ: ergo concedunt contradictoria: quo namque pacto erit communicabilis,

si nec

si nec cum identitate, nec cum distinctione est communicabilis; igitur citius ab argumentis se expedirent negando esse communicabilem: nō verò audent id dicere, ergo asserunt contradictoria. Præterea dum communicabilis est quidditas modus est ei assignandus communicabilitatis: at negant vtrumque modum, ergo dicendo non esse communicabilem perperam ergo concedunt esse communicabilē: vel si communicabilem, neutro tamen modo communicabilem.

Cōmunicabilis natura finita cū diuisione, non sine illa.

12 Circa id, quod aiunt, esse cōmunicabilem cū distinctione esse imperfectionem, & propterea prouenire ab eius perfectione esse sic incommunicabilem: sicut prouenit ex eorum imperfectione esse in infinitate naturæ incommunicabilem: arguo cōtra, quod necessariò dandus est ei talis communicabilitatis modus cum distinctione; quia omnis natura creata ideo est cum distinctione communicabilis, quia est finita, limitata, & imperfecta: sed naturā angelica est limitata, & finita, ergo hac ratione erit imperfecta; ergo consequenter erit cum diuisione communicabilis. Item finitas naturæ creatæ, sicut & angelicæ, est modus eius intrinsecus: finitas est imperfectio, & conditio naturæ creatæ: ergo Angelo quatenus est natura creata, finita, & vt sic imperfecta, competet ei tanquam naturæ creatæ, & imperfectæ conditio, vt sit cum sui diuisione communicabilis. Probatur ex opposito de natura diuina, infinitas est modus intrinsecus essentiæ diuinæ: at per hanc rationem est sine diuisione communicabilis quod est summa perfectio eius: ergo Angelica natura qua ratione est finita, & imperfecta postulat vt sit cum distinctione naturæ communicabilis; ergo non repugnat, sed cōuenit ratione suæ imperfectionis, & finitudinis communicabilitas cum diuisione naturæ. Item non est in Angelo perfectio excludens talem cum distinctione communicabilitatem. Probatur alias esset summè perfectus æquè, ac diuina natura, quia ei competit ex sua infinita perfectione, vt non sit cum diuisione communicabilis. Igitur si ex perfectione Angeli prouenit, vt nō sit cum diuisione communicabilis, vtique erit perfectus, atque infinitè perfectus, & consequēter conueniet ei cum identitate naturæ vt sit communicabilis, erit ergo æquè ac Deus.

Species quidem est de se communicabilis in infinitum.

13 Aliunde quoque constare posset Angeli vnius indiuidualis summa, immò infinita perfectio, siquidem species quantum est de se est communicabilis in infinitū; nulla enim species determinat sibi numerū indiuiduorū: si ergo includitur tota aliqua species in vnico Angelo, vtique Angelus ille vnus esset infinitus: tū verò cum intensiuè, participando totam intensiuam virtutem speciei; tum extensiuè æquiualēdo indiuiduis omnibus, quibus species communicari posset in infinitum.

Omnis quidditas vniuersalis, cōmunicabilis pluris.

14 Probatur Tertiò principale intentum: omnis quidditas intelligibilis sub ratione vniuersalis est communicabilis pluribus, sed Angeli natura est intelligibilis sub ratione vniuersalis, ergo erit communicabilis pluribus indiuiduis. Respondent vniuersale esse duplex, alterum, quod est intelligibile quidem ab intellectu sub ratione vniuersalis, attamen habet fundamentum à parte: alterum verò, quod à solo pendet intellectu, nullo extante fundamēto à parte rei: maior intelligitur de vniuersali primo modo accepto: Angelica verò natura non est sic vniuersalis, sed secundo modo.

Natura angelica non est de se hæc.

15 Arguo contra. & Primo natura angelica non est de se hæc, ergo est verè de se abstractiuè cōcepta vniuersalis cum fundamento à parte rei: antecedens patet, natura siquidem solius Dei est de se hæc, quia ei repugnat diuidi in pluribus Dijs: quapropter erit de se necessariò vna numero: omnis autem creata natura nullatenus est de se hæc, quō fit, vt de se sit communicabilis, nec de se sit singularis. Item, quod est de se hoc, est ens omninò necesse, independens, infinitum, cuiusmodi est Deus de se: hic rursus quod est de se hoc imbibit totam naturam sui generis, speciei, & indiuidui: cuiusmodi est Deus, est namque adeo vnus, vt cōtineat, & imbibat totum genus, speciemque, vt ita loquar, Deitatis: non sic Angelus; etenim non imbibit hic v.g. Angelus totum genus naturæ An-

gelicæ,

gelicæ: ergo nec totã speciem, nec omnia Indiuidua. Prob. assumpt. non imbibit totum genus, quoniam iam concedunt Thomistæ sub eodem genere contineri plures species angelicas: ergo vna species non imbibit totum genus angelicum: at si species vna non imbibit totum genus, cur est, vt vnum indiuiduũ imbibere habeat totam speciem? non est maior ratio de specie non imbibente totum genus, quam de indiuiduo, vt nec ipsum imbibat totam speciem.

16 Item datur in Angelis genus vnũ: dantur species plures; ergo dantur indiuidua plura sub eadem specie: maior patet, patet etiã minor, & probatur consequ. eadem ratio vniuersalis competens generi, competit & speciei, licet differant materialiter, quia materia de qua prædicatur genus saltim immediatè, est species: materia autem de qua prædicatur species sunt indiuidua: ergo sicut genus est vniuersale, ita erit vniuersale, & species, at genus vt vniuersale prædicatur de pluribus, ergo species tanquam vniuersalis prædicabitur quoque de pluribus, illud quidem de pluribus differentibus specie, hoc numero: Argumentum vrget, etenim quænam maior ratio, vt naturæ Angelicæ assignetur genus prædicabile de pluribus specie: & non assignetur species prędicabilis de pluribus numero. Dices, tota species imbibitur ab vnico indiuiduo angelico, ita dicam, totum genus imbibitur ab vnica specie angelica, itaut sicut vnicum sub specie assignas indiuiduum, sic vnicam sub toto genere assignes speciem: & si Angelum facis in sua specie, & indiuiduo de se hanc, ita quoque genus angelicum erit de se hoc: & si species cũ suo vnico indiuiduo erit vnicum solummodo, quia de se hoc; ita genus erit de se hoc, itaut non sit multiplicabile in multis; ergo sicut speciei assignas vnicum indiuiduum, tanquam continens totam suam speciem, ita generi assignabis vnicam solummodo speciem, tanquam continentem totum suum genus: at hoc esset euertere naturam generis; genus namq; est, quod prædicatur de pluribus differentibus specie: ergo consimiliter euertabitur tota natura angelicæ speciei, speciei namque specialissimę competit prædicari de pluribus differentibus numero.

17 Item isti contradictoria docent: & quidem species angelica aut habet rationem speciei, aut indiuidui, & singularis: si secundum ergo nõ habebit rationem speciei: patet, indiuiduum namque ex Porph. c. de indiuiduo, nõ est prædicabile de pluribus, species sic de pluribus indiuiduis: ergo erit primum: igitur habebit verè naturam specialissimę speciei: at speciei specialissimæ cõuenit ex sui natura prædicari de pluribus indiuiduis: ergo: Competit quoque verè ratio vniuersalis est namque vnum de quinque vniuersalibus ex eodem Porph. cur ergo negas habere rationẽ verè vniuersalis. Item species Porphyriana est vniuersale, nõ quidem à solo intellectu confictum, sed verè, saltim remotè, naturã indicat de se communicabilem pluribus. Species illa angelica verè sortitur ex ipsis nomen speciei specialissimæ, ergo etiam præter opus intellectus habebit in sui natura vim, & potentiam ad communicandum pluribus. Rursus, cur speciem hanc appellant speciem, & non potius indiuiduum, aut genus? potius quidem appellare deberent indiuiduũ, quam speciem; prob. aiunt de se esse vno contentam indiuiduo, nec posse prædicari de pluribus, at hoc non prędicari de pluribus indiuiduis est proprium naturæ solius indiuiduis, ergo speciem angelicam potius appellabis indiuiduum, quam speciem. Insuper destruis ipsammet naturã speciei; etenim proprium est speciei prædicari de pluribus numero: aufers ab ea hanc prædicationem, ergo destruis speciem. Præterea erit forsasse genus ipsa species; prob. omne superius prædicabile, vel prædicatur de pluribus differentibus numero, vel de pluribus differentibus specie: per te non prædicatur de pluribus numero, ergo de pluribus specie: ergo species specialissima habebit sub se plures species, quod implicat, cũ sit infima, id namque competit speciei subalternæ: igitur species iam nõ erit species, sed genus. Item omne quod est, aut est vniuersale, aut indiuiduum; non enim datur mediũ: at species hæc

non est indiuiduum, differunt namque admodum species, & indiuiduũ, vt est dictum: ergo erit vniuersale: at vniuersale est vnũ in multis, & dicitur de multis, ergo angelica species erit de multis.

18 Demum contra id, quod aiunt, esse vniuersale solum ex parte intellectus, arguo: applicatio hæc aut est cũ fundamento à parte rei, aut, sine eo, solo intellectu cogitante: si secundũ, ergo est fictitia species illa angelica; ergo gaudet solo nomine speciei, cum verè non sit species. Item sicut intellectus tribuit ei nomen speciei, ita tribuere posset nomen generis, atq; indiuidui, est namque opus vniuersale hoc solius intellectus per eos: & non est cur potius speciei nomen tribuamus quam non speciei, nam quod non est species, non prædicatur de pluribus differentibus numero: hæc species nõ prædicatur de pluribus numero, ergo non est species, & ita species non erit species: si dederis primum, ergo verè prædicabitur de pluribus, quod si hoc negaueris, destrues naturam vniuersalis & falsò speciem appellabis speciem: & perperam speciem appellabis vniuersalẽ, quia vel erit species, & vniuersale fictitium, & secundum solum nomen, vel si erit vera species, verumq; vniuersale cum fundamento à parte rei, contradictoria concedes, esse nempe verè vniuersale, at non esse prædicabile de pluribus, & commune pluribus, esse quoque verè speciẽ, attamen non esse prædicabilem de pluribus indiuiduis, nec esse communem singularibus, quæ omnia quam sint absurda, nemo est, qui nõ videat.

19 Arguitur Quartò principalitèr: animæ rationales multiplicantur sub eadem specie, ergo & sub eadem specie multiplicari poterunt Angeli antecd. patet, & prob. conseq. ratio, qua negãt Thomistæ multiplicationem Angelorum in eadem specie, est, quia carent materia: at animæ rationales carent insuper materia, & nihilominus multiplicantur, ergo & Angeli. Euasionem afferunt dicentes, quod licet Angelus, & animæ careant materia actuali, quæ sit altera pars compositi, essentialitèr eorum cõstitutiua, nihilominus anima habet inclinationem, & aptitudinem ad materiam, nempè ad informandum corpus, quam aptitudinem non habẽt Angeli: & propterea illæ multiplicantur, non illi. Responsio vtrque est apparens, & fuga: & quidem differentia hæc inter Angelum, & animam est solummodo tradita à posteriori, quandoquidem per aliquid prius conueniunt, & distinguuntur, quam per relationem ad materiam, & corpus: vndè arguitur, anima per prius accipit esse simpliciter, quã inclinetur ad corpus, vel vniatur ad corpus: ergo duæ animæ prius distinguuntur secundum se, quam per ordinem ad hoc, vel illud corpus; igitur Angelus, & anima per prius erunt inter se distincta, quam anima ordinetur, vel Angelus non ordinetur ad corpus.

20 Item prius est entitas alicuius absoluta, quam respectiua, seu relatio eiusdem: fundatur namque respectus super absolutũ, & propterea supponit absolutum: ergo prior erit entitas absoluta animæ, quã respectus siuè actualis, siuè aptitudinalis ad corpus: & per illam entitatem absolutam distinguetur ab Angelo prius, quã distinguatur ab eodem per respectum ad corpus. Insuper nullus respectus siuè actualis, siuè aptitudinalis, est de intrinseca ratione absoluti, alias absolutum esset essentialitèr ad se, & ad aliud: essentialitèr absolutum, & essentialitèr respectiuum: ergo respectus ad corpus siuè actualis, siuè aptitudinalis, non erit quid primũ in anima: ergo nõ distinguitur ab Angelo anima primò, & essentialitèr per respectum actualem, vel aptitudinalem ad corpus. Demum nil materiale est de intrinseca sua ratione, nec de per se primario conceptu entis spiritualis: respectus autẽ ad corpus habet quandam rationem materialis terminatiuè, quia terminatur ad informandum corpus, licet ex parte animæ non sit talis, cum sit anima spiritualis: ergo nõ erit de per se primario cõceptu ipsius animæ, nec consequentèr ab Angelo anima distinguetur per ordinem, & respectum ad corpus primario.

21 Arguitur Quintò, annihilet v.g. Deus Angelum hunc, in quo per se reperitur tota species atoma; velit inde

Deus

Deus reparare speciem hanc annihilatam (etenim annihilato vno indiuiduo in sententia eorum sequitur annihilari totam speciem illius indiuidui) vtique reparabit speciem per creationem alterius Angeli distincti ab Angelo annihilato: ergo dabuntur, licet successiuè, plures Angeli in eadem specie. Respondet Caiet. in eo casu non creari alterum Angelum, sed iterum creari, seu reparari Angelum annihilatum; id verò dicit, ne cogatur alterutrè pluralitatem. Vtrum autem responsio hæc sit ad mentem sui Doctoris, clarè patet, quod non; ratio quoniam D. Thom. docet in 4. d. 44. q. 1. non posse idem numero redire, dum forma substantialis ipsius compositi corrumpitur, quapropter poterit quidem idem homo resurgere, quoniam eadē forma substantialis manet, vt anima rationalis: ab hac enim trahit totum esse formale compositi: vndè si anima corrumperetur, non posset idem numero homo resurgere: ergo à pari nō posset Deus eundem numero Angelum reparare, si quidem tota forma Angeli esset annihilata, quomodo igitur potuit Caietanus asserere in sententia D. Thom. eundem numero Angelum redire.

Quidditas, quę non est purus actus potest contrahi ad plura indiuidua. 21 Sextò, quidditas omnis, quæ de se non est purus actus, potest contrahi per aliquid inferius ad existendum in ipsis inferioribus: Angelica quidditas non est purus actus: ergo: prob. antec. omnis quidditas, quæ non est de se singularis, potest contrahi ad singularia: patet in speciebus materialibus, vt humana, leonina, & huiusmodi, quę cùm non sint de se singulares, cōtrahibiles, sunt ad plura indiuidua; nulla autem creata quidditas est purus actus, patet, quia id solius est essentiæ Dei: ergo cū angelica quidditas non sit de se singularis, nec purus actus, erit contrahibilis ad plura.

Quod est de se hoc, est necessariò esse. 22 Confirmatur, quod est de se singulare, & de se hoc, id est ens necesse esse. Prob. quia nullum ens determinat sibi ex se existentiam, & singularitatem ad actualitèr, semperq; essendū, nisi illud sit ens necessariū; hæc namque differentia est inter creaturas, & Deum; quod creaturarum existentia, & singularitas non competit eis ex se, & à se, sed aliundè voluntate Dei liberè ponentis eas in actuali, & singulari esse: ipse autem Deus habet à se, & ex se, non expectando ab alio existētiam; eamq; possidet ab æterno, creaturæ in tempore; illaq; est inamissibilis, hæc defectibilis, vndè colligitur, quod competit soli enti necessariò esse singulare de se. ergo Angelus si esset singularis in sua specie de se, esset ens necessarium. Accedit quod ideo Aristot. docuit, intelligentiam esse singularē de se, & quod sit hæc de se, siuè de se hæc, quia æstimauit, intelligentias esse entia æternalia, & necessaria: Angelus nec æternalis est, nec ens necessarium. Et hinc denique arguitur, quod est de se hoc, id est vnicum solummodo in toto suo genere, & specie; patet, quia Deus cum sit de se hic, est vnicus numero in toto genere, & specie, vt ita loquar, Deitatis: ergo in toto genere Angelorum erit vnicus Angelus, in quo comprehendantur omnia indiuidua, omnesque species Angelorum, totumque genus eorum, sicut in vnico Deo comprehenditur tota essentia, & ratio Deitatis.

24 Hinc verò formatur altera ratio. Natura, quantum est de se, est communicabilis infinitis indiuiduis sub se, ratio, quia ex se non determinat v. g. natura humana, indiuidua tot quin plura, quibus sit communicabilis: ergo dato, quod non possit in natura angelica reperiri, nisi vnicus Angelus, ille solus cōtineret in se formaliter communicabilitatem infinitam suæ speciei, sicque esset formaliter infinitus. Natura creata non determinat de se tot indiuidua, quin plura.

25 Vltimò sententia hæc necdum hodie communis est; verū & antiquitus recepta à Schola Parisiensi, refellente prorsus, & abijciente sententiam oppositam. habent autem sic tres articuli Parisienses: Primò, *Si quis dixerit Deum non posse multiplicare formas sine materia, error*. Secundò, *Si quis dixerit formam non recipere diuisionem sine materia, error*. Tertiò, *quod formæ non recipiant diuisionem, nisi secundum diuisionem materiæ, error, nisi intelligatur de formis eductis de potentia materiæ*. hæc ibi. at cōstat, Angelos carere materia, ergo hoc non obstante possunt multiplicari numericè, ex quo ruit magis Sententia Parisiensiū. Articuli Parisienses.

principium illud, quod principium indiuiduationis sit materia: quod si esset verum, curreret sententia opposita; at quia falsum putamus, ideò negata materia, aliunde petito principio indiuiduationis, nō repugnabit multiplicari numericè sub eadem specie: hæc de possibili, quæ quidem maiori ex parte concludere etiam possunt de facto.

De facto plures Angeli in eadē specie.

26 Circa tamen Secundum, nempè de facto, ita iam euenisse, vt de facto plures creauerit Deus sub eadem specie: probatur id apertè ex Damasc. qui in Element. c. 12. ait, quem etiam Scot. pro se affert, *Secundum vnumquemque ordinem Angelorum, & Virtutum differentes hypostases condidit: nō solum hoc, sed etiam secundum vnamquamque speciem; vt vtique communicantes ad inuicē naturam gaudeant ad inuicem, & naturali beatitudine copulati ad inuicem ferantur, & amicabiliter dispensentur.* Caetanus ait, loqui Damascen. non ex proprio marte, sed ex sententia aliorum, quos tamen, inquit, non sequitur, vel loquitur de specie subalterna, non specialissima. At id gratis dicit, & quidem ita eum intellexit D. Bonau. vnde motus hanc sententiam sequitur; ita etiam intellexit eum Scotus, eumque affert in confirmationem suæ sententiæ. quod verò loquatur de specie specialissima, non subalterna inde deducitur, quod prius dixerat, *Secundum vnumquemq; Ordinem Angelorum differentes hypostases condidit.* declarans vero amplius quid perinde intelligat, subdit, *Non solum hoc, sed etiā secundum vnamquamque speciem &c.* itaut descēdere intendat à superiori quidem, dum dicit, *secundum vnumquemque Ordinem*, ad inferius speciei specialissima, dum subtexuit. *sed etiam secundum vnamquamque speciem &c.* Probatur item ex Nyssen. de opific. hom. c. 17. *Ad infinita propè millia esse diffusos, vt & vna natura, & multi esse numero possint.* Quid clarius? linquo Patres cæteros, consensus ampliori, ac manifestiori eiusdem Damasceni loco, is namque lib. 1. diu. instit. cap. 7. ita ait, *Ea, quæ indiuidua continent, species infimas vocant: cuiusmodi est Angelus, homo, equus.* En quomodo apertius est Damascenus: & si in prima sententia dubietas poterat suscitari, nūc adeò clarè se explicat, vt nulla relinquatur ambiguitas, quid enim dicere ad hæc poterit Caetanus? Athan. q. 3. *Dæmon ab Angelo differt non essentia, sed voluntate.* Igitur in eadem specie sunt plures.

Ne tota perisset species aliqua admittunt plures Angeli ex D. Thom.

27 Accedit ratio desumpta à Diuo Thoma, negat D. Thom. totam aliquā speciem Angelorum periisse in 3. d. 20. ait enim natura humana reparata est, ne tota perisset species humana: non autem reparati sunt Angeli: ergo dum Angeli singulares perierunt, non vtiq; tota aliqua species periit, alias reparati fuissent qui ceciderūt. Adde D. August. in Enchirid. cap. 28. Item ad ordinem vniuersi spectāt nedum genera, & species, verum & indiuidua. Ratio quoq; Damasceni conuenientiam auget; ait enim plures esse in eadem specie, ratio, *Vt communicantes ad inuicem naturam*, scilicet specificam, *gaudeant ad inuicem.* Confirmatur ex ratione D. Bonauent. *Multi Angeli ad idem ministerium deputantur, scilicet ad custodiam hominum, quod quidem signum videtur esse eiusdē naturæ.* Item præsciuit Deus ex multis speciebus angelicis aliquos fuisse damnandos; propterea ne tota aliqua species periret, plures ex eis in eadem specie creauit: quod elicitur ex eodem Aug. cap. 28. Denique ita factū esse probabilius apparet, Deus enim non maiorem egit curam de Angelis, quam de speciebus cæteris materialibus, at de his experimur, creatas fuisse cum multiplicatione indiuiduali, præter pauca, vt sydera, de quibus art. seq. ergo itidem dicendum de Angelis.

ARTICVLVS III.

Occurritur argumentis Articuli primi.

In abstractis à materia idem est cum eo, cui inest, declaratur.

1 AD Primum verò dicimus primò, regulam illam Aristotelicam veram esse in abstractis quidem, tum à materia partis, tum totius; quæ enim nec materiam habent, nec differentiam indiuidualem contrahentem, & determinantem per modum actus, ibi reperitur tum omnimoda identitas, tum omnimoda vnitas: huiusmodi est Deus carens tum materia, tum differētia indiuiduali contrahēte, cessat enim

ab eo

ab extratio actus informantis, & contrahentis, atq; ratio informabilis contrahibilis, ac determinabilis materiæ, de qua in tract. de simplicit. Dei. vbi vero adest quidē materia partis, adest tamen differentia indiuidualis contrahens, non habet locum præfata propositio Aristot. nec namque idem est, nec vnum est quod quid est cum eo, cuius est; potest namq; multiplicari per differentias indiuiduales ipsum, quod quid est specificum contrahētes; huiusmodi sunt Angeli carentes profectò materia partis, at non carentes differentia indiuiduali contrahente speciem ad hunc, & illum, illumq; numero distinctum Angelum; per multiplicationem verò talium differentiarū indiuiduantium fit contractio, & determinatio speciei ad plura angelica supposita numericè distincta.

Aristotelis error de intelligentijs.

2 Resp. 1. Aristotelem deceptum fuisse, æstimabat namque intelligētias esse entia necessaria, atque Angelum esse de se hunc: & propterea totam naturam includebat in vnumquodque Angelum, itaut vnusquisque indiuidualis Angelus sit solus in sua specie, imbibens, comprehendens, & exhauriens totam suam speciem. dum verò Theologi docent esse entia contingentia, non est vnicuique demus totam suam speciem, cum non sit de se hic, nec ens necessarium.

Auicēnæ error de intelligentijs.

3 Ad Secundum, error est Auicennæ, nō enim Angelus Angelum creat; cū creatio sit opus solius Dei, vt optimè Auicēnam confutat Scot. in 4. d. 1. q. 1. errauit quoque existimans esse entia necessaria, & vnum totam imbibere speciem.

Differentia formalis, & formarū nō eadem.

4 Ad Tertium, aliud est loqui de differentia formali, aliud de differentia formarum: loquendo de primo, idem importat, ac differentiam in forma, nempè in forma specifica: loquendo de secundo, idem denotat, ac differentiam suppositorum. applicando autē dicimus, in hoc casu esse vtique differentiam formarum, quia suppositorū, non autem differentiam in forma, ne detur intelligi, omnes distingui specificè: tunc autem differentia formalis est differentia specifica, quando est differentia in forma: sicut duo homines differunt inter se tanquam v. g. duæ formæ, nempè totius, seu totales, quod idem ac suppositū; quia differunt suppositaliter: at non differunt in forma, nempè forma specifica, cū conueniant specificè in humanitate: sic Angeli, qui qua ratione carent materia, appellantur formæ, differunt veluti duæ formæ, siuè tanquam supposita; at possunt cōuenire in forma, nempè ratione specifica formali.

Forma separata à materia continet totam speciem, declaratur.

5 Ad Quartum, verū est anteced. de forma abstracta à materia tum partis, tum totius, illa namque continet totam perfectionem speciei intensiuè, & extēsiuè; huiusmodi, vt diximus est Deus: qui vtique vnus, & impluribilis est, quoniam habet in se totum id, quod intensiuè, & extensiuè competere potest formali, & intrinsecæ rationi Deitatis, quia Deus est de se hic: & Deitas est de se hæc: quod denotat ipsam continere Deitatem adeo totā, vt non sit diuisibilis in alios Deos, vt falsò existimabant Gentiles: at huiusmodi non est Angelus, cum licet abstrahat à forma, & materia partis, non tamen abstrahit à forma, & materia differentiæ indiuidualis contrahētis ad hunc, & hunc Angelum suam speciē. Cum ergo eius species sit in potentia, vt contrahatur ad plures, & distinguatur in pluribus, seu participetur à multis non est cur vnus, solusque totam comprehendat speciem. Ad illud de albedine dicendum, quod si metaphysicè sumatur, vtique totam in se continet speciem albedinis: quod si sumatur physicè, id vtique falsum; etenim cum recipiat latitudinem graduum, dum contrahitur physicè, partim ad hoc, partim cōtrahitur ad illud singulare physicum albedinis, diuersimodè, non autem totalitèr ad vnum. Dices Gabriel habet totam perfectionem suę speciei; verum intensiuè, non autem extensiuè: ratio primi, quia nihil sibi deficit de sua specie; ratio secūdi, quoniam non continet proprietates indiuiduales cæterorum Angelorum: sicut Petrus habet intensiuè totum, quod hominis, in quantū homo specificè potest conuenire: non autem habet totum, quod cōuenire potest hominibus indiuidualitèr, singularitèr, & contractè,

ctè, adsunt enim proprietates indiuiduales, & conditiones indiuiduantes, quæ adeò sunt vnius suppositi, vt non sint alterius, vt constat.

Ordo indiuiduorum intenditur per accidens, declaratur.

6 Ad Quintum, licet ordo specierum, & sit perfectior, & primò intentus à natura, non tamen est denegandus ordo quoq; indiuiduorum, vbi is possibilis est. Cum dicis ordo indiuiduorum intenditur per accidens; non sequitur ex hoc, vt sit negandus omninò; etenim ex tali ordine aduenit ostensio diuinæ bonitatis, atq; maior perfectio Vniuersi; multa enim fiunt per accidens, quæ tamen valdè condecorant Vniuersum; nihil est, quod non intendatur ab Intelligentia non errante. ex argumento autem concluditur solummodò, quod ordo specierum est perfectior, non autem quod ordo, & multiplicatio indiuiduorum non sit ponenda: vtrumque enim est ponendum, licet ista per se primò, ista per se secundò, iuxta naturæ, vel perfectionis Vniuersi conseruationem, & exigentiam, reddendo singula singulis. immo perfectius est dare duos homines v. g. & duos Leones, quam in vnaquaque specie vnum solum hominem, vnicumq; Leonem: nedum ratione multiplicationis, & cõseruationis speciei, verum quantum est de se: ita perfectius erit dare duos Cherubinos, duosq; v. g. Seraphinos, quam in vnaquaque specie, vnum Cherubinum, vnum Seraphinũ. Ad inconueniẽs de infinitate negatur; etenim non valet arguere, natura abhorret infinitum, ergo & pluralitatem: infinitum quidem numerum Angelorum negamus, cum negatur actu dari infinitum; ob indè verò nõ est neganda pluralitas, quæ nõ necessariò adfert secum infinitum.

Multitudo indiuiduorũ ponitur propter cõseruationẽ speciei, declaratur.

7 Ad Sextum, resp. 1. propositionẽ illam vniuersaliter tentam nõ esse veram, ac propterea nõ verificari de omnibus speciebus. Resp. 2. locum habere in speciebus rerum materialiũ, quapropter excluditur ab Angelis alioqui immaterialibus: eę enim in dies corrũpuntur, siuè indiuidua carũ in dies decidunt, pereunt: quapropter ne species pereat, produci denuò postulat indiuidua: deperit enim species pereuntibus indiuiduis, & manet manẽtibus, species namque (metaphysicè loquendo) non pendet quidem ab indiuiduis, at spectata physicè, vna cum sua actuali existentia extra causas suas, vnaque cum conditionibus indiuidualibus indiget pluribus indiuiduis ne pereat: cũ verò deperire sensim indiuidua, multiplicare ea necesse est, vt successiuè cõseruetur spes. hæc ratio nõ militat in Angelis, cũ illi specificè, tum numericè, & indiuidualiter incorruptibilib'. Resp. 3. argui à nõ causa præcisa, tanquã à causa præcisa, non enim conseruatio speciei est causa præcisa multiplicationis indiuiduorum; nec est causa adæquata, sed inadæquata, & non præcisa.

Ratio multiplicationis indiuiduorum sub eadem specie, quæ sunt.

8 At quę nam ergo ratio multiplicationis? Resp. 1. ideò multiplicari, quia eorum natura de se est pluribus communicabilis: omnis namque species, vt sic, est communicabilis: Natura autem vel quidem est infinita, vel finita: si primam, erit quidem pluribus communicabilis, at in identitate naturæ, vti est natura diuina, vt est dictum antecedenter. si secundum, erit communicabilis cum distinctione naturę, vt iam diximus. Resp. 2. multiplicari indiuidua creatæ naturæ ad ostendendam magis Dei bonitatem, atque diuitias Thesauri sapientiæ, & omnipotentiæ suæ, vt ipse magis, magisque reddatur laudabilis, atq; amabilis per tot, totque indiuidua cuiusq; speciei, prout Dan. 7. vidit. *Millia millium seruiebant ei, & decies centena millia assistebant ei.* Et tertiò ad augendũ ornatum, ac perfectionem Mundi supera cęlestis; quam enim speciosum redditur Empyreum ex cõsortio tot millia Angelorum. ipsimet Cęli ex motu Angelorum *enarrant gloriam Dei*: atque Mundus ipse subcęlestis quam benè custoditum se fatetur ex Sanctorum Angelorum, tum hominum, Custodum, tum Regnorum, Prouinciarum, tumque totiusmet Orbis Patrocinantium, atque Rectorum; dictæ rationes pro Angelis, quarũ prima, & secunda communes quoq; sunt, & alijs materialium speciebus, non admittunt pro ijsdem Angelis rationem conseruationis speciei, quæ ratio peculiaris est rerum materialiũ; sicut enim creantur Angeli à solo Deo, ita conseruantur immediatè ab ipso Deo.

9 Ad

[illegible]

9 Ad illud de Astris, existimauit Aristot. vnumquodque Cælum, & vnumquodque astrum inhibere, & comprehendere totam naturam tum actualem, tum potentialem suæ speciei, itaut tum simul, tum extensiuè totam, & totaliter participet eam, neque vllo pacto possit cōmunicari alijs indiuiduis, existimauit quoque, esse entia necessaria, & sempiterna; quapropter negauit posse fieri multiplicationem de eis. Theologi verò discrepant: & cum Cælos, & astra entia contingentia existiment, neque sempiterna vt fides docet initio Gen. *In principio Deus creauit Cœlum, & Terram*, nec necessaria esse dicant, sed à voluntate Dei ad nutum dependentia, ideo multiplicationem potentialem, & aptitudinalem in indiuiduis pluribus potentialibus admittūt eorundem astrorum, licet neget actualem. ideoque Sol, Luna, & Planetæ quilibet & si actualitèr non multiplicentur, multiplicabiles tamen esse potentialitèr. Cur verò actu non multiplicentur, inde supponit ratio, quia Cæli creati sunt propter huius Vniuersi gubernationem per lumen, motum, & influentiā: at naturæ Author Deus æstimauit vnicum in propria specie sufficere, vt vnicum Solē, vnicam Lunam, & sic de singulis, ideo ea non multiplicauit numericè. & quidem si plures, pluresq; Soles creasset, eueniret vt semper dies esset in vtroque Emisphærio, & nusquam nox: & si plures, pluresque Lunæ essent, quando quæ so contingeret, vel nouilunium, vel plenilunium, cæteraq; singulariter, & de raro apparentes tum Solis, Lunæ, tum astrorum aliorum mutationes: quæ quidem vtique tunc essent, & multò sæpius euenirent, at nobis nō ita adsūt nunc de facili, vt contingit: dum namque Sol vnus occideret, alter oriretur: & dum vnus supra nostrum Zenith eleuaretur, alter vel oriretur, vel occumberet: denique tot in nostro, atque Antipodum Emisphærio soles essent, nusquam nobis, vel ipsis nox contingeret: nusquam etiam distinctionem diei in mane, meridiei, ac vespere experiremur, siquidem dum alter occumberet, alter oriretur, vel supra Zenith meridiem faceret, vndè distinguere nesciremus inter mane, vespere, meridiem, noctem, ac diem, sicque de Luna; etenim dum vna Solem assequeretur in nouilunio, altera ab ipso recederet in opposito: & dum vna nobis occultaretur in consortio, altera nobis panderetur in plenilunio: dumque altera pateretur eclypsim ex terræ interposito, altera nobis collucesceret facto iam Solis diuortio; magisque tūc verum esset, quod cecinit Vates. *Et facies Lunæ variat, solisq; labores*, ob hæc, & huiusmodi, de quibus penès alios, non æstimauit optimus Naturæ Conditor plures creare Soles, plures Lunas, sicque de cæteris astris in sua specie. At verò Angeli creati sunt, vt diuina fruantur gloria: & ob id, quo magis numero crescūt, eo magis diuina semetipsam fruendam communicat Dei gloria: vt inuicem angelico propriæ speciei fruantur consortio; cur namque in eadem humana specie consortio copulantur familiari, & domestico homines: & non itidem intra eandē speciem Angeli? Accedit quod dubium est, vtrum omnia sydera differant specie: & licet id probabilius sit de Planetis, & Cælis integris; de Stellis tamen firmamēti non adeò improbabile est esse in eadem specie: quamuis & hæc quoque æstimem differre specie.

Astra in eadem specie multiplicari possunt.

Soles, Lunæq; plures dari possūt.

Cur de facto nō dantur.

Astra omnia an differant specie.

10 Ad illud de Fenice iam vulgus ita æstimat: nihilominus non attestamur id, sed dicimus plures esse Fenices. & quidem probari potest ex eo, quod Moyses enarrat tēpore diluuij, ingressa fuisse in arcam volatilia septena, & septena, ergo plures erāt tūc Phœnices: immo ex alio capite, plures etiam tunc extitisse; quandoquidem de vnaquaq; specie terrestri, & aerea perierunt plurima indiuidua: ergo perierunt quoq; plurimi Phœnices: illis autē peremptis remansissent alij Phœnices, vt Domini præceptum adimpleretur ad cōseruandam speciē. verum quia ex omni specie volatilia in Arca erant, mas, & fœmina, vt exeuntia ex Arca per propagationem seminalē multiplicarent speciē; hinc Phœnices Arcæ, exeūtes inde propagare potuerunt, & multiplicare speciem. Item aiūt Phœnicem accenso rogo comburi: ex eius vero cineribus generari vermem, ex quo tandem

Phœnices an plures.

Phœnicis mors, & renouatio an vera.

vermi

vermi produci iterato Phœnicem: hoc quidē duplici ex capite falsum est; primò quia non potest naturaliter idem numero corruptum reparari: quomodo ergo aiunt eundē renouari Phœnicem: nisi tamen intelligāt de renouatione eiusdem in specie, at hoc est falsum, quia animal perfectum nō producitur ex putri materia, nec ex vermibus, sed per propagationem seminalē: est vero perfectū animal Phœnix; falsū ergo inuentum produci ex putredine, & corruptione vermis. Demum plures quandoq; visi fuerūt Phœnices coniunctim, & simul apud veteres, vt Conimbricenses referunt lib. 2. de cœl. cap. 3. q. 6. quapropter fabulosum est inuentū de vnitate Phœnicis. Accedit, quod si animalia imperfecta multiplicātur numericè in specie eadē, multo amplius dicendum de perfectis; cum multiplicatio competat eis ex perfectione naturæ. Vel vnicū esse aiunt Phœnicem, quia adeo rarò apparent, vt vel censeatur, vel videatur esse vnus, ideo &c.

Phœnices plures quandoque visi.

11 Sed quid dicendum ad Patres? Resp. eos sensisse ita cum vulgo, & ad communem vulgi vocem adhæsisse. Secundò dicendum Patres vulgi opinione vsos fuisse, vt argumentarentur contra hereticos resurrectionē negantes, tanquam ad hominem; ex eorum principijs; si namque concedunt heretici Phœnicem interire, atque inde iterum ad vitam regredi, & renouari, cur negant hominem per Dei potentiam, posse iterato viuere, & ad nouā vitā resurgere? Eo magis, quo renouatio Phœnicis cursui tribuunt causarum naturaliū, resurrectio verò hominum causæ supernaturalis Dei est opus. Vtrum autē Patres verè id crediderint de Phœnice, quicquid sit, id apertum, eos ex concessis ab hereticis de Phœnice nostrā inde astruere resurrectionem.

Patrum sensus de Phœnice.

12 Ad Nonum, in iis, quæ sūt eiusdem speciei, non datur quidem prius, & posterius essentialiter, talis namque prioritas, & posterioritas stat cum distinctione specifica essentiali: datur verò prius, & posterius numerale, indiuiduale, singulare, personale: & hoc non destruit speciem, sicut indiuidua non destruunt speciem, sed in materialibus conseruant speciē, & in spiritualibus, vt Angeli, ostendunt quā sit perfecta species: prius verò, & posterius essentialiter est idem ac prius, & posterius perfectione specifica, & in eadem specie vnum indiuiduum non est perfectius altero specificè.

In eadē specie non datur prius, & posterius essentialiter.

13 Ad Decimum, falsa maior loquendo de materia partis: vera de materia totius, quæ est vltima realitas ipsius compositi, siue hecceitas; cum ergo esset illa in Angelis, & sit ista, ideo stat multiplicatio, & distinctio indiuidualis; hæc enim est effectus differentiæ indiuidualis, quæ quidem reperitur in Angelis pluribus contrahentibus specificam naturam adesse indiuiduale. Negatur etiam inde, vt fuit deductum, materiam partis esse principium indiuiduationis, sed hecceitas, & differentia indiuidualis, siue vltima actualitas, ac realitas ipsius rei.

Distinctio numeralis sumitur à materia, declaratur.

14 Ad confirmationem, vtique distinctio specifica desumitur à forma specifica: distinctio autem numerica desumitur à forma totius, quæ est differentia indiuidualis, & vltima actualitas compositi, atque vltima realitas, quæ meritò appellatur vltima forma indiuidualis rei: non autem à materia.

Distinctio specifica vnde desumitur.

15 Dices Arist. 5. met. t. 15. ait, *materiam esse causam distinctionis, & multiplicationis*. Resp. 1. non loqui de materia, quæ sit altera pars compositi, sed de materia, quæ est vltima actualitas rei, seu differentia indiuidualis, & ista est, quæ formaliter multiplicat supposita. Resp. 2. loqui de diuisione continui, hæc autē fit super ens quantum, & materiale; numerus namque talis, & distinctio fit ex diuisione continui, vt ipsemet alibi loquitur.

Materia est causa distinctionis, & numerationis, declar.

QVÆSTIO III.

Verum Angelus, & Anima differant ſpecie?

Distingu. Ex com. muni modo loquendi.

1 Circa diſtinctionem Angeli ab anima, vel parum, vel nihil diſcordant Theologi; conueniunt ergo dicendo diſtingui ſpecie Angelum ab anima. Verum verò abſolute concedenda ſoquentio, videbitur infra: ſuppoſito autem iam diſtingui ſpecificè, vario modo probatur à D. Bonau. D. Thom. & Scot.

Probat D. Bonauent. & D. Tho.

2 Probatio, & medium D. Bonau. deſumitur ex ordine, atque negatione euiſdem ordinis ad materiam, ſiuè ad corpus, diſtinctionis, ergo principium deſumitur ex eo, quod Angelus non informat materiam; anima informat corpus; ergo ex hinc diſtinguitur Angelus ab anima. Medium D. Thom. deſumitur ex parte diſcurſus, vel negatione diſcurſus. Anima ſiquidem diſcurrit, Angelus non diſcurrit, ergo ex hinc diſtinguitur Angelus ab anima, ita 1. part. q. 58. art. 3. cuius quoq; ſententiæ eſt Henric. quodlib. 1 q. 8. hæc ſunt media horum Doctorum.

3 Scotus circa probationes iſtas, fundamentum D. Bonauenturæ non abſolutè reijcit tanquam falſum, ſed quatenus non probat intentũ à priori: fundamentum vero D. Thom. & Henrici reijcit abſolutè, vt nec verum ſit, nec verè probet.

Forma finis materiæ, nō ē contra.

4 Circa fundamentum D. Bonau. probatio eius nō eſt à priori, ſed à poſteriori, vt à poſteriori concludat diſtinctionem Angeli ab anima. Probatur: Forma eſt finis materiæ, non autẽ materia eſt finis formæ ex 2. phyſ. t. 25. & 2. de an. t. 52. igitur formæ nõ diſtinguuntur penès ordinabilitatem, & nõ ordinabilitatẽ ad materiam, ergo Angelus & anima non diſtinguuntur penès ordinem, ac negationem ordinis ad corpus. Confirmatur, idem Ariſt. vbi ſup. docet, *Membra Cerui differre à membris Leonis, quia anima Cerui differt ab anima Leonis*: ſtat ergo differentia membrorum penès differentias animarum, non autem ſtat animarum diuerſitas penès diuerſitatẽ membrorum, igitur ſtabit Angeli, & animæ diuerſitas, non autem ex differentia ordinabilitatis, vel non ordinabilitatis ad corpus.

5 Sed dices, etiam anima Leonis, & Cerui differunt, quia corpus Leonis differt à corpore Cerui; Prob. etenim Leonis anima ordinatur ad corpus Leonis, nõ ad corpus Cerui: & anima Cerui ad corpus Cerui, non Leonis. Item ideo Leo rugit, v. g. atque ferociſſimus eſt beſtiarum, & tantopere eſt vorax, & huiuſmodi, quia corpus aptatum habet ad rugiendũ, ad diſcerpendum, ad deuorandum: hæc autem præſtare nequit nec Ceruus, nec timidus Lepus; differentes namque valdè ſunt operationes Cerui, & Leporis ab operationibus Leonis, ergo animæ eorum differunt penès ordinem ad corpus. Reſp. differentiam hanc deſumi tanquam à poſteriori; ſiquidem differentia Cerui, & Leonis deſumitur ab ipſorum anima tanquam à priori; à corpore vero, membriſque, ſiue operationibus veluti à poſteriori: vt etiam amplius patebit. Dato namque, quod ignoraremus qualis naturæ ſit Leo, Ceruus, & Lepus; vtiq; ad operationes accederemus, ignorato etiam quænam animalia hoc in claſſulo includantur, cuiuſnam virtutis, potentiæ, roboris, animique, ſiuè velocis ſint, ad membra vtique, atque ad formam corporis accurrimus, vt talis formę corporis, taliumque membrorum cernentes eas, dicamus inde, hic, Leo; hic Ceruus; hic Lepus eſt, ſicque de alijs.

6 Circa fundamentũ vero D. Tho. diſplicet Scoto, vt Angelus neget diſcurrere, indéq; differẽtia ſit admittenda cum anima, vt non diſcurrat; ratio, quia anima quoque circa prima principia, ſimplici cognitione cognita, nõ diſcurrit, non .n. poterit principia illa deducere ex anterioribus principijs, alias non eſſent prima, vnde ſimplici apprehẽſione ſine diſcurſu apprehendit: hinc verò dum pari paſſu currit,

Diſcurſus nõ eſt circa prima principia.

vt nec Angelus circa ipsa principia discurrat, ne quaquam distinguētur inuicem specificè. Item anima beata circa obiectum beatificum nō discurrit; discurrit namque circa obiectum naturale, siquidem hoc potest viribus naturæ ad libitum attingere, illud non; cum illius tantam, talemq; notitiam habeat, quantā, qualemq; sibi Dei voluntas immittit. Verum de hoc satis, infra enim quæstionem habebimus, vtrum Angeli discurrant.

Hæc circa obiectū beatificum.

7 Insuper hi diuersum habent modum intelligendi, vt hinc sumatur differentia eorum specifica, igitur semper differentes erunt specificè, & essentialitèr in visione beatifica, semperque beatifica visio Angeli cuiuscunq; erit eminētior omni beatifica visione animæ, sicq; nulla anima erit aliquo Angelo superior in visione beatifica, neque beatior. Prob. omne indiuiduum, etiam infimum speciei superioris est eminētius omni indiuiduo speciei inferioris, etiam perfectissimo in tali specie inferiori, vt infimus homo est nobilior nobilissimo equo, & Leone: igitur infimus Angelus erit beatior omni, etiam perfectissima anima humana: ergo erit etiam eminentior in beatitudine ipsa anima beatissimæ Virginis, & Christi Domini. Respondent Aduersarij disparitatem aduenire ex lumine gloriæ; cum namque maius sit in anima Christi, & Virginis, inde visio Christi, & Virginis excedet visionem Angelicam. Sed arguitur, etenim etiam intellectus anima erit asinè, vt probabile est, apud Scot. ac plerosque: igitur desumetur quoque differentia specifica penes intellectum: ergo ratione intellectus visio beatifica Angeli erit semper eminentior specificè visione animæ Christi, & Virginis. Confirmatur, quia visio est actus vitalis, ergo postulat intellectum, vt causam eius vitalem. Verum de hoc in materia de beatitudine.

8 His adstructis dicimus primò, Angelus, & anima differunt tanquam species, & pars speciei. Assertio est aliquatenus diuersa à communi eloquio: aiunt namque Theologi communitèr, differre specificè: nobis verò aptior apparet loquendi modus recensitus. Et prob. anima non est species, Angelus in sui natura facit speciem: ergo non distinguuntur vt duæ species. Prob. antec. anima non est ens completū, est namque pars, quia est forma: species verò est ens completum; siquidem constat ex genere, & differentia completa: Angelus autem facit integram speciem: est enim ens totum, integrum, & completum constans ex differentia, & genere, nec est pars, nec forma, ergo non distinguuntur vt duæ species completæ. Dices, etiam anima constat ex genere, & differentia. Resp. licet ita sit, nihilominus nō sufficit hoc ad faciendum ens perfectum, & completum, sed requiritur vltra vt tale ens non sit ordinabile ad aliud tanquam forma, vel pars, vel inhærens, & dependens ab eo. Exemplum de hac albedine singulari, quæ quidem constat ex genere qualitatis, & differentia propria: attamen remanet adhuc, vt sit ens imperfectū, quia non est ens per se subsistens, sed inhærens, & dependens à subiecto, atq; informans illud: anima quoque licet non dependeat, neque inhæreat; nihilominus est pars hominis, & forma corporis, ideóq; nō appellatur ens vndequaque completum.

Differunt tanquā species, & pars speciei.

Angelus facit speciem, non anima.

Speciē quā nam constituit.

9 Probatur rursus, anima non reponitur in prædicamento substantiæ directè, Angelus ponitur directè, ergo non differunt vt duæ integræ species. Maior prob. quæ enim directè reponuntur, sūt entia integra, & completa, anima iam constat esse partem, ens nō integrum, quia anima ex se sola non facit hominem integrum: Angelus de se completum & integrum ens est, cui nihil deest. Insuper anima non est ens per se subsistens, est enim communicabilis: at in prædicamento directè reponuntur entia per se incommunicabilitèr subsistentia, huiusmodi autem est Angelus: cum ergo anima indirectè, & reductiuè ponatur, etenim totus homo reponitur directè, Angelus verò reponatur primò, & directè in prædicamento, sequitur, vt in rigore philosophyce loquēdo, non dicamus differre tanquam species, & species, sed tanquam species, cuiusmodi est Angelus, & tanquam pars speciei, cuiusmodi est anima: est Scoti in 2. d. 1. q. 6.

Anima in prædicamēto indirectè, Angelus directè.

Anima non est ens per se subsistēs, Angelus se

10 Di-

[illegible] 10 Dicimus Secundò, Angelum & animam differre essentialiter ex suis intrinsecis rationibus formalibus, hæc est ratio distinctiua à priori. est eiusdem Scot. Ratio vniuersalis tum pro ipsis, tum pro cæteris est, quoniam sicut esse suum primò, & à priori est à propria forma; ita distinctio vnius ab alio est à propria cuiusque essentiali forma. Rationes verò inde sumptæ penes ordinabilitatem ad informandū corpus in anima, & negationem talis ordinabilitatis in Angelo, sunt quidē veræ, & aptæ, attamen censentur esse rationes à posteriori: quemadmodum rationes etiam petitæ ex operationibus vtriusq. erunt à posteriori, rationes tamen petitæ ex principijs vtriusq. erunt à priori: priora namq. sunt essentia, formæ, & principia, & ideò ex hinc rationes petendæ primo erunt veluti à priori.

Rationes differentiæ à priori ignorantur. 11 Postulabis, quęnam verò sint rationes istę petitę à priori. Prima in promptu adest, & facilis responsio, eas prorsus ignorari, testis est Aristot. dicens, *Plurimas differentias rerum esse nobis ignotas*. Et quidem id incompertū est nobis, siuè ratione status viæ; siuè ratione ordinis potentiarum, dum intellectus alligatus sensibus dependet in intelligendo à phantasmatibus; Angelus autem, & anima cum sint entia spiritualia, non cadunt sub phantasmatibus, siuè denique ratione peccati, vt loquitur August. Nisi tandem recursus ad operationes, ex quibus vt diximus, proprias, vltimasque rerum differentias colligere possumus tanquam à posteriori. Quod si vel primum, vt est concessum, vel etiam ignoretur secundò,

Respondetur ad effugium Scoti, sed legitimū vbi causa ignoratur. recurrendum ad effugium Scoti, ideo hoc distingui v. g. ab alio, quia *hoc est hoc, & illud est illud*: idest quia *hoc est huius naturæ, & illud illius*, neq; tamen id verè erit effugium, sed solida ratio, quia Aristoteles dixit, *insipientissimi animi est rerum omnium causam quærere*.

Angelus, & anima natura pares declarantur. 12 Obstatur aduersus dicta, & primò August. de lib. arb. lib. 3. ait, *Angelus, et anima sunt natura pares, officio impares*: ergo in natura non differunt specie, vel quasi specie. Secundò, differunt specie, ergo vnumquodque indiuiduū naturæ Angelicæ erit beatius, & gloriosius quocumque indiuiduo naturæ humanæ. Prob. quoniam cum est nobilius, vtpotè nobilioris speciei, erit vtiq; capax maioris beatitudinis, eritq; beatius anima Virginis, & Christi. Tertiò distinguūtur specie eorum Essentiæ, ergo potentiæ quoque eorum intellectiuę distinguentur specie. Prob. nam ad distinctionem essentiarum sequitur distinctio potentiarum, inde etiam sequitur, operationes quoque intelligendi vtriusque distingui specie, siquidem potentiæ distinguuntur per actus: immò etiam obiecta distinguētur, itaut non possit idem obiectum esse terminus intellectionis vtriusque, quoniam potentiæ distinguuntur per actus, & actus per obiecta.

13 Resp. ad Secundum, loquēdo de capacitate naturali, vtique Angelus excedit capacitatem totius naturę humanæ, sicut enim natura angelica in naturalibus est nobilior quàm humana, ita eius capacitas naturalis erit præstantior capacitate naturali humana: hæc pro nunc, inquit Scot. nam vtrum sit verū, capacitatem naturalē Angeli esse maiorem, videbitur in 3. d. 13. & 14. & nos tract. de Incarnat. disp. de Gratia Christi quęst. 1. loquendo autem de capacitate morali, siuè meritoria, capacitas Virginis, & Christi, nobilior est capacitate omnium Angelorum, quia capacitas Christi, & Matris meritoria superat omnia merita Angelorum. ita de aliquibus quoque Sanctis, quorum aliqui possident maiorem gloriam aliquibus Angelis, vtpotè quia habent præstantiora merita. Capacitas naturalis, moralis. Dices, in gloria satianda est tota capacitas Beati, ergo satiabitur quoque capacitas tota naturalis Angelorum: hæc verò capacitatem naturalem animæ. Resp. in gloria satiari solummodo capacitatē meritoriam, quia iuxta mensuram meritorum dabitur gloria: non autem explebitur tota capacitas naturalis; etenim anima, & Angelus capaces sunt naturaliter maiori gloria, nihilominus nō dabitur gloria nisi secundum mensuram meritorum, non autem secundū mensuram ipsorum naturalium. Beatorum qualis capacitas satiatur.

14 Ad Augustinum, quod erat primum in ordine. Resp. sumi Angelum, & animam obiectiuè; sic namque sūt natura pares; quoniam ipsorum intel-

lectualis natura ordinatur ad Deum intelligendum, amandum, colendum, fruendum; est enim obiectum vtriusq; beatitudinis.

Distinctio non tanta in cõtentis, quanta in continentibus.

15 Ad Tertium negat Scot. sequelam; vnde docet non reperiri tantam distinctionem in contentis, quanta in continentibus vnde fit, vt licet Bos, & Aquila distinguantur specie, potentiæ tamen eorum visiuæ nõ distinguantur specificè; Item Homo, & Leo distinguuntur specie, animal tamen repertũ in eis non distinguitur specificè: sicut Equus, & Leo distinguuntur specificè, tamen vnitas, passio entis, non distinguitur specie: igitur intellectiuitas animæ, & Angeli nec distinguetur specie.

16 Dices, Essentiæ sunt alterius rationis, ergo quæ pullulant ab Essentijs erunt alterius rationis. Item intellectiuitas Angeli, est realiter eadem cum Angelo; intellectiuitas animæ est eadem ex Scot. cum anima, igitur si essentia Angeli, & animæ distinguuntur specificè, distinguentur quoque eorum intellectiuitates, seù potentiæ intellectiuæ. Resp. potentias intelligendi, siue intellectiuitates si considerentur fundamentaliter, vtique distinguentur inter se specificè, sicut specificè distinguuntur eorum fundamenta: idem esto iudicium si spectetur identicè realiter, vt sic namque identicè sumptæ distinguuntur specificè, sicut distinguuntur res ipsæ, quibus sunt idem realiter: at spectatæ formaliter, poterunt esse eiusdem rationis specificæ, quia formaliter distinguuntur ab Angelo, & anima.

17 Ad illud de operationibus, si spectentur obiectiuè, poterunt esse idem specificè, atque genericè, immo numericè, cum terminari possunt intellectio Angeli, & animæ ad obiectum idem genere specie, & numero: at spectatæ fundamentaliter, siquidem spectemus fundamenta eorum remota, vt amborum essentiæ, distinguentur vtriq; specificè, quia iam essentiæ distinguuntur specificè: si spectemus fundamenta proxima, vt potentias intellectiuas, volitiuas, & huiusmodi, tunc erunt eiusdem rationis specificæ: ita speculandum est, vt saluetur præfata doctrina Scoti de identitate potentiarũ vtriusq; specifica.

Finis Tertiæ Disputationis.



DISPV-

DISPVTATIO IV.

De Aeuo mensura Angelorum.

QVÆSTIO I.

Quid sit Aeuum.

Aeui significata.

1 
nominis consignificatione incipientes dicimus. Aeuũ ad plura trahi significanda, & quidem significare solet longam rei alicuius durationem, ita Exod. 21. *Erit seruum in Aeuum*, idest ad longũ tempus, siue ad totum propriæ vitæ tempus: item Esdr. lib. 1. c. 2. *Ciuitas illa ab Aeuo.* & c. 4. *Maiestas, et potestas Aeuorum est apud te Domine*: idest potestas Potentum longo tẽpore in sua dominatione vincentium. Insuper trãsfertur quandoque ad significandam æternitatem, vt Eccles. 18 *sicut calculus arenæ, sic exigui anni in die Aeui.* sensus est, q; sicut se habet exiguitas, & paruitas minutissimi granuli arenæ maris, ita se habent anni nostri respectu æternitatis. Prouerbiorum etiam 8. dicitur de sapientia; *Cum illo fuit semper, & est ante Aeuum*: quo loco intelligitur æternitas, non quidem pro Aeuo, sed pro eo, quod est ante Aeuum: & quidem sumpto Aeuo pro longissima periodo, atq; duratione, vtique ante omnem durationem fuit æternitas: siue enim spectemus tẽpus, quod est duratio corruptibilium; siuè Aeuum, quod est duratio rerum creatarum immaterialium, siuè instãs indiuisibile; siue quamcunque imaginabilẽ mensuram entis creati ante eam præcessit omninò æternitas. Sumitur quandoque pro æternitate participata loquendo largè de æternitate, spectata solùmmodò ratione eius à posteriori, quatenus nullatenus desectura: sicque Matth. 25. *ibunt in ignem æternum, in supplicium æternum*: quod intelligit de Aeuo Scot. in 4. d. 49. q. 6. litt. E. & L. sicut vice versa ipsamet æternitas sumi solet pro Aeuo, quod patet tùm loco recensito; tùm ex 3. Gen. *Ne sumat de ligno vitæ, & viuat in æternum*: qui locus pro æternitate intelligitur Aeuum, atque longum tempus, ex Lyrano ibid. atque Scot. in d. 19. q. 1. sicut & Dan. 3. *Rex in æternum viue*, idest in sæculum, quod sumi solet pro spatio centum annorum, siue ad aliud longius tempus viue.

Aeui descriptio prima.

2 Habita vtcumque nominis explicatione, sic potest describi Aeuum. *Aeuum est mensura entis creati permanentis, & vniformiter se habentis, dum manet.* Dixi entis creati, etenim eminentiori mensura metiendus est Deus, ea est autẽ æternitas, Aeuum vero metitur ens creatum. Dixi permanentis, & vniformiter se habentis. quæ namq; permanentia non sunt, sed successiua, nec vniformem seruãt modum in permanendo alia metienda sunt mensura, vt tempore. Descriptio hæc patebit amplius applicãdo passim eam Angelo, alijsque, quorum mẽsura sit Aeuum. Alia in quæst. in fine.

Aeui differentia a cæteris mensuris.

3 Hinc verò differentia sumitur aliqualis inter Aeuum, aliasque mensuras; & quidem differt ab æternitate; hæc enim vt diximus est mensura entis increati; Aeuum entis creati. Ista est mensura entis necessarij, infiniti, independentis habentis esse à se: Aeuum entis contingentis, finiti, dependentis, & habẽtis esse ab alio. Aeternitas caret principio, & fine, Aeuum principiũ habet, carebit fine, erunt enim perpetui Angeli mensurabiles Aeuo. Aeternitas est mensura entis nec deficiẽtis, nec potentis deficere, vt Deus: Tempus est mensura entis deficiẽtis, & potentis deficere vt cætera corruptibilia. Aeuum vero est mensura medio modo

se ha-

se habens, vt sit entis non deficientis quidem, sed potentis deficere; cuiusmodi est Angelus, qui licet de facto à suo esse non deficiat, potest tamen per annihilatiuam potentiam Dei deficere; quænam verò ex his conditionibus sint aptiores videbitur infra.

Aeuum non suscipit ab intrinseco defectibilitas.

4 Circa verò posse deficere iam supr. disp. 1. q. 7. disputatum fuit, an Angeli possint ab intrinseco deficere; quo sit, vt consequenter ad eorum naturam, dicamus etiam de Aeuo eorum mensura; est namque ratio eadem de mensurato, & mensura; eo magis quod propria duratio, atque vniuscuiusque intrinseca mensura est realiter eadem cum mensurato; igitur si Angelus est talis naturæ, vt sibi nō repugnet defectibilitas ab intrinseco, quatenus non est ens necessarium, sed contingens, vt ibi diximus, pariformiter defectibilitas repugnabit ab intrinseco suo Aeuo.

Conditiones alias, atque differentias ex varia Doctorum tradenda doctrina, afferemus infra, & examinabimus.

Aeui defin. Thomistæ.

5 Thomistæ aliter definiunt Aeuū, vt sit *duratio vel mensura simul, & impotens deficere, siue incorruptibilis*. Differt hæc à definitione tradita, quæ est Scoti, in vltima conditione; siquidem aiunt Thomistæ, nullam rem defectibilem, & corruptibilē mensurari Aeuo, ac propterea requiri indefectibilitatē; Scotistæ hanc conditionem aiunt non esse per se de ratione Aeui, quia etiam substantia corruptibilis, & materialis, mensuratur Aeuo; vnde de per se, natura Aeui est, inquiunt, permanentia rei, quatenus quandiu manet, non sit successiua; per accidens verò esse, vt res duret paruo, vel magno spatio, vel nullatenus sit ab intrinseco corruptibilis. De qua re infra in prop. quæst.

QVÆSTIO II.

Vtrum Aeuum sit mensura essentialiter successiua.

ARTICVLVS I.

Afferitur, & approbatur sententia affirmatiua.

1 EXtat sententia D. Bonau. qui Aeuum existimat esse mensuram successiuam, ita habet in 2. d. 2. p. 1. art. 1. idemque habet Varro d. 2. q. 1. & 2. constare autem docentes pluribus nunc, vndè datur in eo prius, & posterius, per quod diuisibile sit in plura nunc, siue instantia successiua. Nē verò coincidere videantur cum tempore, aiunt, aliam esse successiuitatem temporis, aliam Aeui; siquidem illa temporis est successiuitas cum innouatione, & inueteratione; Aeui verò successiuitas remanet absque inueteratione, & innouatione. Exemplo rem D. Bonau. illustrat de radio, & de riuulo; ait namque, alio modo egreditur riuulus à fonte, alio radius à Sole; iste namque egreditur cum innouatione nouæ succedentis, seu nouiter egredientis aquæ, atque cum inueteratione antiquæ iam egressæ aquæ; radius verò, supposito quod Sol stet, & nō moueatur, egrederetur à Sole absque inueteratione, & innouatione, siquidem esset semper radius ille idem. Verum quia radius vltra primam causationē à Sole indiget conseruatione, conseruatio verò fit per nouas, atque continuatas, sibique succedentes causationes super eundem radium; hinc est, vt multiplicentur causationes, seu cōseruationes: multiplicatio tamen ista fieri nequit, nisi in varijs, & diuersis nunc, quorum alterum succedit alteri; ita à pari, Angelus iam creatus vtique stat, idemque perseuerat: verum quia ad hoc vt perseueret in esse, indiget conseruatione: conseruatio autē est iterata productio, vnde oportet, vt in singulis instātibus per nouam quasi causationē ponatur in esse: istæ verò nouæ causationes sibi successiuè cōtinuantur, nunc in alio,

& alio

ctasio nunc: ergo stat, vt licet idem Angelus in esse suo indiuisibiliter, & permanenter perseueret, nihilominus stabit successiuitas, & diuisibilitas ex parte suæ mensuræ, quod est Aeuum.

2 *Probatur autem sententia hæc* primo authoritatibus Patrum, inde rationibus, & quidē Hieron. ad Marcell. ep. 136. *Solus Deus non nouit fuisse, nec futurum esse*. Vt ergo Angelum distinguamus à Deo, oportet in eius mensura saltim, apponere esse fuisse, & futurū esse: in æternitate namque tanquam in mensura Dei nec est fuisse, nec futurum esse. August. 11. conf. c. 4. *Nunc tempus si semper staret, & non flueret, non esset tempus, sed æternitas*. Ex opposito autem de Deo habetur psalm. 101. *Tu autem idem ipse es, & anni tui nō deficient*. Boet. lib. 1. de Trin. c. 9. *Quamuis secundum Philos. de corporibus cælestibus, & spiritibus possit dici sunt semper; magna est tamen differentia in semper esse; in Deo præsens est, non currens: nunc autem fluens facit sempiternitatem*, idest Aeuum. En quomodo nunc fluens vocat Boet. Aeuum. Damasc. lib. 1. de fid. orth. cap. 25. *Speculum dicitur Angelus, quod semper protenditur cum æternis rerum spatium*. Atque Ansel. Prosol. 24. *Modo hoc transis omnia, etiā æterna: quia tua, & illorum æternitas tota tibi præsens est: cum illa nondum habeat de sua æternitate quod venturum est, sicut iam nō habet quod præteritum est*. habet ergo Angeli mensura, sicut & cæterarum creaturarum suam successiuitatem.

3 Rationes hæ sunt; Prima, duratio cuiuscunque creaturæ est quātitas at quātitas est diuisibilis, habetq; prius, & posterius, ergo erit diuisibile Aeuum in partes, atque prius, & posterius. Antecedens prob. duratio est mensura, at mensura est quantitas ex cap. de quantitate. Secundò, si Aeuum est totum simul, ergo tempus præteritum, & præsens, atque futurum erunt simul præsētia Angelo. Prob. Aeuum coexistit tempori præterito, præsenti, & futuro: at Aeuum est permanens, & totum simul, ergo. Confirmatur, esset nūc Aeui infinitum, quia posset coexistere tempori infinito si daretur.

4 Tertiò, creet Deus Angelum, indeque eundem annihilet, quæro an annihilabit in eodem instanti, aut in alio succedenti: si primum, ergo Angelus in eodem instanti simul esset, & non esset: si secundum, ergo in Aeuo dantur duo instantia, quorum vnum succedit alteri, & sic erit successiuū. Quartò, creet Deus vnū Angelum, & postmodum creet alterum, inde deinceps alterum, indeque rursus alterum, quis non videbit dari plura instantia Aeui, in quibus successiuè plures creentur Angeli. Quintò creetur Angelus innocens, & in gratia, indeq; peccet idem Angelus: aut hæc fient in eodem, aut diuerso instanti: si secundū, habemus intentum: si primum, ergo in eodem instanti, atque simul esset Angelus innocens, & peccator, in peccato, & in gratia: & ita contraria simul: sicut velit Deus creare nunc Angelum, indeq; destruere, si vtrumque fiet in eodem instanti, vtique simul vellet pro eodem instanti contradictoria, vt dare esse, & negare esse.

5 Sextò, August. lib. 8. in Gen. ad lit. cap. 12. *Sicut aer respectu Solis non est factus lucidus, sed fit lucidus*, alias recedente Sole iam remaneret radius; ita creatura respectu Creatoris non est facta, sed fit, hinc elicitur Angelum pendere ex continuo, & successiuo fieri. Septimò ex eod. lib. 4. c. 14. *Deus non se habet respectu creaturæ sicut ædificator respectu domus*: domus autem recedente fabro, remanet in esse suo, recedente vero conseruatione Creatoris non remanet creatura.

6 Octauò conseruare non est solummodo non destruere, sed vltra hoc, est positiuè influere in rem creatam: ergo est aliquid circa ipsam positiuè agere: at conseruatio fit singulis momētis quandiù res durat, ergo stat successio in momentis ipsius conseruationis. Nonò, per solam creationem non habetur totale esse creaturæ, prob. per creationem namque Michaelis habitum fuit in primo creationis instanti solummodo esse Michaelis: at duratio eiusdem vsque modo habita est per actionem alteram distinctā à creatione, alias non diceretur per tot secula conseruatus, sed creatus: sed actio hæc fit pro alio, & alio seculo, sicut pro alio, & alio tempore, & instanti, ergo

stabit

stabilit prius, & posterius in eius Aeuo.

Ex his elicitur Aeuum esse quantitatem diuisibilem, sed in partes indiuisibiles: quemadmodum numerus est quantitas diuisibilis, sed in vnitates indiuisibiles. esse vero quantitatem non permanentem, sed successiuam, compositam ex partibus raptim transeuntibus, prout sunt ipsa nunc, instantia, & mutata esse in re mutabili: licet ipse Angelus sit permanens.

ARTICVLVS II.

Statuitur Aeuum esse permanens, non successiuum.

1 EX opposito se habet D. Thom. atque Henric. ille namque 1. p. q. 10. art. 5. atque hic quodlib. 5. art. 15. aiunt, Aeuum esse mensuram omninò permanentem; non successiuam: rationes autem eorum statim afferemus.

2 Scotus quid dicat, dubitant aliqui de eius mente: vel quod tandem in sententiam ruerit D. Bonau. & ita Caietanus Scotum trahit, in sententiã D. Bonau. idemque agit Lychetus.

3 Quid verò dicendum, de Scoto, asserimus diuersimodè loqui Scotum de Aeuo; & quidem modo problematicè, modo diffinitiuè, modo dubitatiuè. Problematicè loquitur in 4. d. 49. q. 6. lit. L. sic ait. *Si quæras quid perpetuitas vltra ipsum Aeuum addat, hoc, vltra inquirit, an Aeuum successionẽ includat; si sic, perpetuitas maximitatem quandã quãtitatis in ipso Aeuo dicit, immò quasi infinitam magnitudinem addit, accipio semper altero post alterum in infinitum: si autem Aeuum indiuisibile sit, omnẽ abijciens successionem, perpetuitas eius aliquid positiuum nouum per ipsum significatum non dicit &c.* En quomodo hoc in loco Scotus loquitur problematicè.

4 Ex alio vero capite in sententiã inclinare videtur D. Bonau. dum in 2. d. 2. q. 1. argumenta contra eum pugnantia soluit præcipuè Henrici, & D. Thom. atque modum sententiam Bonau. defendendi docet, sicut defendit, ob quod in eam valdè inclinat.

5 Sed licet hæc ita sint, nihilominus id apertè verum est, eundem Scotum oppositam ex proprio marte docere sententiam, etsi namq; sententiam D. Bonau. defendat, tamen pro cõtraria acrius pugnat, & ita tandem determinat, Aeuum esse mensuram permanentem, non successiuam: & hæc est communis interpretatio tum Scotistarum, tum Thomistarum de Scoto, quamuis oppositam sententiã, vel falsitim disputationis gratia faueat, vel probabilem existimet.

6 Habito iam sensu tum D. Thom. tum Scoti, asserimus Aeuum esse mensuram permanentem, non successiuam, ita D. Thom. ita Scot. probat vero primo D. Thom. & Henric. vbi est successio ibi est prius, & posterius: at prius, & posterius non permanẽt simul, quia recedit e priori, succedit posterius; vbi vero est prius, & posterius, ibi est veteratio, & innouatio, ergo admittimus veterationem, & innouationem in Angelo. Dices prius & posterius reperiri in Aeuo, & non in Angelo, contra, ideo est prius, & posterius in mensura, quia est prius, & posterius in mensurato, ait enim Philos. 4. phys. *Quod ideo est prius, & posterius in tempore, quia est prius, & posterius in motu*: non est autẽ prius, & posterius in Aeuiterno, ergo nec prius, & posterius in Aeuo. Aeuum est mensura permanens.

7 Probatio hæc eluditur à Scoto; idemque diceret D. Bonau. esse prius, & posterius in mensura, non in mensurato, exemplum, si poneretur caro non habens partem, & partem sub quantitate, esset diuisibilitas, & successio non in carne, sed in quantitate: Item radius si semper staret, vtique penes ipsũ nulla esset successiuitas, quæ tamen esset penes tempus, quo radius ille mensuraretur. ita de Angelo, & Aeuo.

8 Ad illud autem Aristot. non est vniuersaliter verum, quod distinctio in effectu sit semper ex distinctione causæ, potest enim esse distinctio in effectu, & non in causa: exemplum, caliditas, & siccitas sunt in igne distinctè, & propterea exiccatio, & calefactio sunt inter se distinctæ, quia proueniunt à causis, quæ sunt in igne distinctæ & hinc benè procedit distinctio effectus, sine effectiuum à distinctione causarum: at in Sole caliditas, & siccitas non sunt distinctæ, quia continentur virtualiter: calefactio tamen, & siccitas inter se Distinctio effectus ex distinctione causæ deducitur.

sunt

sunt distincta, attamen eorum distinctio non prouenit à causalitate, & necessitate in Sole, quia in eo non sunt distincta: vnde non sequitur, quod semper distinctio effectus proueniat à causa distincta. hinc est, vt quandocunque causa, & effectus sunt idem, tunc valet ab effectu ad causam, & è conuerso, nō verò vbi sunt distincta. Ad propositū, tempus & motus sunt idem realiter, & motus est causa temporis: valet argumentum: datur prius, & posterius in motu; ergo datur in tempore, & vice versa: at secundum D. Bonau. Aeuum, & Angelus non sunt idem realiter, illud namq; est successiuum, hoc permanens: ergo non licet arguere, datur prius, & posterius in Aeuo, ergo & in Angelo.

9 Hoc stante quod ratio hæc non concludat, arguitur aliter. Mensura debet esse vnigenea mensurato, siue eiusdem rationis cum eo: itaut si mensuratum sit successiuum, mensura sit successiua: si permanens, ipsa quoque sit permanens: & Angelus est permanēs, ergo & Aeuum permanens. Item Aeuū vel est idem cum Angelo, vel distinctū: vtrumq; concludit intentū: si primū, ergo sicut Angelus est permanens, Aeuum erit & permanens: si secundū, hinc arguitur, iam concedit sententia opposita, quod Angelus potest multoties poni in esse, absque tamen sui successione: ergo similiter Aeuum poterit poni multoties, & frequentiùs, ac semper in esse sine eius successiuitate: non enim est maior ratio de Aeuo, quam de Angelo; remanet verò Angelus non innouatus, nec variatus ex continua per conseruationem positione iterata in esse, ergo idem esse posset de Aeuo.

10 Dices, Aeuum poni, & conseruari in alio instanti alterius Aeui, siuè mensuræ: vndè euenire vt sit successiuum, oriundū ex multiplicatione aliorū instantium, in quibus infinities ponitur ipsum Aeuum. Contra quæro, aut hoc Aeuum potest esse sine alio instanti alterius Aeui, aut non poterit: si primum: ergo non erit successiuum; quandoquidem non habebit successiuitatem, & multiplicationem aliorum instantium alterius Aeui: si secundū, quæro de illo altero instanti, aut poterit esse de se, aut requiret aliud instans alterius Aeui: si primum, vtique erit permanens, & non successiuum: si secundum, quæro de illo alio, quoniam dandū erit aliud instans alterius Aeui, in quo sit, & ita dabitur processus in infinitum.

11 Insuper conseruatio Angeli vel sumitur actiuè, vel passiuè, vtroq; modo erit permanens ipsius Aeuū: prob. conseruatio actiua est ipsamet actio Dei, quæ de se non est successiua. Conseruatio passiua est eademet essentia Angeli: at hæc est iam inuariabilis, permanens, non successiua: ergo nec conseruatio. Item, Aeuum, loquendo de mensura intrinseca, est idem cum Angelo, cum vero sit Angelus permanens, erit quoque permanens & Aeuū.

12 Præterea non est ponenda pluralitas sine necessitate: nulla autem vrget necessitas ponendi Aeuum successiuum: non enim ratio apparet, quæ id conuincat. Rursus potest Angelus, ratione suæ permanētiæ, coexistere tempori præterito, præsenti, & futuro: ergo suum Aeuum poterit quoque indiuisibiliter, & permanenter coexistere omni tempori absque sui successione.

13 Item arguitur, si Aeuum habet successionē partis, & partis, itaut pars præcedens corrumpatur, & noua adueniat, quæro à quonam fiet hæc corruptio, non quidem proueniet ex parte subiecti; non ex parte alicuius contrarij; nec ex parte alicuius agentis creati: ergo non erit corruptibile, & successiuum. Prob. primum, quia Angelus est incorruptibilis: non secundū, quia non habet contrarium physicum: nec tertium, cum non possit creatū agens annihilare; non enim desineret esse, nisi per annihilationem: vltra quod agens physicū non potest physicè supra spirituale.

14 Demum adsūt authoritates hoc confirmantes. Dionys. de diuin. nomin. cap. 10. ait, *Proprietas Aeui est tota secundum totam metiri*. igitur non metitur secundū partem, & partem, ac propterea non habebit partes. & cap. 5. inquit, *Aeuum est quieta, & tota simul vita*. Gregor. 4. moral. *Gaudia Beatorum nihil præterijt, nihil aduenit, nihil est præteritum, nihilq; futurum*. Aug. lib. 83. q.

q. 72. *Tantum distat inter Aeuum, & tempus, quod Aeuum est stabile, tempus autem mutabile*. Plato in Timæo. *Aeui mansio perpetua est; & quod fuisse, & fore, temporis genitura sunt propriè, & non Aeui*. Denique Auicen. 11. met. cap. 10. *Vocamus tempus mensurationem stabilitatem non habentem secundum vid successionis*: & 2. phys. cap. 11. *Cui convenit, & accidit ex se ipso ante, & post, est tempus*. Ex his deducitur, Aeuum carere priori, & posteriori, alias esset tempus.

Successiuitas possibilis in Aeuiternis. 15 Asserimus insuper, quamuis Aeuū non sit de se formaliter successiuum, nihilominus poterit dari successiuitas in ipsis Aeuiternis. Prob. poterat Deus creare Angelos successiuè, creãdo vnū post alterum; poteslq; modo creare alterum Angelum, cras alterum, & sic deinceps: dabitur successiuitas in ipsis Aeuiternis creatis: patet, quia non crearentur simul. Item de facto creat animam rationalem post aliam, & aliã in momenta, & horas: non tamen datur successiuitas in earum Aeuo, sed in ipsis animabus creatis sibi succedentibus, est autem par ratio propter indiuisibilitatem ex parte amborum. Insuper animæ non sūt simul, quia supersunt aliæ animæ denuò creabiles, ergo successiuitas in creatione ex parte earum. Demum si non posset esse successiuitas in Aeuiternis, id prouenires fortasse, quia Angelus non est ens successiuum; id verò non obstat. Prob. successiuitas hæc est successiuitas extrinseca, non intrinseca Angelo. Prob. non intrinseca, quia iam est de sui natura intrinsecè ens permanens: ergo est intrinseca; tale verò extrinsecum cõsistit in solo ordine creationis vnius post alterum. Sicut successiuitas animarum est solùm extrinseca, succedente anima ad animam. Est quoque successiuitas per accidens, non per se; primum patet, quoniam consistit in solo ordine creationum prioris, & posterioris: quod namq; hic Angelus, vel hæc anima creetur prius, vel posterius id erit per accidens, sunt enim respectus extrinsecus aduenientes, in relatione ad hoc, vel illud extrinsecū mensurans, vtpotè quia creatio hodierna huius animæ coexistit huic tempori hodierno, creatio futura crastinæ diei coexisteret tempori diei immediatè succedentis, & sic de aliis: quò fit, vt dum per coexistentiam ad varias differentias temporis ponuntur in esse, dicatur earum successiuitas esse per accidēs, propter tempus varium, & diuersum, cui coexistunt tanquam mensuræ externæ, & extrinsecæ.

16 Licet verò tempus sit successiuum, tamen non implicat creationē multiplicem Aeuiternorum metiri eo modo, quo diximus: mensura enim talis est solummodo extrinseca, quæ consistit in sola coexistentia temporis huius, & illius; verè namq; dicimus, anima hæc fuit creata anno præterito, anima illa annis, iam decem transactis, hæc vero heri, hæc hodiè, & de singulis: quo fit, vt si quæramus quanto tempore durauit, seù durat anima illa, & hæc: respondebimus illa durat adhuc anno vno, illa iam decem transacti sūt anni durationis suæ: hæc duo, vno, & sic de cæteris; tempus namque coexistit Aeuo: sicut etiam dum quærimus quanto tempore durauit Deus in entitate sua: respõdebimus, quod si loquamur de duratione, ac mensura intrinseca, durauit æternitate, sicut & in æternum durabit; si loquamur de mensura extrinseca, cum hæc sit tempus, dicemus durasse tot millia annorū, quot decursa sunt à creatione Mundi, & durabit tanto ampliùs tempore, quanto duraturus erit ipse Mundus: quia verò tempus incepit, & finietur, meritò appellatur mensura extrinseca; mensura enim æternitatis non finietur, & hæc est eius vera mensura intrinseca. sic de Angelo, vt eius mensura intrinseca sit Aeuum: mensura verò per coexistentiam extrinseca sit tempus. Tẽpus mensura extrinseca Aeuiternorū, & Dei.

17 Confirmatur, non se habet Aeuū Angeli sicut se habet nūc temporis in tempore, & mutatū esse in motu; quia hæc raptim transeunt, & nõ permanent; ideoque vnū nunc temporis non coexistit toti tēpori præterito, & futuro, transit.n. cum ipso tempore. Aeuū vero, & Aeuiternū põt coexistere, sicut de facto coexistit, coexistit, & coexistet præterito, præsenti, & futuro: ergo nõ dabitur successiuitas ex parte eorū, sed ex parte coexistentiæ ad tempus.

18 De-

18 Declaratur exemplo stipitis fixi in medio fluminis decurrentis. Siquidem solus ipse fixè, & firmiter stat: aquae vero decurrunt: transit aquae pars praeterita, transit praesens, nec stabit futura: omnesq; hae partes aquae transeunt, licet insensibiliter, & cursim ipsi stipiti, stipite remanente immobili, atque fixo. sic Angelus, eiusq; Aeuũ, coexistit omni tempori, transeunti, nempe praeterito, praesenti, atque futuro tempori: remanet Angelus, & Aeuum eius idem, atque permanenter, nulla facta mutatione essentiali, & intrinseca, sed variato solo respectu coexistentiae ad tempus durabile, secundù prius, & posterius extrinsecè.

19 Ex his infertur, quod quamuis Aeuum non sit de se formaliter successiuum, potest tamen toti tempori successiuo absq; sui successiuitate coexistere. Declaratum, & probatum hoc remanet, tum exemplo stipitis, tum aeternitatis, tum animarum ipsarum rationalium, illud namque, nempe stipes idem persistens coexistit omni aquae fluenti. aeternitas coexistit omni tempori transeunti. & anima coexistit similiter omni mensurae diuisibili praeteritae, vt est dictum.

Creatio, & conseruatio non sunt duae actiones.

20 Asserimus denique, conseruationem à creatione non distingui tanquã duas actiones positiuas, sed dicimus vnicam solummodo esse, & non plures: adesse vero differentia inter eas, vt creatio dicat relationem ad nõ esse immediatè praecedens, sicut de facto res creata procedit immediatè à non esse ad esse: conseruatio vero dicat relationẽ ad non esse praecedens mediatè; quatenus inter conseruationem, & non esse antecedens ipsi, mediat ipsa creatio: & inde est, vt distinguantur conseruatio, & creatio, vel formaliter vt sumuntur, vel ratione rationis. Cum verò sit vtriusque vna, eademque actio, & non plures, non dicetur Angelus conseruari in esse per continuatas, & successiuas causationes, & propterea negatur successiuitas ab Aeuo, quod quidam per vnam, eandemq; primariã causationem conseruatur, & non per alias. Cum autẽ annihilaret v.g. Deus rem creatam, annihilatio illa non esset actio aliqua positiua, sed solum negatiua: negatio verò consisteret in negando manutenentiã ipsius creaturae, quatenus omnia dependent à manutenentia Dei. ergo non in conseruatione dependet per nouam causationem à Deo, sed quatenus conseruatio est quidem positiua actio, sed nõ actio distincta ab actione creationis, nisi per respectum ad non esse vel immediatè, vel mediatè praecedens, quicquid dicat Suar. in met. d. 50. sect. 5. vide Scot. in 2. d. 2. quaest. 1.

Distinguuntur ratione.

ARTICVLVS III.

Occurritur argumentis Articuli primi.

Angelis quomodo competit fore, & fuisse.

1 AD Hieron. dicimus sensum esse, solum Deum esse ens omninò indefectibile, & necessarium, caeteras vero creaturas esse entia cõtingentia, & defectibilia, quibus verè competere poterit fore, & fuisse: & loquendo de corruptibilibus, iam ipsis de facto cõpetit fuisse, quia corrupta, & putrefacta sunt: loquendo de his, quae acta sunt vtique competit eis fore, si Deus velit eas conseruare in futurum: loquendo verò de Angelis, caeterisq; incorruptibilibus ratione materiae non existentis in eis, vtique competeret eis fuisse, si Deus annihilaret eos, diceretur namq; Angelus nunc non est, sed iam fuit: cũ vero habeant, & habituri sint pro Dei voluntate, esse, de iis quoque dicitur fore, eo quod futuri erunt in posterum. Vel tandem Angeli habent fore, & futurum, non per successiuitatem, vel esse sui, vel sui Aeui, sed per coexistentiam ad tempus praeteritum, & futurũ, vnde dicitur, Angeli fuerũt ab initio mundi, & fuerunt inde in perpetuum: experiuntur ergo fuisse, & fore per correspondentiam extrinsecam ad tempus.

2 Ad Aug. sumitur ibi aeternitas similitudinariè, & impropriè, itaut si nunc temporis non fluxerit, esset veluti aeternitas, & ad instar aeternitatis, non autem propriè, & verè aeternitas. Vel sumit aeternitatem pro Aeuo. Ad Boet. intendit admittere differentiam inter durationem Dei, & Creatorum spiritualium, siquidem illa est de se, & intrinsecè indefectibilis, quia est necessaria: horum duratio catenus est fluens ea

Boet. quatenus de se omnis creatura, eiusq. duratio vtique fineret, idest desineret habere esse, nisi conseruarentur à Deo, quia sunt entia contingentia. Ad Damasc. similiter, ostēdit enim in tantum habere esse Angelum, in quantum protenditur, seù teneretur, vel manutenetur in esse suo per conseruationem à Deo. Ad Anselm. vtique Angelus non habet adhuc durationem futuram sui esse, nec durationem præteritam; hoc autem verum loquendo de duratione extrinseca per coexistentiam ad tempus, quia iam de facto non habet amplius relationem coexistentiæ ad tempus præteritum, quia præterijt, & relatio illa destructa est; nec de facto habet relationem ad tempus futurū, quia actualiter nondum coexistit ei, quia futurum est: at loquendo de duratione intrinseca, siue Aeuo intrinseco, totam quidē habet, (licet non localiter) quia ea est idem cū essentia Angeli, at essentia Angeli non partibilis, nec successiua, sed indiuisibilis est, & tota simul, hæc quoad Patres.

Quantitas est diuisibilis, [illegible] 3 Ad rationes verò accedendo, ad primam dicimus, quantitatem quidem corporalem, siuè permanentem, siue successiuam esse diuisibilem; quantitatem verò spiritualem non item; huiusmodi est Aeuum mensura Angeli.

Aeuum esse [illegible] simul, [illegible] 4 Ad Secundum negatur tempus esse totum simul: ad argum. dicimus simultatem Aeui concludere, Angelū posse simul coexistere tempori præterito, & futuro, sicut de facto coexistit, & ita simultas se tenet ex parte Angeli, & Aeui indiuisibilis; at simultas nō potest se tenere ex parte tēporis, quia est essentialiter fluxibile, & successiuū; si autem esset essentialiter permanens vtique coexisterent Angelus, & totum tēpus simul, sicut simul coexistit Angelus cum Angelo, & Aeuū cum Aeuo alterius, quia sunt ambo permanentia, & non successiua. Ad confirmat. infinitas illa Aeui non competeret Angelo, & Aeuo ex propria sui natura, & ab intrinseco, nec necessariò, nec à se, sed haberet à Deo, quapropter esset solūmodò infinitas extrinseca, & participata, siuè dependens à Deo; quod autem est sic infinitum, non est vera infinitate infinitum, qualis est infinitas Dei, quam habet à se necessariò, & independenter. Simili extrinseca infinitate esset infinitū illud, quod coexisteret loco infinito si daretur; at hæc est impropria, & extrinseca infinitas, quare non facit Aeuum, nec Angelum absolutè, & simpliciter infinitum.

5 Ad Tertium non annihilabitur in eodē instanti, alias simul esset, & non esset, sed in alio instanti. Cum infers successiuitatem in Aeuo, negatur etenim successiuitas daretur in ordine ad plura instantia temporis vel veri, vel imaginarij, coexistente tali annihilatione cum relatione ad instans temporis.

6 Dices, ista coexistentia temporis est quid extrinsecum creationi, & annihilationi, igitur dandum erit quid intrinsecum eis, in quo vtrumque sit. Resp. Aeuum esse id; quod quidem creatur cum creatione Angeli, & annihilatur cum annihilatione eiusdem Angeli; siquidem duratio intrinseca cuiuscumque rei producitur cum re ipsa, & deperit cum ipsa re. Si autem inferas successionem, negatur, quia Aeuum quod prius cum Angelo habebat esse, nunc v.g. cum eodem Angelo deperdit esse, vel successionem admittas ipsius esse ad non esse, non autem in Aeuiterno, vel Aeuo. Duratio intrinseca creatur, & deperditur cum ipsa re cuius est.

7 Ad Quartum dabitur successiuitas Aeuiternorum, atque Aeuorum, nō autē successiuitas in Aeuo; sensus primi, quia post creationem vnius Angeli cum suo Aeuo, succedit creatio alterius cum eius Aeuo; ratio secūdi, quia Aeuum ex se non est successiuum, vel secundò erit successiuitas in tempore, cui coexistet creatio vnius, & alterius successiue, itaut vnus dicatur v.g. creari hodie, alter cras, & sic erit successiuitas coexistentiæ ad tempus. Erit item successiuitas Aeui ad Aeuum, quia Aeuum succederet Aeuo.

8 Ad Quintum pariformiter vt ad tertiū: non erit innocens, & peccator; in gratia, & peccato simul, sed in diuersis instantibus temporis coexistentibus veri, vel imaginarij. Item non erit successiuitas in essētia Angeli, sed in operationibus Angeli meritorijs, & peccaminosis.

9 Ad Sextum, intentio Augustini

est,

est, creaturas eatenus perseuerare in suo esse, quatenus conseruatur à Deo, alias recedente manutenētia Dei, rueret, & deficeret; idque explicat exēplo aeris illuminati, qui eatenus dicitur lucidus, quatenus actualiter illuminatur à Sole; quod si Sol contraheret radios suos, non erit amplius aer lucidus. Et ad septimū similiter respondetur; etenim domus dependet à domificatore solum in fieri, non in facto esse: creatura autē dependet à Creatore in fieri per creationē, & in facto esse per conseruationem; & hoc modo se habet Aeuum, & Aeuiternum ad Deum.

Conseruatio pro formali est quid negatiuum.

9 Ad Octauum, conseruatio sumpta pro formali est quid negatiuum; nam idem est conseruare pro formali, ac non destruere; at sumpta materialitèr, & subiectiuè est quid positiuum, est autem idem, ac creatio realiter, distincta sola ratione: vnde non oportet eam multiplicare, quia sufficit nolle destruere: hæc vero voluntas vnica, & eadem est non destruendi: ponitur vero in diuersis instantibus non Aeui, sed temporis, veri, vel imaginarij, si nō adesset tempus verum.

10 Ad Nonum, aut loquimur de totali esse simpliciter, aut de totali esse permanenter, & cōtinuatiuè; loquendo primo modo negatur anteced. etenim per creationem recipitur totum, & totale esse simpliciter in genere suo, alias creatura prodiret in specie sua, & in genere suo imperfecta: vt Homo in genere Hominis, & Angelus in genere Angeli recipit totum esse, quod competere potest essentiæ Hominis, & Angeli; loquendo secundo modo conceditur: id verò recipit per conseruationem: & non per eam, tanquam per actionem distinctam à creatione, nisi distincta sola ratione.

Quale esse recipitur per creationē, & per conseruationē.

QVÆSTIO III.

Vtrum Aeuum distinguatur realiter ab Aeuiterno.

1 AEuum hoc in loco sumi potest vel pro duratione intrinseca, siue pro intrinseca mensura Aeuiterni: vel pro mensura extrinseca. Differentia vtriusque indè colligitur, vt sumendo primo modo, habet fundamentum in ipso Aeuiterno, quatenus eius existentia permanet eadem in sua duratione, conseruatione, ac perseuerantia sui esse: secundo autem modo relationē dicat ad aliud extrinsecum, per quod intellectus notificatur, & certificatur de duratione ipsius Aeuiterni; ratio, quoniam *Mensura est rem ignotam per magis notam certificare*: de quo amplius quæst. seq.

Ex opin. D. Bonau. sequitur Aeuū distingui realiter.

2 Fuit iam in praeced. quæst. allata sententia D. Bonauent. qui de Aeuo loquens, aiebat, esse mensuram formaliter successiuam; hoc principio posito, sequitur vt Aeuum distinguatur realiter ab Aeuiterno: est ergo dicendum in sententia Doctoris Sancti Aeuum Aeuū realiter differre ab Angelo. Prob. Angelus est ens formaliter permanēs: Aeuum formaliter successiuū, ergo distinguuntur realiter. Aeuum est formaliter diuisibile, Angelus indiuisibilis, ergo distinguuntur realiter: Aeuum denique componitur ex priori, & posteriori, quę tamen sibi inuicem succedunt: prius, & posterius non est hoc modo in Angelo, successiuè, sed permanenter, atque solo quodam ordine naturæ, vt inter essentiam, eiusque potentias intelligendi, & volendi, ergo Aeuū distinguitur realiter ab Angelo.

3 Fuit etiam superiùs allata opinio Henrici, qui licet non affirmet Aeuum esse quid successiuū; nihilominus asserit Aeuum esse quantitatem de genere quantitatis, ac propterea componi ex pluribus indiuisibilibus, ex quo euenit, esse quantitatē discretam, ad instar numerū qui cùm sit quantitas discreta, componitur ex pluribus indiuisibilibus vnitatibus; hoc supposito, inferendum est consequenter, etiam ad opinionem

Henrici opin. Aeuum esse quantitatem de genere quantitatis.

nionem eius distingui realiter. Prob. Aeuum est diuisibile, Angelus indiuisibilis, ergo. Item Aeuū est verè quantum, Angelus est verè spiritus immaterialis, & non quantus. Insuper Angelus nō habet partes, in quas diuidatur, habet vero Aeuum plura indiuisibilia, in quæ diuiditur. Igitur in sententia quoque Henrici Aeuum distinguitur realiter ab Angelo. In vtrisque ergo sententia, siuè sustinendo esse quantitatem successiuam: siuè discretam, distinguetur vtique ab Angelo.

4 Probari autē potest Primò, sicut se habet instans temporis ad mobile, sic se habet Aeuum ad esse Angeli: sed instans temporis realiter distinguitur à mobili; probatur, poterit namque esse mobile sine tempore, ergo sine instanti temporis, quia poterit esse sine motu, ergo & sine tēpore, quemadmodum post diem iudicij cessabit motus, & tempus, remanentibus corporibus mobilibus sine tempore.

5 Secundo sicut se habet tempus ad motum, ita Aeuum ad Angelum: at tempus distinguitur realiter à motu: prob. ex 4. phys. tempus enim nec est tardum, nec velox, est vero tardus, & velox motus. Tertio, ideò tempus distinguitur realiter à motu, quia est mēsura motus: at mensura distinguitur realiter à mensurato: prob. min. nihil mensurat seipsū, ergo distinguitur realiter mensura à mensurato, ergo consequenter Aeuum mensura Aeuiterni distinguetur realiter ab Aeuiterno. Itē quantitas distinguitur realiter à substantia: Aeuum est quantitas, quia est mensura: ergo.

Aeuum intrinsecum identificatur realiter.

6 Dicendum nihilominus Primò Aeuum, quatenus est duratio intrinseca, seu mēsura intrinseca Angeli, identificatur realiter cum ipso Angelo. Prob. illud, quo Aeuum intrinsecè durat quid est; aut enim Aeuum durat seipso, aut per aliud distinctū à seipso. Si primum, ergo pariformiter existentia Angeli poterit durare seipsa: prob. quia eq; non est perfectius Aeuū, quam sit Angeli existentia, ergo si illud durat seipso, durabit quoque seipsa existentia Angeli. Si secundū, quæro insuper de illo, quo iterum durat, aut quidem seipso, aut per aliud: si primum, habemus intentum: si secundò, quæro item vt sup. sicq; dabimus processum in infinitum.

7 Item non videtur consentaneū, quod substantia duret intrinsecè per accidens: cum potius accidens durare deberet per substantiam: at Aeuum esset accidens, si distingueretur realiter. Licet verò non esset accidens per accidens, seu separabile, nihilominus esset extraneū à quidditate ipsius Angeli, quod verò quid extraneum sit alicuius mensura intranea, non videtur probabile: quod namque mensura extranea id habeat, vtique est eius proprium, ac propterea mensura extrinseca est illa, quæ distinguitur realiter.

8 Insuper, quod vnum non possit separari ab altero, cōtingere potest aliquo modo ex tribus modis: vel Primò, quia sit posterius natura illo: vel Secundò, quia ambo sint simul natura: vel Tertiò, quia sint idē realiter: exemplum primi, vt propria passio respectu subiecti prioris natura ea: exemplum secundi, duo correlatiua, quę sunt simul natura: exemplum tertij, vt essentia & existentia, quæ sunt idem realiter. At Angelus nō est posterius natura Aeuo, quia subiectum durans non est posterius sua duratione: nec mensuratum est posterius mēsura; ergo nō hinc inseparabilitas eorum. Nec est simul natura cum eo, immo antecedit natura, vt esset dictum: ergo neque hinc inseparabilitas ipsorū: igitur à primo ad vltimum restat, vt ideò Angelus sit inseparabilis ab Aeuo, quia est idem realiter cum eo. Demum, non est ponenda pluralitas sine necessitate: nulla autem necessitas vrget ad ponendam pluralitatem, quæ quidē haberetur per distinctionem realem: quæ namque distinguntur realiter, multiplicantur re, & realiter, Scot. & alij.

Aeuum extrinsecū distinguitur realiter.

9 Dicendum vlterius, quod sumendo Aeuum pro duratione extrinseca Aeuiterni, distinguitur realiter ab eo. prob. tempus primi mobilis distinguitur realiter à motu corporum inferiorum ex 4. phys. & tempus huius horologij distinguitur realiter à motu illius scriptionis: patet ex separabilitate vnius ab altero, decurrit enim tempus primi mobilis, cessante motu meæ scriptionis, sicut etiam decurret tempus

nius homologi, cessante ista scriptione. Confirmatur ex opposito quandoquidem Theologis cessante v. g. motu primi mobilis, eiusque tempore, sicut erit post diem iudicij, non per hoc nequibit fieri motus in hisce inferioribus, vel in Angelis, & Beatis existentibus in locis superioribus ad primum Mobile, vt in Empyreo. Item mensura distinguitur à mensurato, quod verò valet de mensura extrinseca. Angelus superior erit talis mensura extrinseca Angeli inferioris, & consequenter Aeuũ Angeli superioris erit mensura Aeui Angeli inferioris, de quo quæst. seq. Confirmatur, Angelus supremus, sicut & quicunque superior, distinguitur realiter ab inferiori; ergo existentia superioris distinguitur realiter ab existentia inferioris, ergo itidem duratio superioris distinguetur à duratione inferioris. quapropter concluditur, Aeuum extrinsecum distingui realiter ab ipsis Aeuiternis. Item Angelus potest esse sine Angelo, ergo Aeuum illius poterit esse sine isto Angelo: ergo distinguitur realiter, quia nulla maior ratio distinctionis realis quã separabilitas aliquorum.

10 Ad Primum concludit de Aeuo tanquam de mensura extrinseca, & vt sic distinguitur realiter. Ad illud de instanti, vtique penes mobile, gratia cuius est mensura extrinseca, vt instans temporis, distinguetur realiter, vt est tempus cũ suis instantibus primi mobilis, penes mobilia distincta realiter: nam sic tempus, & instans primi mobilis distinguitur realiter ab hisce inferioribus: talis se habet Aeuum extrinsecum penes Aeuiterna.

11 Ad Secundum respondetur pariformiter, quod cõcludat de Aeuo extrinseco: & ad illud de tempore, iam tempus intrinsecum, seu quod est mensura intrinseca, est idem realiter cum suo motu: tempus verò extrinsecum distinguitur realiter: pariformiter de Aeuo intrinseco, & extrinseco.

12 Ad Tertium, vt supra valet de mensura extrinseca.

13 Ad Vltimum, concludit de quantitate molari, & corporea: Aeuum verò intrinsecũ est quantitas spiritualis, seu mensura spiritualis, quę est eadem cum ipso Angelo.

QVÆSTIO IV.

Vtrum omnium Aeuiternorum sit vnum Aeuum.

1 AN Aeua multiplicanda sint ad multiplicationẽ Aeuiternorum, an verò vnico Aeuo mensurentur singula Aeuiterna, fuit Durandi opinio, non esse eodem prorsus Aeuo mensuranda singula Aeuiterna, sed proprio vnumquodque Aeuiternum Aeuo fore metiendum, ita in 2. d. 2. q. 3. ex opposito se habet D. Tho. 1. p. q. 10. ar. 6. atque Scot. in 2. d. 2. q. 3. cum Durando sunt etiam OKam. 2. q. 13. Gabr. q. 1. Vasq. d. 34.

Mẽsuræ conditiones. 2 Initio autem supponimus conditiones requisitas ad mensurã, de quibus penes Arist. in logicis c. de quant. eæ autem sunt. Prima, quod mensurare, est *quantitatem ignotam per quantitatẽ magis notam certificare*. Secunda, vt mensura ex natura rei sit notior mensurato: Tertia, vt sit inuariabilior mẽsurato, quoniam ex Aristot. mensura debet consistere in indiuisibili. Addendum, mensuram reperiri solummodò in genere quantitatis ex Arist. ibidem mensuratũ verò in omni genere, quoniam omnia metienda sunt, substantia, quantitas, qualitas, relatio, reddendo singula singulis. Insuper mensura diuiditur in mensuram quidditatiuam, seu perfectionalem: atque mensuram durationis. Demum mensura, altera intrinseca, altera extrinseca.

3 His habitis, circa existentias Angeli tres referuntur probabiles modi dicendi, penes Scot. Primus est, si ponamus omnia Aeuiterna habere existen-

stentiam æquè inuariabilem, licet vna sit altera quidditatiuè perfectior. Secundus, si constituamus quamlibet existentiam superioris Angeli esse simpliciorem qualibet inferiori: & Tertius si asseramus vnicam solummodo inter Angelos reperiri existentiam simplicissimam quacunque existentia inferiori; si, inquam, his modos ponamus poterit subsequenter ad quæsitum responderi iuxta varios illos de existentijs opinandi modos.

4 Et quoad Primum, si ponamus, omnia Aeuiterna habere æquè inuariabilem existentiam, dicendum quod non videtur existentia vnius posse esse mensura existentiæ alterius. Probatur; mensura debet esse inuariabilior mensurato, debet namque consistere in indiuisibili, nec variari potest, nec alterari: at existentia vnius non magis est inuariabilis v. g. existentia alterius, vtpotè quia vnius existentia non duraret magis, quam existentia alterius, ergo hinc dicetur non posse vnum Aeuiternum esse mensuram alterius Aeuiterni. Dices, vnum fortasse esset perfectius altero, ergo hinc sumeretur ratio mensuræ. Resp. non loquimur de mensura quidditatiua, & perfectionali, quo casu concederetur vnũ metiri aliud, sed de mensura duratiua: dato autem casu, vnũ non duraret magis, quam aliud.

5 Quoad Secundum, si quælibet existentia superior sit inuariabilior quacunque existentia inferiori, siuè durabilior, vtique dici posset quodcunque Aeuiternum superius esse mensuram extrinsecam Aeuiterni inferioris, indeque dicendum tot esse Aeua, quot sunt Aeuiterna. Prob. vnumquodque Aeuiternum est mensura sic spectata, quatenus inuariabilior inferiori, ergo quot Aeuiterna, tot Aeua. Excipiendum tamen hinc esse Aeuiternum omnino infimum, in quo quidem nulla reperiretur ratio mensuræ, quoniam non haberet Aeuiternum aliud inferius se, quod posset metiri. Dices, etiam istud infimum Aeuiternum est æquè inuariabile, vt Aeuiterna superiora, ergo non denegenda ratio mensuræ. Resp. licet esset inuariabile, non tamen esset inuariabilius aliquo sub se inferiori; cum ergo careret inferiori mensurabili ab eo, nõ poterit dici inuariabilius, quia comparatiuum est relatiuum, & supponit saltim duo, inter quæ fiat comparatio, nullum vero habet inferius, cui comparetur, ideoq; nullo inferiori esset inuariabilius, cum nullum sit.

6 Quoad Tertiũ, si asseramus vnicam reperiri simplicissimam existentiam, ac perfectissimam inter Aeuiterna, dicendum erit, omniũ Aeuiternorum, vnicum esse Aeuum, veluti mensura extrinseca, mensurans omnia Aeuiterna.

7 Hinc autem absolutè concludimus, loquendo de mensura extrinseca, inter omnes Angelos datur vnus, qui sit metrum, & mensura omnium Angelorum, & ita omnium Aeuiternorum erit vnicum Aeuiternum: is vero erit Angelus supremus, atque omniũ eminentissimus. Prob. Arist. 12. met. cap. 2. ait in vnoquoque genere reperiri vnũ, quod sit metrum, & mensura omnium contentorum in tali genere: ergo in genere Angelorum dabitur etiam tale vnum. Item omnis multitudo reduci debet ad vnitatem: ergo omniũ Aeuiternorum est vnicum Aeuiternũ. Rursus omnium temporum particularium inferiorum, omniumq; motuũ inferiorum dandum est vnicum tempus vniuersale, vnicusq; motus cõmunis primi mobilis, quod sit metrũ, & mensura omnium temporum, atque motuum inferiorum: igitur dabitur Angelus vnus supremus, qui sit mensura suprema cæterarum. Insuper omne imperfectum reduci habet ad perfectum: perfectum reduci debet ad perfectius: & perfectius ad perfectissimum. Denique in politicis reperitur mensura vna suprema tum in metiendis ponderibus, tum in expendendis pecunijs, ad cuius accessum, vel recessum comparatiuè habeatur cognitio cæterarum inferiorũ mensuratum, sicuti autem in genere florum, datur rosa, vel lilium: in genere Auium Aquila, vel Phœnix: in genere animalium homo: & in genere totius cathegoriæ entium datur Deus, qui sit metrum, & mensura perfectissima, & simplicissima, & inuariabilissima omnium creaturarũ, ad cuius perfectionis accessum, secundum magis, & minus,

Datur vnum Aeuum omnium simplicissimum & mensura.

minus, dicuntur creaturæ esse magis, minusq; perfectæ; ita in genere Angelorum dabitur vnus simplicissimus, atq; perfectissimus, qui sit metrum, & mensura omnium Aeuiternorum. Præterea mensura debet certificare, debetq; esse notior mensurato: tale autem supremũ Aeuiternum esset huiusmodi, siquidem per accessum aliorum ad ipsius perfectionem secundũ magis, & minus fieret certificatio de maiori, ac minori perfectione cæterorum Aeuiternorum.

8 Sed hic iure quæritur, dato iam, reperiri supremum Aeuiternum, quod sit mensura cæterorũ, verum Aeuiternum illud foret aliunde metiendum? videtur quod non; etenim si est in toto genere Angelorum supremum, non dabitur superius, à quo metiatur. Respondet Caetan. habere quidem aliquid, quod ipsum mensuret: quod tamen sit illud, non declarat. Sed contra arguitur, mensura debet esse notior mensurato: at quodnam esset illud notius eo tanquam mensura: non quidem propria existentia, quoniam est eadem cum ipso Angelo, & consequenter erit par ratio vtriusque, vt vtrumq; sit vel æque ignotũ de se; nec erit quid aliud Aeuiternum superius, cum non detur, ergo carebit extrinseca mẽsura. Dicet, esse Aeuiternũ illud notius, atque immutabilius. Sed contra, quia est assignandum, quod nam sit illud: vel erit quid abstractum, imaginarium, & æternum: & profectò erit tale, cum in genere Angelorum non detur superius; ipse enim quale sit non explicat.

9 Vrget amplius difficultas, quandoquidem sequeretur, neque primum motum, seu motum primi mobilis posse mensurari tempore; est namq; par ratio vtrobique, vt sicut supremus Angelus non mensuraretur, quia est primus, & perfectissimus in tali genere, ita nec primi mobilis motus, cum sit omnium primus communis, & vniuersalissimus.

10 Ad hoc respondent aliqui, concedendo primum motum non mensurari tempore, quia omne, quod mensuratur tempore exceditur à tempore, & est corruptibile: primus motus est vniuersalissimus, supremus, communissimus, & incorruptibilis.

11 Verum responsio hæc non valet, & quidem aliquid esse in tempore, est sicut rem numeratam esse in numero: at non est de ratione existentis in numero, vt excedatur à numero secundũ totum, etenim æquantur secundũ totum numerus, & numeratum: licet excedatur res numerata à numero secundum partem. Etenim numerus ternarius trium hominũ excedit vnitatem, & dualitatem hominum, quæ sunt partes totius numeri ternarij: cæterum tres homines, & homines hi, qui continentur in numero ternario adæquantur secundum totum, & non exceduntur: sic primus motus adæquatur quidem secundũ se totum tempori communi, quia tempus est cõmune, & motus primi mobilis est communis: illud est vniuersale, & hoc similiter; illud est primũ, & hic insuper primus: at tempus hoc excedit motũ primi mobilis secundum partes, quia totum excedit partes: & ita erit ad argumentum respondendũ, quod motus primus mensurabitur, & si tamen non secundum se totũ, nihilominus partim, & partim, seu secundum partes, & partem, quia sic exceditur, eo magis, quod, licet secundũ se totum sit inuariabilis, est tamen secundum partes variabilis. De Angelo autem, vtique & secundum se totum, & secundum omnem rationem essentialem sui est essentialiter inuariabilis, & indiuisibilis, ideoque non potest seipsum mensurare partim, & partim. est responsio Scoti, & communis Scotistarum.

12 Verum non videtur satisfactum argumento principaliori; sequeretur namque supremum Angelum non esse mensurabilem, cum non habeat superius seipso. Dicere autem ideo esse, quia est inuariabilis, nec habet partes, non videtur satisfacere; nam sequeretur, nec Angelum inferiorem esse mensurabilem à superiori, siue à supremo, nam neque habet partes, nec est diuisibilis. Ideo dicendum, quod supremus quoque Angelus habet suam mensuram; extrinsecam tamen, nam semper de extrinseca hic loquimur; ea autem est Deus: qui sicut est mensura cæterorũ, ita & Angeli supremi; eo magis, quo supremus Angelus magis accedit Deo,

Aeuiternũ supremum habet Deũ pro mẽsura, sed extrinsecã, & extra genus:

hoc solo addito, quod mensura hæc esset extra genus, non enim est in genere Deus, seu in prædicamento: nec esset consequenter intra genus Aeuiternorum Angelorum sed excedit omne genus eorum; ac propterea supremus Angelus careret mensura extrinseca intra genus Angelorum, haberet vero, sicut habet Deum, tanquam mensuram extrinsecam extra genus Angelorum, sicut mensura est omnium, ac cæterorum.

Nullum species sed singula eius individua sunt mensura inferiorum.

13 Sed quæres, si in suprema specie Angelorum sint plura individua Angelorum, verum singula eorũ essent mensura cæterorum inferiorum? videtur quod non, alias esset contra conclusionem statutam, cum sit vnum Aeuiternum, omnium Angelorum, alioquin Aeuiterna suprema essent plura. Destrueret quoque recensitum axioma Arist. *In vnoquoque genere dari vnum, quod sit metrum, & mensura cæterorum*, darentur enim plura, non vnum. Resp. nullam esse implicantiam omnes Angelos illos esse mensuram cæterorum: exemplum de homine, siue de hominibus singulis, qui omnes sunt mensura cæterorum animaliũ; neiдam quidem humana species, sed singula individua, & ita in humana specie reperiuntur tot mẽsuræ, quot homines: ergo nec id implicabit in suprema specie Angelorũ. Ad Aristot. pro vno non intendit vnũ *indiuiduale*, sed vnũ *specie*: Prob. alias vna sola Aquila hæc, & taliter v.g. nominata, esset mensura volatilium, non autem cæteræ Aquilæ: at nõ est ratio, cur magis hæc, quã aliæ: igitur Arist. per vnam, intelligit speciem vnam: intelligeret verò vnum tũm specie, tũm numero, vbi species non esset multiplicabilis, vel non multiplicaretur, vt in genere Planetarũ Sol, qui est vnus specie, & numero; sit vero in sententia D.Thom. tueretur, quod in suprema specie Angelorum daretur vnũ specie, & numero, cum nolit speciem Angelicam multiplicari individualiter, de qua re disp. præced. sustinendo autem multiplicari numero, omnes essent æquè cæterorum mensuræ.

Lucifer an supremus Angelorũ.

14 Sistendo autem in eadem suprema specie, quærimus quinam sit in genere Angelorum supremus, vtrum Lucifer: quo dato, sequeretur Angelum, alioqui tenebrarum, mensuram esse, & metrum Angelorum lucis: Angelumq; Deo rebellem, ac reprobum, metrum esse perfectionale Angelorum alioquĩ Sanctorũ, ac Beatorum. Resp. de primatu nunc nil decidimus Angelorum, sed infra suo loco: Supposito vero pro nunc, Luciferum esse omnium antesignanum, supponendum quoque erit eminentiam Luciferi supra cæteros, etiam Beatissimos Angelos, non esse gratuitam, sed naturalem, ac præcellere solum in natura, cum sit destitutus charitate, & gratia: hoc supposito, dicendum, ipsum esse cæterorum mensuram, sed in naturalibus: esseq; metrum perfectionale cæterorũ in naturalibus quidem, cum tamen minimus Angelus excellat eum in Beatitudine, & gratia: nec verò implicat in naturalibus excellere, qui tamen superatur in gratuitis. Sic quoque anima iusta, ac homo beatus excellitur ab vnoquoque Dæmone in naturalibus, qui tamen tantopere superat eum in gratuitis: sed amplius suo loco.

15 Obstabis contra principale intentum Primò, mensura debet esse notior mensurato: sed Angelus superior non est notior Angelo inferiori. Prob. Angelo inferiori est benè nota sua propria duratio, non videtur autem nota esse duratio superioris, siquidem non est ei nota essentia, & natura superioris, ergo nec duratio, & mensura eius: ergo non dabitur aliquod supremum Aeuiternum, veluti mensura cæterorũ.

16 Secundò destruatur illud supremum Aeuiternũ, foret necesse destrui quoque Aeuiterna ipsa mensurata inferiora. Prob. deficeret namque ratio mensurantis, & mensuræ, siuè creet Deus v.g. nunc Angelum eminentiorem, tunc in Angelo priori destrueretur ratio mensuræ, quia transiret ad illũ alium Angelum superiorem: siuè destruat Angelum aliquem inferiorem, destrueretur ratio mensuræ in Angelo superiori, & consequenter destrueretur Angelus ipse mensurans.

17 Tertiò est vnum tempus omniũ temporalium, ergo vnum Aeuum omnium Aeuiternorum: ergo non tot Aeua, quot Aeuiterna: hoc repugnat aduersus

sua secundam assertionem, vbi dictum, est esse Aeuiterna, quot Aeua.

18 Ad Primum, maior intelligitur, quod ad se, & ex natura sua: secundarió verò, & per accidens in ordine ad intellectû concipientem: vnde ad rationem mensuræ sufficit, vt sit notior quantum est ex se, vt potens sit notificare, & certificare ex natura sua: quod vero hic, vel ille intellectus concipiat, vel non assequatur cognitionem talis mensuræ, hoc est per accidens ad mensuratum: nullo enim intellectu cogitante, vlna est mensura, nata facere deuenire in cognitionem huius, vel illius materiæ mensurabilis: sic de Angelis inferioribus per accidens est ad eorum supremam mensuram, vt naturam supremi Aeuiterni non cognoscant.

Mensura debet esse notior mensurato: declaratur.

19 Ad Secundum, quocumque casu dato ex recensitis, nil deperditur nisi relatio quædam extrinseca mensurantis, & mensurati: destructo quidem v.g. supremo Aeuiterno, destrueretur cum eo relatio mensuræ: & penes inferiora Aeuiterna destrueretur solummodó relatio mensurati, quam habebant ad illud, cæterum remanebunt inferiora Aeuiterna in esse suæ naturæ. ita quoque creato Angelo eminentiori, destrueretur in priori Angelo relatio illa rationis mēsuræ supremæ ad inferiores: quemadmodum destructo Angelo inferiori, deperibit relatio mensuræ in superiori.

20 Tertium argumentû concludit de Aeuo extrinseco, quod vt diximus vnicum est, loquendo de supremo, ac simplicissimo, quemadmodum vnicum est tempus omnium communissimum: non autem de Aeuo intrinseco, quod est propria duratio, siue mēsura intrinseca: hoc enim multiplicatur ad multiplicationem Aeuiternorum.

21 Dices, comparatio non valet; prob. tempora singularia, & inferiora includunt in sui ratione quidditatiua tempus supremum, at Aeuiterna inferiora non sic includunt Aeuiternum illud supremum: prob. assumptû, etenim vniuersale, seù supremû est essentialiter prædicabile de inferioribus: nõ autem Angelus supremus prædicatur de Angelis inferioribus. Resp. aliud esse loqui de supremo, vt sic; aliud de vniuersali: prædicatio in quid, valet de vniuersali, non autem de supremo, vt præcisé supremo: etenim Deus est omnium supremus, & nihilominus de nulla creatura prædicatur, nõ enim valet, creatura est Deus: atque ita nec valebit, hoc singulare inferius Aeuiternû est supremû Aeuiternum: cum tamen, alioqui valeat, Sortes est animal, quod nedum rationem habet superioris, verum & vniuersalis: Rationes autem superioris, & vniuersalis nõ necessario, nec semper simul coincidunt, aut conuertuntur; valet namque, est vniuersale, ergo supremum, siue superius; at vice versa non item, cum Cœlum Empyreum sit Cœlis cunctis superiùs, nec tamen prædicatur de eis.

23 Obstabis, si per impossibile, Deus desineret habere esse, desineret quoq; habere esse creatura; ratio, quia Deus est metrum, & mensura creaturæ: at si desineret esse supremû Aeuiternum, non ob id desineret Aeuiternum inferiùs, posset namque destruere supremum Angelum, conseruando reliquos inferiores. Resp. Deum, nedum habere rationem mensuræ in ordine ad creaturam, verû & rationem causæ efficientis, & conseruantis eam in suo esse simpliciter: Aeuiternû veró illud superiùs, quantum est de se, habere solummodo, rationem mensuræ: vnde non mirum, si perempto supremo Aeuiterno, possit remanere inferiùs, dum tamen, si per impossibile, non esset Deus, deperiret absoluté, & simpliciter, & vndequaque creatura, quæ indiget ipso Deo, vt cõstruetur in suo esse.

Aeuiterni dependētia qualisnam.

24 Consimilem vero dependētiam appposuisset Auicenna dum docuit, intelligentiam procreari ab intelligētia, causa autem efficiens huiusmodi videtur absoluté necessaria in conseruatione quoque talis effectus. Verum, dubitandum foret de eius intentione, vtrû, sicut admisit, intelligentiam dependere à superiori intelligentia in fieri, ita quoq; admiserit, dependere ab eadem in suo conseruari: de multis vero talis duplex dependentia, etiam extrinseca, non implicat, etenim radius depēdet à Sole in fieri, & conseruari: vita viuentis dependet ab anima in fieri, & conseruari: linquo causas intrinsecas, vt

Auicennæ catena.

materia, & forma, de quibus apertum eſt; ergo, nec implicaret, intelligentiā ab intelligentia dependere etiam in conſeruari, ad mentem Auicennæ, dum dependere docuit in procreari: Conſtat, nihilominus, in vtroque eſſe, per Theologos, Angelū dependere à ſolo Deo: patet, creare namque eſt ſolius Dei, ergo, ſicut dependet à Deo in creari, ſic & in conſeruari: tenet conſeq. quoniam, cuius eſt creare, eius, & non alterius, eſt annihilare: at ſi Angelus deperiret, non deſineret, niſi per annihilationem, ergo à ſolo creante Deo penderet in conſeruare: intelligentiam vero creare intelligentiam, figmentum fuit Auicennæ, contra quē ex profeſſo Scotus in 4. d. 1. q. 1.

QVÆSTIO V.

Vtrum Angeli menſurentur Aeuo, an tempore noſtro communi.

1 DVrandus in 2. d. 2. q. 5. Gabriel q. 1. art. 2. Ocam. in 2. q. 13. ſentiut, Angelum non menſurari Aeuo, ſed tempore noſtro. His demum accedit Vaſq. 1. p. d. 24. 35. differunt verò aliqualiter inter ſe, eo quod Durandus tempus, ait, menſuram eſſe Angelorum æterogeneam: hi autem homogeneam: ratio Durandi, quoniā tempus eſt ſucceſſiuum exiſtentia, Angeli eſt permanens, quapropter neceſſe eſt ſint alterius rationis, indéq; concludit eſſe tēpus menſuram per coexiſtentiam eiuſdem Angeli ad tempus: Ratio ex oppoſito illorū aſſeretur paſſim: cæterum conueniunt, vt negent, Aeuum eſſe menſuram, ſed verū tempus noſtrū. loquuntur verò de vtroq; Aeuo, tàm intrinſeco, tàm extrinſeco, & de vtroque negant eſſe menſuram.

2 Probationes pro omnibus hæ ſunt: Primo, per nullam aliam menſuram innoteſcit nobis antiquitas, & diuturnitas, ſiue duratio Angelorū, quam per tempus; per id namque cognoſcimus quantum interceſſit inter eorum creationem & præſens ſeculum, atque quantum intereſt inter eorum durationem, atque animarū; ergo tempus erit menſura. Secundò ſi quid impediret ne tempus eſſet menſura, eſſet quia non eſſet vnigenea menſurato, vtpotè quia tēpus diuiſibile, & fluens, Angelus permanens, & indiuiſibilis: at hoc nō eſt neceſſe: ſed ſufficit, vt vnigeneitas ſiet in ratione mēſuræ, & durationis vt ſic; etenim Angelus durat, tempus eſt duratio, ac conſequenter per tempus durat. Confirmatur, eius duratio, atque duratio motus coexiſtit vero tempori noſtro. Tertio, quod menſura ſit perfectior menſurato, id per accidens eſt, nec id Ariſtoteles expreſſit in definitione menſuræ, ſed ſufficit inſtrumentum ad dignoſcendum ipſum menſuratum, id verò eſt ipſa duratio temporis. Quarto, mēſura debet eſſe notior menſurato: at Aeuum ſuperioris Angeli non eſt notius Aeuo Angeli inferioris, ergo non eſt Aeuum menſura; prob. minor, non eſt notius intellectui diuino, quia æquanimiter cognoſcit omnia: non intellectui noſtro, quia æquè nobis ignota eſt duratio vnius Angeli, ſicut alterius: neq; intellectui Angeli; ſiquidem Angelus ſuperior ex cognitione propriæ durationis non poteſt deuenire in cognitionem durationis Angeli inferioris, quoniā æquales ſunt in duratione: neq; ſciret quanta foret duratio vel animæ, vel alterius Angeli: nec denique intellectui Angeli inferioris, quoniam inferior cognoſcit perfectiùs ſuam propriam durationem, quam durationē Angeli ſuperioris. Denique Aeuum, & Aeuiterna apprehenduntur tanquam ſubiecta motui, ergo menſurantur tempore. Confirmatur, menſura non eſt quid extra animam, ſed pendet ab anima: igitur ſufficit vt per noſtram conſiderationē concipiamus Aeuiternum ſub ratione

fluen-

[illegible] & decurrentis, ac consequenter tempore mensurabilis, prout descriptiua tempore mensurantur, quamuis ipse [illegible] Angelus sit permanens, & indiuisibilis. Item Aeuum non distinguitur ab Angelo, ergo &c. quia mensura distinguitur à mensurato.

Angeli mensura non est tempus, sed Aeuum.

3 Ex opposito dicimus, non tempus, sed Aeuum esse propriam mensuram Angelorum, ita communiter Theologi. D. Bonauen. in 2. d. 2. par. 1. art. 1. q. 1. D. Thom. 1. par. q. 10. art. 5. & 6. Scot. 2. d. 2. q. 4. & 5. Richard. art. 1. q. 1. Alens. 2. par. q. [illegible] m. 9. art. 5. & communiter Scotistæ, ac Thomistæ.

4 Probatur vero Primò ex tradita ipsius Aeui descriptione communiter recepta, licet discrepantia fiet in vltima conditione, vt q. 1. attigimus in fine: etenim in vtraque schola descriptio, quod *Aeuū sit mensura entis creati permanentis &c.* Reliquas conditiones non expendimus, non enim necessariæ sunt ad præsens intentum, quod si mensura est entis permanentis, atque res permanentes habent pro mensura Aeuum, non mensurabuntur vtique tempore; vndè namque differant res successiuæ, atque permanentes. Item si tempus est mensura rerum spiritualium, vt Angeli, & huiusmodi, vtique & mensura erit ipsius Dei; etenim & ipse immortalis quoque est indiuisibilis, atque immaterialis, insuper, tempus ex Arist. est mensura rerum corruptibilium, & mortalium, essent vero hinc Angeli corruptibiles, & mortales. Rursus mensura debet esse superior, atque perfectior mensurato, præcipuè loquendo de extrinseca; eiusmodi, vt quæst. præcedenti diximus, superiorem Angelum esse inferioris mensuram, atq; Deū esse mensuram omnium, iuxta receptam illud sententiã Arist. *Quod in vnoquoque genere dari debet vnum, quod sit metrum, & mensura omnium in illo genere.* At tempus est infima, & imperfecta mensura, Angelus est creatura perfectior in cunctis creaturis, et quid ergo tempus erit eius mensura. Præterea Aeuū est propinquius æternitati, quam tempus: Angelus quoque ea ratione, qua ens est spirituale, est propinquius Deo, propinquitate perfectionali naturæ, quam ceteræ creaturæ corporales: ergo dum Deus mensuratur æternitate; Angelus mensurabitur Aeuo, quod est propinquius æternitati & hæc videtur esse quoque Patrum mens, ac præcipuè Aug. l. 83. qq. q. 19. & 72. denum mensura debet esse vnigenea mensurato, hoc enim necessario exquirit Arist. at tempus est fluens, successiuum, materiale, ac diuisibile, non sic Angelus.

Tēpus quorum non recta mensura.

5 Ad obiecta in contrariū respondetur & ad Primū, concludit de mensura quoad nos, non de mensura in se, quoad Angelum formaliter; quia loquendo quoad nos, vtiq; nos per mensuram temporis dignoscimus quantū vsq; modo Angeli durauerint à mundi exordio vsque nunc, at Angelus id cognoscit aliundè primò, & per se per suã propriam durationē propriū Aeui: Dices etiam Angelus id cognoscit per temporis decursum vsque modo. Respondetur, si velit, inde etiam cognoscere, at cognitio hæc erit per accidens sibi, non per se, quia per se mensuratur Aeuo per accidens tempore, ea solum ratione, qua coexistit tēpori, non quatenus sua natura sit mensurabilis tempore; nisi extrinsecè, & per tempus etiam cognoscet à posteriori, & ab extrinseco.

6 Ad Secundum, vtique ea est ratio, quoniam non est vnigenea. Cum probas, sufficere esse vnigeneam in ratione durationis absolutè negandum id; alias æternitas non esset mensura solius Dei, sed ipsius creaturæ, quoniã ipsa, et æternitas est duratio absolute: vndè vnigeneitas ab illis sumitur valde remote; quapropter desumenda est à genere proximo, vtpote ab ente creato corruptibili permanēte, & successiuo, vt enti successiuo correspōdeat mensura successiua, vt tēpus; permanenti verò mēsura permanēs, vt Aeuū. Ad confir. concedimus mensurari tēpore per accidens, ratione solius coexistentiæ, quod concedimus.

Mensura debet esse vnigenea, declaratur.

7 Ad Tertium, tempus est mensura quoad nos; ipsum namq; est instrumentum nobis, vt cognoscamus durationem Angeli: non autem ipsi Angelo, qui vtitur mensura eminentiori.

8 Ad Quartum, Deus cognoscit omnia per seipsam, cuius mensura est æternitas, qua mediante metitur omnia,

Aeternitas coexistēs ab æternis nō mensurat non æternalis.

nia, dum omnia coexistunt æternitati, licet non pro totali instanti æternitatis; non enim fuerunt Angeli ab æterno, nec pro totali æternitate. Aliqui, vt Faventin. aiunt, non pro tota æternitate. At quomodo hoc, dum æternitas non habet partes, ergo quandocunque accipitur, vtique tota accipitur; ideoque dicimus, non pro totali æternitate, quia æternitas eadem adsistit, & consistit Angelo tota, non totaliter, licet possit esse sola discrepantia in modo loquendi; siquidem est in æternitate, sed non in tota præsentia æternitatis in ordine ad tempus nostrum; aliam namque relationem præsentialitatis habuit æternitas ad initium mundi, aliam ad hodiè, aliamque habebit ad tempus futurum.

Angeli duratio an nota homini, an alteri Angelo.

9 Cum dicis, non esse notam durationem Angeli intellectui humano, concedo per se, & Primò, quia non secundum se, licet nota sit secundariò, & per accidens, ratione temporis nostri; enumerando namque tempus creationis Orbis, metimur Angeli durationē, atque dicimus, tot annorum millibus durarunt Angeli in esse suo. Cum ais non esse notam Angelo inferiori, concedimus à priori, esse verò notā à posteriori, vtpote dum scit se simul creatum cum Angelo superiori, cognoscēdo suam propriam durationē, cognoscit tantò durasse superiorem, quantò ipse durauit inferior; eo magis, quo neutrius duratio fuit aliquādo per annihilationem interrupta. Cum deniq. id negas de Angelo superiori, vtique falsum, quia superior optimè cognoscit propriam durationem, sicut propriam sui existentiam; pari etiam modo Angelus inferior cognoscit propriā suam. Cum infers, ignorat superior quanto duratura sit anima, vel Angelus, Resp. id soli Deo notum est; perpetuitas enim, & conseruatio à Deo pendet; nihilominus probabiliter credit, Deum non fore destructurum, sed conseruaturū naturam, eo magis, quo Angeli, vel Beati sunt, vel damnati; at Deus in vtrisq. ostendet perpetuò diuitias gloriæ, & potentiam iustitiæ suæ; Gloria autem, & gehenna erūt perpetua. Cæterum per propriam durationē à se cognitam potest cognoscere durationem cæterorum cum eo existentiū; ipsius namq. existentia est simplicior, & perfectior, atque superior, & ideo ex cognitione eius, tanquam metro, & mensura, cognoscet durationem inferiorem vna cum ipso concreatorum Angelorum, atque coexistentium ab initio vsque nunc; futura enim Deo reseruantur.

Aeuum an subiectum motui.

10 Ad id, quod Aeuum, & Aeuiternum concipiantur prout subiecta motui: iam dictum est id esse per accidēs solummodo ex parte nostra, qui ratione qua imperfecti sumus, non valemus concipere durationem Angeli per se, & à priori, vt ipse valet, sed à posteriori, per coexistentiam ad tempus.

Mensura an extra animā.

11 Ad illud, quod mensura non est ens extra animam. Resp. id verum de mensura actuali; hæc namque pendet ab anima actualiter comparante mensuram ad mensuratū: at vero mensura aptitudinalis est extra animam, à parte rei. & cū ais, nos concipere hæc sub ratione definentis, & decurrentis, clarè ostenditur id prouenire ex parte nostri solummodò, qui nescimus ratione vitæ, & colligationis ad phantasmata rem aliter comprehēdere, nisi prout vel phantasmatibus subiectam, vel sensui, vel tempori, vel motui; ceterum Angelus durationem suam cognoscit plenè à priori per Aeuum, non dependenter, vt nos, à motu & tempore.

Mensura an distinguatur à mensurato.

12 Ad illud, quod mēsura distinguitur à mensurato, Aeuū non distinguitur. Responsio patet ex quæst. 3. verū esse de mensura extrinseca, non intrinseca, quæ eadem est cum ipso mensurato.

Scoti contradictio reconciliatur.

13 Dices Scotus negat, debere poni in Angelo Aeuum mensurans eum: ita in 2. d. 2. q. 1. igitur vel erit æternitas, at hæc est Dei, vel erit tēpus. Resp. non negare Scotum, Aeuum esse durationem Angeli, alias sibimet contradiceret, dum in eadem d. q. 3. ex professo docet, vnum Aeuum posse esse mensuram alterius Angeli: sed in priori loco demonstrare intendit, Aeuū, quod appellauimus intrinsecum, non distingui realiter ab Aeuiterno: vndè ait, non debere poni Aeuum, nempè intrinsecum, tanquam Aeuiterni mensuram, nempè distinctum realiter: at cōcedit ponendum

pendem esse tanquam propriam intrinsecam durationem identificatam realiter, prout demonstrauimus sup. q. 3. tanquam est communis sensus Interpretū Scotistarum.

Mēsura ad idem seipsā.

14 Dices, esse mensuram intrinsecam, & simul identificari realiter, videtur non verum, etenim nil mensurat seipsū formaliter. Confirmatur, quoniam mensura pertinet ad diuersū genus, etenim spectat ad prædicamentū Quantitatis, Aeuiternum autem Angeli ad prædicamentum Substantiæ, aliàs idem reponeretur in diuersis prædicamentis. Resp. licet sint idem realiter, distinguuntur tamen formaliter, vel ratione, iuxta mentem variè opinantiū: talis autem distinctio sufficit, vt nō dicatur idem quatenus prorsus idē, mensurare seipsum, mensurat namque duratio, seu Aeuiternum intrinsecū quatenus sic distinctum. Ad Confirmationem vero, non implicat, idem reponi in diuersis generibus: patet, nam creatum vt sic pertinet ad omnia genera, vt patet discurrēti: etenim substantia, (loquendo de creatis) Quantitas, Qualitas, Relatio, vniuersiq; prædicamenta, sunt entia creata, & tamen substantia, cæteraque prædicamenta sunt essentialiter inuicem distincta: quo fit, vt relatio creati ad Creatorem sit in omnibus prædicamentis. Verum est tamen, quod in vno erit essentialiter, & per se, in altero tamen denominatione: & ita Relatio creati de se spectata formaliter, erit in prędicamento Relationis per se, denominatiuè in aliis. Vide Scotum contra Simplicium in 4. d. 12. q. 1. lit. D.

Idem ac in varijs prædicamentis.

QVÆSTIO VI.

Vtrum operationes Angeli mensurentur Aeuo.

ARTICVLVS I.

Proponitur sententia Henrici, & Diui Thomæ.

1 ANgelorum operationes Diuus Thom. 1. p. q. 10. art. 5. ita distinguit, aliquæ enim sūt immanentes, aliquæ transeuntes: primæ subdiuiduntur: aliquæ namq; sunt connaturales Angelo, vt cognitio, & amor naturalis, tùm sui, tùm Dei, quatenus est Author Naturæ, & finis eius: aliquæ verò liberę, seu elicitæ, vt cognitio, & dilectio creaturarum: primas, naturales appellat, quia sūt necessariæ: immò connaturales, quoniam sunt connatæ cum ipsa natura: seù connaturales, quoniam connaturale est vnicuique Angelo intelligere, atque amare se, & Deum, vt Authorem, & finem naturæ: secundas appellat liberas, siquidem liberum est Angelo intelligere, ac diligere cæteras creaturas. Hæ autem operationes sūt omnes ordinis naturalis: sunt quoque operationes immanētes spectantes ad primum genus diuisionis, transeuntes vero sunt operationes motus localis, tùm mouēdo seipsum, tùm alia distincta à seipso. & de singulis ponit suas conclusiones.

2 Loquendo namq; de immanentibus naturalibus, siue connaturalibus, docet eas mensurari Aeuo. loquendo de immanētibus liberis, docet eas mensurari tempore discreto: loquēdo tandem de transeuntibus, ait mensurari tempore, & loquendo de visione beatifica, docet mensurari æternitate participata. Et de motu, siquidē est continuus, mensurabitur tempore continuo, si discretus, tempore discreto.

3 Constituit D. Thomas vnam cū Henrico, tempus quoddam, quod appellant discretū, constans ex pluribus instantibus, quibus mensurātur Angeli operationes elicitæ immanentes. de quo Henricus quodlib. 12. q. 8. cum D. Thoma aiunt tempus discretū constare ex variis instantibus, quibus mēsurandæ veniunt singulę cogitationes, & operationes liberæ immanētes Angelo-

gelorum: itaut vnicuique intellectioni correspondeat pro mensura vnicum instans, & sic de singulis: sicut autem intellectio illa est permanens, & indiuisibilis, ita & illud instans sit permanens, & indiuisibile. differt verò, inquiunt, instans temporis discreti ab instanti temporis nostri, quoniam illud potest durare, & coexistere ad tempus nostrum, itaut possit angelica intellectio durare per diem, indeq; eius instans mensurans durabit per diem: instans vero temporis nostri minimè durat, quia nec permanet, sed raptim transit, vnde nec coexistere poterit tempori continuo. Instantia insuper hęc vocantur discreta, itaut & tempus appellatur discretum, quoniam non sunt connexa inter se: sicut nec operationes angelicæ sunt continuæ, itaut vna eliciatur ex alia, vel continuetur alteri: hincque appellantur discretæ, idest separabiles, siue separatæ vna ab altera: quoniam non discurrunt, proindeq; est vt vna non deducatur ex alia; licet sint ordinatæ, quatenus vna succedit alteri.

4 Deducit ex hinc Henricus, tempus hoc esse verè quantitatem, ac de genere quantitatis, at esse quantitatem discretam specie distinctam à continua quantitate, propterea appellari discretam, idest non continuam. Verum quia quantitas discreta diuiditur in numerum, & orationem, ait, cum his partim conuenire, partimq; differre. Conuenit quidem cum oratione, quoniam orationis partes transeunt, & non permanent: ita partes temporis discreti: differt autem: siquidem partes orationis sunt inuicem connexæ, vt patet, non ita partes temporis discreti. Cum numero conueniunt, dum partes numeri sunt discretæ, & consimiliter partes temporis discreti: differunt verò, quandoquidem partes numeri permanent, & si non permanent, per accidens est eis: at partes huius tēporis transeunt: vnde denique deducit, tempus discretum esse quantitatem discretam, constantem ex pluribus instantibus indiuisibilibus sibi succedentibus absque tamen vlla continuatione. Distinguit insuper tēpus discretum à motu, quia non habet partes continuas, & diuisibiles, sicut motus: & distinguit quoque à tempore nostro, quia tempus nostrū habet continuationem, diuisibilitatem, & successionem, qua caret instans temporis discreti.

5 Deducit vero D. Thom. siuè ex eo Thomistæ, tempus hoc discretum non esse quantitatem de genere quantitatis: in quo non concordant cum Henrico: aiunt autem esse numerum prioris, & posterioris in motu discreto: quoniam est mensura rei spiritualis, qualis est operatio Angeli, atquia vna succedit alteri, ideo datur prius, & posterius, tum etiam quoniam res spiritualis non mensuratur quantitate de genere quantitatis, sed quantitate transcendentali, quæ sit numerus prioris, & posterioris.

6 Si autem quæras cur Aristoteles mentionem non egit de hoc tempore, respondent, ideò quia æstimauit Angeli operationes esse æternas, propterea non inclusisse in aliquo tempore, sed in æternitate.

7 Concludunt denique Thomistæ, instantia temporis discreti differre ab instantibus temporis communis; quoniam vnum instans temporis discreti potest durare per diem, & per tempus, atq; ita Angeli intellectio poterit durare per totū diem: instans vero temporis communis non sic, sed raptim transit, nec poterit coexistere partis alicuius tēporis, nec durare aliquo tempore. Rationes afferentur infra in vltimo articulo.

ARTICVLVS II.

Operationes immanentes Angeli mensurantur Æuo.

Operationes immanentes Angeli mensurantur Æuo.

1 EX dictis, & relatis, aiunt Henricus, & D. Thomas, operationes immanentes Angelorū mensurari tempore discreto. Nos autem in præsenti articulo probabimus mensurari Æuo: de tempore autem discreto agemus infra in art. 3. 6. vnde sit vnica assertio operationes Angeli immanentes, siuè naturales, siuè liberæ, & elicitæ, mensurantur Æuo, ita Scotus in 2. d. 2. q. 4. & ibi Expositores.

2 Prima autem ratio hæc sit, quæcunque habent vniformem modum manen-

manendi, ea mensurantur eadem mensura: sed existentia Angeli, eiusque immanentes operationes habent eundē modum manendi, ergo mēsurabuntur eadem mensura: existentia autē mensuratur Aeuo: minor subsumpta iam patuit supra. Et probatur maior, mensura, & mensuratum debēt proportionari: ea tamen existentia autem est indiuisibilis, ergo dum proportionantur in modo indiuisibiliter essendi, & permanendi, proportionabuntur quoque in mensura Aeui.

3 Henricus responderet, quamuis habeant eundem modum indiuisibiliter permanēdi, nihilominus in eo differunt, vt existentia Angeli possit diutiùs durare, quam operatio: & quidem existentia durabit in aeternū, operatio vero deficit, & procedit Angelus de vna intellectione ad aliam, destructa prima. At contra hoc arguitur, maior, vel minor duratio non variat rationē mensurae, nec rei mensuratae, (essentialiter) quod namque tempus mensuret vitam Petri per annum, & fortis per diem, non inde fit, vt tempus respectu vtriusque non habeat veram rationem mensurae, quae sit eiusdem rationis in vtroque: ita enim tēpore mensuratur vita Petri, sicut fortis, & ambo dicuntur viuere in tempore, & per tempus, licet vnus altero sit diuturnior. Accedit, quod talis maior, minorq; diuturnitas est quid accidentale ad tempus, ita namque horę spatium erit tempus, sicut spatium diei: quamuis differentia accidat aliqualis in diuturnitate, quae quidē sub ratione maioris, & minoris erit solum accidentalis ad ipsum tempus. Confirmatur, quoniā diuturnitas non est de essentia, & intrinseca ratione temporis, alias spatium horae non erit tēpus, quia est minus diuturnum spatio diei: insuper inferiora nō sunt de intrinseca ratione superioris, sic nec singularia sunt de essentia vniuersalis: ergo tempus hoc particulare, & inferius diei, & horae, non erit de essentia tēporis, vt tempus est, & in communi: quapropter nec sequitur vt ad variationem illorum varietur istud: à primo autē ad vltimum, quod existentia Angeli duratura sit in perpetuum, & operatio per instans, non propter hoc variabitur ratio mensurae earum: at mensura existētiae erit Aeuum, ergo & ipsarum operationum. Item non est perfectior albedo durans per annū, quam per vnum diem ex Aristot. quod insuper de perfectione intelligitur specifica, & essentiali, perfectior autē erit, vel minus perfecta accidentaliter. at mensura pendēt à natura mensurabilis: mensurabilia vero haec, existentia, & operatio sunt ambae indiuisibiles, de genere non successiuorum, sed intrinsecè permanentium, prout distinguntur contra motum, & tempus, quae sunt intrinsecè, & essentialitèr successiua: ergo dum in permanendo habēt vniformem à natura modum essendi, mensurabuntur vtique per eandem mensuram. Rursus per accidēs est, vt magis, vel minus duret vna, quam alia, posset enim existentia Angeli à Deo annihilari, sicut deficit operatio eiusdem Angeli: & nihilominus non ob hoc, ratione permanentiae, vel annihilationis erit necesse multiplicare mensuras.

Albedo durans per annum nō est perfectior durante per diē, declar.

4 Caetanus respondet ad praecitatum axioma Scoti dicendo, nec in sensu composito, nec in sensu diuiso concludere, & quidem dum Scotus ait, quę habent vniformem modum manendi dum manent, mensurantur per eandē mensuram: potest intelligi vel in sensu composito, vel diuiso: non primo modo, quia non ad eum sensum loquitur Scotus: nec secundo, probat, alias Deus, & Angeli haberent eandē mensuram Aeui, siquidē ambo habent eundem modū permanendi, & sunt indefectibiles. Item nec primo modo in sensu composito, alias sequeretur omnia mensurari eadē mensura, probat, *Omne quod est, quando est, necesse est esse*, ex 1. Periher. ergo omnia tùm permanentia, tùm successiua mensurabuntur eadem mēsura, quia quando sunt, in sensu composito, necesse est esse: non ergo ratio concludit in vllo sensu, nec diuiso, nec composito. nec insuper in sensu diuiso, siquidē Deus, & Angeli sunt necesse esse, attamen non ambo mensurantur eadem mensura.

5 Tria dicit in hac euasione Caetanus. Primum, quod ratio non intelligitur in sensu composito, ex mente

Scoti: Secundo, quod non concludit in sensu diuiso, alias omnia haberent eandem mensuram: & Tertio Angelos esse entia necesse esse.

Explicatio Radæ & Scoto.

6 Circa Primũ, ait Rada 2.p. contron-4. in impugnat. Caetani, propositionem Scoti intelligẽdam esse in sensu composito. Verum non placet: sic namque concluderet ratio Caetani, omne quod est, quandocunque est, necesse est esse, & ita permanentia, & successiua mensurarentur eadem mensura; consimiliter corruptibilia, & spiritualia haberent eandem mensuram, quia in sẽsu composito æquiparantur.

An quadret

Item friuola esset hæc ratio Scoti, vt vniformitatem mensuræ desumere intendat in sensu composito, quoniam id esset arguere ab accidentario, & extraneo, qualis est sensus cõpositus, non ab intrinseca natura rei. Rursus Scotus expẽdit rationẽ mensuræ per comparationem ad essentiam rei mensurabilis quoad se absolutè, & simpliciter, vt qualis sit rei natura de se, absque compositione cum alio, talis sit natura mẽsuræ eius: At natura operationis, & Angeli de se est indiuisibilis, & de genere permanentium, absque hoc, quod concipiantur hæc in sensu composito: igitur non est dicendum, Scotum loqui in sensu composito, qualis

Explicatio propria.

ergo erit sensus propositionis? in sensu diuiso: sensus autem erit talis, vt desumatur intelligentia propositionis ex duobus capitibus, alterum est indiuisibilitas, alterum simultaneitas, itaut ea, quæ habent vniformem modum manendi, ea ratione, qua sic indiuisibilia, & habẽt esse secundum se totum, itaut non sint essentialiter successiua, sed de genere intrinsecè permanentiũ, ea quidem mensurentur eadem mensura: taliter se habet existẽtia, & operatio Angeli, hic ergo erit sensus Scoti.

Explicatio Faustini. An placeat.

7 Faustinus hanc eandẽ propositionem explicat de necessitate consequentis, non consequentiæ, in 2. disp. 14. cap. 1. nu. 5. sed nec placet, etenim Scoti intentum non est rationem fundare super necessitate, sed super permanentia: ideoque non ait Scotus, *Quæcunque sunt necesse esse*, sed inquit, *quæcunque habent vniformem modum manendi*. Sensus igitur talis est, quæcunq; sunt de genere permanẽtium, ea mensurantur eadem mensura.

8 Ad Caetanum ergo redeũdo dicimus primo non concludere in sensu composito. Dicimus insuper concludere in sensu diuiso; & ad id quod omnia mensurarentur eadẽ mensura, quia *Quæcunq; quãdo sunt necesse est esse*, cõcluderet, si ratio Scoti teneret in sensu composito: & ad illud de Angelis, falsum est, esse indefectibiles; sunt namq; entia creata, & omnis creatura est de se defectibilis, quia non est ens necesse esse, sed dependens à conseruatione, & manutenentia Dei: quamuis autẽ sint indefectibiles physicè, vtpotè expertes materia physica, quæ sit principium corruptionis, tamen quia omne ens creatum subest voluntati, & manutenentiæ Creatoris, tantum durabunt in esse, quantum placuerit ipsi Creatori; de quo egimus supra disp. 1. q. 1. & hinc est, vt alia sit indefectibilitas Dei, alia Angeli: Deus est indefectibilis, quia est ens necesse esse, & independẽs ab alio, nec enim indiget, vt conseruetur ab aliquo: Angeli verò indefectibilitas est solummodò physica, carente Angelo principio defectibili materiali physico: cum hoc tamen potest annihilari à Deo. Confirmatur, alias esset incidere in sententiam Philosophorum putantium, intelligentias esse entia necessaria.

9 Arguitur item ad principale intentum. Adeo vniformitas in manendo est necessaria, vt vniformitèr manẽtia mensurentur eadem mensura, quod licet destruantur, vel vnum maneat, & pereat alterum, nihilominùs mensurabuntur eadem mensura: at existentia Angeli, & operatio sic se habeat, vt Angelus maneat, & cesset operatio, ergo ratione permanentiæ vniformis ab intrinseco mensurabuntur Aeuo. Assumptum probatur primo de pluribus Angelis, siuè de eodem Angelo: & quidem iam Angeli fuerunt simul ab initio creati: eorum autẽ existentiæ mensurantur Aeuo: at dato quod Deus nũc alterum eorum annihilet, remanentibus alijs, ita mensuratur Aeuo iste Angelus modo annihilabilis, sicut Angeli permanentes. Idem etiam Angelus, nunc v.g. annihilabilis mensuratur ita

Aeuo,

Aeuo, sicut prius: probatur insuper de operationibus, & Angelis, remanent Angeli, deficiunt operationes, ergo nō ob hoc, quod deficiant, mēsurabuntur alia mensura. Igitur maior, minorque duratio non variabit mensuram.

Permanentia Aeui qualis

10 Insuper permanentia, quæ requiritur ad mensuram Aeui, non solum est permanentia durationis, sed est etiam permanētia simultaneitatis totius esse rei durantis quandiu durat: ens namque essentiale diuiditur in successiuum, & permanens; tempus, & motus sunt essētialitèr, & intrinsecè successiua: substantia, qualitas, & huiusmodi, sunt intrinsecè, & essentialitèr permanentia, quia eorum esse non consistit, in fluxu, qualis est existentia tēporis, & motus: vnde est, vt ad ens intrinsecè, & essentialitèr permanens, non conueniat per se diuturnitas, & duratio, sed per accidens, ratio, quia Anima rationalis, & Angelus sunt de genere intrinsecè permanentium, & tamen possunt à Deo annihilari; per annihilationem verò non tolleretur, vt eorum entitates fuissent de genere permanentiū, non enim erāt entia successiua, vt motus, & tempus: sed de ratione essentiali permanētium est simultaneitas sui esse, etiam si duret per paruum tēpus, vel per instās; & quia hoc non capiunt Aduersarij, hinc oritur controuersia: at tūm existētia Angeli, tūm operatio sūt intrinsecè de genere permanentium, prout distiguuntur contra genus entiū intrinsecè successiuorum: ergo sicut Angeli existentia, quia permanens, mensuratur Aeuo, ita & eius operatio, quia est essentialitèr permanens. Item non sunt idem, permanēs, & durans: durans namque dicit relationem vel ad aeternitatem, vel ad tempus maius, vel minus: permanens verò dicit naturam rei non consistentē in fluxu, & intrinseca successiuitate, qualis est motus, & tempus: sed dicit simultaneitatem ipsius totius rei, vel partis, siuè quantacunque, & qualiscunque sit illa res.

Successio operationum Angeli non tollit mensuram Aeui

11 Item successio, siuè successibilitas operationum angelicarum nō tollit ab illis mensurā Aeui: ex quo namque vna intellectio succedit alteri, non ob hoc carebunt mēsura Aeui; ratio, quoniam talis successiuitas est solummodò extrinseca: sed de ratione earum intrinseca est simultaneitas totius esse, itaut intellectio vna quandiù manet, sit tota simul consistens, non consistēs essentialitèr in fluxu, vt motus.

Successiuitas operationum immanentiū qualis.

12 Rursus, successiuitas hæc operationum non est successiuitas partium intellectionis, itaut vna pars intellectionis fluat, ruat, deficiat, & succedat altera pars: sed est successio totius ad totum, idest post desitionem totalem, & simultaneā vnius intellectionis succedit tota altera simultaneè intellectio. Ita quoque de qualitate, substantia, & quantitate permanenti, licet namque adueniat pars ad partem, vt in aggeneratione substātiæ: in alteratione qualitatis, & augmento quantitatis, siue decremento, tamen successiuitas hæc non derogat permanentiæ rei; siquidem ad aduentum noui gradus, antiquiores gradus remanēt, non fluunt, sicut ex opposito in aduētu nouæ partis temporis, & motus, partes priores fluunt, nec possunt cōsistere: & si priores gradus substantiæ, qualitatis, vel quātitatis, aut substantiæ pereāt, id per accidēs est; non .n. id aduenit quatenus essētialiter entia successiua sint, & ideo pars anterior motus, & tēporis fluit; q a essentia eorū cōsistit in cōtinuo fluxu.

13 Præterea arguitur, mensura debet esse vnigenea mensurato ex 10. met. ergo si mēsura est successiua, mensuratum debet esse successiuum: si illa est permanens, & hoc debet esse permanens: at operationes immanentes sunt de genere permanentium, vt est deductum: ergo mēsura erit permanens: talis vero mensura est Aeuū. Dā oppositum, & sequitur confundendas fore mensuras, itaut permanēti successiua; & successiuo correspondebit permanens mensura. Respōderet Caetan. inferiora, & superiora habere eundem modum permanēdi, atque esse de genere permanentium, & tamen non mensurantur eadem mensura, quia Deus æternitate, & Angelus mensuratur Aeuo: sic & operationes licet sint permanētes non mensurabūtur Aeuo, quia corrumpuntur. Contra, hinc sequitur propositionem Aristotelis esse falsam, non enim tunc mensura esset vnigenea mensurato: at Angelus, &

operationes sunt permanentes, ergo requirit permanentem mensuram Aeui. Quod ad verò de Deo, Angelis, & operationibus dicendum, omnia hæc esse inuariabilia, at differenti modo, alia namque est inuariabilitas Dei, alia Angeli, vt est dictũ, quia Deus est omnino inuariabilis, immutabilis tũm intrinsecè, tũm extrinsecè, immortalis, indefectibilis, quia non esse esse, & omninò indépendens, propterea cum sit altioris ordinis, mensuratur altiori mensura, quæ est æternitas: Angelus est quidem immutabilis, seu indefectibilis physicè, at non repugnat, vt annihiletur, et deficiat: operatio tamen, vltra quod sit de genere permanentium, quia non de genere successiuorum, habet tamen defectionẽ, & de facto deficit: in quo ab Angelo, inter alia, differt, potest namque per Dei annihilationem deficere Angelus at de facto non deficit: operatio, & deficere potest, & deficit: at ex his non habetur, nisi maior, minorq; diuturnitas tũm operationis, tũm Angeli: deductione vero maiorẽ, minoremuè durationem non variare naturam, & perfectionem essentialem rei: quapropter sufficit, vt tũm Angelus, tũm operatio sint de genere intrinsecè permanentium, (si aut eorum esse non consistat in fluxu qualis est motus, & tẽpus) ad hoc vt possit vtrumque mensurari Aeuo.

Aliter in- [illegible] Angelus.

14 Rursus arguitur ex concessis à D. Thom. ait enim, vt in secunda assertione dicemus, operationes eas quæ, sunt naturales Angeli mẽsurari Aeuo, vtpotè operationes intelligendi, & amandi se, & Deum veluti Authorem naturæ; ratio eius est, quoniam sunt permanentes, indiuisibiles atque indefectibiles, sicut Angelus: hinc verò arguitur ad hominem, permanentia ex D. Thom. est ratio, vt operationes eius naturales mensurentur Aeuo, at operationes elicitæ sunt quoque permanentes, ergo & mensurabuntur Aeuo. Item indiuisibilitas est ratio ibi, ergo & hic: demum indefectibilitas est ratio talis mensuræ in illis, ergo & in istis: consequentiæ sequuntur, siquidem operationes elicitæ sunt pariformiter permanentes, indiuisibiles, atque indefectibiles, sicut & naturales. Nec enim aliqua maior ratio reperitur in illis quàm in istis: probatur, naturales namque operationes non ideo sunt indefectibiles, quasi non possint destrui, etenim de facto destruuntur, & vna succedit alteri: ita quoque euenit in operationibus elicitis, vt altera succedit alteri: quapropter non est maior ratio ex hoc capite in illis, quam in istis, vt mensurentur Aeuo. Dices, illas esse æternales, siue perpetuas, nõ illas: sed iam hoc effugium confutatum est, quia duratio, vt sic, nõ est ratio mensuræ Aeui præcisa, sed permanentia. Insuper indefectibilitas nõ est maior ibi, quam hic, cum de facto illæ, vna post alteram, deficiant, succedente vna alteri: ita euenit in istis: nec illæ sunt adeo indefectibiles, vt vna iam elicita permaneat semper, etenim de facto deficit post elicitionẽ: ita & hæ; item illæ sunt entia contingẽtia, & accidentia ipsi Angelo, quia possunt adesse, & abesse præter subiecti corruptionem; vnde iam vna succedit ad alteram: quod verò perpetuò Angelus sit duraturus sub elicitione successiuè specierum, id non probat, vt hinc sumenda sit ratio primaria, & præcisa mensuræ Aeui, non enim est perfectior albedo durans vna diem quam annis decẽ. Demum indiuisibilitas est ibi ratio Aeui, at quoq; elicitæ sunt indiuisibiles, quapropter duas rationes easdem militante vtrobique, non est vt elicitæ priuantur sint mensura Aeui.

15 Præterea intellectiones Angeli mensurantur tempore discreto, vt dicetur in seq. ergo pariformiter & intellectiones hominis mẽsurabuntur non Aeuo, sed tempore discreto: hoc autẽ est falsum, quoniam ambæ sunt permanẽtes, indiuisibiles &c. vel si hominis intellectiones mensurabuntur Aeuo, pariter & illæ, & è conuerso. Respondent nõ adesse paritatem, quia Angeli intellectiones fiunt sine discursu, homo autẽ intelligit cum discursu; sed contra obstatur, Primò, cognitio principiorum fit in homine sine discursu, vt patet, quia de conclusione non de principiis habetur discursus, ergo absolutè falsa responsio. Secundò circa disparata, & inconnexa non oportet discurrere, vt possum intelligere lapidẽ et sic, de se solo, nullam formando comparationem

nem eius cum ligno, & sic de singulis, quae talia non habebunt discursus de- intellectionis rapidus ad cognitionem ligni. Tertiò intelligo cum simpliciter simplex, vt est, at circa simpliciter simplex non sit discursus, quia apprehenditur anima ac simplici actu intellectus secundum se totum, quoniam simpliciter simplex, aut totaliter scitur, aut totaliter ignoratur; & Quartò falsum est maxime Angelus nō discurrere, de quo infra.

Operationes connaturales mensurantur Aeuo.

Ad secundò dicimus, operationes connaturales Angeli, sicut intellectio & amor, tam sui, tam Dei, vt Authoris Naturae, mensurantur Aeuo. Probat D. Thom. operationes hae sunt permanentes, & indefectibiles, ergo mensurantur Aeuo. Probat Scotus ratione superius adducta: quaecunque habent vniformē modum manendi, dum manent, ea mensurantur eadem mensura: at operationes hae habēt vniformem modum, ergo mensurantur Aeuo. In hac assertione D. Thomas, & Scotus conueniunt. Rationes tamen probandi, aliquanto differunt: quod namque ideò mensurantur Aeuo, quia sunt indefectibiles: quia etiam indiuisibiles, quaero de qua nam indiuisione, & indefectibilitate loquuntur, vtrum de physica, an morali: non de secunda, nam sunt entia naturalia, promanantia quoque à potentia naturali, vt intellectiua. Dices, vtcunque hoc militat de intellectione, non de amore, qui manat à voluntate, quae est libera, ergo erunt ista moralibus. Contra, licet voluntas liberè producat amoris actum, nihilominus operatio ista est qualitas physica, & naturalis, atque contingens, non necessaria: quomodo ergo erit indefectibilis? accedit, quod penè producto actu vno amoris, vel intellectionis, succedit alter, quandiu perseuerat quis in intelligendo, & amando; igitur quomodo erunt indefectibiles? & propterea Scotus probando dixit, *Quaecunque habent vniformem modū manendi, dum manent*, non, *dum manent*, quoniam praeuidit difficultatem, & tacitè soluit, dum ait, *loquimur dum manent*. Respondere tamen potest pro Thomistis, eatenus indefectibiles appellare, quatenus non sunt corruptibiles ad instar motus, & temporis, caeterarumq; rerum materialium, siue corporum materialium, & physicorum: consimiliter appellant eas indiuisibiles, in partes quidem quantitatiuas materiales, ac physicas; haecq; dicunt, vt contra distinguant operationes tales à caeteris, & consimilibus praedictis.

ARTICVLVS III.

Motus Angeli successiuus, & continuus mensuratur tempore nostro communi, non autem discreto.

Motus Angeli mensuratur tempus commune.

1 Motum Angeli continuū mensurari tempore nostro communi, non discreto, tenet idem Scot. in 2. d. 2. q. 11. probatur autem, participat Angelus de aliqua conditione corporali extrinseca, de qua participat corpus, ergo non implicat, vt participet etiam de tēpore communi in suo motu: probatur assumptum, Angelus inquantū mouetur ad locum participat de vbi, ergo etiam poterit participare de mensura motus ad vbi: at mensura ad vbi in corporibus mobilibus est tēpus, ergo erit quoque mensura in tempore Angeli. Caietanus negat Angelū esse subiectum motus, & vbi, cum sit in loco per operationem: at de hoc agetur infra disput. seq. q. 5. Item frustra multiplicantur tēpora discreta, & continua, probatur, quidquid habetur per vnum, potest haberi per alterum sine tali multiplicatione, vnde & in simul conueniunt: licet aliunde differant, ex quo aiunt Henricus, & D. Thom. tempus discretum constitui ex pluribus instantibus indiuisibilibus. Insuper Aristoteles non meminit talis temporis discreti, cur ergo recurremus ad nouū tempus gratis fingendo illud. Rursus ratio adducta pro tēpore discreto nullam habet efficaciam, ergo frustra admittitur, ratio autem totum haec est, motus Angeli non dependet à tempore nostro communi, ergo non mensuratur tempore communi: probatur assumptum, posset Angelus moueri, cessante motu primi mobilis: tunc verò non adesset tempus commune, at motui Angeli deberetur sua mensura, cum igitur nullum adesset tempus commu-

ne continuum, & successiuum, recurrendum foret pro mensura ad tempus discretum.

Cessante motu primi mobilis, adhuc posset esse motus in inferioribus.

2 Verum ratio non concludit, si quidem motus ille non mensuraretur tempore reali, actuali, mensuraretur tamen tempore potentiali, hoc autem potentiale esset eiusdem rationis cum actuali. Item tēpore Iosue aderat motus militum, commotio exercitus, atq; prœliatio, & nihilominus nullum aderat tempus commune, cessante tunc motu primi mobilis. Insuper post tempus iudicij posset v.g. D. Petrus in terram descendere, atq; deambulare: cui tamen motui, sicut & tempore Iosue, corresponderet mensura temporis potentialis. Præterea motus Angeli, & motus corporum est eiusdem rationis essentialis, nisi quod differunt subiectiuè, cum illius subiectum sit spiritus, huius, corpus; ergo & mensura debet esse eiusdem rationis: & hinc viget etiam ratio Scoti superius adducta, quæcunq; habent eundem modum essendi, ea habent quoque mensuram eiusdē rationis: at motus corporum, & Angeli sūt ambo essentialiter successiui, ergo & eorum mensura erit tempus continuū, & successiuum: nisi quod in ratione hæc adducta mutatur *Modus permanendi in modum essendi*, quoniam motus nō permanet, cùm cum sit successiuus, sed est, quandiù fit: & ita, licet parum mutata, viget prædicta ratio Scoti. Item quies mensuratur eo tēpore, quo mensuraretur oppositus motus si esset: igitur cessante motu Cœli ambulatio v.g. Petri mensuraretur tempore saltim potentiali, quo opposita quies: & ita de motu prœliationum tempore Iosue stante Sole.

De Iosue dimicante, stās primo mobili.

Motus dependet à tēpore, declaratur.

3 Dices, motus dependet essentialiter à tempore communi, ergo cessante tempore communi non poterit angelicus motus mensurari ab eo, sed requiret aliud tempus alterius rationis. Resp. negando assumptum, ratio, quia potest separari motus à tempore communi, vt accidit tempore Iosue. Dicendum Secundò dependentiam esse solummodò accidentalem, & extrinsecam. quandoquidem tempus commune est mensura solummodò extrinseca motus particularis inferioris. Dicendum Tertiò mēsurari necessariò à tempore potētiali, & intrinseco, vel Quartò, mensurabitur tunc cessante motu primi mobilis, æternitate, tanquam mensura extrinseca, licet namq; æternitas sit Dei mensura intrinseca, tamen est creaturarum mensura extrinseca, quatenus æternitati coexistunt omnia licet non pro tota æternitate, & æternitas coexistit omnibus, licet non secundum se totam. Dices, motus Angeli est spiritualis, tempus Cœli nō est spirituale, ergo non potest esse eius mensura. Resp. motum subiectiuè tentum quatenus est Angeli, esse spiritualem: formaliter spectatum, & ratione corporis ab Angelo moti, esse corporalē: ideo &c.

4 Dices, impossibile est dari mensuratum reale, actuale absque mensura reali actuali; non enim mensura potētialis est quid reale actuale: ergo tempus potentiale non erit mensura talis angelici motus cessante motu primi mobilis. Resp. loquendo de mensura intrinseca, vtique verum quod impossibile est, dari mensuratum reale, actuale absque mēsura reali actuali: eo magis, quo mensura intrinseca rei est eadem realiter cum ipsa re: & ita motui angelico actuali correspondebit tempus intrinsecum actuale, reale, per quod intrinsecè durat, & mensuratur intrinsecè: at loquendo de mensura extrinseca, poterit mensuratum stare sine mensura reali actuali, sufficiente potentiali.

Mēsuratum dari sine mēsura, declar.

5 Respondent denique, cessante motu Cœli, & tēpore communi actuali, mensurari motus illos tempore quidem potentiali, at quod esset alterius rationis à tempore communi potentiali. Verum hæc superflua videntur, vt multiplicetur etiam tempus potentiale: & videtur effugium, etenim æquè benè saluari omnia poterunt per tempus commune, siue sit actuale, siue potentiale, quod sit eiusdem rationis in omnibus.

6 Item ex 4. phys. *Tempus est numerus motus secundum prius, & posterius*: at in motu locali Angeli datur prius, & posterius, ergo mensuratur tempore communi. Rursus ex August. ad Oros. q. 21. omnes creaturæ, etiam angelicæ, sunt in tēpore: quod D. Thom. quod.

lib. 9.

lib. 9. art. 9. exponit de operationibus Angeli immanentibus, at multò amplius id dicetur de transeuntibus.

[illegible] 7 Dices, posset Angelus moueri velocius toto Cœlo: tunc autem tempus commune nō posset esse eius mensura, quia tardius & non æquaretur ei. Resp. posse nihilominus esse mensuram per reduplicationem suarum partium: quando namque mensura v. g. palmaris non adæquatur toti quātitati mensurabili, tunc fit mensuratio per reduplicationem, vsquequo deueniatur ad mensuram totius quātitatis, ita motus Angeli superior cognosceretur per partes reduplicatas, & iteratas motus primi mobilis: sicut etiam per reduplicationem, & iteratas pulsationes horarū horologii metitur motum maiorem totius diei.

ARTICVLVS IV.

Visionem beatificam mensurari Aeuo, non æternitate participata.

Visionem beatificam mensurari æternitate, impugnatur. DE visione beatifica Thomistæ, vt attigimus, aiunt mensurari non Aeuo, sed æternitate participata. Aduersus hoc insurgit Scot. in 4. d. 49. q. 6. & probat mensurari itidem Aeuo, sicut operationes immanentes alterius generis mensurantur Aeuo. Probatur verò. Aeuum est mensura entis creati immutabilis, at beatifica operatio est immutabilis, ergo mensuratur Aeuo. Arguitur insuper à maiori ad minus, operatio beatifica non est immutabilior Angeli existentia: at hæc mensuratur Aeuo, ergo & illa: item operatio est minus nobilis, quam Angelus, etenim illa est accidēs, hic substantia: Angelus est adeò nobilis vt nō valeat, Mensuratur Aeuo. nisi à solo Deo creari, at visio beatifica producitur effectiuè tum à Deo, tum ab intellectu Beati in sententia multorum: atque denique actus secundus dependet à primo, vndè & potentia est nobilior operatione: ex his autem formatur ratio, Angelus est nobilior sua operatione ex tot capitibus recensitis: sed Angelus mēsuratur Aeuo, & non æternitate participata ex Thomistis, ergo nec tali æternitate mensurabitur beatifica operatio: da oppositum, ergo operatio erit nobilior Angelo: ergo accidens erit præstantius substantia: & actus secundus erit eminentior potentia, & actu primo.

2 Caetanus respondet, quod licet visio beatifica non sit immutabilior existētia Angeli, tamen est altioris ordinis, quia est ordinis diuini, & hinc mensuratur æternitate participata. Sed contra actus supernaturales ordinis Fidei, Spei, & Charitatis, quos Angelus eliciebat in via ante terminum, mensurabantur Aeuo, non æternitate ex ipsismet Thomistis: igitur supernaturalitas non est ratio, vt mensuretur æternitate beatifica visio: ambo quidem tùm Patriæ, tùm viæ, sunt ordinis diuini, vt Caetanus loquitur: ergo vel ambo mensurabūtur Aeuo, vel ambo æternitate participata.

3 Respondet differentiam constitui inter vtrosque, licet namque sint ambo ordinis supernaturalis, & diuini, nihilominus actus Patriæ sunt perpetui, actus viæ erant temporales: & hoc sufficit, vt possint variare mensuram. Contra arguitur, Aeuū est mensura perpetua: ergo poterit per Aeuū æquè benè mensurari visio beatifica. Prob. conseq. per rē perpetuitas est ratio vt non mensuretur tempore, quoniam per id mensurantur res variabiles: at Aeuum est etiam mensura perpetua, metitur namque Angelos, qui erunt perpetui, & operationes naturales intelligendi, & amandi se, & Deum vt Authorem Naturæ, quæ operationes erunt quoque perpetuæ: nunquam enim cessabit ab amore sui & Dei tùm vt glorificatoris, tùm vt Authoris Naturæ, ergo æquè benè poterit Aeuo mensurari beatifica visio. Immò multo magis id expedienti videtur, probatur Deus namq; est perpetuus, & operatio beatifica erit perpetua: at non sunt æquè perpetui Deus, & visio creata beatifica, cū Deus sit ens absolutè, & simpliciter necesse esse, ac propterea hinc intrinsecè, & extrinsecè perpetuus, visio vero erit perpetua ex ordinatione Dei statuētis conseruare Beatos in visione beatifica in perpetuum: imo vna visio deficit, succedēte altera. vt ergo differentiam aliqualem admittamus inter vtriusque perpetuitatem, dicendum perpetuitatem Dei mensurari

rari æternitate, & visionis beatificæ angelicæ Aeuo, est enim Aeuum quoque perpetuum. Item perpetuitas, siue maior, minorq; duratio non variat naturam rei durantis: quod si variet, erit variatio accidentalis ex 2. artic.

4 Arguitur insuper, perpetuitas æquè competit Angelo, ac eius beatificæ visioni: ergo si hæc mensuratur æternitate, etiam & Angelus. Respondet, visionem esse ordinis supernaturalis, & diuini. Contra, vt est argutum, operationes meritoriæ in via erant etiam ordinis diuini, at illæ mensurabantur non æternitate, sed Aeuo. Respondent illas viæ operationes differre à visione Patriæ, quia illæ erant temporales, hæ sunt perpetuæ. Sed videquæso quale sit effugium Caetani, & sequaciũ, modò enim recurrit ad perpetuitatem, modò fugit ad ordinem diuinum: deiectus namque, quod non competat æternitas ratione perpetuitatis, recurrit ad ordinem diuinum: & defaticatus ex eo, quod non competat ratione ordinis diuini; effugit ad perpetuitatem: vnde inconstãs est, & vesè circuit, siue circulum efformat in sua responsione, de hoc in illud, & de illo redeundo in hoc.

5 Item Angeli existẽcia est verius perpetua, quam beatifica visio, ergo magis illa mensurabitur æternitate, quod nõ conceditur. assumptam probatur, operatio numer[o]a beatifica corrumpitur, itaut vna succedat alteri: Angeli existẽtia semper eadem numero permanet. Angelus ex Caetano est necesse esse, itaut sit indefectibilis: operatio beatifica desinit, succedente altera; qualem necessitatem non concedit visioni numericæ. Angelus est à solo Deo annihilabilis; operatio numericè sumpta iam corrumpitur cessante intellectu Beati ab ea, & producente alterã: non loquor nisi de visione numerica, iam enim constat, visionem succedere visioni. ex his autem concluderetur potius æternitatem deberi Angelo, quam visioni, at Angelo non conceditur, ergo nec visioni. Arguunt alij, potest Beatus cessare totaliter à visione Dei, Angelus autem non potest per creatam potentiam cessare ab esse suo, ergo iste est durabilior. assumptum probant ex Scoto loc. cit. verum ratio non vrget, etenim ideo cessare posset beatus à visione totali, quia ex. gr. desineret Deus manutenere, & conseruare Beatum in sua visione, Deo namque denegante concursum, & tollente ostensionẽ obiecti beatifici, iam cessaret visio beatifica: & ita loquitur Scotus: at sicut posset hoc de potentia absoluta agere circa Beatum Deus, ita posset & annihilare Angelũ, vnde non hinc cõcluditur maior vnius perpetuitas, quam alterius: vrget vero ratio citata de visione numericè supra.

6 Rursus, hoc esse perpetuum, & immutabile, vndè nam habet beatifica operatio, verum ex natura sua, an à Deo: non primum, quia de facto hæc numero operatio deficit, & aduenit altera: at Angelus nunquam in entitate deficit. Dices, id habere à Deo: sed quæro verum id verum de operatione beatifica, an de statu beatifico: non primum, quoniam nec Deus cõseruat visionem eandem numero beatificam in Angelo, sed sinit eam deficere, & aduenire alteram: si secundum, status ille beatificus à quo nam pendet in sua perpetuitate? à Deo instituente, & conseruante, idquè voluntariè, & liberè: igitur ex hinc habetur, visionem beatificam non esse ens simpliciter necesse esse, sed quatenus ex pacto, & dispositione diuina ita euenit, vt duret perpetuò: hoc autẽ etiam modo Angeli conseruantur in suo esse perpetuò volente Deo, si namque renuerit, cessabunt Angeli ab esse suo: & hinc est, vt eorum esse perpetuum, quo fruetur in perpetuum, non mensuretur æternitate participata, sed Aeuo: ergo dum similis currit ratio in visione, & statu beatico, iam non mensurabũtur æternitate, sed itidem Aeuo.

7 Caetanus ait, operationem beatificã esse immutabiliorẽ Angeli existentia secundum genus, ea ratione qua est ordinis diuini, seu de genere diuini, & supernaturalis, licet non secundum se. Sed arguitur contra, id, quod secundum aliquod genus est altero immutabilius, id erit absolutè perfectius illo: ergo absolutè operatio erit perfectior Angelo: assumptum patet, si namque homo secundum genus

substan-

substantiæ est immutabilior accidente, vtiq; secundum tale genus erit perfectior accidente. Item genera se habent ordinatè, vt vnum sit perfectius altero, ergo operatio erit de genere perfectiori, quam ipse Angelus, cum tamen illa sit accidens, hic substantia. Insuper operatio meritoria viæ Angelorum secundum genus suum est ordinis supernaturalis, & diuini, attamen non conceditur mensurari æternitate, sed Aeuo: cũ tamen æqua deberet esse ratio vtrobique; nam si secundum genus diuini euenit, vt mensuretur æternitate, & sit nobilior operatio, quam Angelus, eadẽ ratio generis diuini militat in actu meritorio in via. Rursus hinc sequitur etiam minimam operationem fore nobiliorem quocunque Angelo supremo, prob. teste Dionys. Infimum supremi generis est nobilius supremo infimi generis, vt infimus Angelus est nobilior supremo homine: igitur absolutè perfectissimus Angelus erit perfectione, & immutabilitate inferior infima operatione eiusdem Angeli. At Angelus est genere, numero, & specie immutabilis: operatio beatifica non est numericè immutabilis, cum de facto multiplicentur numero beatificæ visiones, stante immutabilitate sola ex parte generis, speciei, & ex parte status beatifici: perfectius vero est id, quod est immutabilius genere, specie, & numero, quam quod solo genere, & specie, & non numero, vt visio.

8 Arguitur vlterius, quod inest alicui per accidens non reddit illud perfectius, & immutabilius simpliciter, quam sit secundum propriam sui naturam: at omnis respectus adueniens ad operationem angelicam aduenit ei per accidens, ergo non faciet eam immutabiliorem, quàm sit ex eius natura: sed operatio secundum se non est immutabilior Angelo, ergo nec prout est ordinis supernaturalis, & beatifica: minor subsumpta iam est probata, quia non remanet eadem numero, remanet vero semper idem numero Angelus. Prob. minor, ad operationem hæc adueniũt, vtpotè relatio ad obiectum beatificũ, & dependentia ab habitu luminis gloriæ, at hæc insunt per accidẽs operationi, vt operatio est, & visioni vt visio est: ergo non hinc redditur immutabilior Angelo.

9 Caietanus occurrit, respectus illos non competere operationi beatificæ per accidens, siue tanquam accidens subiecto, sed tanquam differentiam generi, itaut contrahat ipsam ad tale genus: hinc verò fit, vt sit alterius speciei à cæteris operationibus angelicis, propterea; illa mensuretur æternitate, hæ Aeuo. Ait insuper, visionem beatificam nõ esse duo, sed vnum, quapropter non sequitur aduenire operationi beatificæ tales respectus tanquam accidẽs, sed tanquam per se constituens idem, & vnum. Sed contra arguitur, differentia adueniens generi continetur potẽtialiter in illo genere: rationale namque siue irrationale continetur potentialiter in animali: at supernaturalitas, & relatio ordinis diuini, relatio ad obiectum beatificum, & dependentia ab habitu luminis gloriæ non continentur in operatione, ergo non adueniunt ei vt essentiales differentiæ: probatur minor, alias omnis operatio posset esse beatifica, & ita intellectio lapidis, equi, bruti posset esse beatifica, hinc fit, vt talis relatio se habeat verè vt accidẽs ad operationem: eo magis quo datur operatio sine tali operatione, vt de cæteris operationibus angelicis ordinis naturalis. Et ad id quod ait actum esse omnino vnum, tum vt operatio, tum vt beatifica, contra, ex tali vnitate non elicitur, vt mensurari debeat æternitate: non quidem ratione ordinis diuini, alias actus meritorij viæ essent mẽsurabiles æternitate: non ratione perpetuitatis, & immutabilitatis, quoniam Angelus est itidem perpetuus, & immutabilior operatione, eo remanente semper in identitate numerali, ac personali, visione tamen mutata numericè: ergo talis vnitas non facit, vt mensuretur æternitate.

10 Rursus, immutabilitas est quid extrinsecum operationi, non de ratione intrinseca. Prob. si esset intrinsecum, ergo nulla beatifica operatio corrumperetur, at corrumpũtur, dum succedunt aliæ, corrupta priori, ergo non est de ratione intrinseca, & consequẽter nec mẽsurabitur æternitate. Dices, non quidem esse de ratione intrinseca

huius numero operationis, sed de rõne status beatifici, qua beatificum est: sed impugnatur Primo, magis est immutabilis Angelus, quia semper manet idẽ numero, & tamen nõ mensuratur æternitate. Secundo talis immutabilitas status beatifici pendet à libera voluntate Dei liberè conseruantis perpetuò Beatos in tali statu: igitur non est, nisi ab extrinseca voluntate Dei pendens talis immutabilitas, alioqui, si vellet Deus, posset talis status destrui, & mutari: ergo non est vt mensuretur æternitate, est namque æternitas mensura propria Dei omninò indefectibilis, & immutabilis.

11 Respondent nõ mensurari æternitate absolutè, & simpliciter, sed participatiuè, seu æternitate participata, & hanc differentiam constituunt inter Deum, & visionem beatam, vt Deo æternitas competat tanquam mensura per se, & intrinseca, at visioni participatiuè.

12 Sed impugnatur, & Primò ex hac responsione sequitur, æternitatem non esse magis mensurã visionis beatificæ, quam quarumcunque aliarum operationum: probatur, omnia, & singula rerum creata possunt dici mensurari æternitate participata, quoniam æternitas est mẽsura extrinseca omnis cuiuscunque creaturæ: si namque cessaret tempus, vt cessabit post diem iudicij, cuncta metienda forent æternitate participatiuè, & extrinsecè, ratio, quoniam omnia coexistunt æternitati: si etiam cessaret Aeuum, vtpotè si annihilarentur omnes Angeli, cuncta sic metienda venirẽt: & de facto ipsamet Aeuiterna metiuntur extrinsecè per æternitatem, quandoquidem ipsa æuiterna, sicut & quæcunque alia coexistunt æternitati: quapropter ratio, seu responsio ista est valdè vniuersalis, & non restringibilis ad solam beatificam operationem. Secundò indè sequitur visionem non habere propriam mensuram, sed communem cæteris, patet, quoniam tum ipsa, tum cætera cuncta coexistũt æternitati, & extrinsecè mensurantur æternitate. Tertio sequitur, visionem beatificam carere mensura intrinseca. Prob. etenim æternitas cõpetit visioni non ab intrinseco, cum sit solius Dei sic ab intrinseco: competet vero visioni ab extrinseco, dum non propriè adaptatur ei, sed solummodo participatiuè: itaq; priuata remanet propria, & intrinseca mẽsura, dum ei competit æternitas solummodò extrinsecè, & non magis, quam cæteris creaturis vniuersaliter: quapropter dum Scotus ei adaptat pro mensura Aeuum, tribuit illi mensuram intrinsecam: cui etiam non repugnat in doctrina quoq; Scoti æternitas per coexistentiam extrinsecam, seu tanquam per mensuram extrinsecam.

13 Præterea, charitas viæ, & charitas Patriæ sunt eiusdem rationis; at ista mẽsuratur Aeuo, ergo & ista, & consimiliter visio beatifica. Insuper quæ corruptibilia, & defectibilia sunt non mensurantur æternitate: at visio Diui Pauli in raptu, cessante raptu desijt habere esse: consimiliter visiones Beatorum de facto desinunt, dum vna succedit alteri numericè. Nec obstant euasiones iam adductæ, cum plenè remaneãt confutatæ. Rursus æternitas, & perpetuitas ex Scot. sup. non est de essentia beatitudinis, ergo non competit ei intrinsecè æternitas. Confirmatur quia æternitas est mensura rei omnino tum ab intrinseco, tum ab extrinseco indefectibilis, potest autem beatificus status creaturæ destrui à Deo.

14 Alij arguunt, stat naturalis inclinatio Angeli, & hominis ad beatitudinem, licet non possit naturaliter attingi; ergo non mensuratur æternitate: naturale namque non habet pro mensura æternitatem: antecedens est Scoti 1. q. proł. & in 4. d. 49 q. 10. & in 1. d. 1. q. 4. Alij probant, ex quo intellectus Beati concurrit actiuè ex eod. Scot. in 3. d. 13. q. 2. & in 4. d. 49. q. 11. ad beatitudinem: actiuitas autem naturalis caret pro mensura, æternitate. at rationes hæ possũt eludi, etenim quoad primam, non loquuntur Thomistæ de inclinatione, sed de operatione, & hanc, aiunt, mensurari æternitate: & quoad secundam, id curreret si intellectus ex puris naturalibus attingeret de se solo visionem beatificam: at quia requirit supernaturalem eleuationem luminis gloriæ, ideo minus concludit: quapropter vrgentiores videntur rationes, &

impu-

impugnationes paſſim vſque modò adductæ.

15 Deníque Auguſt. lib. de fide ad Petr. cap. [illegible] operationem beatificam menſurari Æuo: præſtè autem, vt ſupra, accipiendum eſt Æuum quatenus per non menſurabiſur æternitate.

Beatitudo eſt æternitas participata [illegible] 16 Arguitur aduerſus dicta, & quidem vltimo Auguſt. lib. [illegible] appellat beatitudinem noſtram, æternitatē participatam: vnde eſt autem dicendū Auguſtinum contraria docere, vt modo Æuo, modò æternitate doceat menſurari, ſed potius æternitate. Reſp. per æternitatem menſurandam eſſe beatitudinem creatam non intrinſecè, ſed extrinſecè per conſiſtentiam ad æternitatem, quatenus conſiſtet in perpetuum æternitatē, & quatenus beatifica operatio durabit in æternum: non eſt autem Auguſtini mens docere vt æternitas, vt ſic participata, ſit menſura intrinſeca beatitudinis, ſed extrinſeca, vt diximus, dum durabit viſio per totā à parte poſt, æternitatem. Et reſponſio hæc non repugnat doctrinæ prius traditæ eiuſdem Auguſtini, dum ait eam menſurari Æuo, ſiquidem Æuo, ait menſurari tanquam menſura intrinſeca, æternitate vero extrinſecè per coexiſtentiam ad æternitatem: & ſic ſolui poſſunt loca plura aliorum Sanctorū, tùm etiam Scripturarum.

Æternū dicitur ſumptum. 17 Ioannis III. dicitur, *Hæc eſt vita æterna, vt videant &c.* ergo vita beata menſuratur æternitate. Reſpondet Scotus, appellari æternam obiectiuè, quia eſt de Deo, qui dat vitam æternam. Item appellatur æterna quoniam durabit in æternum, ſicut & pœna damnatorum hoc modo appellatur æterna Matt. 25. *Ite maledicti in ignem æternum*: vel non ſumitur æternum, ſtrictè, inquit Scotus in 4. dist. [illegible] pro diuturno, & ita menſurabitur Æuo.

Scoti diſcrimen dicitur ſolui [illegible] 18 Dices, Scotus [illegible] menſurari æternitate participata viſionem beati [illegible] cum D. Thoma. Reſponſio eſt iam data, ſumere Scotum æternitatem, vt eſt dictum: at melius dicendum æternitatem participatam non capere Scotum, & Thomiſtas pro menſura intrinſeca viſionis beati, ſed pro extrinſeca [illegible] ad æternitatem, vt diximus.

19 Arguitur, viſio beatifica eſt indefectibilis, & immutabilis, ergo menſuratur æternitate. Reſponſio eſt iam data, quod loquendo de viſione numericè ſumpta, iam conuenit, & deficit, altera ſuccedente alteri: loquendo de toto ſtatu beatitudinis, vtique deficibilis eſſet & deficeret, ſi Deus ceſſaret conſeruare eum: quapropter æternitas eſt menſura rei tum ab intrinſeco, tum ab extrinſeco omninò indefectibilis, per quamcunque potentiam, at beatitudo, quatenus pendens à Deo, eſt ad libitum ſuæ voluntatis, deſtructibilis, quamuis tamen de facto in perpetuum conſeruabit eam. Itē Angelus & Anima eſt indefectibilis, attamen nō menſurantur æternitate.

20 Arguitur, viſio eſt ordinis diuini, & ſupernaturalis, ergo menſuratur beatitudine. reſponſiones, & impugnationes, abundè datæ ſunt in decurſu quæſtionis, negando conſequens, quia etiam charitas viæ eſt ordinis ſupernaturalis, & diuini, & tamen non menſuratur æternitate.

21 Obiſtatur, nulla poteſt creatura de ſe ſola, attingere ad viſionem beatificam, ergo menſuratur æternitate. Reſp. neg. conſeq. nam ad actus meritorios in via nec poteſt creatura attingere ex ſe ſola, & nihilominus non menſurantur æternitate. Item retorquetur, Cælos non producit, nec producere poteſt, ſicut nec Angelos, nec Animam rationalem pura creatura, ergo hæc menſurantur æternitate, falſa conſequentia, vt conſtat.

22 Obſtabis, per viſionem beatam efficimur Deo ſimiles iuxta illud, *Similes ei erimus quia videbimus eum ſicuti eſt* [illegible] 1. Io. 3. at Deus menſuratur æternitate, ergo & viſio beata. Negatur conſequēs, ſimilitudo enim illa attenditur, ex perfecta transformatione glorifica in Deum, per perfectiorem amorem, atque fruitionem, non autem in menſura æternitatis. Similitudo Patriæ qualis.

23 Dices, viſio beatifica obtinet ſupremum gradum inter entia creata, ergo eius menſura excedit omnem aliā menſuram, eaque erit æternitas participata. Negatur conſequens, ſtat enim excedere aliunde, propter vnionem cū ſupremo bono, at non ſequitur, vt ex-

cedat in æternitate, cum sit propria Dei. Et retorquetur, quandoquidem supremus Angelus superat Angelos cæteros inferiores in perfectione, attamen non inde sequitur, vt mensuretur æternitate, mensuratur tamen Æuo, sicut & cæteri Angeli inferiores.

Æternitas participata mensura eũ visionis.

24 Circa litem istam quærere possumus à Thomistis, vtrum visio beatifica habeat pro mensura solam æternitatem participatam, an vero & aliquã aliam, etiam intrinsecam: si negatur, stat, vt prius mensurari intrinsecè, & essentialitèr per eandem mensuram, per quam mẽsuratur intrinsecè Deus; at hoc est impossibile. Prob. vnicuique rei correspondet sua propria, & intrinseca mensura: adeo quidem propria, vt nequeat competere alteri intrinsecè: hoc planum est de singulis: loquimur autem de mensura intrinseca, quæ ob id, appellatur propria, vt nequeat esse alterius intrinsecè: patet, etenim tempus intrinsecum est adeo propria mensura intrinseca motus, vt nõ posse competere intrinsecè rebus intrinsecè permanentibus: & duratio intrinseca permanens adeo competeret de genere permanentium, vt nequaquam valeat intrinsecè competere rei intrinsecè, & essentialitèr successiuæ: & sic de singulis: ergo non poterit æternitas, quia est intrinseca, & propria mensura Dei, competere alteri quàm Deo: igitur dabis caput alterum, vt sit mensura extrinseca: vt sic autem nil proprij doceret sententia illa, cum omnes in hoc conuenimus, & nedum ratione visionis beatificæ, sed & cunctorum aliorum, quæ omnia mensurari dicuntur æternitate extrinsecè, & coexistenter, vt tom. 1 de Trinit. disp. de æternitate Dei. Inquiunt æternitatem fore mensuram intrinsecam, sed participatam; seu mensurari mensura æternitatis per participationem. Contra, ergo mensuraretur æternitate per accidens, igitur danda prius erit mensura per se. Item non differunt à rebus cæteris, siquidẽ omnia cætera creata etiam mensurantur æternitate participata, participatio autem consistit in ratione extrinseca mensurandi, dum æternitas coexistit omni rei: ergo nil peculiare dicunt de mensura visionis, dum talis participatio conuenit rebus cunctis: igitur foret mensura extrinseca, vnde euenit, vt mensuretur solummodo extrinsecè, careatq; mensura intrinseca.

25 Euasiones fundantur in eo, quod habebit quoq; mensuram intrinsecam, quæ erit æternitas participata. Item, erit quoque eius mensura propria: non quidem, vt æternitas simplicitèr sumpta, sed vt participata: & vt sic, non erit mensura Dei, cum non mensuretur intrinsecè per participationẽ. Nec mirum, quia ens prædicatur de Deo per essentiam, de creaturis vero per participationem: ergo æternitas his etiam cipationem: ergo æternitas his etiam modis competere potest Deo, & visioni beatificæ. his vijs saluatur positio D. Thom. verum est tamen, quod inter sequulos recensitos nõ videtur impingere sententia Scoti.

ARTICVLVS V.

Substantias generabiles, & corruptibiles non mensurari tempore, sed Æuo.

1 DIuus Thomas 1. par. q. 10. art. 4. docet, res permanentes, quæ tamẽn suaptè natura sint corruptibiles, mensurari tempore: rationes autem hæ esse possunt, prima, tempus est mensura eorum, quæ nedum corrumpuntur actu, verum & corruptibilia sunt in potentia: ergo licet permanentia non corrumpantur actu, quando permanent, corrumpi tamẽn poterunt. Secundò quies mensuratur tempore ex 4. phys. t. 118. ergo & permanentia quandiũ quiescunt, & permanent: at quies corrumpi potest adueniente motu, ergo cætera permanentia ex quo corrumpi possunt, mensurabuntur tempore. Tertiò, cuius primum esse mensuratur instanti tẽporis, eius habitum esse mensuratur tempore: at productio rerum generabilium mẽsuratur instanti temporis, sicut etiam corruptio mensuratur instanti, quia generatio, & corruptio fiunt in instanti: ergo ipsa genita, licet permanẽtia mensurabuntur tempore. Quartò, quæcunque patiuntur à tempore, prout subiecta, & obnoxia tempori, mensurantur tempore: talis sunt omnia generabilia, & corruptibilia, quandoquidem sunt obnoxia mutatio-

tatio-

tudinem, tam in motu locali, generatione, alteratione, augmentatione, cæterisque generibus motuum, quæ fiunt in tempore: maior est Aristotelis 4. phys. t. 117. Quartò, quæ superantur à tempore, mensurantur tempore: res generabiles, & corruptibiles superantur à tempore: siquidem vtrumque, & desinunt, atque durant in tempore, quibus cessantibus pereunt: nihilominus tempus, vt aiunt est Aristot. vt supra. Sextò mensura debet esse eiusdem rationis: ergo mensurabuntur tempore: sed oppositum, quod ista mensurentur Aeuo, & erit alterius rationis: probatur, initium generationis, & vltimum rei genitæ, mensurantur instanti existentibus instantibus ex parte vtriusque extremi, dum primum & vltimum esse rei mensurantur instanti temporis, ergo intermedium debet esse non Aeuum, sed tempus, est namque Aeuum alterius rationis. Septimò duratio rerum corruptibilium plus omnibus rebus creatis recedit ab æternitate: at nulla mensura, & duratio recedit magis quam tempus ab æternitate. Denique Aristot. 4. phys. t. 120 & 123. ait, generabilia, & corruptibilia mensurari tempore.

2 Durand. in 2. d. 2. q. 6. de quibusdam refert dialectice, mensuram permanentium corruptibilium esse tempus discretum. Rationes sunt, Prima deducitur discurrendo per mensuras, & argumento à sufficienti partium enumeratione: & quidem corruptibilia non mensurantur æternitate, cum hæc sit mensura rei omnino incorruptibilis, & indefectibilis: non Aeuo, cum de facto res tales generabiles, & corruptibiles in diē deficiunt, non tempore communi, siquidem hoc est successiuum contra naturam permanentium, cum illud fluat, hæc maneant: non instanti temporis eiusdem communis, cum non adæquentur illi, desinit namque solùm in instanti, permanent talia generabilia, siuè durant, siuè sunt de genere permanentium, dum possunt durare vltra instans: igitur remanet, vt mensurentur tempore discreto. Secunda, instans temporis discreti æquè proportionatur tali esse generabilium, & corruptibilium, ergo erit adæquata mensura: probatur assumptum, instans temporis discreti est indiuisibile: indiuisibiliter succedit alteri instanti: & permanere, ac durare potest: hoc autem dicendum est de rebus generabilibus, siquidem producuntur in instāti, dum generatio fit in instanti: succedit altera pars alteri in instanti: & permanet, ergo &c.

3 Scoti denique sententia est, talia non mensurari tempore, sed Aeuo. ita in 2. d. 2. q. 4. sequuntur & aliqui, vt dicant mensuram rerum permanentium debere esse omninò permanentē, tempus verò non est permanens, ita Capreol. in 2. d. 2. q. 2. & in 4. d. 43. quæst. 1. Aegid. in 2. d. 19. q. 2. art. 1. Durand. vbi sup. Henric. quodl. 5. q. 13. Heru. quodl. 2 q. 12. Conimbr. 4. phys. c. 14. q. 3. atque Suar. in met. disp. 50. sect. 7. Substantiæ generales & corruptib. mensurantur Aeuo.

4 Pro fundamento, hæc quatuor præmittenda sunt de rebus creatis. Primò, datur aliquod ens permanens, in quo, nec in suo consequente naturaliter est fluxus formæ: hoc modo se habet Angelus, in cuius natura non est fluxus formæ, cum sit totus simul, & permanens, & incorruptibilis: ita quoque in eius operatione intelligendi, & volendi, quæ quamuis corrumpantur, tamen quandiu manent, habent eundē modum manendi cum Angelo, vt in 4. artic. est ostensum, vndè non mensurantur tempore, sed Aeuo, vt ibi. Secundò datur aliquod permanens, in quo non est fluxus formæ, tamen reperitur fluxus in forma illud naturaliter consequente: huiusmodi est forma substantialis generabilis, & corruptibilis, in qua quidem non est fluxus, cum sit de genere permanentium: est tamen fluxus in accidentibus consequētibus qualitatis, quantitatis, quæ paulatim, & successiuè acquiruntur, & defluunt. Tertiò est aliquid, secundum quod potest esse fluxus partis post partem, & huiusmodi est forma, quæ paulatim acquiritur, cuiusmodi, vt est dictum, est quantitas, & qualitas. Et Quartò est fluxus formæ, hic autem est successiua acquisitio ipsius formæ secundū prius, & posterius. Quatuor genera entiū permanentium, & successiuorum.

5 De duobus agendum, de forma substantiali, & de forma accidentali: ac de vtraq; discurrendū quonam pacto mēsurētur, & quia nā mēsura prius autē de forma substantiali, inde accidentali.

6. Sit

6 Sit prima assertio. loquendo de formis substantialibus generabilibus, & corruptibilibus permanentibus, eę non mensurantur tempore, sed Aeuo. Probatur, quæcunque habent vniformem modum manendi dum manēt, ea mensurantur Aeuo: sed substantia generabilis & corruptibilis habet vniformem modum manendi dum manet, eundemque manendi modum, quem habet existentia Angeli: ergo mensuratur Aeuo, sicut Angelus: minor patet, siquidem esse substantię, licet generabilis, & corruptibilis, est esse permanens, ac totum simul. Euasiones, quas Caetanus, cæterique afferunt ad maiorem, sunt confutatæ remanent artic. 2. quare eędē militant in præsentiarum, unde non est opus iteratò repetere, & amplius patebit in solutione oppositorum.

Mensuratur tēpore communi per accidens.

7 Secunda assertio: Esse substātiarum generabilium, & corruptibilium mensuratur tempore communi per accidens. Probatur, substantia subest accidentibus qualitatis, & quantitatis at hæc successiuè introducuntur per successiuam alterationem, & augmentationem: ergo substantia, quæ sic alteratur, & augescit, dicitur mensurari tēpore per accidens. Probatur consequentia forma denominat subiectū, in quo est: at forma accidētalis inducitur successiuè, cuius successio mensuratur tempore, ergo & subiectum quod per accidens denominatur à tali forma, per accidens quoq; mensurabitur tempore, hæc de forma substantiali secundum Scotum.

Formæ accidētalis mensura.

8 De accidentali verò quid dicendum, Scotus problematicus est, verum mensuretur tempore, an Aeuo: duplex ergo penès eum est modus dicēdi: Primus quòd mensuretur tempore, quia id, quod est variabile tūm potētia, tūm actu, mensuratur tempore: huiusmodi sū habent formæ accidentales variabiles tūm potentia, tūm actu. Secundus est, quod mensuretur Aeuo, quia dum permanent nō variantur actu, licet sint variabiles in potentia: hoc autem ait esse minus probabile priori, siquidem quies non variatur actu, quia tamen variabilis, & mutabilis est ad motum, hinc mensuratur tempore, sicut ipse motus. Si quis autem sustinere voluerit formam non actu variatam mensurari Aeuo, quando quiescit, licet sit variabilis, inquit calorem v.g. mensurari Aeuo in sua quiete, & permanentia: quod si obstiteris, quies mensuratur tēpore, ergo calor quiescens actu mensuratur nō Aeuo, sed tempore, respondet calorem quidem mensurari Aeuo, at quietem tempore; ratio, quia quies est priuatio motus ex [illegible] Physic. 5. motus autem mensuratur tempore, ergo & opposita quies, quoniam oppositorum est idem iudicium, & eadem mensura mensurantur habitus, & priuatio: at vero priuatio motus, nempe quies non opponatur calori, sed tempori, sequitur, vt calor mensuretur Aeuo, & etiam quies tempore.

9 Quidquid tamen sit, dicendum, formas omnes accidentales mensurari Aeuo: ita habitus, actus, qualitates, quantitates &c. explicat autem huius sententię ex eo, quod non habeāt esse partim post partem, sed totū simul: ita enim de formis substantialibus quod non habeant esse partim post partem, sed totum simul: at explicatio hæc, quò probatio patitur difficultatem, siquidē substantia recipit de nouo nouam substantiæ partem per nutritionem, & augmentationem carnis, sicut etiam patet in substantia eiusdem ignis, cui additur pars substantialis noui ignis ex appositione noui ligni: In qualitate quoque, quātitate, & habitu iam patet fieri additionem graduum, & partis, sicut & in diminutione, seu attenuatione deperditur gradus, & pars: quomodo ergo stabit prædicta probatio, quod eatenus mensurantur Aeuo, quatenus non habent esse per successionē partis ad partem, verè enim succedunt gradus, & partes.

10 Ideo aliter explicandum, quod ideo mensurantur Aeuo, quoniam hæc omnia sunt de genere permanentium, & non de genere successiuorum, sed hæc est explicatio à priori, & ab essentia rei, illa autem vt plurimum à posteriori. Probatur, vniuersum ens diuisit Aristot. in permanens, & successiuum: permanentia absoluta sunt substantia, qualitas, & quantitas, quæ appellantur permanentia, Successiua sunt quantitas

Essentialiter permanentia mensurantur Aeuo.

succes-

ſucceſſiua, vt tēpus & motus. His ſuppoſitis habemus quod ideo ſubſtantia, aliaque corruptibilia, & qualitas, & habitus, & quantitas menſuratur Aeuo, & non tempore, quia ſunt eſſentialiter de genere permanentium: ſicut ex oppoſito, ideo ſiccus ſonus, ſiue motus menſuratur tempore, quia ſunt eſſentialiter de genere ſucceſſiuo: ergo quandiu ſunt illa, tandiu menſurantur Aeuo, non tēpore, quia ſunt eſſentialiter, quandiu durant, permanentia: at hæc eſt ratio adæquata, & à priori: igitur acquiſitio partis poſt partē nō ita explicat mēſuram Aeui. ſufficit enim, vt quandiu habet eſſe, ſit de genere non ſucceſſiui, vt motus, & tempus, ſed permanentis.

Duratio, & permanentia differunt.

11 Dixi *permanentis*, vt diſtinguamus à duratio, ſed vt diſtinguamus permanentiam à duratione; non enim ſunt idem: duratio namq; habet rationem menſuræ, ſiuè intrinſecæ, ſiuè extrinſecæ: at permanentia, licet dicat relationem ad durationem, tamen eam dicit ſecundariò, non primò; nam primò dicit rem, cuius eſſe non conſiſtit eſſentialiter in fluxu, vti eſt motus, & tempus: & ſi cum permanentia comitatur fluxus, & ſucceſſio, id per accidēs eſt ad rem de genere permanentis, ob quod ſequitur, vt per accidens dicatur permanēs menſurari tempore, ratione quidem variantis accidentis ſibi inhærentis, quod requirit fluxum, & motū, ſiuè ſucceſſionem cum fluxu. Dixi inſuper *permanentis*, non autem *durantis*, quia de ratione Aeui nō eſt, vt res multù duret, ſufficit autem, vt ſit de genere permanentium intrinſecè, non ſucceſſiuorum: vt dictum fuit præd. art. 2. ita namque menſuratur Aeuo res durans per mediam horam, quam per annum, in perpetuum à parte poſt, ſiuè per inſtans, non enim albedo durans per horam eſt abſolutè imperfectior durante per diem, vt ſupra deductum.

Tēpus quarum rerum mēſura præciſa.

12 Ex his ad argumēta reſpondendo, ad Primum dicimus, negando tempus eſſe præciſam, & adæquatam menſuram defectibilium, & corruptibiliū, ſiuè generabilium, poſſunt enim menſurari Aeuo: at eſt ſolum menſura rerum, quæ ſunt de genere ſucceſſiuorū, & quæ acquiruntur partim poſt partē cum fluxu, & ſucceſſione, vt motu.

omnis quies menſuratur menſura ſui oppoſiti.

13 Ad illud de quiete, quidquid reſpondeant alij: dicendum, vnicuique motui ſiuè corruptionis, ſiuè motui locali correſpondere poſſe ſuam oppoſitam quietem: loquendo autē de quiete oppoſita motui locali, illa menſuratur tēpore, ſicut eſt ſuus oppoſitus motus localis: loquendo de quiete oppoſita corruptioni rerum de genere permanentium, illa non menſuratur tempore, ſed Aeuo, ratio quia res tali motui corruptiuo obnoxia menſuratur Aeuo, ergo & oppoſita quies, dum oppoſitorum eſt eadem mēſura: & patet, quoniam Angelus nunc eſt ſub quiete ſuæ annihilationis, non enim annihilatur, ob quod menſuratur Aeuo: quod ſi annihilaretur, ſua annihilatio menſuraretur inſtāti Aeui. ita de cęteris permanentibus creatis ſub quiete.

Primum eſſe generationis quomodo menſuratur.

14 Ad Tertium Scotus reſpondet, primum eſſe generationis mēſurari inſtanti temporis, at eſſe indè ſubſequens mēſurari Aeuo: dat differentiam, quoniam in primo eſſe forma ſubſtantialis eſt effectus agentis naturalis, & dependet ab eo in fieri, & generari: in ſubſequenti verò habito eſſe, pendet à Deo ſub ratione conſeruantis illud in ſuo eſſe: at ſub ratione huius dependentię à Deo ſit, vt menſuretur Aeuo, quandoquidem vt ſic ſpectatum habet habitudinem vniformem ad primam cauſam.

Quę patiuntur à tempore, mēſurantur tempore declaratur.

15 Ad Quartum, quæcunq; patiuntur per ſe quidem à tempore, ea per ſe menſurantur tempore: at talia, de quibus loquimur patiuntur non per ſe, ſed per accidens à tempore, ergo per accidens menſurantur tempore. Verum reſponſio negare quodammodo videtur hæc pati à tempore, atque non omnia obnoxia eſſe mutationi temporis, cum ex oppoſito, omnia materialia ſint corruptibilia: hinc dicendum Secundò, rem aliquam eſſe temporariam contingere pluribus modis, vel quod non ſit æternalis, & perpetua de ſe: vel quod ſit contingens, & non neceſſaria: vel quod eius menſura ſit verè tēpus: omnis quidē res materialis primis duobus modis eſt temporaria, vt patet, etenim in tempore creatus eſt Orbis, & quandiu permanebunt in ſuo eſſe, id habebunt per conſeruationē à Deo, at tertio

Temporariū eſſe pluribus modis

tio

tio modo non est necesse, vt sic mensuretur à tempore, dum talia, de quibus agimus, mensurantur Aeuo, licet dum temporanea sint, durent nō perpetuò, sed terminantur ad tempus, & cum tempore stante eorum corruptione.

Quę superantur à tempore, mensurantur tempore, an vera.

16 Ad Quintum falsa maior, etenim instans temporis superatur à tempore, cum hoc diutius duret, quam instans: mutatio instantanea superatur à tempore: operationes connaturales, siuè elicitæ Angeli superantur à tempore, cū illę non coextendantur ad coextensionem temporis, sunt enim indiuisibiles, & spirituales, ac statim desinunt, durat verò diutiùs tēpus, & tamen non mensurantur tēpore: igitur solummodò entia de genere successiuorum mensurantur tempore, & hæc superantur à maiori, & communi tempore.

Mensuram esse eiusdē rationis declaratur.

17 Ad Sextum, mensuram esse eiusdem rationis, intelligi vel quod sit eiusdem rationis totaliter in semetipsa: vel quod sit eiusdem rationis cum re mensurata: primo modo non est vniuersaliter verum, quia tēpus constat ex partibus alterius rationis, vt ex instantibus indiuisibilibus, & ex diuisibilibus partibus temporis: verum est tamen de mensura æternitatis, & Aeui, quæ sunt essentialiter in seipsis eiusdem rationis, vnaquęq; in seipsa: & ita non implicat, vt primū esse rei genitę mensuretur instanti temporis, & esse post, mensuretur alia mensura: si namque instans temporis, & tempus essent eiusdem rationis, implicaret mensurari instanti, & non tempore: at quia sunt diuersæ rationis, poterit mēsurari instanti, & non tempore, alias omnes mutationes instantaneæ, quæ mensurantur instanti, deberent quoque mensurari tempore: propositio autē maior, quæ est Arist. est vera in secundo sensu absolutè; quia successiua debent mensurari mensura successiua temporis, & permanentia mensura permanenti, ob quod dixit Arist. mensuram debere esse homogeneam mensurato.

18 Ad Septimum, esse rerum generabilium, & corruptibiliū aequè recedit ab æternitate, ac ab esse operationū corruptibilium Angelicarum: licet illud sit materiale, & diuisibile, hoc indiuisibile, & spirituale: attamen ex quo esse operationum, quatenus sunt corruptibiles, non ob id mensurantur tempore, sed ex Thomistis mensurantur tēpore discreto, & ex Scotistis Aeuo: igitur Aeuo etiam mensurabitur esse substantiarum corruptibilium.

19 Ad Aristot. mensurari, ait, tempore, sed intelligendum, per accidens.

Esse substantiarum corruptib. consistere in cōtinua successione declarat.

20 Dices, esse substantiarum generabilium, & corruptibilium consistere in continua successione, & variatione: ergo mensuratur tempore. Resp. maior nō est vniuersalitèr vera, nam multę sunt substantię corruptibiles, quæ quidem diù manent, sine tamen deperditione, vel acquisitione alicuius partis substātię, vt in adamante, ære, auro, alijsque lapidibus solidis, ac duris, quæ difficilè patiuntur à suis contrarijs: hęc quidem omnia tandem corrumpentur, attamen substātia eorum adeo firma, & solida est, vt falsum esse constet eorū esse substantiale consistere semper in continuo fluxu, & successione. De cæteris autem formis substantialibus tenuioribus, aiunt aliqui, eas semper esse easdem in toto vitæ decursu, vt puta animalis: at id falsum, cum per nutritionē fiat aggeneratio carnis, seù partis substantialis ad nutritum: & continuò deperdatur de substantia aliti: vt patet clariùs in igne, qui augetur in substātia, & decrescit iuxta appositionem, & ablationē pabuli, igitur aliàs respondendū, quod quamuis aduemāt nouę, & corrumpantur aliquę antiquę partes, tamen eę quādiu sunt, seù quandiù fuerunt, vtique permanentèr durāt, & durarunt, cum sint de genere permanentium: itaque licet per successiuam productionem habeantur, tamen postquam habitæ sunt, permanenter durāt, quandiù durant.

Substantię acquisitio, & deperditio est successiua.

21 Dices, acquisitio, & deperditio substantiæ est successiua, ergo consistit in motu, ergo mensuratur tempore. Resp. esse successiuam solum dispositiuè, & per accidēs, quoniam dispositiones introducuntur paulatim, & successiuè in materiam: at loquendo formalitèr, seù terminatiuè, acquisitio, & deperditio, siuè corruptio formę substantialis nō est successiua, sed instantanea, quoniam generatio, & corruptio fit in instanti. de se ergo substantia mensu-

ratur

satur Aeuo, prout verò subiectæ successiuæ acquisitioni, proueniente successiuè ex parte dispositionum, mensuratur tempore per accidens, quatenus est sub motu.

Durare in tempore, & cum tempore, non idem.

12 Obstabis, substantia durat cum tempore, & corrumpitur in tempore, ergo mensuratur tempore. Resp. non: dicitur idem durare cum tempore, & durare in tempore: etenim durare cum tempore indicat rem coexistere tempori, & hoc conuenit etiam æternitati, & Æuo, quoniam coexistunt omni tempori: ita quoque substantia materiata coexistit cuilibet tempori: at durare in tempore, est mensurari tempore, quod non conuenit substantiæ, nisi per accidens.

13 Rationes aliæ relatæ à Durando supponunt tempus discretũ, quo mensurentur, seu instans temporis discreti, at quia non datur tale instans, & tempus eiusmodi negantur, de quo in sequenti articulo.

ARTICVLVS VI.

Ostenditur non dandum tempus discretum.

1 Qualis sit Henrici, & D. Thomæ positio circa tempus discretũ iam constitit in artic. 1. nunc vero probandum non dari tempus discretum: aduersus autem illud sunt argumenta Scoti vbi supra.

Tempus discretum impugnatur.

2 Primo vero arguitur, ponentes tale tempus discretum videtur concedere magnam temporũ multitudinem sine necessitate: & probatur, potest vnus Angelus intellectionem suam continuare v.g. cum tota die temporis nostri: poterit alter continuare eam cum medietate diei: poteritq; tertius continuare per horam: ita pariter poterit quartus intellectionem habere per instans: tunc primus Angelus habebit quatuor instantia temporis discreti, siquidem tempus diei complectitur cæteras durationes recensitas.

3 Item sequitur, quemlibet Angelum posse habere duo tempora discreta: prob. poterit quidem intellectionẽ continuare, non continuando volitionem: vnde habebit duo instantia discreta, alterum intellectionis, alterum volitionis. Insuper dum existunt ꝗ Angelorum sunt alterius rationis; præcipuè in sententia Thomistarum dicentium omnes Angelos differre specie, sequitur discreta tẽpora esse alterius rationis: vnde arguitur, existentia vnius est alterius rationis distincta specificè ab existentia alterius, ergo & tempus vnius erit specificè distinctum à tempore discreto alterius: at quanam ratione hoc diceretur, dum tempus nostrum commune est eiusdem rationis, & idem specie, ergo pari ratione absq; fundamento admitteretur hæc diuersitas specifica temporis discreti. Atque quoq; sequitur, easdemmet intellectiones angelicas habere diuersa tempora specifica.

Nox, dies, cætera tẽpora quo distinguantur.

4 Dices, tempora communia particularia distinguuntur specie, vt seculum, lustrũ, annus, dies, hora, quadrans: ergo nõ implicabit eandem distinctionem specificam admittere in temporibus particularibus discretis. Resp. falsum esse antecedens, cum illa distinguantur solum accidentaliter, non specificè: eo magis, quo maior, aut minor duratio non variat speciem. Contra, dies, & nox distinguuntur specie, into sunt se totis diuersa, vt tenebræ, & lux: Item Mane, Meridies, Vesperæ, sero consimiliter se habent; ac hæc ingrediuntur dies, & tempora. Resp. noctẽ, ratione tenebrarum vtique se tota distingui à luce diei; cæterum alia tempora ratione durationis, distingui solũ accidentaliter.

5 Rursus nulla eadem quantitas componitur ex partibus diuersarum rationũ: componeretur vero tempus discretum ex partibus alterius rationis ex dictis: antecedẽs patet, omnes enim partes quantitatis sunt eiusdem rationis; tum etiam quia homogeneum est eiusdem rationis in suis partibus, vt quælibet pars aquæ est aqua, ita quælibet pars quãtitatis est quantitas. Confirmatur: omnia namque indiuisibilia permanentia in cõtinuo sunt eiusdem rationis, vt puncta: omnia indiuisibilia in quantitate successiua sunt eiusdem quoque rationis in motu, & tempore, vt instantia, & mutata esse: ergo omnia

instantia temporis discreti erunt eiusdem rationis. Confirmatur Secundò, non enim vnum instans temporis durat magis quam aliud instans, nec vnū mutatum esse magis quam aliud: in sensu autem eorum tempus continuū componeretur ex instantibus quorum alterum duraret per diem, alterum per horam, alterum per instans.

6 Dices, numerus senarius componitur ex binarijs, & ternarijs: at binarius, & ternarius sūt alterius speciei, ergo non implicat tempus discretum componi ex varijs alterius rationis. Item continuum componitur tum ex quantitate, tum ex punctis: quantitas autem, & puncta sunt alterius rationis. Rursus, numerus est quātitas discreta: at cōponitur ex varijs speciebus. Continuum etiam tum permanens, tum successiuum habet rationem discreti, quoniam componitur ex quantitate tum permanenti, tum successiua, atque ex punctis, instantibus, & mutatis esse.

Numerus senarius an cōponatur ex binarijs, & ternarijs.

7 Ad Primum, id negatur ab Aristotele 5. met. t. c. 19. & Auicen. 3. met. quia sex sunt tantum semel sex: vnde nulla quātitas vna potest componi ex pluribus distinctarum rationum: quare dum binarius constituit speciem suam: & similiter ternarius, non poterit exinde constitui vna species tertia: homo namque non constat ex specie Equi, & Bouis: igitur nec senarius coalescit ex pluribus speciebus. Dices, verè binarius, & ternarius ingreditur in compositionē senarij, ergo constat ex varijs speciebus. Resp. binarium, & ternariū sumi syncathegorematicè, non cathegorematicè: sensus est, vt vt binariū sumamus absolutè pro vnitatibus, ita & senarium, non autem pro specie numeri: seu sumatur binarius, & senarius materialitèr, nō formalitèr: sensus primi est accipere vnitates absolutè, quatenus sunt materia, ex quibus debet componi in se numerus: sensus secundi est accipere numerum in sua specie: primo modo ingreditur binarius, & ternarius in senarium, non secundo. Ad illud de continuo falsum quoq; est componi ex punctis, de quo in physicis: pariformiter de tempore, & motu neque componitur ex in-

Continuum non componi ex punctis, instantibus, & mutatis esse.

stantibus, aut mutatis esse: cum autem componantur ex partibus quantitatis, quæ sunt eiusdem rationis inter se, erit quoque compositum eiusdem speciei.

8 Insuper ad intentum, sequitur ex positione Henrici intellectiones de lapide, ligno, ferro, aqua, cupro, & huiusmodi constituere tempus discretum ex instantibus diuersarum rationum correspondentibus electionibus diuersarum specierum: prob. intellectiones namque tales distinguuntur specificè, quia de obiectis distinctis specificè: talis vero specifica temporis diuersitas non probatur, cum diuersitas intellectionum obiectiuè tantarum sufficiat ad ponendam in tempore differentiā accidentalem, sicut & intellectiones humanæ de distinctis per se obiectis; licet obiectiuè distinguantur specificè, nihilominus, quatenus sunt in diuersis temporum instantibus, & partibus, ponunt in tempore differentiam quandam extrinsecam, & accidentalem.

9 Rursus, instans temporis discreti vel coexistit instanti temporis nostri, vel parti ipsius temporis: nullū dicendum: Probatur Primū, si instans coexistit semper, & semper, ergo tempus cōmune componitur ex instātibus sicut discretū, & ita tempus commune erit discretum. Probatur Secundum, quoniam sequeretur Angelum intelligere necessariò in tempore, & non posse intelligere in instanti: sequela tenet, siquidem primam v. g. intellectionem iam producit in instanti discreto: Secundam vero producet necessario in tempore, quoniam ad illud instans sequitur tempus: id autem est inconueniens, si namque potest id homo, poterit magis Angelus. Confirmatur, potest homo post intellectionem habitā in illo instāti intelligere multa, & plura, ergo magis Angelus, siquidem ingeniosioribus, & acutioribus comperit plura eodē tempore intelligere: at homo potest intellectionem habere in instanti, ergo & Angelus: inde vero sequitur vt Angelus secundā intellectionem habet necessario in tempore, non in instanti.

10 Dices, hæc ratio non magis vrget

quod de Angelo, quam de homine; siquidem homo producens primam intellectionem in instanti, non posset producere secundam in instanti, cum instans non succedat instanti, sed produceret secundo in tempore sequenti: ergo est par ratio de Angelo, & homine. Resp. cessare haec inconuenientia si dicamus intellectiones mensurari Aeuo: nunc namque poterit intellectio succedere immediate intellectioni, & vtraque posse haberi in suis instantibus, quoniam ambae essent in mensura Aeui: quod tamen non sequeretur, si haberentur in primo instanti, & inde in tempore sequenti, asserendo mensurari tales elicitas operationes immanentes tempore discreto, cuius tunc instans sequens correspondet parti diuisibili temporis communis, ac instans videtur subsequi ad instans. Dices, post illud instans sequitur pars temporis communis, ergo secunda intellectio esset necessario in tempore. Resp. aliud est esse in tempore, aliud cum tempore: primum indicat mensurari a tempore, quod negamus: secundum dicit coexistentiam cum tempore, quod concedimus. etenim coexisteret illi sequenti tempori, quia non esset extra tempus, licet non haberet pro mensura tempus; hoc vero vitatur dicendo mensurari Aeuo, tunc enim potest intellectionem secundam habere, quae non duraret necessario per tempus, nec esset coactus expectare transitum illius temporis et producat aliam, ambae autem mensurarentur Aeuo.

Esse in tempore, & cum tempore distinguuntur.

11 Praeterea arguitur, dato tempore discreto, sequeretur, nostras quoque intellectiones mensurari tempore discreto, sicut Angeli intellectiones; Prob. nostrae intellectiones sunt totae simul ex 10. Eth. cap. 4. at non possunt mensurari tempore communi, cum non sit totum simul, nec permanens, sed successiuum: nec instanti, cum raptim transeat, intellectio vero potest durare: ergo mensurabitur tempore discreto, cum hoc sit permanens, & totum simul. Respondent negando paritatem de intellectione nostra, & angelica; siquidem nos intelligimus cum discursu, Angeli non discurrunt; propterea; datur diuersitas temporis pro mensura. Sed impugnatur; siquidem cognitio principiorum etiam a nobis fit absque discursu; discursus enim contingit circa conclusiones. Item & simplicium apprehensio est absque discursu. Rursus multa intelligimus, quae nullam habent in se connexionem ad inuicem, vt disparata, lignum, lapidem, ferrum, & huius generis, at non est opus discurrere, cum non sit necesse, intelligendo ea comparare ad inuicem, & de vno in aliud discurrere. Denique probabitur infra suo loco Angelos posse discurrere.

Multa intelligimus absque discursu.

12 Demum Aristoteles non meminit huius temporis discreti, vel ergo incomplete tradidit doctrinam temporis, vel non est admittendum. Respondent, esse tempus trascendens. Contra singularia non mensurantur mensura abstracta, & trascendentali: operatio est quid singulare, ergo non habebit mensuram trascendentalem.

13 Rationes caeterae, sicut & impugnationes euasionum allatarum, habitae sunt in praecedentibus capitibus, tum loquendo de mensura Aeui, tum de aeternitate participata, vt in artic. 2. & 4.

14 Obstatur, *Deus mouet creaturam spiritualem per tempus* ex August. lib. 4. super Gen. cap. 11. loqui autem videtur de motu vitalis operationis, vtpote intellectionis, ergo mensuratur tempore: at non communi, cum illa sit permanens, & tota simul, quale non est tempus commune: ergo tempore discreto. Respondet Scot. in fin. q. 4. sensum Augustini esse, ostendere omnem creaturam habere esse post non esse, & ita hoc modo late sumendo tempus, omnis creatura appellanda venit temporalis, licet aliquae sint spirituales: Angelus vero tum quoad substantiam, tum quoad operationem procedit a non esse ad esse.

Deus mouet creaturam spiritualem per tempus, dicitur.

15 Arguitur, Aristoteles describens tempus ait, *Tempus est numerus secundum prius, & posterius*: At in tempore discreto reperitur numerus prioris, & posterioris, siquidem componitur ex diuersis instantibus, quorum alterum est altero prius. Resp. Aristotelem definisse tempus continuum, & successiuum, non autem discretum, du

Tempus discretum tacitum ab Arist.

quarum nullam fecit mentionem: & de illo intelligitur definitio, vt sit numerus motus, non autem numerus angelicarum operationum, secundũ prius, & posterius.

16 Item cur est, vt non de tali tempore meminerit; non quidem durant mensurabilia, planeq; nouit Intelligẽtias intelligere: cur ergo non mensuram addidit temporis discreti. Replicabis ex aduerso, & cur ea, vt Aeuum non nominauerit, veluti mensuram? Respond. apposuit æternitatem, tempus, & instans: illam Dei, secundum ex dictis patet: & tertium pro actionibus immanentibus eiusdem Intelligentiæ.

ARTICVLVS VII.

Occurritur argumentis militantibus contra Secundum Articulum.

1 ARgumenta militantia contra mensuram Aeui circa operationes immanentes magna ex parte adducta, & soluta remanent praecedentibus articulis in decursu eorum: specialius tamen sic arguitur. Operatio angelica est defectibilis. Aeuum autẽ est mensura rei indefectibilis. Responsio patet præcipuè ex artic. 1. vbi fuit ostensum Aeuum esse mensuram rei permanentis, seu habentis esse permanenter quandiu durat, siue parum, siue multum: quod vero sit defectibilis operatio, quia vna corrumpitur, & succedit altera, parum interest: magis requiritur vt res mensurata ab Aeuo sit de genere permanentium, & hoc sufficit. Circa defectibilitatem autem iam fuit præcastinum quid tum de Angelo sit sentiendum, tum de operatione: de qua re actum fuit ex professo sup. disput. 1. quæst. 7.

2 Arguitur, absque mensura remanerent aliqua nobiliora entia, si non mensurarentur tempore discreto: probatur, non mensurantur operationes angelicæ tempore communi, cum illæ sint totæ simul, tempus transeat successiuè: non Aeuo, quia operationes sæpius transeunt, & deficiunt, at Aeuum est mensura rei indefectibilis: ergo tempore discreto, aut nullo. Respondetur vt supra. Licet namque corrumpantur, sufficit vt habeant vniformem modum manendi dum manent, & hoc principaliùs cõpetit mensuræ Aeui, quam indefectibilitas, quoniam iam artic. 2. dictum fuit ipsos posse deficere per Dei annihilationem, de quo amplius prædicta disputatione.

3 Obstatur, substantia non est eiusdem rationis cum accidenti: ergo Aeuum nec erit mensura substantiæ Angeli, & operationis eius aliàs mensura vna erit mensura rerum diuersarum rationum. Resp. licet in genere prædicamentali sint alterius rationis, cum prædicamentum substantiæ differat à prædicamento accidentis; tamen in modo manendi quamdiu manent, sunt eiusdem rationis, cum omnia sint de genere permanentium, ac propterea mensurabuntur Aeuo, & mensura eiusdem rationis.

4 Arguitur, Proculus libr. de caus. propos. 19. ait: *Inter rem, cuius substantia, & actio mensurantur tempore, & cuius substantia, & actio mensurantur æternitate, media est, cuius substantia mensuratur æternitate, & actio tempore.* Angelus autem est huiusmodi, ergo eius immanens operatio mensurabitur tempore, at non communi, ergo discreto. Occurrit Scotus dicendo doctrinam illam traditam esse iuxta principia Auicennæ, æstimabat autem Angelos esse Deos quosdam, & mensurari æternitate. Circa vero operationes eorum, siquidem erunt transeuntes, qualis est motus Cœlorum factus ab Intelligentiis, ęq; mensurabuntur tempore, at communi, continuo, & successiuo: si immanentes, mensurabuntur Aeuo: cum ergo ait, actionẽ mensurari tempore, loquitur de motu, & operatione transeunti. Auicenna putabat Angelos Deos, & mensurari æternitate.

5 Obijcitur, 8. physic. t. cap. 63. *Nihil generatur, vt statim non sit*: ergo omnis operatio angelica durabit per tempus, ergo mensurabitur tempore. Prob. conseq. si namque mensuraretur Aeuo duraret per instans, ergo durat tempore, & consequenter mensurabitur tempore. Respond. concedendo antecedens, quia natura non intendit destructionem, per accidens autem- Nihil generatur, et statim non sit, decur-

[illegible] est, [illegible] eam [illegible], ratione incompatibilium qualitatum, & pugna[illegible] [illegible], negandum: concedendum vero mensurari Aeuo: [illegible] vero sint delectabiles operationes, [illegible] et sint de genere permanentium quamdiu durant. Item dicendum operationes tales coexistere tempori communi, sicut & Deus coexistit omni tempori, attamen ex tali coexistentia non sequitur, vt mensurentur tempore, quemadmodum nec Deus coexistens tempori, mensuratur tempore: habent ergo esse cum tempore coexistenter, at non in tempore, per commensurationem temporis.

6 Dices ex 4. phys. *Tempus est numerus motus secundum prius, & posterius*: at in operationibus Angeli datur prius, & posterius, ergo & mensurantur tempore. Respond. Aristotelem loqui de numero secundum prius, & posterius in ordine ad motum continuum, & successiuum: operationes tales Angeli non sunt de genere successiuum.

Successiuitas an [illegible] qualis in operationibus Angeli.

7 Qualis vero sit successiuitas illa, quarum non habent Angeli: an intrinseca, an extrinseca? An intensiua, an extensiua? constat, non esse intrinsecam, quia non sunt de genere essentialiter successiuorum. Nec intensiuam siquidem non introducunt eorum essentiæ, successiue, siue gradualiter, vt in qualitate contingit, receperunt namque ab initio totam naturam, proprietates, ac naturalem [illegible] virtutem. Igitur, si quæ adsit in eis successiuitas, ea erit extrinseca: [illegible], at [illegible] modo, [illegible] in [illegible] [illegible] enim simul [illegible] tempore creati fuere omnes: at dato quod non simul creauerit illos Deus, vtique staret successiuitas in creando, ordinate, modo hunc, modo alterum: vel attendi potest successiuitas in eorum operationibus: & id, cuiuscunque generis, extensiue: etenim circa operationes immanentes, intelligendi, & volendi, vna intellectio, & amor succedit alteri: Circa operationes custodiendi homines, Prouincias, Regna, atque militanti Ecclesiæ præsidendi, patet earum successiuitas ex multiplicitate, & frequentia talium operationum. Circa operationes ministeriales, dum mittuntur ad extra, patet amplius: ac denique, dum operationes exercent manendi, eundi, redeundi, magis id remanet compertum. Sicque, de Angelis malis, in suis functionibus, eodemque modo appellanda veniet successiuitas hæc, extensiua: Et consimiliter, vt [illegible] dabitur quoque prius, & posterius: successiua enim omnia afferunt secum prius, & posterius, vt sic. Inquo coexistentiam ad mensuram temporis essentialiter successiui, extrinseca namque denominatione, per coexistentiam ad tempus, danda quoque veniet talis successiuitas: sicut de stipite fixo in flumine fuit exemplificatum: sicut quoque exemplificari poterit de mutato esse in motu, quod mutatum esse mediat inter partes antecedentes, & subsequentes motus: licet non vndequaque exemplum quadret, siquidem id permanens non est, sed raptim transit: in eo tamen stat: vt in se non sit successiuum, ergo successione caret: dum vero deperit, totum simul, & simultanee deficit, sicut contingeret in Angelo, si deficeret à suo esse: discrepat etiam, quod nullam successiuitatem, nedum intrinsecam, sed nec extrinsecam habet, non enim coexistit mensuræ alicui successiuæ, sicut nec coexistit tempori. Quare autem id, [illegible] nè quia indiuisibile est esse mutatum esse, minime, quia Angelus, alioqui, indiuisibilis, coexistit tempori, sed quia permanens non est. Dices, coexistere, dum durat: Aiunt, qui negant, durationem instantaneam non esse veram durationem: durat autem per instans, etenim instanti mensuratur mutatum esse: qui vero durationem admittunt, etiam instantaneam, durationem, inquam, ipsi instantaneam, concedunt quoque coexistere pro illo tunc tempori, tunc decurrenti. Verum, coexistentia talis erit inadæquata, superexceditur enim mutatum esse, à tempore, nedum quia hoc partes habet, & moram, verum quia diuisibile est, illud sine partibus, & indiuisibile: qui tamen excessus non est in Angelo,

penes

Aeternitas mensura excedens cuncta.

penes tempus, non enim exceditur à tempore in duratione, cessabit namque tempus post iudicium, remanentibus, perpetuoq; Angelis durantibus: bene tamen excedentur à mensura æternitatis. Dices, durabunt in æternum, & coexistent in æternum mensuræ æternitatis, quomodo igitur excedentur? Respondeo, Primo, excedi à parte ante, quia æternitas fuit prior Angelis, licet non à parte post. Secundo exceditur, ratione omnimodæ indefectibilitatis, quoniam æternitas est necesse esse simpliciter, sicut ens necesse esse simpliciter est æternus Deus; est namque mensura Dei, eademque realiter cum Deo, at Angelus est ens contingens, possibilis annihilari à Deo. Tertio excedit æternitas, quatenus coexistit omnibus mensuris, habetque rationem cuncta cuncta metiendi extrinsecè per coexistentiam; pluraq; addi possent &c. solius tamen Dei est mensura adæquata.

Finis Quartæ Disputationis.



DISPV-

DISPVTATIO V.

De loco Angelorum.

QVÆSTIO I.

Vtrum Angelus sit verè, & realitèr in loco.

1 ANgelos esse in loco negasse in primis videtur Arist. qui lib. 1. de cœlo c. 9. ait, *Ea, quæ in supremo Cœlo sunt, nempè Intelligentias, non esse apta ad esse in loco*. cui & subscribere videntur quicunque Angelos non absolutè per propriæ præsentialitatis relationem collocant, sed per operationem, in loco: vt in loco sint, vel tanquam in materia, siue subiecto, in quo operantur, & ex his deducitur Angelos impropriè, atque abusiuè esse in loco. atque demum id confirmant ex eo, quod dum non sint in loco circumscriptiuè, ac dimēsionalitèr, quod proprium corporum est, inde sequitur vt minus propriè sint in loco. huc adduci potest Aug. lib. 83. quæst. q. 20. loquens tamen de Deo, quem abusiuè dicit esse in loco: & per hoc consimile dicendum fore de omni substantia spirituali: singulariter vero loquēs de Angelo l. 8 super Gen. ad lit. c. 20. & 22. ait, *Deum mouere creaturas corporales per tempus, & locum: spirituales autem tantum per tempus*. dum tamen tacet locum, significat non nisi abusiuè esse in loco: insuper Damasc. l. 2. de fide orthod. c. 17. *Angelum*, inquit, *intellectuali modo esse in loco*. talis autem modus essendi indicat non propriè esse in loco.

2 Amplius id probari poterit, siquidem locus est vltima superficies corporis continentis ex 4 phys. t. com. 41. nullum autem corpus continet Angelum. Prob. tum quia corporalis continentia est erga corpora contenta: Angelus est spiritus, ergo non valebit contineri à corpore; tum quoq; quoniam continens est actualiùs contento: at nullum corpus est actualiùs Angelo. Insuper omne locatum habet situm: situs vero non competit nisi quanto. Prob. min. etenim positio vel est differentia quantitatis; vel est prædicamentum: Angelus autem abstrahit à quantitate: igitur quocunque modo spectatus minimè pertinebit ad situm, positionem, & locū. Item Boet. l. de hebdom. *Communis*, inquit, *animi conceptio est incorporalia non esse in loco*. Demum ex Arist. 3. & 6. physic. *Indiuisibile non potest moueri*: (idem vero dicendum de spirituali) ac huiusmodi est Angelus: motus autem est necessario fundatus in loco, & de loco ad locū, de termino à quo ad quē: quod si moueri nequit, nec erit in loco.

3 Verum in primis dicimus Angelus verè, & realitèr esse in loco. Assertio hæc à nemine negatur: nec etiam à Thomistis asserentibus esse per operationem in loco: nusquam enim negarēt Angelos esse in loco: circa quod inter eos, & Scotistas nulla est discrepantia, cum Angelos esse in loco sit assertio communis, vt dicemus: quamuis discrepent in assignando modo, & ratione, propter quam sit in loco, de quo infra. Assertio absolutiùs conceditur à Scotistis: eius sententia est cōmunior, vt dicetur propria quæst. dum ait, per propriam substantiā esse in loco: quod non ita absolutè concedūt Thomistæ, dum per operationem collocant eum in loco, modificanter loquendo, per operationem.

4 Controuersia nunc non est de modo essēdi in loco: sed absolutè quæritur vtrum sint in loco: id quoq; quæritur tum negatiuè, tum positiuè: primo modo idem est, ac quærere de eius præsen-

præsentia negatiua, quatenus dicatur non esse distans à loco; etenim non esse distantem à loco, idem est, ac esse loco præsentem negatiuè, idest non distare à loco. Secundo modo idem est, vltra indistantiam à loco, addere ordinem, & relationem præsentialitatis ad locum.

Angelus est in loco positiuè, & negatiuè.

5 Vtroque autem modo verissimũ est Angelum esse in loco, ita Magistr. sent. vna cum Scot. Bonau. Rich. cæterisque sententiariis in 2. d. 2. hæc quoq; assertio adeo vera est, vt D. Thom. in 2. d. 37. q. 3. art. 1. dixerit, absque hæresi non posse negari. Probatur vero ex sacris Scripturis, quæ huius generis plenæ sunt: Isaiæ enim 14. de Lucifero dicitur. *Quomodo cecidisti Lucifer.* Et de eodem, atque sociis Apoc. 12. habetur, *Non est inuentus amplius locus eorũ in Cœlo.* Hinc arguitur, cecidit Lucifer, ceciderunt consocii, igitur è loco aliquo ceciderunt: consequens sequitur, etenim motus arguit terminum, quod si motus desitionis terminum habet à quo, siue locum desitionis, ergo dum ceciderunt, è loco vtique ceciderunt. Insuper si ceciderunt, quo ierunt? eadem enarrat Scriptura, quod *Proiectus est Draco ille magnus, qui dicitur Lucifer, in Infernum*: igitur locum receperunt, proindeq; verè acquisierunt locum. Lucæ etiam 10. *Videbam Sathan sicut fulgur cadentem de Cœlo.*

6 Ratione suadetur, operãtur circa homines Angeli, siue custodiendo, siue annunciando, siue Cœlos mouendo, seu consimilia ministeria exercendo: hæc autem vbi nam exequuntur? aut extra mundum, aut intra: non extra, vt patet; ergo intra: igitur præsentiam applicant propriæ substantiæ ad ipsum mundum. Præterea torquentur Dæmones in Inferno, vt de fide stat: visione fruũtur beatifica Sancti Angeli in Cœlo, vt de fide est: negato autem eos esse in loco, negatum fuit bonos beari in Cœlo, & malos in Inferno torqueri: vel malos in Inferis collocari, & bonos in Cœlo glorificari. Christus quoque damnatis dicet: *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo, & Angelis eius*: ex hinc constat veram præsentialitatem Dæmonum ad locum Inferni. Rursus, Deus est verè præsens toti mundo: ac per hoc dicitur vere esse in ipso mundo: demptis tamen imperfectionibus competentibus creaturæ quoad modum essendi: nec enim est diffusiuè, vt Angelus: nec dimensiuè, vt corpus, sed immensiuè per præsentiam, potentiam, & essentiam: cur ergo præsentialitas vera, & realis denegabitur Angelo in mundo. Item Angelus est verè præsens in aliquo loco huius mundi: antecedens patet ex scripturis, & probatur conseq. qualis enim est præsentia, talis est locatio: at præsentia est vera, & realis, ergo locatio erit vera, & realis. Angelus verè mouetur de loco ad locum, vt infra patebit: ergo erit vere præsens loco: prob. conseq. si namque non erit vere præsens loco, ergo nõ vere mouebitur de loco ad locum; motus namque fit de loco ad locum: vel alias erit simul in vtroque loco termini à quo, & ad quem: at id non concedi potest; motus namque, si rationem spectes acquisitiui, & deperditiui, necessario postulat desitionem termini à quo: non enim loquimur de motu solummodo acquisitiuo: profectò Angelus de Cœlo ad nostram custodiam missus descẽdit de Cœlo, licet visionem beatissimæ essentiæ non relinquat, *Angeli enim eorum semper vident faciem Patris.* Mattæ denique poterit Angelus in distans se protendere, vt nequeat simul esse in termino à quo, & ad quem, extra sphæram actiuitatis suæ: & de malo Angelo Iob 1. dicitur, *Circuiui terram, & perambulaui eam*: talis autem circuitus nõ admittebat simultaneã Dæmonis præsentiam vbique terrarum, in Oriente, & occasu, Aquilone, & Meridie. Accedit, quod ipsemet Aristoteles Intelligentias collocauit in Cœlo: immo singulas assignata, ac peculiari parte Cœli 12. met. Demum anima siue beata, siue damnata, est vel in inferis, vel in Cœlo, reddendo singula singulis, anima quoque Christi Domini *descendit ad inferos*: eadem vero erit quoque ratio de præsentialitate animæ, & Angelorum, sunt enim ambo spiritus. Accedit cõmunis sensus Sanctorum Patrum, vt Nazianz. orat. 2. de Theol. Gregor. 12. moral. 23. Bed lib. 1. in Luc. cap. 1. &c. Tullius quoque de Inferis loquens l. 1.

Tuscul.

Tertul. ait, *Si apud inferos non sunt missi, vbi ergo sunt, aut quem locũ incolũt? quod si sunt, vbique ergo esse non possunt*. Ecclesia quoque canit dicendo, *Visita Domine habitationẽ istam, & omnes insidias inimici ab ea longe repelle: Angeli tui sancti habitent in ea &c.* dum autem expelli exorat inimicos salutis; dum Angelum quoque bonum inhabitare exoptat, declarat pro tanto, loca habere Angelos, in quibus verè sint, tanquam in loco.

Angelus nõ est vbique.

7 Secundo dicimus, Angelum nõ esse vbique. est assertio cõmunis, tum Aristotelis, tum Theologorum: & quidem Aristot. vt visum est non collocauit Intelligentias Cælorum motrices in toto Orbe, sed in Cælis: nec intelligentiam peculiarem in omnibus locauit Cælis, sed vnicuique sphæræ peculiarem adscripsit motricem Intelligẽtiam: tamque neque in toto Cælo esse dixit, sed in particulari parte Cæli. Theologi etiam soli Deo concedunt vbiquitatem; solus namque Deus est immensus: quapropter nulli creaturæ competit esse vbique. Insuper mouentur Angeli, vt ex scripturis constitit: at mouendo seipsos acquirunt locum in quo non erant. Item sequeretur Angelos non posse moueri. Prob. si namque sũt vbique, ad quid mouerẽ? si enim motus acquisitiuus tendit ad terminum ad quem, qui prius non erat, necesse est ante motum Angelos nõ fuisse ibi, in termino, quem de nouo acquirunt, quapropter erunt omnino immobiles, quod repugnat scripturis. Confirmatur, non mouetur Deus, quia est vbique: nec motu desitionis, nec acquisitionis: non primum, cum nullus sit locus absque Deo, quin potius desinente Deo esse præsentem alicui loco, rueret statim ille locus, nec secundũ, cum non sit locus, vbi nõ sit Deus, teste Osea 4. *Cælum, & terram ego impleo*. De quo in materia de Immensitate Dei dictum fuit. mouentur vero Angeli motu acquisitionis, & desitionis: tam enim è corporibus obsessis expelluntur: eiecti fuerunt praui Angeli è Cælo: nec sunt amplius in Cælo: ergo non sunt vbique. Accedunt Damasc. l.2. cit. c.3. *Nec in terra versantur, cum in Cælo sunt, nec cum à Deo ad terram mittantur, in Cælo manent*. Didymus etiam l.1. de Spirit. sanct. *Angelus, qui aderat Apostolo in Asia orante, non poterat simul eodem tempore adesse aliis in cæteris partibus mundi constitutis*. Atque Ambros. l.1. de Spirit. sanct. c.10. *Seraphim de loco ad locum transit; non enim cõplet omnia*. Chrysost. hom. 3 ad Hebr. *Angeli loca mutant, & ad alia veniunt, in quibus non erant*.

Durandi sententia.

8 Habemus Durandum sententiã oppositã, ait enim, Angelum esse vbiq. in 1.d.37.q.1. & probat Primo, si non esset vbique, non posset corpus aliquod incipere mouere. Prob. foret namque necesse vt semetipsum impelleret, & moueret ad eum locum, in quo esset corpus illud, quod vellet mouere: id autem, inquit, non est intelligibile. Secundo, ideo corpus nõ est vbique, quia dum agens corporeum vellet corpus aliquod mouere, vtique impediri posset per interiecta spatia inter mouentẽ corporeum, & corpus mobile: at Angelo nihil resistere potest, vt sit præsẽs omni corpori: corpori autem mouẽti posset obsistere aliud interiectum corpus, quominus virtutem & præsentiam suam applicet omni corpori. Confirmari potest ex Hieron. qui contra Vigilant. ep. 53. exponens illud Apoc. 14. *Sequuntur Agnum quocumque ierit: ait, si Agnus vbique; ergo & hi, qui cũ Agno sunt, vbique esse credendi sunt*. Licet vero loquatur de Martyribus sequentibus Agnum cõsimiliter loqueretur de Angelis.

9 At respondemus in primis Durandum id non assertiuè dixisse, sed vel referendo, vel dubitatiuè, seu disputatiuè: nihilominus ad Primum dicimus non esse tantam Angeli vnius potentiã motiuam, vt possit omnia prorsus mouere, ac destruere: quamuis namque ignoremus quanta sit talis virtus, scimus tamen non esse virtutis, & potentiæ infinitæ: quapropter non poterit nisi ea, ad quæ, limitata est sphæra actiuitatis suæ. Insuper iam non est vbique: quo stante non poterit hic v. g. existens, operari in quantacunque distantia: eo igitur perueniet sua virtus motiua, operatiua, quo non patabitur extare iuxta sphæram suæ actiuitatis.

10 Ad Secundũ, licet æstimet Du-

randus applicationem nouam suę pręsentiæ non esse intelligibilem, nihilominus verè intelligibilem, absque errore putant vnanimitèr Theologi, de quo magis infra.

Celeritas motus Angelorum.

11 Ad Hieronymum, non loquitur de simultanea vbiquitate, sed de celeritate ad essendum vbicunque voluerit Agnus; celeres enim sunt in essendo, & occurrendo cum Agno, non tamen simul vbique: id vero de Angelis specialim, subdit idem Hieron. ait enim, *Cum Dæmones toto vagentur Orbe, et celeritate nimia vbique præsentes sunt, multo magis Martyres*. hoc quoque expressit Nazianz. orat. 34. *Quod omnia loca peragrant, omnibus vbique impigre adsunt; tam ob ministerij promptitudinem, tam ob naturæ leuitatem*. ac Tertullian. Apol. c. 22. *Omnis spiritus ales est, hoc est Angeli, & Dæmones; igitur momento vbique sunt: totus Orbis illis locus vnus est*. ergo non de simultate, & vbiquitate loquuntur Sancti, sed de promptitudine, instar velocissimæ auis, atque celeritate.

Non est necessario in loco.

12 Tertio dicimus Angelus & si sit in loco, non est tamen necessario in loco. est Scoti in 2. d. 2. q. 6. lit. I. debet vero esse communis, sicuti est, non est vero solius Angeli hæc assertio, sed & corporum cæterorum. Probatur breuiter, vltima sphæra non est passiuè in loco, non enim locatur, nec cõtinetur à loco: ergo posset Angelus collocari absque continenti, & locante loco. Potuit, & potest Deus Angelum creare extra sphæram totius Vniuersi, ibique eum conseruare, nil enim implicat: ac tunc staret absque loco. Posset quoque, nisi Deus impediret, Angelus semetipsum extrahere ab Vniuerso, & euehere ad spacia illa imaginaria, vbi nulla sunt loca. Potuisset insuper Deus creare Angelum absque omni creatura corporali, creando sola entia spiritualia: tunc vero nullus continens adfuisset locus. ac denique inquit Scot. *Nullam oportet quærere rationem extrinsecam Angelo essendi necessario in loco, quia ibi nulla est*. quapropter esse poterit absque omni loco.

Potentia Angeli ad loca qualis.

13 Quarto dicimus, potentia Angeli ad esse in loco non est naturalis, non violenta, sed neutra: est Scoti vbi sup. & facilè probatur: si esset naturalis, ad essendum v. g. in hoc loco, esset vtique violenter in opposito loco: si namque naturaliter esset in loco sursum, violenter esset in loco deorsum, & viceuersa si naturaliter deorsũ, violenter esset sursum. Item ratio corpori essendi naturaliter, vel violenter in loco, prouenit ex prædominio Elementorum; quia namque in lapide prædominatur Elementum Terra, ideo inclinatur, & quiescit naturaliter in terra deorsum, violenter vero trahitur sursũ sicut & leue naturaliter sursum ob prędominium aeris, vel ignis, violenter deorsum: cum autẽ Angelus nec corpus sit constans ex Elementis nec prędominium patiens Elementi alicuius, sequitur vt nullibi detineatur naturaliter, aut violẽter: insuper *Nullũ violentũ perpetuum*: at Angeli erũt perpetui in Cælo, post iudiciũ: possũt etiã perpetuo collocari in quocunque loco absq; vlla eorum violentia: alias si naturaliter sunt in Cælo, habendo inclinationem naturalem ad Cælum, tanquam ad locum, violẽter essent in terra nunc homines custodiendo. Per naturaliter vero esse in loco intelligimus inclinationem naturalem, cuius oppositum sit violenter esse in loco.

Dæmones qualiter in Inferno.

14 Posset obstari de Dæmonibus detrusis in Inferno, vbi violenter detinentur ab illo loco. At respondetur, vio entiam non prouenire ab Inferno tanquam à simplici, & physico loco, sed tanquam ab instrumento vindictę iræ, & iustitiæ Dei. de quo suo loco.

15 Et probatur ampliùs, siquidem loco competit generare, saltim per accidens ex Porphyr. c. de genere, conseruare, alterare, & destruere: id autem fit medio, physico, & locali, corporeoq; in fluxu, quia influit in locatum locus: in Angelũ vero locus hæc non influit, etenim non generatur, sed creatur à Deo: nec influit alterãdo, siue per calorem, siue frigus, siue huiusmodi qualitates immittendo, quia minus destruendo, cum soli subiaceat omnipotentiæ annihilatiuæ Dei.

Potentia neutra Angeli ad locum.

16 Et hinc sequitur vt potẽtia eius sit neutra: indeq; indifferẽs sit ad omnem locum: sequitur ex sufficienti potentiarum enumeratione; si namque

non

non est in potentia naturali, nec violenta, esse in potentia neutra. Consimile habetur de superficie, quae indifferens est & in potentia neutra ad omnem colorem; si cum album naturali inclinatione reciperet, staret violentèr sub nigredine, & viceuersa: sicut ipsum quoque Caelum in ordine ad quietem, & motum, ad quae est in potentia neutra: si enim inclinationem naturalem haberet ad motum, sub quo nunc est, staret perpetuo post iudicium violenter sub quiete, cessante Caeli motu: ita & de Angelo.

Patrum sensus de loco Angeli.

17 Ad Patres, communis expositio est, ut rationes negarint esse in loco, quatenus non sunt extensiuè, quantitatiuè, & dimensiuè ad instar corporis, in loco: vt cum Augustinus dicat creaturas spirituales mouere Deum per tempus; tacendo enim locum, negat sic circumscriptiuè esse, & moueri ad loca: ita quoque de Damasceno dum ait, intellectuali modo esse in loco, non enim negat verè, & realitèr esse in loco, sed modo iam dicto: ita & Boetius. Sunt vero realiter in ipso loco, at distinctè: ita enim sunt hic, vt simul non sint alibi: quod proprium est spiritualium creaturarum.

Locus est perfectior contento, de locato.

18 Ad rationes, ad illud, quod locus, seu continens sit actualior contento, seu perfectius eo: id valet de locato corporeo: locus enim quatenus influit in corpus contentum, & conseruat, ac fouet illud, utique hac ratione praestantiam, & perfectionem aliquam habet, estque actualior eo: cum vero Angelus haec non recipiat à loco, est enim spiritus, non erit locus praestantior, & actualior eo.

19 Ad illud de positione, & situ, iam patet ea esse affectiones locati corporei existentis in loco dimensiuè.

Indiuisibile an mobile.

20 Ad illud de indiuisibili, indiuisibile quidem de genere quantitatis tale est, vt de se solo motum non expectatur, mouetur autem ad motum totius continui, in quo est, veluti punctum: licet si de se solo esset, necimplicarem posse moueri: de quo in physicis, & infra, loquendo de motu Angeli. Indiuisibile autem de genere substantiae, vt Angelus, mouetur, at in loco, quem acquirit, non est circumscriptiuè.

21 Vltimo dicimus, Angelum non est in loco dimentionalitèr, & circumscriptiuè, sed diffinitiuè, est assertio communis. Prima pars probatur, quia sic esse circumscriptiuè soli corpori competit, dum pars parti, & totum locabile toti loco correspondeat, ex qua correspondentia prodit inde commensuratio, & coequatio locati ad locum: caret vero Angelus partibus ob indiuisibilitatem, & spiritualitatem. Item ratio sic essendi commensuratiuè prouenit à quantitate, sed hac caret Angelus. quo fit, vt sit vera Secunda pars, esse definitiuè: sic autem esse in loco nil aliud est, quam esse sic determinatè in hoc v.g. loco, vt simul non sit, nec esse possit extra hunc locum: loquendo extra sphaeram suae actiuitatis: licet de potentia Dei possit simul possit extra sphaeram, & in pluribus locis, vt suo loco dicetur. Item Deo competit vbique esse per immensitatem: Angelus non habet immensitatem, ergo definitur particulari loco: quia tamen caret quantitate, ideo definitiuè est in loco: exemplo de aqua, vt infra.

Angelus in loco diffinitiuè.

22 Vnde si quaeratur, quare sic definiatur loco, ratio in promptu est, quoniam est natura limitatae, & finitae. patet; etenim Deus replet simul omnem locum mediante praesentia essentiae suae, quoniam est naturae illimitatae, immensae, & infinitae: cum autem Angelus sit creatura, & finitus, non poterit adesse omni loco. plura in quaest. seq. in fine.

Causa definitionis in loco.

23 Reuertendo autem ad esse definitiuum, & non circumscriptiuum, exemplum adest de aqua quanta: haec enim ratione quantitatis est commensuratiuè, & extensiuè in loco: quod si per Dei potentiam abstrahatur ab ea quantitas, remanebit in loco, at definitiuè, non circumscriptiuè; ratio quia deesset ratio essendi sic commensuratiuè, quae est quantitas. Caetan. alt. 1. par. q. 8. ar. 1. & 3. aquam tunc nullibi esse. At hoc ridiculum est: & quidem separante Deo quantitatem ab aqua, posset remanere aqua sine tali accidenti, non enim est necesse ad destructionem accidentis destrui substantiam per Dei potentiam: sicut enim conseruat Deus in Sacramento Altaris accidentia sine substantia, ita conseruare posset substantiam

Aqua semota quantitate, qualiter in loco.

absque accidenti, & hoc minus implicat, tum quia substantia est prior, prius autem quantum est de se nõ dependet à posteriori; tum quia substantię competit per se stare, non accidenti, sed inhærendo hæc, licet aliundè naturalitèr substantia esse non possit sine quantitate, tamen id non implicat ex parte potentiæ Dei. Separata autem quantitate quæro aut aqua illa esset intra mundum, aut non: nõ secundum, quia vt diximus non est necesse ad destructionem quantitatis destrui substantiã per potentiam Dei: ergo primum: igitur remanebit in Orbe: & tunc non esset circumscriptiuè dempta quantitate: ergo definitiuè: igitur sic est Angelus definitiuè, cum careat quãtitate.

QVÆSTIO II.

De Ratione fundamentali, & formali, quæ Angelus est in loco.

1 DVplex *Vbi* distingui solet à Scholasticis intrinsecũ vnũ & extrinsecũ alterũ: & vtrumque dupliciter sumendum est, materialitèr, & formalitèr loquẽdo de extrinseco materialitèr tento, id se tenet ex parte locantis, & est *Vltima superficies corporis locantis*: formalitèr vero consideratum est *Circumscriptio actiua, seù relatio realis fundata in superficie locante ad corpus locatum*. loquendo de intrinseco, materialitèr considerato, se tenebit, pro nunc, ex parte corporis locabilis: formalitèr vero erit, circumscriptio passiua, siue respectus locati ad locum. Consimilitèr discurrendum de Angelo: etenim vbi extrinsecum se tenebit ex parte loci, non quidem circumscribentis, sed definientis, cum definitiuè sit in loco: intrinsecum vero ex parte Angeli applicantis præsentiam suam ad locum. Quæritur vero vtrum tale intrinsecum vbi sit admittendum in Angelo, qui solummodo se teneat ex parte nudæ, & absolutæ substantiæ Angeli.

2 Thomistæ ex hac parte negant hoc vbi intrinsecum, & admittunt solummodo extrinsecum: fundamentum autem huius vbi extrinseci aiunt vel esse applicationẽ virtutis ad efficiendum in loco, vel operationem in eodem loco, dum vt vidimus tenẽt Angelum per operationem esse in loco.

3 Sunt & alij asserentes Angelum esse in loco per solam suam substantiã, seclusa quocunque alio. Vasquez 1. p. disp. 188. c. 6 adducit in hanc sententiã Scotum præd. q. 6. & Gabr. Gregor de Arim. ac D. Bonau. infra citandos, quatenus docent non esse in loco per operationem: vnde concludere intendũt, ait, esse sine aliquo addito solam substantiam.

4 Henric. quodl. 2. q. 9. aliquid addendum putat ad puram substantiam: quid vero sit illud, ignorare fatetur: nõ quidem esse operationem: non passionem à corpore locante in Angelum redundantem: non puram substantiam: credit tamen esse naturæ limitationem: at subdit, quod id intelligere non potest: applicando verba Ioan: *Nisi credideritis, non intelligetis*. Richar. 1. d. 37. q. 1. ar. 2. ait rationem essendi in loco, esse simultatem cũ ipso loco, seù coexistentiam in loco.

5 Dicimus autem Primo, vltra vbi extrinsecũ, dandum est vbi in Angelo intrinsecũ. loquimur vero de vbi fundamentali, etenim de formali nulla est controuersia, quis enim negabit relationem præsentialitatis ad vbi? Probatur intentũ: habet Angelus vbi formale, ergo & materiale: antecedens patet: & probatur consequens relatio habet fundamentum sui esse: ergo relatio vbi formalis præsupponit vbi intrinsecum materiale. Item accidens non potest stare sine subiecto: tale est vbi formale: quod si hoc est in Angelo ex parte ipsius, erit antecedenter in- Vbi intrinsecũ datur.

co

eó vbi intrinsecum fundamentale. Assensio debet esse communis: quis enim negabit fundamentum relationi? sine agamus de pro fundamento operationum, siue partim substantiam, siue quid aliud nō potest vbi formale stare sine fundamentali: præterquam quod asserentes fundamentum esse operationem, non dicerent vbi hoc esse Angelo intrinsecum, sed omnino extrinsecum. Sententiam sequitur Vasq. sup. & Suar. l. 4. de ang. c. 2. Malon. in 2. d. 2. disp. 9. sect. 2. Leont. p. q. 52. ar. 1. Molin. ibid. & hoc æstimo esse de mente Scoti, in quam sententiam trahit illum etiam Suar. vnde immerito id de Scoto negat Vasquez, & Fasol. ... 2. disp. 10. n. 14. 15.

6 Dicimus Secundo, vbi illud intrinsecum est passio consequens naturam Angeli, siue est locabilitas ipsius Angeli, qua mediante potest fieri præsens loco. Prob. omne quod habet esse, habet fundamentum, & radicem, qua possit præsens esse: Angelus ergo recipiendo suū esse, habet à natura hoc, vt possit spatio, siue corpori reali præsens esse. Item entia non sunt necessario quatenus entia, inter se distantia: quamuis enim aliunde prouenire possit necessaria aliquorum distantia mutua, vt corporum interstitio, vel ratione contrariarum qualitatum, vt aquæ, & ignis: album, & nigrum: vel ratione positionis, vt sursum, & deorsum: ante, & retro: vel ratione antipathiæ, seu huiusmodi; nihilominus entia vt entia sunt, seu vt substantia sunt, non habent de se necessario hanc indistantiam, *substantiæ enim nihil est contrarium*, cap. 1. de subst. hoc stante sequitur intentum, vt à natura habeat Angelus quod dum in rerum natura est, possit esse præsens spatio, & loco. Dū oppositum, Chymera nō est, ergo passionem hanc non habet præsentialitatis ad locum.

Vbi intrinsecū quidnam.

7 Dicent, hinc sequi Angelum esse necessario in loco, quod negatum remansit quæst. præced. Prob. quoniam passio tolli non potest à subiecto: tum quoque, quia est eadem realitèr cum subiecto, ac inde inseparabilis propter identitatem ad subiectum. Resp. argumentum concludere de actu primo, nō secundo: in actu primo non est separabilis, ob idque Angelus fert secum semper hanc passionem ad posse esse præsentem in actu primo: in actu autē secundo est separabilis, potēs se abstrahere ab hoc, vel illo loco, per Dei autē potentiā ab omni loco, vt ibi dictum: quomodo homo est necessario risibilis in actu primo, non in actu secundo, vt constat.

8 Dicimus Tertio, Passio hæc cōpetit Angelo necessario, est contra Vasq. & Suar. æstimant enim competere ei voluntate propria, itaut ad libitum vtantur ea. Possunt tamen saluari, vt loquantur de ea in actu secundo, vt diximus. at non sufficit ad eorum saluationem; quandoquidem vbi hoc appellant intrinsecum: at in actu secundo consideratum iam nō erit intrinsecum, sed omnino extrinsecum: sicut risibilitas in actu secundo iam nō erit homini intrinseca sed extrinseca, adest enim, & abest risus ad libitū hominis: licet vero per intrinsecum non intelligamus, quod sit de ratione intrinseca, non enim passio rei est de constitutione, & ratione intrinseca subiecti, nihilominus tamen vocatur intrinseca, quatenus vel est eadem cum ipsa re, vel consequens necessario ipsam rem, ob idque fit inseparabilis à re: cum vero talis sit modus iste vbi intrinseci, vel quidem identificari cum Angelo, vel saltem inseparabilis ab Angelo, sequitur vt non pendeat à voluntate Angeli sic spectatum, vt intrinsecum, sed necessario vt sic declaratū in actu primo, competēs Angelo, est enim modo explicatum, ipsi Angelo intrinsecum. Item locabilitas competit necessario, & naturaliter Angelo, quia est naturalitèr locabilis, ergo & vbi intrinsecum. Denique locabilitas in actu primo, nō potest auferri, ergo nō pendet à voluntate Angeli.

Vbi intrinsecū sequitur necessario ad Angelū.

Est idem cū Angelo.

9 Dicimus Quarto, Vbi hoc intrinsecum est realitèr idem cum Angelo: assertio intelligitur de vbi in actu primo. Prob. passio est eadem realitèr cum subiecto. Item est inseparabile vbi hoc à subiecto, est denique intrinsecum ipsi Angelo, ergo idem cum Angelo: & sequitur ex dictis.

10 Dicimus Quinto, distinguitur formalitèr à subiecto, nā est quid pul-

Distinguitur formaliter.

lulans

Causa meta physica eadem realiter cum effectu

lulans à natura Angeli, ergo non est prorsus idem cum Angelo: causa enim metaphysica distinguitur formalitèr ab effectu metaphysico: subiectum est causa metaphysica passionum: proptereaq; dicitur potiùs pullulare, & emanare passiones, quā causari à subiecto: causatio namque physica est illa, quæ apponit distinctionem realem causę, & effectus, at metaphysica, qualis est emanatio, apponit formalem. Demum natura Angeli est quid priùs, modus hic vbi intrinseci pullulantis est quid posteriùs: priùs autem, & posteriùs licet sint idem, nō tamen sunt prorsus idem, vt priùs namque non est posteriùs, & vt posteriùs nō est priùs: hæc vero sufficiunt ad distinctionē formalem; stante identitate reali Angeli vt prioris naturæ, & vbi intrinseci vt naturæ posterioris.

11 Assertio est contra Suarez, qui vel contradictoria dicit, vel nobiscum sentit: etenim numer. 4. ait modum hunc esse à substantia Angeli ex natura rei distinctum, numero autem octauo probans id, quod dixerat, inquit, hic modus amittitur, & de nouo acquiritur ab Angelo: ergo est ex natura rei actualitèr distinctus. hic tamen quæro quidnam intelligit per distinctionē ex natura rei: vtrum distinctionem formalem, vt mos est penès Scotistas confundētes sępè vtrumque: vel distinctionem realem: si primum, adest cōtradictio, quæ enim sola distinctione formali, seù natura rei distinguuntur, stante identitate reali; sunt inseparabilia: si secundò, militat contra ea, quæ diximus de identitate, sumpto vbi in actu primo. & quidem ęstimo Suarem admisisse distinctionem solum ex natura rei formalem, spectando in actu primo, distinctionē tamen realem spectando illud in actu secundo, & propterea posse separari; ducor ad hoc ex verbis eius; ait namque prædicto num. 8. *hic modus amittitur, & de nouo acquiritur, ergo est ex natura rei actualiter distinctus ab illo*; notandum ly *actualitèr*, quod importat quod diximus, distinctionem realem se tenere ex parte modi in actu secundo, non in actu primo.

12 Quæres, ad quodnam prædicamentum spectat hoc vbi intrinsecum? facilis est responsio spectare ad vbi. Prob. Angelus est verè in vbi, & loco: ergo eius præsentialitas spectabit ad prædicamentum vbi. Dices, id conuincere de vbi extrinseco, siue de vbi intrinseco formalitèr, & secundo intentionalitèr spectato pro relatione præsentialitatis ad vbi. Respond. concludere de vtroque; etenim vbi intrinsecum vtroque modo spectatum est eiusdem speciei: item vtrumque dicit relationem ad vbi, tum fundamentalē, tum formale: fundamentale relationē dicit aptitudinalem, & in actu primo: formale dicit actualem, seù in actu secundo: cum vero sint eiusdem rationis, & ordinabilitatis ad locum, spectabunt consequentèr ad vbi.

vbi intrinsecū ad quod nam prædicamentum spectat

Fundamentalis ratio essendi in loco quænam in Angelo?

13 Scotus sub lit. l. loquendo de ratione hac fundamentali essendi in loco, assignat tres modos, & non resoluit, vnde problematicus videtur sentire; ait enim, potentiam, seù rationem talem, vel esse substantiam immediatè: vel ipsam, in quantum est limitata, & finita: vel esse aliquid ipsi Angelo extrinsecum. Sensus autem esse poterit, vt loquendo de potentia, seù fundamentali ratione ad esse simplicitèr in loco: id sit sua essentia, vt diximus quæst. anteced. vna cum aditto illius vbi intrinseci, vt mox diximus. Loquendo autem de ratione essendi non simplicitèr, sed sic, nempè in loco: ea erit limitatio suę naturæ, vt probatum remansit in fine præced. quæst. ac deniquè illud tertium extrinsecum determinans esse poterit, vel voluntas ipsiusmet Angeli, vel imperium Dei, determinans, & collocans Angelum in destinato loco.

14 Refertur Alensis, vt par. 2. q. 32. m. 1. dicat, rationem essendi in loco esse proprietatem quandam diuinitùs ei superadditam. Aliqui insuper addūt qualitatem quandam, quæ sit ratio essendi in loco.

15 Hoc de qualitate, ab omnibus exploditur? quæ namque esset qualitas illa? Ergo non posset, remota qualitate hac, esse in loco. Item corpus, vt fiat præsens loco, quam quæso qualitatem præuiam recipit? ergo nec Angelus.

16 Cir-

16 Circa Alens. Suar. l.4. c.2. n.10. ait per id, Alensem intelligere imperiū Dei, itaut ex Dei imperio, non sint extra mundum, sed intus contineantur in eo: licet sua ipsorum natiua virtute possent extra illud exire.

17 De hoc autem aliqua insuper, quæst. 4. in fine.

QVÆSTIO III.

Quantus sit locus Angeli.

1 QVantus vero debeat esse angelicus locus, facile, & absq; cōtrouersia resoluitur, iuxta duplicem locum, adæquatum nempè, & inadæquatum.

Locus adæquatus Angeli.

2 Vnde dicendū, quod locus adæquatus Angeli, tantus est, quanta est naturalis potentia, & perfectio suæ naturæ. Probatur ex capite loci adæquati corporis, qui quidem tantus erit, quantum erit ipsum corpus: cum vero careant Angeli quantitate molali, habeantq; quantitatē virtutis, hinc adæquatio loci tanta erit, quanta erit ipsamet Angeli virtus. Locus insuper adæquatus erit ille, quem Angelus naturali virtute non potest excedere, ratio in promptu est, quia si posset excedere, ergo non erit adæquatus. Confirmatur, agens creatum non potest agere extra sphæram actiuitatis suæ. Ex opposito autem liquet quisnam sit locus eius inadæquatus, est namque is, quem vi, & facultate suæ naturæ potest excedere, & extra quē potest operari. Omnia autem huius generis, dicantur analogicè ad locum adæquatū, vel inadæquatum corporis, remotis tamē iis, quæ repugnant angelicæ, & spirituali naturæ. Hæc, loquendo in genere de loco adæquato, vel inadæquato in genere. Cæterum loquendo in specie quantus sit, is iudicare poterit, qui naturam, & virtutem, nouerit ipsius Angeli, quanta sit virtus eius, & perfectio.

Punctum an sit locus adæquatus Angeli.

3 Disquiri tamen posset, vtrum punctus foret locus adæquatus. Iam extitit sententia affirmantium, punctū esse locum adæquatum Angeli, & non posse esse, nisi in puncto; Ratio, quia vterque est indiuisibilis, at indiuisibile adæquatur indiuisibili, igitur locus eius adæquatus erit punctum. Item Angelus est de sui natura indiuisibilis, ergo de sui natura postulat locum indiuisibilē.

4 Ex opposito dicendum, locum eius adæquatum nō esse punctum, nec esse aliquod indiuisibile, sed esse locum quantum, & diuisibilem: ita D. Thom. 1. par. q.52. art.2. de quo etiam infra quæst.7.

Indiuisibile adæquatur indiuisibili dicitur.

5 Et ad illud, quod indiuisibile est adæquatum indiuisibili. Resp. Primo, indiuisibile, eatenus dici adæquari indiuisibili, quatenus vtrumque est indiuisibile, spectando rationem solam indiuisibilitatis. Dicendum Secundo, punctum esse indiuisibile de genere quantitatis, Angelum Autem est indiuisibile de genere substātiæ: vnde est, vt puncto correspondeat situs, qui quidem debet esse indiuisibilis, sicut & punctus situabilis est indiuisibilis: Angelus vero non est sic circumscriptiuè, & dimensiuè in loco, cum nō sit quantus, ergo correspondebit ei locus maior, vel minor, iuxta mensurā suæ perfectionis.

6 Ad illud vero, quod est de sui natura indiuisibilis, igitur postulabit de sui natura locum indiuisibilem. Resp. negando consequēs, tunc enim sequeretur, quando Angelus esset ad instar entis naturalis, carentis libertate, tunc namque esset necessario, & semper in loco indiuisibili, vt punctus: at quia Angelus est ens liberum, ideo pro libito voluntatis suæ esse poterit in loco diuisibili, & indiuisibili.

7 Cætera vero singulariter spectātia ad Angeli locum habebuntur ordinatè infra.



QVAE-

QVÆSTIO IV.

Vtrum Angelus ſit in loco per tranſeuntem operationem.

ARTICVLVS I.

Affertur ſententia affirmans.

1 COmmunis eſt Thomiſtarum opinio eſſe Angelum in loco per operationē: in modo autem explicandi eam varij ſunt, vt videbimus artic. ſeq. ita Caetan. 1.p. q.52. art.1. Capreol. in 2.d.2. q.2. art.1. Ferrar. 2.contrag. cap.68. ſequuntur Aegid. in 1.d.37. p.2. art.1. q.1. Argentinas ibid. atq; Albert. Magn. Picus Mirand. apol. de deſcenſu Chriſti ad Inferos, pluréſque alij.

2 Et probatur Primo, Angelus nullam habet connexionem ad locum, ſecundum nudam ſubſtantiam: ergo eſt in loco per operationem. Prob. antec. ſpiritus nullam connexionē habet ad corpus; ſiquidem locus eſt corporeus, Angelus incorporeus. Prob. conſeq. vel namque erit in loco per ſubſtantiā, vel per operationem, cum non ſit alius modus: at non per ſubſtantiam, ergo per operationem. Secūdo, ſi per eſſentiam in loco, ergo ſemper, & neceſſario erit in loco: Prob. ſequ. quandiù erit, ſemper erit in loco, etiam ſi nullatenus operetur. Tertio quidquid eſt in loco, vel eſt in eo, ratione quantitatis molaris, vel quantitatis virtutis: Angelus nō eſt primo modo in loco, carens quantitate: ergo ſecundo per applicationē virtutis: applicatio autem virtutis eſt operatio. Quarto Angelus modo eſt in loco maiori, modo minori: id vero non poteſt prouenire ratione eſſentiæ, cum ſit inextenſibilis, nec poſſit concontrahi, id vero cōpetere poteſt operationi, quæ poteſt eſſe contractior, & extenſior. Quinto vt quid ſit in loco oportet, vt attingat locum: Angelus nō poteſt attingere. Prob. locus materialis, & quantus non attingitur niſi à locato materiali, & quanto: cum autem Angelus non ſit talis, attinget locum per applicationem virtutis, ea autem eſt operatio. Sexto nuda ſubſtantia Angeli nō eſt determinatiua loci: operatio autem ſic; ergo. Septimo Ariſt. 1. cœl. cap.9. t.100. *Neque illa, quæ illic ſunt* (extra Cœlum) *nata ſūt in loco eſſe* loquitur autem de ſubſtantijs abſtractis &c. ac Damaſc. l.1. de fid. orthod. cap.17. *In loco eſſe dicitur, quia intellectuali modo adeſt, atque vt ſuæ naturæ conſentaneum eſt, operatur.* Nazianzen. apud Caet. *Angelus eſt in loco abuſiuè, quatenus operatur in loco.*

ARTICVLVS II.

Statuitur Angelum non eſſe in loco per operationem, ſed per eſſentiam.

Non eſt in loco per ſe per op[e]rationem.

1 ESt nihilominus oppoſita ſententia Angelos nō eſſe præciſè per operationem: ſed primo & formalitèr per præſentiam propriæ ſuæ ſubſtātiæ. Dixi, præciſè, quandoquidem nil vetat dicere eſſe etiā per operationem: vnde duplici modo ſit præſens, ratione quidem nudæ ſubſtantiæ: & ratione operationis: cum differentia tamen, vt ratio illa ſit prima, præciſa, & adequata: quandoquidē & ſi nullibi operaretur, tamen verè eſſet per eam in loco: operatio autem ſit ratio à poſteriori, & per accidens conſtituens eum in loco: nec erit ratio præciſa; tum quia ſine ea iam eſſet per ſubſtantiam in loco: tum quoniam poſſet operari in diſtās, tunc vero non eſſet per ſubſtantiā in diſtanti extra ſphæram loco: ex iſto ergo duplici capite poterit prouenire præſentia eius in loco: licet Rada videatur id negare de operatione, tanquam fruſtratoria par.2. controu 6. art.2. concl.2. verum quæſtio agitur ad prædictum ſenſum, vtrum per eſſentiā, & per operationem poſſit eſſe in loco; non enim id negaretur à Scoto, nec negandum eſt à Scotiſtis, nec à Rada; ſed ſenſus eſt verum præciſa, & adæquata ratio conſtituendi in loco ſit nuda eſſentia.

sentia, an vero Angeli operatio.

2 Dicimus ergo Primo adæquatã, & fundamentalem rationem essendi in loco esse nudam essentiam; Dixi fundamentalem esse essentiam: siquidem ratio formalis est respectus, siue relatio ad locum ipsiusmet angelicæ essentiæ. est Scoti in 2. d. 2. q. 5. & 6. D. Bonau. Gabr. Arimin. Marsil. pluriumq; ex recentioribus, vt Suar. l. 4 de Angel. c. 4. 5. & 5. Molin. Vasq. ad 1. par. D. Thom. q. 52. art. 1. & est communis.

Articuli Parisienses.

3 Probat vero Scotus in primis, sequuendo, sententiam oppositã damnatam fuisse ab Vniuersitate Parisiensi Theologorum, vt patet in art. 77. & 204. cui se interuenisse fatetur Henric. quodl. 9. 2. q. 9. Quod si dixeris, inquit Scot. excommunicatio non transit mare, vel diœcesim. Respondet idẽ Scot. *Si fuit articulus condemnatus, sicut articulus hæreticus, vbique est condemnatus sicut hæreticus, non ab Episcopis Diœcesani tantum, sed etiam authoritate Papæ extra de hæret. cap. ad abolendam.* hæc Scot. Quod si tandem Vasquez dixerit, articulos Parisienses non esse magnæ authoritatis, vt possint ligare conscientias fidelium, cũ magis, quo non fuerint Diœcesani articuli à Pontifice cõfirmati: respondit ad hanc tacitam, tunc, obiectionem, Scotus, *sic*, inquiens, *sententia est suspecta, quando in aliqua Vniuersitate solemniter est damnata.* Quidquid tamen sit de validitate talis damnationis, vel quod à Pontifice, vt Ferrar. refert, fuerit reuocata: id quidem constat, communem sensum, siue censuram Parisiensem Theologorum nihil aduersum sententiam hanc communem statuisse, sed aduersus oppositam.

4 Probatur Secundo statuta conclusio, & est probatio ad hominem ex principio quodam D. Thom. etenim D. Thom. 1. p. q. 8. art. 7. probat Deum esse vbique per hoc medium: *Mouens, & motũ debent esse simul 7. phys.* at Deus est primum efficiens, primumque mouens, ergo est præsẽs in omnibus rebus per immensitatem. hoc stante quæritur quidnam D. Thom. intelligat concludere; vel namque intendit concludere Deum mouere omnia: vel quod sit per suam essentiam immediatè præsens omnibus: si Primum, igitur committitur fallacia siue nugationis, siue petitionis principij, idest, ideo Deus operatur vbiq; quia operatur vbique: si Secundum, ergo ex operatione vbiq; concludit tanquam à posteriori præsentiam eius vbique: igitur prius Deus erit præsens per essentiam, quam per operationem: ergo similiter Angelus prius per essentiam, per operationẽ vero tanquam à posteriori cõcluditur esse præsens.

Deus est præsens prius, quã operetur, declar.

5 Obseruandũ vero pro Scotistis, quod dum Scotus inquit, *Prius Deus erit naturaliter præsens, in quantum immensus, quam in quantum operans*: Non est sensus vt verè sit Deus alicubi præsens sine operatione: vbi namq; Deus est præsens, semper ibi operatur saltem conseruando, & fouendo rem, cui est præsens; non enim se habet ad instar creaturæ, quæ sit loco præsens sæpissimè absque operatione in loco; ratio, quia res dependet omnimò à Deo, non sic ab ipsa creatura: loquitur autem Scotus spectando præsentiam ex natura rei; quoniã natura ipsa docet, prius agens debere constitui præsentialiter passo, & inde operari in passum: talis namque est naturæ ordo: ad quem ordinem aspiciens Scotus dixit, *Prius Deus erit naturaliter præsens, quam operans*: cæterum loquendo de facto, Deus prius in creaturam operatur, vtpotè, initio prius creauit Mundum, & inde factus fuit præsens mundo: nec enim relatio præsentialitatis Dei ad mundum insurgere poterat sine constitutione mũdi in suo esse; relatio namque supponit ambo extrema. hæc pro explicatione textus Scoti: sed de hoc plura infra. Vnde Propositio hæc Agẽs est prius præsens, quam operans, semper est vera de Agente creato, quia non agit in nihilo, nec extra mundum: at Deus operatur tum præsens rei, vt patet, tum extra rem, creando de nihilo.

Agens creatũ prius semper præsens operetur.

6 Capreol. in 2. d. 2. quæst. 1. art. 3. & Caietan. 1. par. q. 8 art. 1. respondent argumentũ procedere ex falsa Scoti imaginatione, æstimantis, Deum prius esse præsentẽ rebus, & inde operari in eis: quod falsum patet, prius namque Deus creaturam producit in esse, ac inde fit ei præsens. Verum, cum sic non cogit:

ac propterea declarationem apposui mentis Scoti, non enim Scotus id negat vt ostendimus. At quæres, cur ergo sic Scotus arguit, dum non negat prius creaturā produci, inde vero fieri ei Deum præsentem? Resp. ob duplicem rationē. Prima est, quoniam Scotus loquitur spectando ordinē, & naturam Agentis, vt Agens est, siue spectando ordinem Agentis in cōi, abstrahēdo ab hoc, vel illo agēte, & vt sic loquendo, vtriq; natura postulat, vt prior (saltē natura) sit præsētialitas essentię, quam operationis (quasi quod non loquatur de facto, etenim iam de facto Deus ob sui immensitatem à nulla re distat, ac propterea semper præsens est: quod si per impossibile non esset immensus, posset operari vbi nō esset) spectato autem tali ordine naturę, ipsa natura docet, Agēs prius debere fieri præsens passo, inde operari in eo. Secunda erit, quoniam arguit ad hominem ex concessis à D. Thom. si eamque ostendit immensitatem, seū præsentiam Dei ex operatione, vt vera operatio est, prout contradistincta ab immensitate, & præsentia, vtique prior erit præsentia, quam operatio, quia ordo naturæ id postulat: alias daretur petitio principij in probatione D. Thom probando operationem per operationem, non autem vbiquitatem à posteriori per operationem.

7 Confirmatur, Deus est in rebus omnibus nedum per potentiam, operando; verum & per essentiam: isti autem duo modi non sunt prorsus idē, sed distincti ex natura rei: si autem ratio formalis essendi per essentiam, est ratio essendi per operationem, siue per potentiam, frustra multiplicarentur, sed essent non duo modi, sed vnus, qualiscunque sit distinctio illa inter eos, siue ex natura rei, siue rationis. Dici posset non sequi, esse omnino vnum, siquidē modus essendi per potentiam est mediū ad inferendum Deum præsentem per essentiam: nec insuper sunt formalitèr vnum, cum alter se habeat vt medium, & ratio faciendi pręsentem, alterum vt subiectum præsens: sed contra, etenim doctrina hæc nō est specialis, sed communis; siquidem omnes aiunt, etiam Scotistæ, prius Deum operari creando mundum, inde vero media operatione esse præsentem mundo: at Thomistæ, Capr. Caetan. cæteriq; aiunt operationem esse rationem formalem essendi præsentem: itaut non sit substantia spiritualis, siue creata, siue increata præsens vllo modo per essentiam loco, sed per operationē: ergo non erit immensitas, seū Dei essentia ratio collocandi præsentē in loco: ergo nec erit per essentiam formalitèr præsens loco. & quidem aliud est dicere operationē esse medium, aliud est esse rationē formalem præsentiæ essentiæ; loquendo de primo, concedit etiam Scotus operationem esse medium, licet posterioristicum demonstrandi pręsentiam loco: at Caetanus nedum vtitur operatione pro medio demonstrādi, sed etiam pro ratione formali collocandi Deum præsentem loco.

8 Item prædicatio hæc, Deus est præsens loco formalitèr per essentiam negatur ab eis: ergo verum erit dicere, Deum non esse per essentiæ immensitatem, præsentē omni loco; ergo dabitur sine Deo aliquis locus. Anteced. patet; aiunt enim rationem formalem esse operationem, & potentiam. Insuper concluderetur, Deum nullibi esse. Prob. essentia eius non est per se, & formalitèr præsens, sed sola operatio est præsens: assumptum patet, dum negāt præsentiam esse per essentiam, tanquā per rationē formalem, ergo licebat inferre essentiam non esse pręsentem formalitèr: igitur sola Dei operatio erit rebus præsens, & non essentia.

9 Insuper, dum aiunt per operationem fieri essentiam præsentem, sensus esse poterit, vel quod operatio in loco trahat Deum ad locum, vt sit ita quasi per operationem tractus in ipso loco: vel quod operatio sit ratio, non vt ita dicam, materialis, seū fundamentalis, sed formalis qua formalitèr dicatur cōstitui in loco: primus sensus à nemine admittitur, eo magis, quo non moueretur à creatura Deus, vt sit per immensitatem suæ essentiæ in loco: igitur Secundus sensus erit speculādus: is vero duplicem facere poterit prædicationem, vnam causalem, & alteram formalem: Prima erit dicendo, Deus est per operationem præsēs, causalitèr, itaut ope-

ratio

quia sit causa eius præsentiæ ad locum: quamquam sit de nomine causæ, sufficiat esse conditionem sine qua non: & hoc modo sub hoc titulo verum erit Deum esse præsentem rebus; quia si mundum non crearet, iam non fuisset præsens mundo: [illegible] namque creationem nō esse præsentem mundo: vt sic igitur non erit idem modus. Ad concedendum [illegible] præsentem rebus, vtraque [illegible] ratio. Secunda vero ratione Deus est præsens formaliter per operationem, cuius prædicatio formaliter in [illegible] hoc inconueniens, [illegible] non sit præsens vt existens, & vt [illegible], sed vt operans: sequitur [illegible] erit ratio formalis [illegible] id negare, etenim iam operatio non erit medium, ex eorum sententia, non enim dissiderēt à nobis & concedendo esse medium essendi præsentem, concederēt ipsum esse vere præsentem per essentiam: at negando esse medium, dum aiunt esse rationem formalem, [illegible] coguntur dicere non essentiam Dei esse formaliter præsentem, sed solam operationem esse præsentem formaliter, sicque non per essentiam esse præsens Deus, sed solum per operationem.

10 At [illegible] esse Deū immediatè in ratione immediationis suppositi, at vt sic, esse in rebus per essentiā: quia nō mediāte alio supposito operatur creādo &c. esse etiā immediatione virtutis, quatenus est præsēs immediatè per potentiā. Quidquid tamen sit, semper inde sequitur non [illegible] Deum præsentialiter in loco immediatè per essentiam, sed formaliter, siue [illegible], immo realiter per essentiā quomodocumque [illegible] per se ipsum operetur, nihil [illegible] non negat non esse præsentem per essentiam, [illegible] cogitur [illegible] esse præsentem Dei essentiam, [illegible] solummodo operationem esse præsentem, non autem essentiam.

11 *Probatur* Tertio principale intentum, est minus necessarium, quantum est de se, vt Deus sit præsēs locu, vbi operatur, quam vt sit præsens Angelus passo, circa quod agit: at hoc non obstante, Deus est verè per essentiam præsens, non solum per operationem, vt tum ex discursibus factis patet, tum etiam ... dispu. de immensitate Dei: ergo magis id concedendum de Angelo, vt sit etiam ipse per essentiam præsens. Probatur antecedens. Deus enim est potentiæ, virtutisque, [illegible] & infinitæ, ac consequenter potest agere in quacumque distantia: adeoque [illegible], quod si per impossibile Deus non esset vbique per essentiam, posset nihilominus ratione virtutis infinitæ agere ibi, vbi, per impossibile non esset: modo autē ratione immensitatis est vbique, & vbicumque operatur, etiam per essentiam præsens: quod si [illegible] necesse est virtutem infinitam [illegible] per substantiam, præsentem vbi operatur, & nihilominus est per essentiam vbicumque operatur: ergo multo magis id asserendum de Angelo, cum sit virtutis limitatæ, & finitæ, ratione cuius non poterit operari in quacumque distantia, sed quam [illegible] exiget, vt immediatè [illegible] præsens per essentiam passo, in quo operatur: sicut immediatè adest præsens Cœlo, quod ab ipso mouetur. Confirmatur, potest namque Angelus à superiori virtute impediri ne agat in distans: impeditur quoque à maxima distantia corporis, siue passi existētis extra sphæram [illegible], vt igitur tale impedimentum vincat, necesse est propinquari passo: id vero consultius, & expeditius fortasse fiet applicando præsentiam substantiæ suæ ad passum.

12 Quarto quandocumque Angelus operatur in loco, aut illa operatio facta in loco, & circa locum, promanat immediatè ab essentia Angeli, aut mediatè: si Primum, ergo erit per essentiam verè, & ante operationem in loco: si Secundum, quæro de illo medio, vtrum sit immediatum substantiæ Angeli: an non: si Primum habetur intentum: si Secundū, quæro insuper vt prius, & ita dabimus processum in infinitum.

13 Quinto, prius est Agens esse alicubi, quam operari ibi: ergo præcedit præsentialitas essentiæ ad operationē. Antecedens est Arist. oportet Agens, & passum esse simul. Dices, mentem Aristotelis esse, vt sint simul per operationem, loquendo de spiritibus: de corporibus vero, vt sint simul per contactum, & per essentiam. At contra id de spiritibus, si Aristoteles loqueretur de

Prius est esse alicubi, quam ibi operari.

[illegible]

simultate operationis committeretur negatio in eius verbis, namque idem esset, ac dicere, agens, & passum oportet esse simul, ac agens, & passum oportet agere, & pati: vt ergo hæc veremur aliunde erit spectanda mens Philosophi, vt simultatem præsentialitatis essentiarum exposuisset prius, inde operationis. Confirmatur, potuit enim Intelligentiam in Cælis, & in particulari parte Cæli insidentem, ad hoc, vt inde moueat Cælum. Item potest etiam Spiritus agere in distans, quomodo autem operatio recepta in passo erit simul cũ agente eam producente? ergo erunt aliunde simul.

14 Responsio est Thomistarũ axioma esse verum de eo agente, quod est verè, & physicè in loco, vt est agens corporeum: Angelus vero est absolutè in loco & impropriè: quapropter ratio essendi in loco erit operatio, non essentia. Instantia est iam relata de Deo, qui non prius est præsens rebus, quam producat eas: post vero operationem productionis ipsarum sic præsens est.

15 Verum responsio est nulla; & quidem lata est differentia inter Angelum, & Deum; etenim mundus pendet à Deo, non pendet ab Angelo, nisi pro quanto Angelus assumitur à Deo ad mouendos Cælos, aliaq; præstanda ex Dei ordinatione pro conseruatione ipsius mundi: sicut vero Deus condidit mundum, creando eum immediatè à seipso, ita posset absq; ministerio Angelorum conseruare mundum: immo post diem iudicij cessabit ministerium, & motus Angelorum in Cælis cessante secundũ Cælorũ influxu in mundũ. Cum ergo mundus pendeat à Deo, nõ potest habere esse sine operatione Dei in mundum: ergo exigit præsentiam Dei in seipso: talis autem relatio præsentialitatis consurgit post operationẽ erga omnes mundi: eique realis ex parte mundi, rationis ex parte Dei: Cum vero Angelus non produxerit mundũ, non est opus, vt prius operatus fuerit in mundo, & inde fuerit factus præsens mundo: igitur prior erit eius præsentia ad mundum, quam operatio in mundo.

16 Sexto, ex data opinione sequitur posse Angelum aliquando in nullo loco esse, ad libitum suæ voluntatis: probatur, descẽdat Angelus de Cælo Empyreo ad terram: & nil operetur v.g. in locis intermedijs reliquorum Cælorũ: tunc quidem esset in rerum natura, sed nullibi esset: prob. non esset in Empyreo, ex data hypothesi, quod inde discederet: nõ esset tunc in terra, cum nondum eo peruenerit: nec esset in Cælis medijs, cum nihil operaretur, ergo esset, & nullibi esset.

17 Septimo, Aqua est in vase circũscriptiuè per suam quantitatẽ: abstrahatur autem per Dei potentiam talis quantitas ab aqua, quæro vel esset in vase, vel non: non dicendum secundũ, vbi enim esset? assigna locum si potes: & si assignaueris, cur potius hunc, quã illum: igitur erit in eo vase: at non nisi definitiuè, abstracta quantitate: & solum per præsentiam nihil operando in vase. Dices ibi frigefacere, sicque media frigefactione fore in vase: sed contra, abstrahatur simul cum quantitate frigus, & omnis qualitas, non etiamque operabitur, ergo erit absque operatione. Nec dicendum aquam fore destruendam destructa quantitate, quoniam potest Deus substantiam conseruare sine quantitate, & qualitate, sicut è conuerso in Sacramento Altaris accidentia conseruat sine substantia: ergo erit in vase in quo erat. Confirmatur, cesset miraculũ destructionis quantitatis, & qualitatis aquæ, & continuo prodibunt qualitas & quantitas applicanda subiecto aquæ, non quidem extra illud vas, sed in eodem vase: igitur iam aqua remanserat in vase. | Aqua abstracta quantitate, & [illegible]

18 Ad Sextum, & Septimũ respondet Caiet. & reliqui, tunc Angelum, & aquam nullibi esse: cessante operatione &c. verum ridicula hæc apparent, sicut & sunt. & quidem omne quod est, alicubi est: axioma hoc adeo verũ est, vt negari non possit: etenim Deus ipse est, & quidem in mundo est. Corpora iam sunt, & in mundo sunt: ergo & spiritus eo quod est, alicubi est. Confirmatur, non est destructus Angelus, destructa, siue cessante eius operatione: sicut nec destructa est aqua stante illo miraculo ex hypothesi, cum ergo remaneat in suo esse, alicubi erit. Vel

confir-

contingat esse extra Cœlum in spatiis imaginariis: at quis cogit nos ad hæc fingere? quæro autem quis eum duxit huc? dicetis, Angelum transferre, quasi loquamur de aqua quæro quis nam eo transtulit eam? vtrum Angelus? quæro quis alter: vtrum ex seipsa? de primo, & secundo gratis dicitur, quod verò impulsu Dei eo translata fuerit, id non constat; ita enim posset eam Deus assumere in spatio vero, & transmutare, ac in spatio infinito extra mundum, [illegible] melius: de tertio etiam [illegible] non habere virtutem talem [illegible] transferendi: ergo inania hæc sunt.

19 Cæterum id, quod est Angelo ratio existendi in loco, debet collocari in Angelo formaliter: sed operatio transiens non est formaliter in Angelo; ergo non est per operationem in loco. Maior patet, quia denominatio debet fieri à forma denominante: ergo forma debet inesse formaliter subiecto denominabili: non enim paries dicitur albus per albedinem inexistentem in [illegible], sed per eam, quæ subiectatur in pariete: & minor patet, siquidem actio transiens recipitur in passo, transit enim de agente ad passum, vt motus transit de mouente, & recipitur in subiecto moto.

20 Confirmatur. Ratio existendi in loco, vel est operatio immanens, vel transiens, nullum [illegible]: non prima, quia non minus abstrahit à loco operatio immanens, quam substantia Angeli: si enim tolleretur etiam ab eis: non secundum, quoniam talis transiens non est in Angelo, ergo nec denominabit Angelum. Aiunt currere in eo, quod est physicè, & verè, non autem impropriè, & abusiuè in loco vt Angelus. Sed contra, prædicta propositio est vniuersaliter vera in omnibus, quod denominatio formalis debet fieri à forma existente in subiecto: hoc enim est principium necessarium, & verissimũ; quo enim pacto poterit subiectum denominari à forma existente in alio? nec namque fortes ambulat per motum receptum in Cælo, sed in seipso: quorsum igitur Angelus erit in loco per motum non iam receptum in Angelo mouente, sed in corpore moto?

21 Nunc sequitur, Angelum esse primò ac simul in toto Cœlo: probatur: iam Angelus mouet Cœlum: at motus recipitur in toto Cælo, ergo Angelus non est in determinata parte Cœli, sed simul præsentialiter, [illegible] effectiuè, & virtualiter, in toto Cœlo: Confirmatur, ibi est Angelus vbi primo operatur: at operatur in toto Cœlo; ergo est simul in toto Cœlo. Item Cœlum est proportionatũ virtuti motrici Angeli, adeo quod si adderetur vna stella, moueret cum pœna, & dolore, inquit Arist. 2. cœl. & & com. 71. ergo simul in toto Cœlo, vtpotè proportionatum ei.

22 Dices, Primo mouere partem vnam, & ibi esse: indeque ad motum illius, moueri aliam, & aliam &c. quasi impellendo, vel trahendo: contra, nam in Cœlo nulla pars est magis Oriens, quam Occidens, quidquid dixerit Philosophus 2. cœl. 15. de Rustico illo, qui imaginabatur habere caput, & pedes in polis, brachiũ vero dextrũ, & sinistrum extensa ad Orientem, & Occidentem: quo respectu, nullus pendus erit, inquit Scotus magis Oriens, quam Occidẽs, sed quilibet erit Oriens successiuè. Item nullus est magis caput motus, quam alter: proindeque non dari in Cœlo ex natura rei dextrum, & sinistrum: vnde fit, vt non habeatur pars in qua videatur, (nempe ex natura rei) potius primo collocandus, quã in altera. Confirmatur, quia si esset in aliqua parte tanquam quiescens per se, motus tamen per accidens, veluti nauta in naui: qui in vna parte quiescit, cæterum mouetur, & circumfertur ad motum nauis: id autẽ putatur inconueniens.

23 Respondet Caieta. assignari partem vnam potius, quam alteram, quæ sit caput motus in ipso Cœlo exẽplo animalis, in quo motus incipit ex parte cordis vel dexteræ. Verum vnde assignabitur in Cœlo talis pars, cum Cœlum sit similare: quod si Stellam, ac Planetam contemplatus fueris. Dices fortasse, quod ibi insidebit Angelus, veluti in parte Cœli nobiliori, at vnde elicis hoc? vel si cæteræ Cœli partes sunt eiusdem rationis, quare potius vna erit principium motus, quam altera?

Motus animalis quare potius incipit ex vna parte, quam [illegible] ex altera.

altera? Ratio namque quare in animali hoc contingat, est quia corpus est dissimilare, varijsque vtens organis dissimilaribus, quorum alterũ cum sit nobilius, merito ex inde poterit incipere motus vt cor &c. at hæc diuersitas nõ est in Cœlo.

Oriens, & Occidens non semper sunt in Cœlo.

24. Concedendum hæc tamen dicendũ, quod spectato Cœlo vt sic nullus est punctum magis Oriens, quam Occidẽs, vt deducit Scotus: quia vero adest de facto Oriens, & Occidens, ideo aliunde est id indagandum: id autem primo colligitur ex diuersitate sphæræ; siquidem vel loquimur de sphæra recta: vel obliqua: loquendo de prima, semper Oriens cadit in eundem punctum semper, Occidens sẽper in eundem punctũ: ita quoque Septentrio & Meridies, ratio, quia non variatur sphæra, ergo nec variantur Orientis, Occidentis, Meridiei, atq; Septentrionis puncti, eo maxime, quoniam sphæra hæc est sub Aequatore. loquendo de obliqua, non semper idẽ punctum est Oriens, aut Occidens, sed modo vnum modo alterũ id autem contingit ex obliquitate sphæræ: & experientia constat nobis incolentibus sphæram obliquã, variari ortum, & occasum Solis, modo citiùs, modo tardius nobis orientem modo longiùs, ac distantius, modo viciniùs, modo Sole magis ad Zenith nostrũ appropinquante, modo minus, & à nobis recedente: hæc discrimina parit sphæra recta, & obliqua, parit quoque hæc diuersitas climatum. Verum redeundo ad punctum Orientis, & Occidentis, & si hæc non sint in Cœlo ex natura rei: nihilominus insurgit primo ex diuersitate sphæræ, vt diximus: secundo statuendum est in sphæra recta sẽper eundem esse Orientem, eundem Occidentem, vt est dictum: Oriens vero ibi erit, vbi Sol ingreditur primum punctum Arietis, inde namque habetur punctus Orientis: vbi autem ex opposito attingit suum sibi appositũ punctum Libræ, ibi habetur Occidens: vbi contingit primum punctũ Cancri, ibi habetur Meridies: & vbi ex opposito attingere oppositũ punctum Capricorni, ibi habebimus Septentrio: vnde ex quatuor pũctis, vel signis Cardinalibus, vt aiũt, colligitur in sphæra recta, diuersitas

Sphæra recta, & obliqua.

ista: in sphæra autẽ obliqua non sic, ac propterea in obliqua non sunt stabiles isti puncti, prout in sphæra recta. Id quoque prouenit ex Intelligentia motrice, aiunt alij, et licet verum sit hoc, nihilominus ratio prædicta de rectitudine, & obliquitate sphæræ erit magis à priori; Deus enim coniunxit Intelligentiam in particulari, & determinata parte Cœli, (quæ est etiam sententia Aristotelis) ea autem est signum Arietis; vnde cũ hinc incipiat motus, hinc incipit Intelligentia mouere, eo magis, quod accedente Sole ad primum punctum Arietis, de subterra, quasi ex Orcho adueniens, nouam mundo influit virtutem, & vitam, dum & terra virescit, & animantia nouam sanguinis excitationem sentiunt, nouaq; inchoatam vitæ.

25. Quidquid tamen sit de his, id ex ex principali discursu sequitur, vt Angelus sit simul in toto Cœlo motu: ratio namque præcisa est actio transiens: at actio motiua recipitur in toto Cœlo, ergo erit simul in toto Cœlo, vt est discursum.

Virtutis applicatio quid ex Caet.

26. Caetanus vniuersim respondet, esse in loco per applicationem virtutis: id vero ait, vt incompetentia colliget, de actione transeunte. Sed contra arguitur quærendo; aut namque applicatio hæc est actus primus, aut secundus: si primus, ergo est per essentiam in loco; actus enim primus est ipsa essentia: si secundus, quæro, aut actus immanens, aut transiens; non secundum, vt negat, & est probatum: non immanens, vt etiam ipse cum suis concedit: ergo erit per essentiam. Item applicatio ad locum non est ratio essendi in loco, sed conditio sine qua non: sicut applicatio ignis ad lignum non est ratio comburendi, sed conditio sine qua non.

27. Ait esse per applicationem suæ voluntatis: at contra, actus voluntatis vel apponit actum transeuntem extra, vel nihil: non primum, vt concedit: quod si nihil ponit, & est vere in loco, ergo per nihil extra essentiam suam erit in loco. Item si per imperium voluntatis solummodo esset in loco, esset simul, & non esset in loco: esset per imperium: non esset, quia nihil

hil

hil poneret in loco: ergo frustra talis voluntas ad esse in loco. Insuper posset velle esse simul in omnibus locis, & ita esset vbique. Prob. seq. nil impediret; etenim voluntas libera est ad volendum: & esset talis voluntas prorsus inefficax, quia voluntas de se sola non sufficit nisi fiat applicatio ad locum eo magis, quo potentia dabitur exequutiua.

28 Rursus, Angelus existens in hac aula operando transeunter in ea, potest ab actione desistere: tunc vero vtrũ Angelus remanebit in aula, aut recedet: non recedet, dato casu, quod solummodo cesset ab operatione, non à præsentia: ergo remanebit, at nullibi tunc fiet. at quæso quonã modo hoc intelligibile est, vt aliquid sit in rerum natura, & non sit præsens alicui loco: vel namque remanebit intra sphæram huius Orbis, vel recessit ad extra Cœlũ ad spacia illa imaginaria, vt sunt dedu-ctum: sed quis nos certificat de hoc? vnde sic constat hæc, & similia esse effugia & penitus inconuenientia, vt sit, & non sit in loco.

29 Inquit. Scotum solummodo æstimare inconueniens id esse de Spiritibus, qui quidem possunt in natura esse, & sine omni loco. ait enim Aristot. 1. Cœl. t. 100. *Entia illa beata non esse apta in loco existere.* Verum sensus Aristotelis est loqui de esse in loco circũscriptiuè; corpora namque sic sunt in loco: non tamen negat esse vere in loco, & definitiuè, vidimus enim apposuisse Intelligentias in Cœlo, immo in determinata parte Cœli, vt moueant Cœlum, quomodo ergo negauit esse in loco?

Angeli in Empyreo an quid operentur.

30 Decimo arguitur, Angeli sunt in Cœlo Empyreo: at ibi nil operantur: ergo non actione transeunte sunt in loco. Respondet Capreol. esse ibi ratione ornatus, ornando Cœlos, sicut & Dæmones in Inferno ornando Infernum: At quæro qualisnam sit ornatus iste? vel fit per actionem transeuntem immittẽdo qualitatem in Empyreum, vel nihil: non primum, quia id nec vllus concedit, nec fieri rationabile est: quidnam esset illud, dum nihil influunt in Empyreum: si nihil, ergo talis ornatus nihil est. Item talis ornatus supponit præsentiam modo essentiæ, & ad talem præsentiam nihil adiicit, sed solam denominationẽ extrinsecam. Ait esse

Quid ex Capreolo.

esse ratione præsidentiæ. at quæro quid producat ista præsidentia in Empyreo? si aliquid, assigna illud si potes: si nihil, ergo non erit ratio essendi in loco, sed erit solummodo præsidẽtia talis vnio, & applicatio propriæ essentiæ ad Empyreum. Rursus ad quid præsidet Angelus Empyreo? vtrum ad conseruandum, ad mouendum, aut influendum? at hæc non possunt ritè excogitari, vt dicemus.

Nõ per essentiam.

31 Vnde respondet Bannes esse in Empyreo ad influendum in Empyreũ: siuè ad temperandam influentiã Empyrei in hæc inferiora. At hæc absque fundamẽto dicuntur. & quidem influxus Intelligentiarum in Cœlos fit mediante motu, quem imprimunt Cœlis: at Empyreum non mouetur, non ergo influunt in illud. Rursus Empyreum adeo fuit à Deo completum, & perfectè conditum, vt ministerio minimè egeat angelico, vel ad id conseruandũ, vel fouendum, vel quidquam illi imprimendum: cæteri namque Cœli, Angelorum subsũt ministerio quoad motum ex Dei decreto: Empyreum vero Angelorum subesse ministerio motus, nemo docet. Item Cœli non recipiunt peregrinas impressiones: quorsũ igitur recipiet qualitatem aliquam ab Angelo Empyreum? quin potius soli influẽtiæ, seu manutenentiæ Dei est subiectum Empyreum: eoque magis decẽs erat, quo sedes est Beatorum, vt à solo conseruetur Deo, nihil prorsus Angelis in illud influentibus: tantoq; amplius, quo est sedes Dei.

Quid ex Bannes.

Empyreum an moueatur.

Angeli an aliquid in id influant.

32 Ferrariensis, & Caetanus respondent habere in id Angelos influẽtiam quandam; sed nobis omnino occultã: & per eam esse præsentes Cœlo. Responsio hæc est refugium miserorum: recurrere enim ad rationẽ occultam, est subterfugere argumentationem. sic namque patere poterit aditus ad plura ex nostro capite, etiam deliria fingenda, indeq; ea esse vera, at rationem rei esse occultam: quod si Ferrariensis, & Caetanus rationem hanc non norunt, vt quid cæteris suadere eam conantur vt veram, dum aliundè oculatis planè

Quid inuenit ex Ferrar.

Recurrere ad rationẽ occultã est refugiũ miserorum.

appa-

apparet esse subterfugium: loquimur autem in naturalibus, etenim de supernaturalibus habere fidem est actus virtutis: licet vero non omnium naturalium sciantur causæ, nihilominus sententię maiori authoritate, & fundamēto munitæ, inhærendum.

Quid ex Caet.

33 Caetanus tandē alium modum excogitat dicens, Angelos esse in Empyreo tanquā in beatitudine. At quæro, modus iste vel est actio transiens in Empyreum, vel immanens: non primum, sed secundū, quia beatitudo est actio immanens, vtpotè intelligendi, amandi, & fruendi obiecto beatifico: per immanentem vero non collocant Angelum in loco. Item Angeli ab initio non fuerunt creati Beati, sed beatitudinē inde post morulas adepti sunt: tunc autem quæro vbi erant Angeli? & quidē ex communi opinione creati fuerant in Empyreo, vt sup. disp. 1. q. 3. visum fuit. Demū potuisset Deus longo temporis decursu, ac longiori, conservari eos in Empyreo sine beatitudine prolongādo amplius, & longius stantum viæ. Confirmatur, quia posset ex nunc alios ibi creare, & facere, vt Ciuitatem illam incolant sine beatitudine, nulla namq; ad potentiam Dei implicantia, licet aliundè implicet, cum illa sit Ciuitas Beatorum, at virtus, & omnipotentia Dei non est alligata.

Nō per beatitudinem.

Christus ad Inferos descendit, quo modo ibi ex Ferrar.

34 Demum arguitur, Christus descendit ad Inferos: at non experiebatur adhuc, nisi motum illum descensus localis, quousq; eo aduenerit: non semper autem habuisse videtur ibi actionē transeuntem. Respondet Ferrar. fuisse ibi per operationem miraculorum. At quæro numquid toto illo tempore egit miracula? numquid omni momento, & semper? igitur perpatratis iam miraculis, quonam modo ibi aderat, cessante actione transeunte miraculorū?

Quomodo in Inferno Dæmones ex Ferrar.

35 Dæmones sunt in Inferno, animæ quoque damnatorum ibi: & animæ purgantium in Purgatorio: at quānam experiuntur actionem transeuntē? Respondet Ferrar. Dæmones experiri ibi actionem transeuntem, tanquam instrumentum Dei. At quæro numquid omnes Dæmones assumuntur ad actiones illas formandas? cum enim sint tot, & tot, forsasse non omnes occupabuntur in torquendis animabus damnatis: quo fit vt Dæmones alij nō sint ibi per actionem hanc transeuntē. Item ignis non agit in spiritum physicé materialitè, sed moralitèr vt instrumentum Dei: qua ergo ratione potentur actionem materialem producere, in animabus damnatis, cum illæ sint spiritus? Insupèr, prius cœperunt esse in Inferno Dęmones, quam animę hominum: etenim prius cecidit Lucifer cum Affeclis, inde decursu tēporis animæ hominum: at in illo priori quæro actionem transeuntem experiebantur illi tortores, & circa quos? animæ enim damnatorum tunc non aderant. Et si pauci, (saltim pro tunc initio sufficiētes fuissent ad torquendum) cur omnes implicatos, & detentos, aiunt in torturam damnatorum pro tunc animarum paucarum, penès mundi initium?

Nō omnes, nec semper actionē torquendo,

36 Hinc alij respondent Dęmones, & animas esse ibi, licet non per actionem, saltem per passionē, patiendo &c. vtique patiuntur ibi Dæmones, & animæ, vt de fide est: At passionem esse præcisam, & adequatam rationem essendi in loco, id aliundè constat non esse verum: & quidē animæ antiquorum Patrum iam purgatæ, quando erat in sinu Abrahæ, nihil patiebantur: & nihilominus scriptura ait, has verè fuisse ibi tanquam in loco: sicut & Angeli, siue in Cœlo, siue in aere, siue in corporibus obsessorum, siue in Inferis, tanquam in vero loco, ergo concluditur nec actionem, nec passionem, sed propriam, nudamq; essentiam esse rationem constituendi fundamentalitèr in loco.

Quid ex alijs,

Patres in limbo non per passionem,

37 Ex dictis, improbabilis redditur sententia dicentium, addendum esse Angelo modum aliquem superadditū, quo mediante sit in loco, & quo fiat præsens, & distans à loco, vt Vasq. disput. 188. cap. vlt. qui modus pendeat à voluntate ipsiusmet Angeli. Fundamēta cuius sententiæ esse poterunt, tum vt transeat de loco ad locum; tum vt fiat in maiori, vel minori loco: Verum cuprenēdum est quidam intelligatur per modum illum superadditum, vtrum aliqua entitas absoluta, an respectiua, de prima non constat, nec eam assignant,

Nō per modū superadditū à Vasquio.

[illegible] est quid imaginarium: [illegible] secundo [illegible] autem est [illegible] relatio: quam concedimus [illegible] spiritus ad corpus: [illegible] Angelo [illegible] de hoc [illegible]

Modus verus existendi in loco. 3 Modus tamen verus essendi in loco potest sic explicari, loquendo de [illegible] absoluta [illegible] alter [illegible] duplex erit modus essendi, [illegible] loquendo de [illegible] id est essentia spiritus: dato namque quod res sit in natura extra causas [illegible] statim erit in [illegible] supposito quod Deus creauit illam [illegible] Orbem [illegible] id commune est tum [illegible] spiritibus [illegible] Loquendo de secundo [illegible] ipsa voluntas Angeli, qua [illegible] applicat loco: & ab hoc ad aliud transit locum [illegible] & [illegible] sit in maiori vel minori loco. [illegible] non videntur [illegible] cogitandi [illegible] ctione. [illegible] potius in hoc, quam in alio vel maiori, aut minori sit loco: id namque dependet ab Angeli voluntate libera [illegible] [illegible] hunc, [illegible] locum [illegible] simpliciter essendi in loco, sit eius substantia: sicut [illegible] per essentiam sunt in loco ita & Angelus, [illegible] inferioris conditionis [illegible] non sunt [illegible] ad esse in loco.

[illegible] Alexander vero [illegible] per qualitatem [illegible] intelligat [illegible] Dei imperium, quo mediante [illegible] alicui [illegible] Angelus [illegible] ipsius [illegible] Dei [illegible] virtute [illegible] Vide sup. q. [illegible] disp. [illegible]

ARTICVLVS III.

Occurritur argumentis Articuli Primi.

Connexio Angeli ad locum, qualis. 1 AD Primum dicimus, Angelum ad locum, [illegible] quidem esse connexionem entitatiuam, cum sit alterius rationis, vtpote ille spiritualis, hic corporalis: esse tamen connexionem continuatiuam [illegible] mediante continuatur, [illegible] in loco: hoc vero contingit ex applicatione suae essentiae ad locum.

2 Ad Secundum, Angelus non dependet in bono, & conseruari [illegible] quapropter poterit esse, [illegible] per Dei potentiam, vt supra diximus absque omni loco: dum vero est in loco, [illegible] applicat se ad locum: est enim agens liberum, potens ad libitum huic, vel alteri se applicare loco.

Applicatio an sit operatio. 3 Ad Tertium non est in loco per quantitatem molis, sed virtutis. Cum [illegible] applicationem virtutis esse operationem, verum est loquendo de applicatione in actu secundo: at in actu primo [illegible] ab operatione, [illegible] essentiam, cum virtute applicatiua in actu primo. Dices applicatio ista est actus secundus. Respondeo est actus secundus, qui sit operatio, sed est actus secundus qui est ipsius essentiae ad locum [illegible] secundum, [illegible] quia essentia est prior.

4 Ad Quartum id prouenit non ex parte essentiae, vt probat argum. sed ex parte voluntatis angelicae, cui libitum est applicare se [illegible] ad locum maiorem, [illegible]

Spiritus vere per essentiam attingit corpus. 5 Ad Quintum, vere per essentiam [illegible] potest attingere [illegible] materialem, licet sit spiritualis: [illegible] rationalis, & spiritualis vere attingit corpus, quod informat, attingendo per veram ipsius vnitionem.

[illegible] Ad [illegible] propositio haec, [illegible] determinatiua loci, habere potest multiplicem sensum: primo [illegible] immediate absque operatione possit esse in loco: & hic sensus est falsus, vt constitit. Secundo, quatenus [illegible] magis de se possit esse in vno, quam in altero loco: & hoc verum, quia [illegible] est in potentia [illegible] ad locum: Tertio, vt non sit de se magis in maiori, quam in minori loco, [illegible] intra propriam sphaeram) & hoc quoque verum, quia potest a voluntate Angelis applicari in maiori, & minori loco intra eandem [illegible] propositio vera, & falsa [illegible] primo [illegible] substantia [illegible] ad fundandam rationem [illegible] in loco.

7 Ad Aristot. loquitur de esse in loco circumscriptiuè, quod substantijs abstractis, seu Angelis nullatenus conuenit; sunt autem vt dictum, definitiuè. Quod confirmatur ex eodem Philos. qui ibi, eo cap. 12. ait, *Futuros, qui Deos esse putant, idem Graeci, quàm Barbari, ipsi supremum locum Deo tribuunt*, & 4. phys. c. 1. t. 1. *Omnes ea, quae sunt, alicubi esse existimant: quod vero non est, nusquam est*: atque Cic. l. 1. Tusc. *Si apud Inferos nō sunt miseri, nec sunt idem apud Inferos* [illegible] *vbi sunt ergo ij, quos miseros dicis? aut quem locum incolunt? si sunt, nusquā esse non possunt.*

Patrum sensus de Angelo in loco.

8 Ad Damasc. iam declarat seipsum, ait enim, *vbi adest, & operatur*, ex quo prius collocat Angelum per essentiam in loco, & inde ait, ipsum operari in loco. nusquā enim id negat. Vel Secundo dicendum negare esse in loco ad sensum praedictum, circumscriptiuè, vt sic enim esse in loco modo intellectuali, opponitur modo essendi in loco circumscriptiuè, non modo essendi per nudam substantiam absque operatione transeunte, & extranea, de quo sup. quaest. 1.

9 De Nazianzeno, male citatur à Caiet. non enim ait esse in loco per solam operationem, immo per substantiam: dum vero docet esse abusiuè in loco, loquitur negando modum essendi ad instar corporū circumscriptiuè: ita de Nisseno, Patribusque caeteris, vt 1. quaest. diximus.

Angelus fore extra locum, an melius foret.

10 Posset denique quaeri, nonne melius foret, abstrahere essentiam nudam Angeli ab omni prorsus loco, quā statuere in loco? Videtur autem ita fore ratio, quoniam non indiget loco ad essendum simpliciter, etenim spiritualis substantia non pendet à loco, nec quoad fieri, nec quoad conseruari; siquidē conditiones & naturales proprietates loci competunt solis corporibus, ob quod aliqua potius in loco vno producuntur, conseruantur, alterantur, & pereunt, quam in altero, vt patet, *Nec enim omnis fert omnia Tellus*, propterea que merito talia exigunt locum, ac necessario expostulant: Cum vero locus non influat in Angelum, posset, iure separari sua nuda essentia ab omni loco. Dices, postulare quidem locum, quoniam sunt intra sphaeram localem Mundi: At ratio haec eludi potest, etenim Deus est intra Mundum, tamen nec circumscribitur, vt corpora: nec definitur loco Orbis huius, vt Angelus: Rursus posset per Dei potentiam, auferri, seu impediri circumscriptio, & definitio loci à corpore, & ab Angelo. Occurres, expostulare locum ratione operationis, & ministerij, quae sunt exhibenda in Orbe hoc locali; ita & ipse erit in loco: Verum dicis, at incidis hinc, in sententiam Thomistarum ponendo, ratione operationis in loco Angelum penitus, dum namque Angelus est substantia cunctis creatis nobilior, merito independenter collocanda venit per substantiam à loco: Deus namque, ante Mundi productionem erat in semetipso, absque omni loco: nunc vero & si sit vbique locorum, nō tamen indiget loco, nec dependet à loco: loci autem indigentia stat à parte nostrum, sicut & repletio, siue continuatio partium vniuersi ne detur vacuum, ad hoc, vt superiorum corporū influxus recipi valeant; virtusque Caelorum protendi vsque ad nos.

11 Haec licet ita se habeant, vt de possibili fieri possint, quae non implicant contradictionem, nihilominus nō propterea cessabit principale intentum, vt non repugnare se in loco per essentiam nudā absque operatione: Operationes namque, & huius generis, extrinseca sunt ad Angeli locationem, quibus semotis, nil minus esse posset localiter per essentiam. Ad illud autē de Deo ante Mundū, sicut ipse in Mundo, tunc non erat, ita & potuisset tunc Angelum creari, & nō fuisset in Mundo; sicut non defuit sententia taliter actum fuisse dicentium: quemadmodum, & posset nunc segregare eos, & conseruare extra Mundum: at intentum fuit, ostendere, non repugnare, esse posse per nudam essentiam, absq. operatione.

QVAE-

QVÆSTIO V.

Vtrum Angelus possit esse in loco quantumcunque magno.

DVrandus in 1.d.37.q.2.docuit, Angelũ esse vbique, & consequentèr in ordine ad magnitudinem non determinare sibi locum: vnde & poterit esse, secundum eum, in maiori hac maiori loco, & consequentèr in toto Orbe simul. Probat, ideo corpus non posse simul esse in omni loco, quia impeditur per alia corpora interiecta dum vult mouere, ex. gr. aliud distans corpus: Angelo autem nihil est impedimento, siue vt moueat, siue vt sit omnibus præsens. Item si non esset vbiq; sequeretur quod nõ posset incipere aliquod corpus mouere. Prob. aliter namque necesse vt prius semetipsum impelleret v. gr. ad locum illum, siue ad illud corpus, quod in tali distanti loco haberet mouere, talem autem impulsum sibi imprimere non videtur intelligibile. Insuper Angelus est virtus finita, ergo debet prius esse præsens in loco, antequam operetur in loco: at potest operari in omni loco, ergo erit simul in omni loco. Confirmari potest ex Hieron. qui contra Vigilant. ep. 53. exponens illud Ioan. *Sequuntur Agnum quocunque ierit*, ait, *si Agnus vbique, ergo & hi, qui cum Agno sunt, vbique esse credendi sunt*: Argumentum hoc deducitur à minori ad maius, etenim loquitur Hieronymus de Martyribus, quod si de his hoc dicit, multo amplius id fatebitur de Angelis.

Angelos vbique esse locauit falso Durandus

2 Vasq. 1. p. disp. 191. Scotum ait, in re hac fuisse dubium: quid vero de Scoto sit sentiendum, & vtrum dubius fuerit, patebit infra.

Impugnatur.

3 Circa Durandum autem in primis eius sententia explóditur ab omnibus Theologis & Patribus, ac Scripturis. Fundamentum primarium sit immensitas, quæ nullatenus cõpetit creaturæ, est vero solius Dei, vt t. 1. probauimus disputatione propria de Immensitate Dei: quapropter cum Angelus non sit immensus, nec quidem erit vbique. Item Scripturæ testantur moueri Angelos motu vere acquisitiuo, & deperditiuo: quod si in motu tali necesse est deperdi terminũ à quo dum acquiritur terminus ad quem extra quidem sphæram suæ activitatis, necesse est non simul esse in ambobus terminis, nec consequentèr vbique. Insuper Custodes Angeli nobis adsunt in terris, absunt enim à Cœlis præsentia corporali, quo fit vt non sint simul in Cœlo, & in terra. Assumptum inde probatur, dixit namque Christus Dominus Matt. 7. *Angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui in Cœlis est.* Quo ex loco non deducitur Custodes esse simul in Cœlo per substantialem præsentiam, sed per beatificam visionem: non præsentia physica, sed morali, & beatifica non sinquendo esse Beatos. Deducitur præterea Dæmones in Inferno degentes esse simul in Empyreo, sequitur hoc, etenim si ex Durando fundamentum existendi vbique est, quia possũt Angeli operari vbique, possent Dæmones, Cœlos mouere, si sineret ideos agere Deus, possentque aliquid, permittente eodẽ, operari physicè in Empyreo, si tamen id, posset ei cõtingere, prout fatebantur Caietanus, & Ferrar. supra citati: ergo simul essent in Cœlis, & Empyreo. Aristoteles item apposuit Intelligentias in destinata, & determinata parte Cœli: non autem in toto Cœlo. Quantitas virtualis Angeli ad essendum in loco proportionatur quantitati corporis ad existendum in suo loco: at corpus nequit esse in loco quantumcunque magno, nec vbique, ergo nec Angelus. Anima determinatur ad informandum corpus tantum, ac tantũ, non enim datur corpus quantumcunq; magnum, esset namque minus aptum tum ad operationes animasticas, tum ad informandum ab anima: licet vero Angelus non informet, tamen est ipse quoque finitæ entitatis, & virtutis. Neque Angelus extra sphæ-

am propriæ actiuitatis operari: at totus Orbis est vtique ei sphæra improportionata: quod si ab operatione colligimus virtutem, & si à tantitate operationis exigimus tantitatem virtutis, cum nequeat vbique, & indistans extra sphæram operari, nequibit simul extra propriam sphæram reperiri. Demum Chrysost. homil. 3. ad Hebr. *Angeli loca mutantur, & alia relinquunt, in quibus non sunt.* Ambros. l. 1. de Spiritu sancto c. 10. *Seraphim de loco ad locum transit, non enim complet omnia.* & Damasc. l. 2. c. 3. *Neque in terra versantur cum in Cœlo sunt, nec cum ad terram mittantur, in Cœlo manent.* Probationes aliæ petendæ sunt ex tradita disp. de Immensitate Dei.

Patrum sensus de loco Angeli.

4 Est tamen addendum, quandoque penes Patres videri collocatos Angelos simul vbique: at Patres continuo se declarant, siquidem Angeli adeo sunt veloces, & expediti in suis operationibus, vt videantur eodem prorsus tempore simul esse vbi possunt operari, ac consequenter vbique, talis est loquutio Tertull. apolog. c. 22. vbi ait, *Momento vbique sunt: totus Orbis illis locus vnus est*: at dum inquit, vbique sunt, id explicat ratione velocitatis, & expeditionis, non simultaneæ præsentialitatis, dixerat enim prius, *Omnis spiritus ales est, hoc est Angeli & Dæmones*. comparat ergo Angelos alitibus ac velocissimis auibus, vt ratione solummodo velocitatis dicantur quodammodo videri esse vbique. quod amplius, & clarius explicuit Nazianz. orat. 34. inquiens, *Omnia loca peragrant, omnibus vbique impigre adsunt*: At quomodo? subdit, *tum ob ministerij promptitudinem, tum ob naturæ leuitatem*.

5 De Durando autem dici posset loqui fortasse dubitatiuè, ac disputatiuè.

Motiua virtus Angeli determinatur ad tot, & tanta, quæ plura.

6 Quidquid tamē sit, rationes eius nō cogunt. & ad primam, vtique corpus impediri potest ab interiecto corpore: at de Angelo dicendum virtutē eius non esse infinitam, & consequenter posse tot, & tanta mouere, ad quot, & quanta se extēdit eius virtus finita: Deus autem nouit quāta sit virtus Angeli motiua: nos scimus nō posse agere extra sphæram suæ actiuitatis: virtus vero eius limitata, & finita in causa est vt possit, vel nequeat operari hoc, vel illud: in tanta, vel maiori distantia &c. Item licet non impediatur per corpora intermedia, impeditur tamen ratione propriæ essentiæ, & virtutis, quæ cū sit limitata, & finita, & non immensa, nequit esse vbique, nec extra sphæram suæ entitatis, & actiuitatis.

Deus nouit quanta sit.

7 Ad illud de impulsu, iam necesse est, vt semetipsum moueat applicando suam substantiam ad locum in quo nō est, ad hoc vt ibi stat præsens: talis vero ipsius motio, & rationabilis est, & impulsio, seu applicatio, absque contradictione, intelligibilis est.

8 Ad id de virtute finita, magis confirmat sententiam communē, etenim ideo nō est vbique, quia est virtutis finitæ. Cum vero deducit, opus esse vt prius se applicet ad locū conceditur (præscindimus autem à quæstione, vtrū possit agens operari indistans, de qua trad. disp. de Immens. Dei) talis vero applicatio fit ad definitum locum, non simul ad omnia loca, nec ad vbique, fit vero vbi velit præsens esse, vel vbi necesse fuerit vt sit præsens tanquam definitiuè in loco; id autem successiuè, modo in hoc, modo in illo loco, non simul ad omnia loca.

9 Ad Hieronymum, seipsum explicat; non enim loquitur de vbiquitate, sed de operandi celeritate, ad cuius proportionem videntur esse simul vbique: subdit enim, *Cum Dæmones toto vagentur Orbe, ex celeritate nimia vbique præsentes sunt.* sicut etiam Patres iam citati loquuntur.

Angeli ratione celeritatis videntur esse vbique.

10 De Scoto quid senserit, verum fuerit dubium. in primis dicendum Scotum soli Deo adscripsisse immensitatē, non tamen enti creato, cū sit solius Dei propria ipsa immēsitas, ita in 4. d. 10. q. 2. lit. K. vbi tamē subdit, posse illam communicari creaturæ: Ex hoc vero, docet apertè nullam creaturam esse in loco quantumcunque magno, & immenso seu vbique. & ita omnis dubietas de Scoto. Ad hunc quoque sensum trahunt eum omnes Scotistæ, quos disput. de Immensitate Dei q. 4. citauimus c. 1. Insuper in 2. d. 2. q. 6. idem apertè docet, dum asserentes posse Angelum fieri præsentē in loco quantumcunque minori in infinitum, deducit

Scoti sensus aduersus Vasq.

ad id

ad id inconueniens, quod nempe tales cogerentur concedere posse esse etiam in loco quantumcunque magno in infinitum, quod ipse aperte reputat falsū; ita ibi sub lit. I. item ibidem ait, *Conceditur communiter quod non potest esse in loco quantumcunque magno*, & rationem afferens subdit, *Quia hoc est proprium Dei*. Quod si infra sub lit. L. subdubie loquatur, id non ex proprio marte facit, sed disputando procedit, excutiens qualenam possit esse fundamentū essendi in tanto, vel maiori loco, vtrum propria essentia, an voluntas: cæterum aliunde constat aperte mens eius, quapropter non est dicendum cum Vasq. sententiam hanc dubiam.

Angeli cognitio in quantā distantiam ex Vasq.

22 Quod principale vero intentū quæstionis possumus aduersum ipsummet Vasquez discurrere, siquidem, loquens ipse de intellectu Angeli, ait, intelligere posse in quacunque distantia, quantacunque fuerit, quoniam distantia non impedit ipsum à cognitione intuitiua. Hoc autē supposito ab eo, cur non poterit consequenter, ad eius mentem, inferri, esse Angelum præsentialiter in quacunque loco, quantumcunque distanti ab hoc loco: similitudo namque, & paritas teneret; siquidē cognitio intuitiua requirit præsentiam obiecti, ne sit abstractiua: at per cognitionem est præsēs vbique per eum, cum per nullam distantiā impediatur, ergo nec implicabit, in sua sētētia esse vbique; Aduersariorum, & communiter opinantiū, vt infra suo loco tradimus, fundamentum est, ideo non posse, in quacunque distantia cognoscere, tum quia sit improportionata Angelo: tum insuper, quia esset extra sphæram sue actiuitatis; tum demum, quia, si posset in quacunque distantia, posset quoque in distantia infinita, at hoc est, solius Dei: ipse autem eludit hæc omnia, respondendo, quia nec improportionata esset, nec extra sphæram actiuitatis, nec sequeretur inde infinitas; Rationem, siue euasionem afferre posse, quoniam, ex distantia maiori, vel maiori non opus est, augeatur virtus eius, id enim contingit in corpore, non autem in spiritu, atque ita distando in infinitum, non inde infertur vis in cognoscendo, infinita: Hoc stante, pariformiter concludere deberet, esse præsentialiter per Essentiam in toto Orbe, & esset Orbis magnitudinis infinitæ, esse quoque actualiter in toto eo: Accedit, q. præsentia ad locū non addit, nisi respectum, extrinsecus aduenientem, locati ad locum. Dices, Nos quoque videmus oculis, & mente intelligimus remota à nobis, at non propter hoc, ibi præsētes sumus. Resp. esse disparem rationem, etenim distantia hæc non excedit sphæram actiuitatis nostri: dum vero ipse ait, nullam distantiam impedire Angeli cognitionem, nec etiam impediret eandem Angeli præsentiam ad totū Orbem. Confirmatur, dum sua essentia est spiritus, minimè defatigabitur in se, faciendo præsentē ad magnam distantiam, sicut ex opposito, defatigatur substātia corporalis. Dices etiam: Nos intelligere procul, & à longe, vt plagas orientales, Septentrionales, cæterasque maximè distantes. Respond. verum de cognitione abstractiua, sic enim intelligimus quoque supremum Cœlum Empyreum, imo spatia illa imaginaria, quæ extra Cœlos sunt: at intuitiua, nocimus non in tanta distantia: ergo à primo ad vltimum, vel Vasquez relinquat opinionem illam de cognitione, vel loquatur consequenter in præsentiarum.



QVAE-

QVÆSTIO VI.

Vtrum Angelus possit existere in loco quantumcunque minori, & minimo in infinitum.

1 DE loco maiori, & maiori in infinitum iam constitit non posse Angelum in eo existere naturaliter: nunc vero quaerimus vtrum possit saltem se collocare in loco minori, & minori diuisibili in infinitum. D. Thom. 1. p. q. 52. art. 2. existimat posse Angelum voluntarie se collocare in loco minori, & minori in infinitum intra sphaeram suæ actiuitatis: idem docet D. Bonau. in 2. d. 2. p. 2. art. 2. q. 3. Gabr. ibid. art. 3. dub. 2. Marsil. art. 2. Maior q. 9. Okam quodl. 1. q. 4. atque Caetan. caeterique Thomistæ ad locū D. Thom. ad quos accedit Suar. l. 4. de Ang. cap. 11. Vasq. 1. p. disp. 191. cap. 3.

2 Fundamenta autē hæc esse possunt: Primo Angelus potest se collocare in puncto: ergo & in loco minori in infinitum: Antecedens supponitur ex quæst. seq. & probatur consequ. plus est collocare se in puncto, quam in aliqua parte determinatæ quantitatis: Prob. magis distat punctus à quauis libet integra determinata quantitate, quam ab omnibus partibus intermedijs. Secundo potest Angelus operari in loco quantumcunque paruo, ergo & poterit ibi se collocare: Prob. antece. non repugnat ex parte effectus, nec ex parte virtutis: Prob. motus localis non determinat sibi locum quoad minimum ex 6. phys. ergo si potest ibi operari, poterit & ibi existere; paritas enim currit inter existentiam, & virtutem, vt si virtus eius extēditur ad locum quantumcunq; minimum, eius quoque existentia ibi se possit collocare. Tertio veriùs minimum non datur locus indiuisibilis, sed prorsus in infinitum diuisibilis, ergo in quolibet loco minori diuisibili poterit se collocare. Quarto in loco quocunque Angelus collocat se ad libitum suæ voluntatis; ergo poterit, si voluerit, in loco minori in infinitum se præsentare. Prob. consequ. nihil est, quod necessitet Angelum ad existendum in tanto loco, quia possit se in minori cōstituere. Quinto potest se colocare in parte prorsus indiuisibili, ergo & in parte omnino in infinitum diuisibili: consequēs sequitur; siquidē maioris virtutis videtur esse posse existere in indiuisibili, sicut est punctus, ergo minus virtutis exigitur ad existēdū in parte in infinitum diuisibili. Sexto Christus Dñs existit in tota hostia, & in qualibet minima parte hostiæ: immo si infinities diuiderentur hostia, & in qualibet in infinitum diuisibili parte posset conseruari Eucharistia, vtique in ipsa æquè bene existeret Christus: ergo similitèr Angelus in loco quantumcunque diuisibili in infinitum. Septimo in continuo adsunt infinitę partes, siquidem continuū est diuisibile in infinitum: Angelus autem existit in toto continuo: ergo & de facto existit in qualibet parte minima in infinitum.

3 Scotus in re hac est problematicus: ita in 2. d. 2. q. 6. vbi ait non videri posse facilitèr probari vnam partem magis, quam aliam: nihilominus inclinat magis se partem negatiuam, quam affirmatiuam: ita virtuosè exponunt Scotistæ, & eum, ita sequitur. Vasquez quoque inquit non posse ostendi repugnantiam quod queat existere in minori in infinitum: nihilominus tamen concludit non posse inferri id esse naturalitèr Angelo possibile. Sequitur Scotum Dion. Cisterciens. 2. dist. 2. q. 1. Scoti Problema.

4 Dicimus autem Primo, probabilem esse opinionem Scoti non posse existere Angelū in loco quantumcunque minori in infinitum. Probatur vero Primo ex 35. proposit. l. 1. Euclid. *Quidquid potest esse in vno æqualium, potest esse & in reliquo, si sibi finitæ sic sequatur.* Hinc deducitur, quod si potest esse in loco quantumcunq; minore poterit esse in loco etiam quantumcunque maiori in infinitum: probatur assumptum, ponatur Angelus in qua- Probabile Angelum non posse esse in loco minori in infinitum.

drato

drato quantumcunque paruo, tunc necesse erit vt possit constitui in quadrangulo illi æquali: sed quadrangulus potest constringi in infinitum, & ex tali constrictione fiet longior, ac longior in infinitum: ergo si potest esse in quadrato paruo in infinitum, collocari quoque poterit in quadrangulo longiori, ac maiori in infinitum: & hinc sequitur inferendum esse posse simul esse in Cælo, & in terra [illegible] atque esse in loco quantumcunque magno [illegible] extra sphæram actiuitatis suæ, esse denique in loco quantumcunque maximo, sed in loco infinito. Consequentia ista necessario infertur, probatur: nulla adest repugnantia ex parte quadranguli, quod probatur dupliciter, primo ex Euclide, non enim figuratio repugnat, [illegible] Angelus non est corporeus, quapropter cum non sit circumscriptiue in loco non repugnat sibi figuratio: Secundo ad hominem: dum [illegible] non repugnat ex parte quadrati, nec repugnabit ex parte quadranguli: [illegible] figuratio non obstat, nec igitur obstabit figuratio quadranguli. Accedit, infinitas quadrati non impedit, ergo neque impediet infinitas quadranguli. Consequentia magis declaratur: [illegible] quidem, ideo v.g. aqua non poterit esse in quadrangulo quantumcunque restricto in infinitum, quia si [illegible] quadranguli repugnat aquæ, est enim corporea, quæ commensuratiue est in loco, ac extensiue: Angelo non repugnat talis figuratio, cum sit spiritus, nec extendatur ad locum.

8 Respondet Caetan. Suar. Vasq. Euclidem loqui de corporibus, non de spiritibus: sed [illegible] in Angelis, qui non sunt commensuratiue in loco, [illegible] repugnare figurationem in Angelis. [illegible] & [illegible] quidem iam [illegible] est figurationem non repugnare Angelo, quæ tamen repugnat corporibus [illegible] non repugnat ex parte figurationis angelicæ, quæ nulla est, dum non sunt corpus, ergo non repugnat Angelo posse esse in quadrangulo longo per restrictionem in infinitum. Sequela hæc est manifesta, & necessaria; ratio namque quærum ex Euclide, tum ex ipsis, cur corpus, vtpote solidum lignum, & durus lapis non possit esse intra quadrangulum restringibilem in infinitum; est figuratio ligni, ac lapidis, eisque eorum durities, non enim sic coarctari poterunt, vt collocentur intra quadrangulum restringibilem in infinitum, & in causa est ipsorum quantitas, ac figuratio: talis autem durities, & solidities, sed quantitas non implicat ex parte Angeli, cum quantus, & corporeus non sit: quapropter sic, non sequitur exinde, potest sequi ex hinc, vt collocari Angelus valeat in loco maiori, ac maiori in infinitum.

6 Idem Caetan. respondet secundo dicens, aliud esse, vtrum possit Angelus esse in quadrangulo quantumcunque longo simpliciter: & aliud esse, vtrum possit fieri in quantumcunque longo respectu datæ magnitudinis: primum repugnat, quia esset infinitus simpliciter, & exiret extra sphæram suæ actiuitatis; secundum non implicat, quia esset intra locum determinatæ quantitatis. Sed & contra responsionem hanc, [illegible] aliorum impugnationibus, [illegible] argumentum [illegible] valde difficile [illegible] non est ad propositum, nec correspondet rationi [illegible]: non enim [illegible] possit, vt non possit existere in loco infinito simpliciter extra sphæram actiuitatis, de quo iam constat fieri non posse. Sed argumentum concludit, quod dum figuratio non repugnat, si potest esse in quadrato quantumcunque paruo, poterit esse & in quadrangulo magno in infinitum: ad hanc [illegible] debuisset directe respondere, & non respondet: quod enim [illegible] possit esse in loco infinito simpliciter, dum argumentum id infert, [illegible] concludit? vnde clare effugit vim, & [illegible] consequentiæ illæ ab argumento [illegible].

7 Ex hinc rursus arguitur, ex eodem Euclide habetur, quadrangulum bipedalem posse [illegible] in longitudine excrescere, quod excederet Cælum: hinc arguit [illegible] Angelus v.g. [illegible], manens intra [illegible] esse simul in Cælo, & extra Cælum, si ex. gr. collocaret se in quadrangulo bipedali excrescente, ex hypothesi Euclidis, vsque sursum ad ex-

tra Coelum: non enim figuratio repugnat [illegible], si potest esse in quantumcunque paruo, potest esse & in quantocunque magno iuxta longitudinem, saltem [illegible] Coelum, vel [illegible] Coelum.

[illegible] Item, suppositorum idem est iudicium, datur autem quadratus excrescens v.g. secundum paruitatem, siue; [illegible] datur quadratus diminutus, & [illegible] in infinitum secundum paruitatem, & per vos potest in eo collocari Angelus: ergo si daretur quadrangulus excrescens secundum magnitudinem in infinitum, posset quoque in eo consistere Angelus [illegible] consequentia non est maior ratio ibi, quam hic: ibi namque [illegible] infinitas, & hic infinitas: licet ibi [illegible], & diminuendo, hic [illegible] augendo, & excrescendo.

[illegible] Quod si infinitatem, (de possibili, & de hypothesi loquimur) negaueris ex parte quadranguli [illegible] & si non datur nec quadrangulus, nec figura aliqua [illegible] infinita: tamen Aristoteles [illegible] de quantitate [illegible] quantitatem per finitam, & infinitam: licet illam in actu, hanc in potentia: ex hac vero quaestio erit tantum metaphysica circa [illegible] at hoc non [illegible] metaphysicè quoque possit [illegible] vnde arguitur, potest dari quantitas infinita, saltem in potentia, ergo & quadrangulus infinitus, ergo posset Angelus existere in quadrangulo infinito. Insuper quod infinita quantitas non [illegible] (iuxta aliquos) non dari [illegible] quantitatem [illegible] corpori naturali, & physicè [illegible] physicè nec datur, nec [illegible] dari posset: at [illegible] quantitatem mathematicè, abstractam à corpore physico, [illegible] nec Aristotelis, nec Euclides [illegible] in infinitum [illegible] & Aristoteles quantitatem diuisit per finitam, & per infinitam [illegible]

[illegible] Probat Scotus principale intentum [illegible] quae est [illegible] est autem haec [illegible] in minori, & minori loco in infinitum, sequeretur [illegible] Angelum infinitae virtutis [illegible] oppositum [illegible] esse in loco maiori, & maiori in infinitum [illegible] infinitam virtutem [illegible] ergo [illegible] in [illegible]

infinitam virtutem. Respondent qui [illegible] id non indicare virtutem infinitam, quia posse esse in minori, & minori in infinitum pendet ex voluntate Angeli [illegible] applicantis essentiam suam ad locum. Contendunt nihilominus expositores Scoti id prouenire ex augmento virtutis: verum Scotus id firmiter non assereret: tum quia problematicè procedit, [illegible] ratio haec [illegible] ipsius non est demonstratiua, sed topica: [illegible] enim à Scotistis, cur Scotus de re hac dubitanter, & dubitatiuè loquitur, ideo, quia non habet rationes euidenter demonstrantes alterutram partem: igitur nec ratio haec ab ipso adducta erit euidenter demonstratiua: si namque efficax sibi visa fuisset [illegible] de quaestione dubius [illegible] loquutus fuisset resolutiuè: tanta namque est firmitas [illegible] quaesitum, quanta est rationis super quam innititur: & sicut ex qualitate, seu soliditate, vel infirmitate rationis colligimus minus solidam esse resolutionem quaesiti, ita ex solutione dubia, vel resoluta quaesiti colligimus dubietatem, vel solutionem rationis, super qua fundatur quaesitum [illegible] dubius fuerit in resolutione quaestionis, [illegible] rationes.

[illegible] Ex hinc Secundo dicimus probabile esse, posse Angelum consistere in loco minori, & minori in infinitum: haec non pugnat cum Scoto, qui, vt diximus, dubius est in hac re, licet in oppositum valde inclinet, [illegible] confirmant aliquae ex rationibus [illegible] oppositum ab [illegible] deductis, [illegible] licet [illegible] quoque sint solubiles, vt videbimus.

[illegible] Rationes vero [illegible] Euclydis [illegible] naturales facilè [illegible] quidem [illegible] [illegible] sed [illegible] ad Euclydem dicendum posse aliquem Angelum consistere in loco quantumcunque longo in infinitum [illegible] virtute sua, sed [illegible] quod posset, ratio iam est adducta, quia [illegible] quod vero [illegible] virtute sua id posset, [illegible] patet [illegible] nec infinitae

Probabile est posse esse in minori infin.

Euclides declaratum.

nitae

sitæ virtutis: quod tandem possit ibi esse per omnipotentiam Dei, id etiam constat, siquidem potest Deus conferre immensitatem creaturæ, vt tom. 1. disput. de Immensitate Dei probauimus. en ergo occursum rationi petitæ ex Euclide.

Angelo nõ repugnat ratione loci, sed ratione infiniti, esse in minori in infinitũ.

13 Ad rationem naturalẽ dicimus non repugnare absolutè Angelo, vt sit in minori in infinitum ea ratione, qua locus est, sed qua infinitus est: ratio deducitur ex inde, ex quo nulla creatura potest super infinito vt infinitum est; finiti enim ad infinitũ nulla est proportio: igitur numerum minorẽ, vt infinitum spectamus, vel quatenus minor, & minor est, vel quatenus affecta infinitate: primo modo non implicat, secundo implicat; infinitum namque reseruatur, & subiacet soli imperio, & potentiæ Dei, eo magis, quo Deus est omnibi, etiã in partibus minoribus, minoribusq; in infinitum: & hac ratione Scotus negat posse esse in minori in infinitũ; super infinito namque potest virtus, seu immensitas infinita, & hac caret Angelus. Proportionantur vero infinitas tum in maximo, tum in minimo; vt sicut illa subiacet enti infinito, seu potentiæ infinitæ, ita & minimum. Dum autem Scotus ait ad existendum in parua parte requiri virtutem aliquam; & ad existendum in minori requiri virtutem maiorem, atque ad existendum in minori in infinitum exigi virtutem infinitam, illatiuẽ infert hoc, spectata sola ratione infiniti, quia infinitum, cum super infinitum non valeat nisi ens infinitum: cæterum abstrahendo ab infinito vt sic, & contemplando partem minorem, & minorem eundo semper minorando, & demendo in minus, & minus, non negaret Scotus posse ibi Angelus se collocare.

Angelus potest esse in puncto, non tamen in partibus minoribus in infinitum.

14 Ad rationes vero in oppositum pro parte altera facile est respondere: & ad primam relictis responsionibus cæterorum facilius, & expeditius, sicut & verius, respondetur negando paritatem de puncto, & de partibus minoribus in infinitum; siquidem processus ad punctũ est processus ad aliquod determinatum, & finitum: processus ad partes minores, & minores est processus ad infinitum; potest vero Angelus se collocare in parte limitata, & finita, punctus namque est adeo limitatus, & finitus, vt nõ sit dabilis punctus minor mathematico, est enim indiuisibilis, Angelus autem potest esse in indiuisibili; partes vero illæ sunt diminuibiles in infinitum, potentia autem finita non valet exhaurire infinitum.

Angelus an operari valeat in loco quantumcunque paruo.

15 Ad Secundum de operari, dicimus quod vel loquimur de operatione Angeli immanente, vt sunt intellectio, & volitio: vel de corporea, & transeunte: primo modo nõ implicat operari, sic intelligere, & velle in quocunque loco existat, etiam minimo in infinitum; non enim à corpore adeo dependet, vt possit impediri; species enim intelligibilis potest ad Angelũ immitti etiam à qualibet parte minima in infinitum: eo magis id concedere habent negantes intellectum agentem in Angelo receptiuum specierum ab obiecto, licet namque obiectum illud paruum in infinitum non immitteret speciem, nihilominus per species sibi concreatas, vt aiunt, intelligere potest in illo loco paruo, & minori in infinitum. Illud Aristotelis intelligitur spectando motũ non physicè, sed mathematicè, nempè ea ratione, qua quantitas est, vel qua ratione physicus est: primo modo non determinat sibi locum ad minimum, quia quantitas diuisibilis est in infinitum: secundo autem modo determinat, & taliter, vt effectus physicus non possit recipi in quacunque parte locali minima, sed quæ possit recipere talem effectum, esset namq; locus improportionatus locato; nec enim deambulatio, & cõsimiles materiales effectus, vt agitatio, & cursus recipi possent in loco tam angusto, & stricto, vt incapax prorsus redderetur ad cursum, scriptionem, fugam, deambulationem, & huius generis.

Motus localis non determinat sibi locũ quo ad minimũ, declar.

16 Ad Tertium patet ex solutione argumenti deducti ex propositione Euclydis, posse ibi esse per potentiam Dei, non vero per virtutem propriam.

17 Ad Quartum, non sufficit imperium volũtatis, sed vltro requiritur potentia ibi collocans Angelum, quæ tamen non est in eo ad locum infinitum in deficiendo, ea ratione, qua infinitũ,

cum potentia finita nō valeat exadequare infinitum.

An virtus maior requiratur ad existendū in loco indiuisibili, quam diuisibili.

18 Ad Quintum, negatur consequ. Cum ais, maiorem requiri virtutem ad existendum in indiuisibili, quam in parte diuisibili in infinitum, negatur hoc, quia indiuisibile et punctum, est ens determinatum & finitum, propterea qui cadere potest sub Angeli potentia finita, collocando se ibi: partes vero tales tendunt in infinitum, at infinitum non cadit sub imperio, & potentia finita.

19 Ad Sextum, negatur quoque paritas, siquidem Christi corpus miraculose existit in tanta paruitate hostiæ, & per Dei potentiam posset cōseruari in qualibet minima parte diuisibili in infinitum: atque in parte in infinitū diuisibili; si ibi posset conseruari Eucharistia in qualibet namque parte est, at per Dei potentiam: Angelus vero naturaliter ex sui imperio se collocat in loco: at dum non potest exire limites suæ virtutis, determinat sibi locum minimum, quo in minori esse non possit: posset autem etiam ipse ibi esse, sicut & Christi corpus per Dei potentiam.

20 Ad Vltimum, iam partes continui non sunt actu diuisæ, sed potentia, quapropter non potest dici esse Angelum in parte actuali minori, ac minori in infinitum.

Qua ratione repugnat esse in infinitum in loco minori.

21 Difficultatem rursus disquiri amplius, magisque immorari circa quæstionis intentum: Et quidem quæri posset, quidnam opus foret Angelo, vt esse posset in minori in infinitum: virtutem expetenda ad hoc erit virtus aliqua maior in infinitum? minimè id videtur quandoquidem esse, seu constituere se in loco minori non adauget virtutē, sicut potius ex opposito, constituere se in sphæra maiori, virtutem accrescit, vnde maioris erit virtutis, ac potentiæ, idoque nobilior erit Angelus, qui in maiori sphæra se collocabit: at collocare se in minori, hoc est potiùs à virtute deficere, seu ab exercitio tantæ, maiorisque virtutis: patet id in corporibus, vbi corporeū agens, non potest semper ad ampliora, quia tanta virtute tam ampla: cum tamen deficiendo ab operari, non egeat virtute maiori, imo si minora operabitur, faciliùs id præstabit, & ita deinceps vsque ad minimum; vt de portante decem pondera, cui necessaria est virtus, vt decē: de portante viginti, necessariū est virtutis incrementum ad viginta, sicque de triginta, eundo in maius, quod si pondus decrescet, non erit opus augmenta virtutis, cū virtus minor sufficiat: tandemque minorari pondus poterit, vel attenuari, vt nullo negotio valeat illud, cum minimo virtutis suæ gradu mouere, asportare: Quod si hoc contingit in agente materiali, aliàs quidem defatigabili, cur non magis contingeret in Angelo, spirituali, atque indefatigabili? ergo non implicabit ex parte Angeli, quia ipsius illud non requirit de se virtutem maiorem, & maiorem ad essendum semper in loco minori. Dices, corpus idem, non sine defatigatione, & aliquali violentia, se facere in loco minori, & minori, imo tandem, si vltra in infinitum minorando se, procederet, deficeretur: experimēto conspicitur, dum namque corpus aliquod sub torculari comprimimus, restringitur quidem in seipso primitus, & inde secundo amplius, plus vero tertio, & quarto, at si vltro procedatur premendo, & supprimendo dum minorem locum occupabit in torculari tandem veluti debilitatum, exenteratum, attenuatum, & inane, interibit, vtique ineptum erit: Confirmatur, si namque velit quisquā corpus suum arctare, limitare, & constringere, adeo vt in paruissimo consistat loco, vel id impossibile foret, vel nō absque violētia fieri: fiet enim violenta corpori tali coarctatio, & restrictio: hæc quidē de corporibus quibus, quia corpora sunt, ob id, ea repugnant: at Angelus caret corpore, talibusque obstaculis, cur igitur non poterit in infinitum in minori se collocare loco.

22 Dices, id prouenire ea parte, qua iretur in infinitum: repugnat autem id virtuti finitæ. Sed contra. Ire in infinitum est via ad infinitum: omnis autem gradus talis viæ distat infinitè ab infinito, ergo eundo sic, non habetur assecutio adhuc infiniti. Confirmatur, non potest dari actu infinitum, ergo eundo sic, collocādo se in loco minori in infinitum, non est peruenire ad

infini-

infinitum? Rursus, nunquam perueniet ad infinitum. Item, non requiritur maior virtus, eundo ad minorem locum, vt dictum est. Praeterea, infinitas illa erit quaedam denominatio extrinseca. Confirmatur, cum Angelus collocando se semper in minori, ac minori loco, non tamen cogitet de infinito, quaero an poterit semper in minori se collocare? quid implicabit? cessabit namque ordo, & habitudo ad infinitum: vnde ergo colligitur talis repugnantia: etenim ex altero duorum capitū proueniret, vel infiniti, vel quia requireretur virtus infinita: vtrumque est explosum.

23 Rursus est continuum diuisibile semper in minora, & minora in infinitum: quod conceditur ab omnibus: Cur autem concedendum non foret, posse Angelū collocari in partibus illis diuisibilibus in infinitū? Demus enim quod actu incipiat diuidi, collocari ibi poterit Angelus: subdiuidatur inde in partes minores, collocari etiam poterit ibi? Rursus subdiuidantur in minores, nō implicabit, ibi collocari: ergo subdiuidendo illud in partes minores semper proportionales, in infinitum, vnde quaeso implicantia, vt ibi collocetur? Eo magis, quo partes illae, adeo erunt paruae, & minores vt minimè ipsarum locus censendus foret infinitus extensiuè, nō dicatur, infinitatem extensiuam impedire, vt sic enim locum haberet, quod esset extra sphaerā suae actiuitatis.

24 Item, constituamus corpus aliquod naturale ex vna parte: locum ex altera: & diuidatur corpus illud in partes minores in infinitum, similiterque diuidatur locus, seu minoretur semper in infinitum, posset ne corpusculum illud collocari in illo loco minori, annon: male negatur secundum supposito, quod sint adaequata, & figuratio non repugnet: ergo dandum primum: quod si de corpore hoc concedendum venit, amplius dici deberet de spiritu.

25 Haec, attenta natura rei procedunt, discurrendo metaphysicè, & attenta possibilitate: Caeterum de facto, quid dicendum? Videtur minimè ita se habere, & ratio stat, licet namque posset se ibi collocare, quaeritur, ad quid, seu quare id faceret? non videtur ratio, quae vrgeat: ergo. Item locus ille tam paruus, & minor in infinitum, non esset aptus, imo ineptus ad operationes plurimas transeuntes, puta ad spatiandum, si spatiari vellet: ad exequēda ministeria plura erga homines, & huiusmodi. *Dices*, occupat Angelus totā sphaeram suae actiuitatis, dum est ibi, tanquam in loco, & locus, seu superficies continet partes minores, & minores in infinitum, ergo in eis actu est: Responsio patet ex solutione vltimi argumenti: continet enim in actu existendi, non subsistendi: vnde infertur, nō actu ibi existere in partibus minoribus, subsistendi, sed existendi, quod idem est, ac esse ibi in potentia, non actu. De facto quid.

QVÆSTIO VII.

Vtrum Angelus possit esse in puncto.

1 OKam. quodl. 1. q. 4. Gregor. in 2. d. 2. cum Gabr. atque Marsil. Alensis 2. part. quaest. 32. mem. 3. D. Bonau. in 2. d. 2. art. 2. q. 3. & Bassol. q. 4. art. 2. atque Aegidius Rom. in 2. d. 37. 2. p. art. 1. q. 2. negant Angelū esse posse in puncto. Verum licet conueniant in assertione, discrepāt tamen in probatione. Et quidem Nominales ideo negant esse posse in puncto, quoniam negant in continuo puncta: quapropter frustranea videtur ipsis quaestio vtrū possit esse in puncto, dum nulla adsunt puncta: quaerendus namque, seu supponendus prius locus, inde vero disquirendum vtrum possit esse in puncto, vt in loco.

2 Aegidius id negat, eo fundamen-

to, quoniam Angelus est in loco per operationem: at in puncto nulla haberi potest operatio. D. Bonau. Alens. & Bassolius inde ducuntur, quoniam locus debet esse diuisibilis, punctus vero est indiuisibilis.

3 Pro omnibus autē arguitur, Primo, ad punctum, siue in puncto non potest esse motus: ergo non potest esse tanquā in loco: Prob. conseq. motus cum sit essentialiter successiuus non potest habere successiuitatem ex parte Angeli cū sit indiuisibilis: nec ex parte puncti, cum item sit indiuisibile, ergo non habetur vnde fieri posset motus: motus autem expostulat locum: Secundo, punctus non est quantus, nec est superficies: hinc autem infertur nō posse habere rationem loci, probatur sequela, locus namque est superficies corporis continētis &c. Tertio si potest esse in puncto, ergo poterit esse in Angelo, & ita Angelus in Angelo, & creatura in creatura; cum tamen hoc competat soli Creatori. Prob. esse in alio competit soli Deo per intimum illapsum, qui tamen illapsus nulli alteri competit, nec Angelo. Quarto si posset esse in puncto, frustratoriè ibi esset, Primo, quia non posset moueri in eo, vt est probatum: Secundo, quoniam nec posset ibi quidquam aliud operari, probatur, etenim punctum ob sui indiuisibilitatem non est capax subiectum receptiuum alicuius operationis, sicut nec informari potest forma aliqua impressibili, siue substātiali, siue accidentali, probatur, ad introducēdas formas istas praerequiruntur dispositiones receptibiles in materia informabili: at in punctum non possunt imprimi nec calidit as, nec frigiditas, nec color, nec huiusmodi, quoniam hæc requirit subiectum quantum, & extensū; ergo à primo ad vltimum, vel non poterit esse in puncto, cum nihil possit operari ibi, vel si erit ibi, vtique superuacanee erit. Quinto hinc sequitur, debere necessario, & semper esse in puncto, si posset esse in puncto: Prob. est de sui natura indiuisibilis, ergo naturaliter postulat punctum, tanquam locum proportionatum, & adequatum indiuisibilem.

4 Ex opposito autē censuerunt aliqui nullibi esse posse Angelum, nisi in puncto: ratio, quia cum ipse sit indiuisibilis, & punctus etiam indiuisibilis, potius adequabuntur in ratione loci, & locati: atque inferunt nusquam esse in loco diuisibili, cum ipsi sint indiuisibiles.

5 Dicimus tamen, Angelum posse esse in pūcto. Assertio absolutè admittitur à D. Thom. 1. p. q. 52. art. 2. & sequacibus: à Scoto tamen admittitur subdubie; est enim Scotus in re hac problematicus: ita in 2 d. 2. quæst. 6. inquiens, quod *Non videtur ratio necessaria, nec ad vnam, nec ad alteram partem*. Affirmatiuam tamen tenēt communitèr recentiores, atque Scotistæ in eam magis inclinant. Sequitur Caet. ad locum D. Thom. Ferrar. 3. contra Gent. c. 68. Capreol. in 2. d. 2. q. 6. art. 1. Rich. art. 2. q. 2. Valent. 1. p. d. 4. q. 3. p. 3. Molin. ad loc. D. Thom. Carthusian. 2. d. 2. q. 3. Bassol. q. 4. art. 2. Angelus si sit possit in puncto.

6 Probatur autem, si Angelus esset ens naturale, & non liberum, & rationis expers, atque indiuisibilis vt modo est indiuisibilis, esset vtique in puncto, seu nō tangeret corpus, nisi in puncto: patet, etenim indiuisibile naturale est necessario in puncto, tangitque in puncto: ergo quod modo sit ens intellectuale, & liberum nil vetat vt libere possit se applicare puncto, est namque indiuisibilis, vt possit applicare suam naturā indiuisibili puncto. Item nulla necessitas vrget Angelum vt semetipsum applicet ad locum extensum, & diuisibilem: ergo pro libito esse poterit, & in loco diuisibili, & in puncto. Insuper magis rationabile videtur collocare eum in pūcto, quam in loco extenso, spectando pure naturam, abstrahendo à voluntate, quia sunt ambo indiuisibilia, & adequantur.

7 Respondere poterit, indiuisibilitatem puncti esse diuersæ rationis ab indiuisibilitate Angeli: hinc vero fit, vt non mutuo sibi correspondeāt, nec nec adequentur. Sed occurritur inde sequi solummodo non necessitari Angelum esse in pūcto, at non obstat diuersitas rationis, vt possit pro libito se collocare in puncto: si namque spectaremus puram naturam Angeli, prout à voluntate abstrahentem, necessitaretur esse in puncto, quia iam non esset

ens

non liberum, sed naturale, enti autem naturali conuenit necessario modus essendi iuxta suam naturam si non impediatur; & vt sic necessario adaequatur, saltim in ratione indiuisibilitatis, & locationis ad punctum: verum quia supra puram Angeli naturam stat libertas, hinc pro libito suae voluntatis nil prohibet se posse applicare ad punctum.

8 Rursus, Angelus non est materialis, quantus, corporeus, extensibilis, ergo non necessario expostulat locum diuisibilem; quapropter pro libito erit in loco diuisibili, & indiuisibili. Praeterea, soli corpori competit non posse esse in puncto, cum sit quantum, & extensum, requirens necessario locum diuisibilem, & extensibilem: talis autem necessitas non est in Angelo. Insuper si punctus per se esset abstractus, & separatus a continuo non alium locum exigeret, quam punctualem, seu punctum; non enim posset extendi ad locum quantum, cum repugnet extensio suae naturae: quod si hoc competeret puncto ex necessitate suae naturae, magis competere poterit Angelo non ex necessitate, sed ex libito suae voluntatis, stante indiuisibilitate propriae naturae. Item corpus perfecte sphaericum non tangit planum nisi in puncto: & hoc debetur ob correspondentiam indiuisibilitatis puncti corporis sphaerici, vt tangat planum in puncto: consimiliter poterit id Angelus. Demum vnde prouenire poterit, vt non possit esse in puncto, vel ob impotentiam, vel quia nolit esse in puncto: non Primum, si namque puncto segregato exempli gratia, a continuo nõ deberetur locus nisi punctalis, & posset esse in puncto, cur non itidem posset Angelus cum sit & ipse indiuisibilis, collocare se in puncto: de Secundo autem, vtrum velit, an ne, id relinquitur suo arbitrio, id vero aestimandum, quod si voluerit, poterit.

Punctus an habeat rationem loci.

9 Cum hoc tamen addimus, puncto nõ competere rigorose, & propriè rationem loci: quoniam locus est de genere quantitatis, immo est quantitas; quia est vltima superficies corporis continentis &c. large vero id contingere posse, quatenus terminaret relationem praesentialitatis rei locatae ad ipsum.

10 Ad obiectiones respondetur, & ad primam dicitur à Scoto posse Angelum existentem v. g. in puncto mouere se à puncto ad continuum, cuius continui punctus est terminus.

Quantitas an sit de ratione loci.

11 Ad Secundũ respondetur quantitatem, seu superficiem esse de ratione loci circumscriptiue rem locatam: nõ autem de ratione loci simpliciter praesentialiter definitiue: Angelus non est primo modo in loco, nec ita esset in puncto, sed Secundo: quapropter sufficit punctũ posse fundare, seu terminare relationem praesentialitatis ad rem locatam. Vel Secundo concedi non propriè, & strictè habere loci rationẽ, sed latè, & impropriè.

Angelus an esse possit in Angelo.

12 Ad Tertium, Angelum esse posse in Angelo non implicat, non enim Angelus est quantus, vt impedire possit penetrationem dimensionum: Verum est tamen, quod non esset tanquã in loco, locus namque vel est superficies, & quantitas, vel aliquid de genere quantitatis, vt punctus: Angelus nec est quantus, nec de genere quantitatis, ergo nec haberet rationem loci: esset tamen alter in altero per mutuam praesentialitatem, non per locationem: & non repugnat illam haberi sine illa. Cum dicitur, esse per intimum illapsũ competere soli Deo: conceditur, *In ipso namq; viuimus, mouemur, & sumus*, ait Apost. act. 17. & vt sic non est Angelus in Angelo, nec enim Angelus creatur ab Angelo, nec conseruatur in suo esse ab Angelo, cum Deus sit, qui Angelos creet, & conseruet, ac potentiam habet eos annihilandi si placuerit, quanquam in perpetuum conseruabit: vt sic ergo non esset Angelus in Angelo per essentialẽ illapsum, sed per mutuam praesentialitatem. Dixi per essentialem illapsum, quoniam loquẽdo de illapsu accidẽtali, vnus illabitur in alterum prout superiores illabuntur in inferiores, illuminando, & docendo eos: quo autem praesentia erit maior, eo illapsus expeditius percipietur, exẽplo corporum, quorum alterum perfectius agit in alterum, quo ei vicinius: & anima, perfectissimè illabitur in corpus,

Angelus in Angelo an tanquam in loco.

An & Angelus in Angelo illabetur in eũ.

pus omnia ei præsẽs, & intima; licet autem exempla non sint vndequaq; ido nea, cum Angelus non sit anima alterius, nec informet, tamen quo præsentia erit maior, eo illuminatio expeditior, & clarior.

Angelus si esset in puncto, an posset operari.

13 Ad Quartum non esset frustra, quod vero possit, vel non possit operatio recipi in puncto examinabitur inn loco: etiam dictum est quid possit de, nuo &c. item per accidẽs est vt operetur, ad hoc vt sit in loco: quapropter poterit in eo esse absq; operatione, & si quid difficultatis contineret, expediant se alias Thomistæ, qui asserunt non esse nisi per operationem in loco: dum nos expeditius dicimus esse in puncto, esse sine operatione. Cum inquis superuacanee fore non operando. Respond. ita fortè posset placere Angelo se collocare in puncto, nihil operando in eo: Vel id agere posset vt ostentaret potentiam suam, quæ tanta est, vt possit, etiam se collocare in puncto, atque indiuisibili loco. Ex quo amplius apparere faceret differentiam inter Angelos, & corpora, vt hæc requirunt extensum locum, illi hoc non egeant, sed possint se constituere in indiuisibili loco. Vel ad ostendendam amplitudinem suæ libertatis, vt possint pro libito se collocare etiam in indiuisibili loco.

Angelus an necessario in puncto.

14 Ad Quintum nulla sequitur talis necessitas; tunc vero id sequeretur, quando Angelus esset agens naturale, & non liberum, quemadmodum punctum si per se esset, segregatum à continuo, necessario esset in puncto, veluti adæquato loco: at quia Angelus est agens liberum, pro libito se collocaret, & voluntariè, quotiescunque placuerit, in puncto.

15 Ad illud pro parte opposita, quod necesse sit, esse semper in puncto, ratione adæquationis indiuisibilis ad indiuisibile; concluderet, si Angelus esset ad instar entis naturalis, carentis libertate, & ratione: vt de puncto separato à continuo est dictum: cum vero liber sit, poterit præsentialitatem substantiæ suæ applicare loco indiuisibili, & extenso, vt placuerit.

16 Aduersus tamen insurgitur, si-[illegible] quidem coarctaret substantiam suam ad punctum, siue restringeret eam ad locum punctualem. Occurres non coarctare, quoniam cum sit Angelus indiuisibilis, punctusque etiam indiuisibilis, erit sibi adæquatissime, æquè bene, & adæquatè. Contra, quia est agens liberum, nõ arctatur ad punctualem, & indiuisibilem locum, sed potest in maiori, ac extenso se collocare loco; ergo, saltem tunc, substantiam suam extendet, ad extensionem loci. Difficultas hæc non magis vrget hãc quæstionem, quam plures alias de loco Angelorum, præcipuè, vtrum esse possit intra locum suæ sphæræ, absque quod sit in tota sua sphæra, & qualiter, & quomodo id faciat: respectiue quoque possit ad quæstionem alteram, an possit simul esse in pluribus locis, extra sphæram per potentiam Dei; & dato, quod Deus id faceret posset cum, quomodo simul esset in Cœlo & in terra, absque expansione, physicaque dilatatione, seu distractione Essentiæ suæ, sicut de Christo Domino in Sacramento Altaris: & quidnam acquiratur per huiusmodi præsentiam ad talia loca: quæ omnia ibi &c.

Angelus si esset in puncto, an coarctaretur in illo.

17 Sed esset, ne dicendus punctualis? minimè, nisi denominatione extrinseca. Non quidem intrinseca, etenim punctus est accidens, Angelus substantia: punctus spectat ad genus quantitatis, Angelus ad genus substantiæ: sicque de pluribus eorum differentijs: extrinseca tamen, ratione, quæ collocaret in puncto; vnde dicemus substantiam punctualem: qualitatem punctualem, lucem punctualem, si esset in puncto, ergo idem de Angelo.

Angelus si in puncto, an punctualis.

Sicut lux punctualis an ita & Angelus punctualis.

18 Verum, hoc de Angelo non nisi valdè impropriè diceretur; propriè quidem dicimus, lucem punctualem, substantiam punctualem, & huiusmodi, non autem in rigore de Angelo, ratio quia illa sunt diuisibilia, vt substantia corporalis, qualitas corporalis, propterea que diuisibilitas poterit vsque ad punctualem, (*ad sensum tamen*) pertendi. Angelus vero & anima, quæ spiritus sunt, carent diuisibilitate. Dixi, *ad sensum*, quandoquidem

etiam & si, mathematicè procedendo posset aeternùs diuisio, vt nunquam deueniretur ad verum punctum mathematicum, nihilominus diuisio physica non tantum vltra procedit, alias res ipsa diuisibilis sic physicè potius dissiparetur per tot diuisiones, nec caderet sub sensu, igitur potius dicimus locum punctualem, quam Angelum punctualem: nihilominus exercere potest, attento loco punctuali, in quo Angelus esset.

QVÆSTIO VIII.

Vtrum Angelus possit se eximere ab omni loco.

1 QVaestio nō est magni momenti, nec valde disputabilis. Fuit autem opinio Aegidij praeced. artic. allati, Angelum necessario aptari in ordine ad locum: quo stante infertur, eū necessario exigat locum, & consequenter minimè eximere se posse ab omni loco. Assumptum probant, siquidem Angelus spectat ad complexum Orbis, nam esset imperfectus Orbis si careret Angelis; complexum vero postulat Angelos, necesse est eos habere locū in Mundo. Probari etiam potest, quoniam caelestia lumina mouentur ab Angelis, quo fit, vt dum mouent, sint vtique necessario in loco: Dā oppositum, quod non mouerent, proinde cessarent influxus in mundum, atque ex Philosopho periret generatio, cessaret corruptio, atq; motus in his inferioribus. In hanc sententiam citantur etiam Alens. 2.p.q.31. m.1. D. Bonau. in 2.d.2.p.2.art.2.q.1. Richar. in 2.d.37. art.2.q.1. & Albert. tract.1 5. quaest.73. art.2.m.4. at hi loquuntur potius de facto, quam de possibili: Absolutè tamen negat Molin. quaest.52. artic.1. & Valent. 1 par. d.4. quaest.3. par.2.

Angelus potest se eximere ab omni loco.

2 Nihilominus dicendum, nullam esse implicantiam Angelum posse se eximere ab omni loco. Probatur: potest Angelus exire extra omnem ambitum Caelorum, ac totius mundi, & se collocare in spatijs illis imaginarijs: tunc autem esset extra omnem realem locum. Item id nullam implicantiam dicit, quoniam Angelus non eget corporeo loco, nec vt creetur, nec vt conseruetur. Patet Primum, quia à solo Deo creatur, ad creationē vero nulla creatura concurrit, nec vllus locus, cum fiat de nihilo: & probatur Secundum, nam solum corpus est illud, quod ad sui conseruationem indiget loco; etenim influit in locatum locus, per qualitates conuenientes, ac proprias particularis loci, conseruando, siue alterando, vel corrumpēdo locatum: Angelus vero nō est subiectus huiusmodi qualitatibus, nō enim corpus agit in spiritum, ergo absolutè nō indiget loco. Insuper si egeret loco, vel id esset rōne essentiae, & substantiae suae: vel ratione operationis: eaque vel esset immanens, vel transiens, at nullum illorum, ergo. De Primo est iam probatum: de Secundo, vtpotè de operatione immanenti non eget loco, intellectio namque, & volitio non pendet à loco: si enim extra mundum existeret, atque bene posset, saltim abstractiuè, intelligere cōtenta intra mundum: & si nos intelligere, & velle possumus, quae à nobis distantia sunt loco; multo amplius id intelligere poterit Angelus, cū sit in intelligendo expeditior, vtpotè non dependens à sensibus. De operatione quoque trāseunte, vtpotè de motu circa corpora, id necessarium non est, nulla namq; staret omnino necessitas, si extra mundum sisteret, mouendi corpus, siue quid agendi circa corpora: eo magis, quia de facto, licet aliqui occupentur circa motum Caelorum, tamen non omnes mouent Orbes, ergo & extra Caelum nulla staret necessitas operandi trāseunter in ordine ad corpora: quapropter et sic, non implicabit esse extra omnem locum. Denique id militat etiam in sententia D. Thomae, si namque Angelus est in loco per operatio-

rationem, poterit nullibi operari, & ita in nullo erit loco. Assumptum probatur poterit nõ operari in hoc loco, poterat non operari in illo, & illo loco, & sic de singulis, ergo poterit in nullo operari loco, sicque erit absque omni loco.

3 Hoc tamen cum inspectione potentiam absolutam Angeli, siquidẽ quantum est de se posset, si vellet, constituere se extra omnem sphæram, atq; stare absque omni loco. Est Scotus in 1. d. 37. quæst. 6. F. & ibi per passim, D. Thom. in 1. d. 37. q. 3. art. 1. Capreol. 2. d. 2. quæst. 1. art. 1. Vasq. 1. p. d. 185. num. 26. & 27. & Caietan. ac Ferrar. 3. contra Gent. c. 68. quatenus nullibi operando, nullibi esset, dum aiunt esse in loco per solam operationem.

De facto sẽper est in loco. 4 Dicimus tamen vltro, quod loquendo de facto Angelus semper est in loco. Doctrina est certa, & patet ex scripturis supra recensitis collocantibus Angelos intra Orbem, siue in Cœlo, siue in terra, siue in Inferis, de quo supra q. 3. per totam, & alibi disput. 1. suadetur autem Primo, quia Angeli spectant quam maximè ad perfectionem Vniuersi cum sint nobilissimi ex creaturis: talis vero perfectio tolleretur, si nõ haberent locum intra Vniuersum. Item Vniuersum constat ex creatura corporali, & spirituali: at partes debent reperiri de facto, & actualiter in toto constituto: licet vero non sint Angeli partes informantes, sunt tamen assistentes ipsi Vniuerso ad conferendum sic nobile esse Vniuerso. Insuper pendet ab ipsis Vniuersũ, etenim Cœlorum motus pendet ab Angelis: productio tot, tantorumque effectuum in sublunari Vniuerso pendet ab influentia Cœli: ea autem habetur per motum. Rursus custodia Regnorũ, Prouinciarum, Vrbiũ habetur per Angelos ad id specialiter à Deo destinatos: sicut & custodia hominũ exercetur itidem à Sanctis nostris Angelis Custodibus. Denique tot legationes quas expedit supremus Moderator Deus, funguntur iidem Angeli penes homines, varia nunciando, præcipiendo, docẽdo & huiusmodi, vt patet ex scripturis: ad hæc vero peragenda requiruntur esse in Vniuerso tanquam in loco. Præterea in Empyreo sunt Angeli, tum vt Deo fruantur, tum vt cum animabus Beatis associentur, tum vt Deum laudent, tum deniq; vt ipsi Deo assistant.

5 Sed si Angelus v. g. appeteret exire aliquando extra sphæram Vniuersi, & spatiari per spatia illa imaginaria, verum impediret illum Deus? Resp. id posse quidem appetere vt aliquando velit ibi spatiari: attamen nõ posse ritè appetere esse ibi semper: probatur. Secundum, quoniam eximeret se à lege Dei, qua Deus statuit Angelos esse intra Vniuersum ob commune bonum ipsius Vniuersi: ergo nõ possunt legitimè appetere esse semper extra Vniuersum. Sed quid si pro aliquando appeterent, negaret illi Deus? Angelus nõ potest appetere esse semper extra Vniuersum.

6 Respond. quod aut loquimur de bonis, aut de malis Angelis: si de bonis, ac Beatis, vtique id dicendum est, Deum non negare Beatis eorũ id quod petere, & desiderare rationabiliter poterunt, testante Scriptura, *Replet in bonis desiderium tuum* Psalm. 18. & Boet. 3. cons. *Beatus est qui habet quicquid vult*: quapropter non videtur contradictio, hoc ibi præstare, dummodo vel ad tempus postulet, & nõ perpetuo: & nõ vergat in damnum Vniuersi, si fortè Angelus sit de numero eorum, qui speciale ministerium exequuntur in Vniuerso, siue Cœlos mouendo, siue homines custodiẽdo &c. cessãte namque assistẽtia, cessaret motus Cœlorum, & custodia hominum, & ita pateretur Vniuersum, nisi tamen Deus poneret alium in locum illius: at loquendo de iis, qui hoc, vel huiusmodi munere carent, nulla esset implicantia, nullo imminente damno Vniuerso. Si vero loquamur de malis, asserendũ potius impediri ab hoc eorum desiderio; ratio quia ex Dei lege punitiua stant ibi, vbi destinati sunt à diuina Iustitia: vnde & virtus eorũ motiua ibi arctatur, vt nõ extendant se vltro, quam statuerit Deus. Item quoniam indigni sunt vt hac, vel minima quaque satisfactione consolentur, dum perpetua tristitia, ac mœrore damnantur. Item, dum Angeli Beati, destinati sunt ab beatitudinem, cumque locus Beatorum est Empyreum, nequaquam Deus, de lege ordinaria, concederet eis perpetuo commorari An cõcederet illis Deus, si id appeterent.

morari extra illud: ideoq; Paulus Beatos homines appellat *Ciues Sanctorum, & domesticos Dei*. & iterum, *Accessistis ad Ciuitatem Dei viuentis Hierusalem cælestem, & ad multorum millium Angelorum frequentiam*: Sicut vero beati homines, ita & Angeli mutuo fruuntur consortio in Empyreo: Posset tamen aliud fieri.

Angeli an appetant exire ad spatia imaginaria.

7 Dices, si bonos exire aliquando ad spatia illa sineret Deus, quam quæso oblectationem sumerent Angeli boni: ad quid ergo tale possibile desiderium in eis? Resp. non dicimus absolutè eos id appetere, nescimus enim vtrum id appetant: & fortasse magis dicendum est non appetere, quam appetere; etenim peroptimè norunt magis quam quiuis peritissimus Philosophus quidnam ibi sit, vel non sit: & quidnam sint spatia illa imaginaria: si namque Theologi de spatijs illis aliquando loquuntur, melius ea norunt Angeli, & si ibi v. g. nusquam fuerint, vnde nō est necesse id appetere. Verum loquimur ex hypothesi, dato quod appeterent, & non impediret Deus: ad quidnam deseruiret talis appetitus? Respond. ad oblectamentum, quod insumerent de libertate sua, eundi v. g. quocunque voluerint: & de potentia motiua, quæ tanta in eis est, vt possint etiam extra mundum se transferre, si voluerint: non parui oblectamenti esset in homine libero eundi quocunque placuerit, sicut ex opposito tristitia magna est detruso in carcere non potenti inde exire, & ire quo maluerit: ita malis contingit Angelis, vt potentia eorum motiua arctata sit à diuina iustitia, veluti in carcere detrusis: bonorum vero motiua facultas vtique annuente Deo, libera sit eundi quo placuerit: hinc ergo oriri posset accidentale bonis Angelis oblectamentum, vel aliundè, vt diximus: Ceterum, ratione loci illius, oblectamentum esset nullum, nam loca illa non sunt vera, & realia, nihil ibi est à parte rei: totum est imaginarium, ac fictitium, non ergo hinc oblectamentum, sed vt diximus,

An oblectarentur eundo illuc.

8 Ad fundamēta Aegidij dicimus, & ad Primum, negādo, necessario operari transeunti operatione ad locum, cum liberè operetur, & possit abstinere ab operatione ad locum. Ad cætera, loquuntur de facto, non enim de facto id aduenit, non concurrente, nec permittente Deo vt ab omni loco se eximant, tum ob laudem Dei, tum ob commune commodum Vniuersi, tum ob reuerentiam, tumque ob capita alia, ac facilè adinuentabilia.

QVÆSTIO IX.

Vtrum Angelus poſsit ſimul eſſe in pluribus locis adæquatis.

Loca adæquata, & inadæquata quænam.

1 DE duobus locis quæritur, tum de adæquatis, tum vero inadæquatis: Prima sunt, quæ potentiam, sphæram, & actiuitatem Angeli, tum in coexistendo ad loca, excedunt; tum in operando. Secunda vero, quæ minimè superant, sed intra actiuitatem, & sphæram continentur Angeli ipsius. Hæc insuper loca inadæquata, vel sunt continua, siue cōtigua, intra tamen sphærā actiuitatis, vel excedunt eam. De singulis est discurrendum, eliciēdo, quæ apparebūt veriora.

2 In primis vero an possit propria, ac naturali virtute existere in pluribus locis adæquatis, est sententia communis negatiua: ita Scot. in 2. d. 2. quæst. 7. Bassol. quæst. 4. art. 3. Gabr. Greg. Arim. cæterique Sententiarij ibidem. Item hoc supponunt Alens. 2. par. quæst. 32. m. 2. Albert. 1 par. tract. 18. quæst. 73. art. 2. 3. Thomistæ ad 1 par. quæst. 52. artic. 2. &c. de Scoto autem, & Gabriele obseruandus est modus loquendi; Scotus enim §. in illa quæst. ait, *probabile videri non posse Angelum natura-*

Negat simul esse in pluribus locis adæquatis.

li virtute, se in duobus locis collocare, quorum vterque sit sibi adęquatus secundum vltimum potentię suę. idemque habet Gabriel. dum vero aiunt, *probabile videri*, non exinde existimandum est, quod velint etiam oppositum esse probabile; quandoquidem ex tali modo loquendi insinuant quid dicendum sit de hac parte, non autem per hoc, (nec quidem tacito) insinuare intendunt probabile esse oppositum.

Adęquatus dicitur etiã aliis nominib. 3 Locum hunc adęquatum, Scotus sic appellat *adęquatum*; quo loquẽdi modo vsi fuerunt ex antiquis. Gabr. Gregor. appellant, & modo recentiores communitèr vtuntur. Ferrar. 3. contra Gent. cap. 68. *§. ad euidentiam*, & Caetan. vocant etiam, *locum totalem*. D. Bonau. 2. d. 2. part. 1. quęst. 2. art. 2. Richar. 1. d. 37. artic. 2. quęst. 3. Molin. ad loc. D. Thomę, nominant *maximum*. locus ergo de quo nũc quęrimus, est locus adęquatus, totalis, & maximus, iuxta variam nominationẽ Doctorum: totalis autem, & maximus appellatur, nõ simplicitèr, & absolutè, sed in ordine ad virtutem Angeli, propterea que Scotus appellat *adęquatum, secundum vltimum suę potentię*.

4 Facilis tamẽ est probatio, si posset in pluribus esse adęquatis, sequeretur posse esse in toto Orbe, intra enim Orbem sita essent illa loca plura adęquata. Item dato, quod totus Orbis esset locus vnus sibi adęquatus, posset quoque esse simul, & in toto Orbe, & extra Orbem in spatijs illis imaginarijs: at de solo Deo dicitur, Olee 4. *Cœlum, & terram ego impleo*: ergo Angelus quoque impleret totum Orbem. Esset insuper inde immensus. Prӕterea, esset simul, & simul non esset in loco adęquato: probatur, esset quidem in loco hoc v. g. qui dicatur sibi adęquatus: dum vero in altero collocaretur loco adęquato, iam constaret, locum illum primum non esse adęquatũ. probatur, locus adęquatus est ille, qui adęquat totam virtutem locati, ita vt non possit extra illum, simul esse alibi: ergo si esset extra illum, iam nõ esset in illo, tanquam in loco adęquato, sed inadęquato, & ita esset simul in loco adęquato, & inadęquato, adęquato quidẽ ex suppositione, inadęquato tamen,

quoniam extra illum posset esse alibi: at est communis sensus, quod quandocunque locatum hic v. g. potest simul esse extra hic, iam locus primus non erit adęquatus. Rationes alias congerunt Doctores, at non est discrepantia de hoc. Accedit Damascenus, & Didymus, de quo infra.

5 An autem diuina virtute posse id fieri, negat Gotfredus quodl. 12. asserens Angelum, quacunque virtute non posse collocari simul in pluribus locis. — An de potẽtia Dei se possit in pluribus adęquatis.

Rationes sunt hę sunt: Prima, Angelus existens in vno loco, non potest acquirere simul alium locum, nisi vel ipse moueatur ad illum locum, vel locus ille accedat ad primum locum, in quo Angelus est: si Angelus moueatur ad alium locũ, ergo necesse est, vt deperdat priorem locum. Prob. quia termini motus sunt incompossibiles: si vero locus accedat ad locum, iam nõ erunt duo loca, sed vnus, ex duobus namque illis vnitis fiet vnus, ergo non erit, nisi in vno loco. Secunda, duo illa loca aut sunt inuicem contraria, sicut sursũ, & deorsum; aut eiusdem rationis vt duo sursum: si Primum, ergo contraria simul: Si Secundum, ergo duę formę solo numero differentes, erunt in eodem subiecto. Tertio, sicut se habet prius, & posterius in tempore ad rem temporalem: ita se habent ante, & post, ad rem locabilem: at illa non possunt esse simul, ergo nec ista. Quarto, id, quod conuenit alicui ratione suę propriӕ limitationis, non potest per quamcunque potentiam, tolli ab eo, nec oppositum sibi conferri: at esse in vno tantum loco competit Angelo ratione propriӕ limitationis, ergo nec per Dei potentiam poterit collocari in pluribus locis. — Negat Gotfred.

6 Sententiam istam Bassolius vbi supra appellat *falsam, & periculosam*. Quam etiam vniuersi Theologi, tanquam omnino falsam reijciant. Pręcipuè vero reijcitur argumento illo efficacissimo sanctissimę Eucharistię: vnde arguitur, non magis coarctatur Angelus intra fines, & terminos loci quam corpus: sed corpus Christi Domini in Eucharistia, per diuinam potentia n est simul in pluribus Templis, in pluribus Aris, in pluribus hostijs, imo in — Potest fie-

vna-

vtraque parte hostiæ, ergo similiter per Dei potentiam poterit in pluribus Angelus collocari locis.

7 Gotfredus respondet; Corpus Christi esse ibi non per se, siue non gratia suæ præsentiæ, sed per conuersionem panis in ipsum: quod patet, quia corruptis accidentibus, desinit esse Christus ibi. Contra, licet initiatiuè, seu originatiuè, siue causaliter, spectando .s. causam materialem, corpus sit ibi per conuersionem panis, nihilominus perseueranter, siue spectando perseuerantiam, & continuationem præsentiæ Christi in Altari, talis præsentia non cõtinuatur ibi per conuersionem, ait Scotus, nam cõuersio iam transijt, & non est; est autem ibi post conuersionem Christus, ergo erit ibi formaliter per præsentiam sui ad species: Vnde formatur aliter ratio, nihil est in aliquo loco formaliter per id, quod nõ est formaliter in eo: at conuersio nunc non est, quia iam facta fuit, & preterijt, adest tamen Christus in hostia, ergo nõ perseuerat per conuersionẽ, quæ actualiter fiat, quia iam facta fuit, sed per propriam præsentiam ad species. Conuersio quidem panis fuit origo, & causa materialis, vt Christus initio fieret præsens: at facta iam panis conuersione, cõuersio nõ fit amplius tñc, facta enim fuit semel, & tamen Christus ibi perseuerat. Contra, ex Arist. Genitum est vbi fuit corruptum. Respondet Scotus in 4. d. 11. q. 2. *ad argumenta*, inquiens, *dico, quod ideo ibi est, quia materia manet communis, quæ in generatione non mouetur localiter, & per consequens ibi recipit formam, vbi est*. Contra, Materia non est ratio essendi in loco, sed quantitas, non autem manet eadem quantitas in genito, & corrupto. Resp. etiam materia de se esset in loco, nempe diffinitiuè, si sola staret: quantitas vero est ratio essendi circumscriptiuè. Contra, terminus conuersionis debet esse vbi præfuit conuersum, & ex vi conuersionis, ergo Angelus esse alibi simul, ex vi solummodo alicuius cõuersi in ipsum, ergo negata tali conuersione, non esset simul hic, & ibi, Scotus d. 10. q. 2. supra lit. E. respondet, inquiens, *Credo, quod quod propositio illa sit falsa*. & citata d. 11. ibidem ait, *Ad secundum dico, quod & si quantitas panis conuerteretur in quantitatem corporis Christi, non tamen propter hoc, corpus esset hic, vel eius quantitas, ex vi conuersionis*. & d. 10. q. 2. lit. E. sic scribit, *Nec valet aliter, quod est hic per conuersionẽ alterius in ipsum, quia conuersio alterius in illud, non est ibi formaliter ratio essendi hic: quod patet, quia transeunte conuersione, manet terminus conuersionis hic*. Concludens vero internum de locis, tum de corpore quocunque, tum de Angelis, subdit, *Ergo sine aliqua contradictione potest alicui conferri esse hic, sine conuersione alicuius alterius in ipsum*.

8 Insuper aliunde. Et si natura finita, qua finita, non possit in aliquod excedens vires suas: poterit tamen ea ratione, qua est in potẽtia obedientiali ad suum Creatorem: vnde graue sursum; leue deorsum, & si nõ propria facultate diuina tamen virtute, poterit collocari, cuncta enim obediunt Creatori: id vero absque contradictione, dum cuncta subiacẽt nutui Creatoris: ergo itidem Angelus, quod propria virtute non potest præstare circa plura loca adæquata, poterit ei conferri à Creatore. Item quamuis non habeat potentiam actiuam, qua se collocet in pluribus adæquatis locis, tamen habet potentiam passiuam, capacitatem, & potentiam obedientialem in ordine ad Deum, vt in talibus collocetur locis.

9 Ad rationes Gotfredi respondendo dicimus ad primũ, id fieri per mutationem Angeli ad nouum locum: Negatur autem debere deserere priorem locum, quia mutatio hæc est acquisitiua, non deperditiua. Item nec est inconueniẽs, duo loca iungi simul, & remanere distincta, sicut & duo corpora penetrari, & remanere distincta per Dei potentiam. Ad illud de terminis motus, alij sunt termini primi, alij concomitantes: Affirmatiui quidem, & negatiui sunt incompossibiles, at positiui ambo possunt esse simul, vt ignis, & lignum absque sui consumptione, ex Dei potentia, vt in fornace Babylonis de Pueris.

10 Ad Secundum, sursum, & deorsũ sunt contraria respectu corporis, siue grauis, siue leuis, ob quod vel erit natu-

Termini motus an simul.

Mutatio acquisita non necessario est deperditiua termini à quo.

Termini primi, & concomitantes quinam.

Sursum, & deorsũ contraria penes corpus, non penes spiritum.

taliter ibi, vel violenter: non tamen contraria respectu spiritus, qui nõ pendet à loco, nõ enim prædominatur, vel grauitas in eo, vel leuitas, vt appetat, vel fugiat (à natura) esse sursum, vel deorsum, hæ namque differentiæ, & modi essendi proueniūt in corpore ab elemento prædominante, cuius prædominij est incapax Angelus; & propterea non habet potentiam naturalem ad essendum sursum, quoniam esset violenter deorsum: quo fit, vt ad essendum in loco, sit in potentia neutra, quemadmodum superficies ad colores. Et ad illud de duabus formis: duæ quidem formæ eiusdem rationis, relatiuæ, possunt esse simul vt duæ paternitates in eodem Patre ad duos filios: quidquid sit absolutis. An autem duo contraria possint esse simul patet ex physicis. vide Scot. in 4. d. 10. q. 2. *Ad primum*, & in 2. d. 2. q. 7. sub lit. C. in Addit. §. *Ad tertium quare*.

Duæ formæ eiusd. rat. an simul.

11 Ad Tertium, non mirum, quoniam tempus nõ permanet, sed est successiuum, ideoque prius, & posterius nõ possunt esse simul: loca vero sunt permanentia, ideoque simul vni tertio: licet enim terminus à quo, & ad quem non sint simul inter se, sunt tamen per Dei potentiam, simul vni tertio.

Quare plura tempora nõ simul, sed plura loca simul vni tertio.

12 Ad Quartum patet ex dictis, licet namque de se, quatenus finitus est, non possit id agere, tamen limitationē virtutis suæ supplet Deus, estque in potentia obedientiali ad ipsum Deum, siue quamuis non habeat talem potentiam actiuam ad se collocandum in pluribus adæquatis locis, habet tamen potentiam passiuam capacitatem, & potentiam obedientialem ad talia loca.

QVÆSTIO X.

Vtrum Angelus esse possit in pluribus locis discontinuis inadæquatis.

1 AD loca autem discontinua inadæquata descendendo, vtrum naturali virtute possit in pluribus inadæquatis discontinuis, intra tamen suam sphæram collocari, affirmant antiquiores Caietan. Ferrar. loc. cit. Bassol. & citatur Marsil. in 2. q. 2. dum ait; *Esse posse in pluribus locis specie distinctis*. Scotus vero problematicus est, inquiens, *Vtrum in duobus locis discontinuis possit esse, quorum neutrum, nec aliud est sibi adæquatum, dubium est: nec videtur ratio necessaria nec pro, nec contra*: idem habet Gabriel. ibid. Cistercieņsis vero 2. d. 6. quæst. 1. art. 1. sequitur affirmatiuam. In quam sententiam iuit etiam Rada part. 2. controu. 6. art. 3. quamuis in fine postea recantet.

2 Negatiuam verò partē sequuntur Recentiores: & in primis ipsam efficere intendunt ex D. Thoma q. 52. art. 2. asseritur ex antiquioribus Alensis 2. par. quæst. 32. m. 3. D. Bonau. & Richard. vbi sup. Okam quodl. 1. quæst. 4. Aegid. quæst. 2. art. 2. Argentin. 1. d. 37. quæst. 1. artic. 2. atque demum Molin. ad locum D. Thomæ, Vasq. 1. part. d. 190. cap. 3. Suar. l. 4. de Ang. cap. 10. nec videtur discrepare Valentia q. 3. part. 3.

3 Qui Angelum esse in loco, aiunt per operationem, facilè affirmatiuam partem probant: potest namque operari in pluribus discontinuis locis huius aulæ, non operando in medio, ergo possunt esse in pluribus locis discontinuis. Caetanus, & Ferrar. catenus insuper aiunt, posse fieri, quatenus loca illa discontinua habebunt rationem vnius loci, dum ex illis insurgeret vnus locus, sicque essent in pluribus discontinuis. Verum obstatur, quoniam tunc loca illa non essent plura, sed vnus, si ex pluribus fieret vnus, item non diceretur esse in locis discontinuis, sed in vno

vno loco probat, ergo non respondent ad quæstionem: loca namque, de quibus quærimus, sunt plura, non vnum & sunt distantia & discontinua, non continua. Alii probant, tum sic habet Angelus ad locum, quasi informando illum, sicut anima ad corpus, informãdo corpus; at anima nõ potest extremas partes corporis informare, absque informatione partium intermediarum, ergo nec Angelus esse in extremis discontinuis, absque eo quod sit in partibus medijs: ita OKam. quodl. 1. q. 4. Impugnat vero Suarez probationem hanc, quia Angelus non informat loca, non est enim forma informans, sed assistens. At putare debuerat Suarez OKamum, nõ nihil ignorum huius doctrinæ, imò iniuriam ei infert, vt in hanc asserat sententiam OKamum, alioqui Principem scholæ singularis Nominaliũ: vtitur verò similitudine animæ in ordine ad corpus: nec insuper ait OKam. absolute Angelum informare locũ, sed quasi informare; duo namque animæ competunt inter cætera, informare, & esse ibi taliter, & sic, vt sit alibi: Primum non concedit OKam. de Angelo, Secundum concedit quod verissimum est: & hinc sumit arguendi similitudinem, vt sicut anima est ibi, ita Angelus in loco, ac proportionaliter, reddendo singula singulis. Probat ipse Suarez, si posset esse in locis inadæquatis distantibus, posset etiam esse in illis, etiam si plus distarent quam partes loci maximi, & adæquati ipsi Angelo. Probatio hæc non concludit, asserrent namque id debere intelligi intra locum adæquatũ Angeli, non extra; iam enim dictum fuit non posse esse extra sphæram actiuitatis suæ: etenim loca illa maxima ab ipso relata, excederent sphæram actiuitatis.

Nec potest [illegible]

4 Pars negatiua hodie communis est, non posse simul existere in pluribus locis inadæquatis: & hæc nobis magis placet. In primis autem vrget argumentum de anima, nõ potest informare caput, & pedes sine informatione partium mediarum; ergo nec Angelus. Respondent non esse parem rationem, quoniam anima necessario informat corpus, itaut in potestate ipsius non sit, informare caput, & pedes absque informatione partium mediarum, non sic Angelus, qui voluntariè assistit loco, vnde possunt angulis omnibus assistere simul huius aulæ, absque quo assistant in medio. Sed contra, det Deus animæ facultatem informandi corpus, vt placuerit, velitque, v.g. anima rationalis informare caput, & pedes, & non medias partes corporis, vtrum id contingere posset, incerta quidem res est, nec vrget ratio demonstrans efficaciter, ita posse euenire, rationes namque oppositæ facilè soluuntur, ergo nec de Angelo vrget ratio, vt idipsum concedamus: Verum insuper tum animæ, tum Angeli potentiam hîc aliquando expenderint, hucusque non legitur: nec namque enarratur, Angelum aliquando occupasse angulos simul assistisse, & nõ in medio: nec de anima, quod extrema simul informauerit, absque informatione medij, dummodo tamen cætera concurrant, vtpote corpus sanum, beneq; dispositum, & quod sit animæ susceptiuum, alias cessaret animatio, informatio, cessaret sensus, & vita. Angelus quidem est ens liberum: anima quoque rationalis, & si habeat rationẽ formæ, nihilominus est quoque libera, ergo poterit id præstare ergo præstaret forte aliquando, assigna autem locum, & tempus, si potes. Dices, posse id facere, at nunquam fecit, (stante apte disposito corpore) quoniam ita cõgruit ordini Vniuersi, vt corpus humanum viuat per animam, quod si partes medias non informaret, non viueret. Contra, hoc inconueniens non habet locũ in Angelo, nec enim Angelus informat locum, vt diximus, nec locus viuit per Angelum, ergo poterit partibus extremis assistere absque assistentia in medio. Item locus non pendet ab Angelo locato, nec in extremis angulis, nec in medio, ergo non indiget Angelo, vt assistat in medio; de anima autem implicantia est ex parte corporis, quæ viuum, etenim recedente informatione moreretur homo, at non sic, locus de Angelo.

Anima ne possit informare extrema absque medio.

Quibusdam [illegible] Scoti.

5 Probatur insuper, si Angelus existeret in duobus locis discontinuis, posset moueri de loco ad locum, absque pertransitione medij, id autem negat Scot. ideoque negat, posse reperiri si-

simul

mul in locis discontinuis. Respondet Vulpes in 2. de Angelis disp. 18. artic. 6. loqui Scotum de locis adæquatis, non inadæquatis. Glosa hæc, (pace tanti viri) gratis datur, nec cogimur ipsam recipere: & quidem sine controuersia recipitur, non posse esse simul in pluribus adæquatis, Scotus q; non laborat in huius probatione, vnde nec opus ei fuit recurrere ad medium recensitum, vt id probaret: quia tamen maior difficultas est de locis inadæquatis, hinc rationem texit, & negando probat, quoniam posset moueri de extremo ad extremum, non transeundo per medium.

Diuina virtute potest esse simul in plurib. inadæquatis.

6 Probatur item: Existit Christus Dominus in pluribus Altaribus, Templisque valde distantibus inter se, & discontinuis: at id non naturali virtute euenit, sed virtute diuina. ergo vt Angelus existat simul in pluribus discontinuis, non satis est virtus sua naturalis, sed requiritur diuina. Suario non placet ista probatio, & in primis ait, non esse parem rationē de Angelo, & Christo, quia in Christi corpore spectatur virtus diuina ad tot altaria, in Angelo autē virtus naturalis ad tot loca. Hac quidē impugnatione Suarez nil facit, etenim iam argumentū super hoc fundatum est, vtpote, vt probet, requiri virtutem diuinam, etiam in Angelo, sicut est in corpore Christi, quia virtus naturalis Angeli non sufficit. Frustra ergo laborat, cum idem asserit impugnando, quod probat allatū argumentum. Secundo ait, posse retorqueri in contrarium, quia posset Christi corpus multiplicari in quibuscunque locis cuiuscunq; magnitudinis, quod non contingit in Angelo. Vtique frustra Suar. hoc discrimen recolit, etenim iam constat Angelum esse spiritum, & carere magnitudine molari, non enim oppositum huius probat argumentum. Et denique subdit, multiplicationem præsentiæ corporis Christi habere valere ad quamcunque distantiam, etiam in infinitum, quod fortasse, inquit, non esset hic necessarium. Circa tamen id, qd ait, multiplicari, etiā in infinitū, si loquatur de facto, falsū est, etenim totus Orbis nō est magnitudinis, latitudinis, longitudinis & profunditatis infinitę, eo magis, quo Sacramentum hominibus in terra præstatur, & propter eos conficitur, qui homines sunt vna pars totius Orbis. Dum vero ait, non esse multiplicationem hanc in Angelis necessariam, non efficit argumento, non enim probat argumentum, multiplicationē talem esse necessariā, sed quod si facibilis est, non poterit fieri, nisi virtute diuina.

7 Insuper, ex data opinione, sequeretur Angelum distare à se ipso, qua enim ratione est hic præsens, ea est alibi absens. Responsio ex Scotistis in promptu est negatiua consequentis; quia quamuis loca distarent à seipsis, non tamen Angelus distaret à seipso: quemadmodum nec anima existens in capite, distat à se ipsa existente in pedibus, licet caput, & pedes distent inuicem in se ipsis; sicut etiā & Deus existens in Cœlo, & in terra, non distat à se ipso, & si Cœlum distet à terra, & vice versa; & ratio est, quia hæc comparantur ad vnum tertium, quod habet rationē illimitati simpliciter, vt Deus; & illimitati secundum quid, ratione locorum, & partium corporis, vt Angelus, & anima. Responsio & verā continet doctrinam, & ostendit, rationem non esse efficacem, sed apparentem: non autem putamus rationibus efficacibus probari posse partem istam negatiuam.

8 Accedit Damascenus, is enim l. 2. de fid. orthod. cap. 3. inquit, *Angelos eodem tempore, neque hic, atque illic esse, aut posse operari.* & insuper, *Circūscripti quidem illi sunt; neque enim in Cœlo versantur, cum in terra sunt, neque cum à Deo in terram mittuntur, in Cœlo remanent.* Item Didymus libro de Spiritu sancto, probans Spiritum sanctum non esse creaturam, nec Angelum, inde arguit, ideo non est Angelus, quia simul adest hominibus in extremis terrę partibus distantibus, quod tamen nequit præstare Angelus, ait enim, *Est prorsus alienum ab Angelica natura, nam Angelus, qui aderat Apostolis in Asia, non poterat adesse aliis in cæteris partibus mundi constitutis.* Poterit Aduersarij respondere, ista intelligi de locis adæquatis: vel de inadæquatis extra sphæram ipsius Angeli.

Co-

Problema id. 9 Concludendo autẽ dicimus Primo probabile eſſe, Angelũ poſſe ſimul naturali virtute reperiri in pluribus locis diſcontinuis, intra tamen ſphæram ſuam adæquatã: hoc demonſtrant euaſiones datæ ad argumenta ſententiæ prælantis, id non poſſe fieri.

Mens Scoti 10 Secundo inferimus, probabile etiam eſſe, non poſſe id euenire: & hoc oſtendunt rationes vſque modo allatæ.

11 Tertio deducimus, eſſe magis apparentem opinionem affirmatiuam: ideoque Scotus videtur inclinare magis in eam, ſicut & Scotiſtæ magis inclinant.

12 Quarto ſubinferimus, rationes adductas pro vtraque parte, non eſſe demonſtratiuas, ſed topicas: habent enim ſuas euaſiones, vt de ſingulis vidimus.

13 Ad illud autem de Euchariſtia, diceretur, vtique corpus expoſcere diuinam virtutem, vt in pluribus ſimul inadæquatis ſit, non tamen Angelum, quia eſt nobilior, ſpiritus, & potentior, quam corpus, vt corpus, abſtrahendo à diuinitate hypoſtaticè coniuncta, & à diuina virtute; quapropter diceretur, quod id, quod eſt medium agenti inferiori, non eſt neceſſario medium agenti perfectiori, itaut ſufficiat Angelo virtus naturalis, corpori autem neceſſaria ſit virtus ſupernaturalis. Cætera habẽt ſuas rationabiles euaſiones. Cur corpus non poſſit, Angelus poſſit.

QVÆSTIO XI.

Vtrum plures Angeli poſſint eſſe ſimul in eodem loco.

Negant D. Tho. & D. Bonau. 1 IN Primis ſententia eſt D. Thomæ, non poſſe naturali virtute Angelos eſſe ſimul in eodem loco. ita 1. par. q. 52. art. 3. tum in corp. tum in reſponſ. ad prim. eademque eſt ſententia D. Bonau. in 2. d. 2. p. 2. art. 2. q. 4. Capreol. ibid. q. 1. Baſſol. q. 4. atque Aegidij: inſuper & Richardi in 1. d. 37 art. 2. quæſt. 4.

2 Verum eſt tamen, quod ratio, & fundamentum huius ſententiæ non eſt vnum. Diuus namque Bonau. ait non quidẽ repugnare ex parte naturæ particularis, & ſingularis Angeli, ſed ex parte Vniuerſi, quandoquidẽ repugnat ordini vniuerſi talis ſimultas in eodem loco, vniuerſum namque fundatur ſuper ordine, itaut reddendo ſingula ſingulis, vnaquęque res ſitat in ſuo loco, non autem occupet locum alterius, ſic namque euitatur confuſio. Ricchardus inde ait implicare, quoniam Angelus Angelum penetraret; ad euitandam ergo penetrationem non poſſunt eſſe ſimul. Baſſolius, illud exiſtimat eſſe ſupra curſum naturæ, quapropter ex ſola omnipotentia Dei id contingere poſſe autumat, non vero naturali virtute.

3 Circa tamen ſententiã D. Thomæ, diſcipuli eius varie ipſam interpretantur; etenim Caetanus ad locum D. Thomæ, & Ferrarienſis 3. contra Gent. c. 68. pluresq; recentiores aiunt, D. Thom. loqui *Iuxta ordinariam modum operãdi conuenientem naturæ.* Vt ſic enim ordinarie non ſunt plures ſimul in eodem loco: & hęc eſt prima interpretatio. Secunda, vt loquatur de *loco adæquato*, plures namque eſſe poſſunt in eodem loco, at *inadęquatè*, quia neuter eorum eſſet ibi ſecundum *operationem adæquatam*. & Tertia, vt loquatur de *eadem operatione*, etenim loquendo de *pluribus operationibus*, poſſẽt eſſe ſimul plures Angeli in eodem loco per *varias operationes*. Ex omnibus vero concludunt, nõ poſſe eſſe ſimul ſecundum modum ordinarium conuenientẽ naturæ, bene tamen, ſecundum extraordinarium; nec poſſe eſſe adęquatè, quoniam cum ſint in loco per operationem,

nem, non potest eadem operatio prodire simul à duabus causis totalibus, posse tamen inadæquatè, exercēdo varias operationes, vt altero Angelo producendo motum, altero lumen, altero calorem, alteroq; formas alias mediis causis secundis imprimēdo in corpus, vbi plures essent simul &c.

Possunt naturaliter esse plures in eodem loco

4 Opposita tamen sententia communis est, quæ statuit, posse naturaliter plures Angelos esse simul in eodem loco. In hanc magis propendet Scotus, & Scotistæ, licet sit problematicus in 2. d. 2 q. 8. Ariminens. ibid q. 3. Major q. 10. Gabr. q. 2. Marsil. q. 2. OKam. quodlib. 1 q. 4. Albert. in 1. d. 37. art. 35. Molin. ad loc. D. Thomæ. Vasq. 1. par. d. 193. c. 1. Valent. d. 4. q. 3. par. 3. licet de loco adæquato sentiat cum recensitis Thomistis. estque communis insuper recentiorum.

5 Hanc & nos amplectimur, vnde dicimus Primo, posse naturaliter Angelos plures esse in eodem loco. Probatur autem in primis ex famosa illa enarratione Lucæ 8. vbi refert, in corpore hominis cuiusdam inhabitasse legionem Dæmonum. Quot vero contineat numero legio, ait Alex. ab Alex. l. 5. Genial. dier. c. 3. continere numerum 6666. Consentit D. Bonauent. Lyran. Carthus. & Abulens. ibi. Nihilominus varie enumeratæ reperiuntur ex militibus legiones, siquidem Liuius lib. 1. decad. 5. ait, *Veteres milites dimitti, itaut in singulas Romanas legiones, ne plus sena millia peditum, treceni Equites essent*. Item, *Alias deprimitam fuisse, quæ quina millia peditum & ducentos haberet, Equites trecentos*. & lib. 16. cap. 4. *In legione sunt centuriæ sexaginta, Cohortes decem*. Lazius de perfectis, & completis, habuisse, refert, *Nunc 5000. peditum, Equitum verò 400. nunc tamen 300. fuis 200. de imperfectis autem peditum 5000. Equitum 750.* Veget. lib. 2. de re milit. c. 2. Romanis ait, *Legiones fuisse, in quibus sena millia, interdum amplius, militare consueuerant*. Idem Alex. l. 1. c. 5. de Romulo inquit, *Romulo primum erganuit, legio ex peditum tribus millibus: Equitibus trecentis fieri cœpit: aucta vero, mox Ciuitate, sex millia peditum, & Equitum 600.* Iansenius arguit primum modum recensitum, atque legionē constasse militū numero 12250. Verum & ipse falli potuit, referente eodem Alexandro, varium, diuersumque extitisse militum numerum, in assignandis legionibus. idemque confirmant Authores recensiti. & Tiraquell. in Commento eiusdem Alexandri ab Alex.

6 Quot autem Dæmones complexa fuerit legio ista, arbitratur Abulensis fuisse numero 6066. Ex numero inde porcorum, in quos, petita à Christo venia, intrauerūt, colligi aliquanto potest, ait enim Marcus c. 5. *Erat Grex porcorum magnus*: & paulo infra, *Præcipitatus est in mare ad duo millia*: Quod si singuli Dæmones singulos, inde obsederūt porcos, colligitur hinc Primo, Dæmonū numerus 2000. ergo ad minus legio illa peruenit ad duo millia Dæmones: hoc, inquam, ad minus. Quidquid tamen sit, quantuscunque fuisset eorū numerus, bene ingredi poterant hominem illum, non occupando locum, cum sint spiritus. imo Abulensis Matth. 8. q. 110. addit, inquiens, *Omnes Dæmones quotquot sunt, si permitterentur, intrarent in quemlibet hominem*: sensus autem est, quod possent ibi omnes in eo esse.

7 Fuisse in eodem corpore, at non in eadem parte corporis, singuli namque singulas inhabitabant partes corporis, ait Capreolus.

8 Sed impugnatur responsio: Et quidem primo Capreolus, & sequaces rem incertam assumunt, dum inquiunt singulos Angelos singulas sibi vindicare corporis partes, nec enim id videtur, nec ratione probant, quæ cogat. Secundo, dato ipsis, quod ita sit, non tamen effugere poterunt hoc, nempè, Dæmones illi, & si in variis partibus corporis aderant, nihilominus erant simul cum eadem anima indiuisibili illius hominis: cum namque in vtraque parte corporis sit tota, & indiuisibilis anima, vbicunque, & in quacunque parte corporis fuerint Dæmones, erāt vtique simul cum ipsa anima: hoc autem stante, arguitur, Angelus malus erat simul cum anima, ergo poterunt esse simul plures Angeli: alias cogēris diuisibilem reddere rationalem animam, vt singuli Dæmones fuerint in singu-

singulis partibus animæ. cum ergo sit indiuisibilis, fuerunt plures Dæmones cum anima, & ita quoque esse poterūt simul plures Angeli.

9 Dices, cum anima fuisse præsentes, siue etiam cum eadē parte corporis, at non propria virtute, sed diuina, quemadmodū ex Christi Domini concessione Dæmones ierunt in porcos, rogantes, & dicentes, *Mitte nos in porcos. Matt.* ergo similiter ex Dei virtute, non autem virtute propria, erunt simul in eodem corpore.

10 Sed contra, stante antecedenti speciali motione superna Dei, siue miraculo, nō est semper necesse, vt omne quod consequitur ad id, dicatur quoq; fieri miraculose: exemplū deducitur ex Scoto, qui loquēs de visione cæci illuminati, ait cæcū supernaturaliter quidē & miraculosè illuminari, siue miraculosè restitui sibi visū, id est proximā potentiā videndi, attamen naturaliter inde videre, siue vi naturali elicere visionē. ita in resurrectione, superna quidē virtute Dei mortuos resuscitari, attamen, postquam anima fuerit à Deo corpori vnita, esse eiusdem corporis formam naturalē, atque operationes vitæ exercere naturaliter. hoc supposito arguitur. quāuis Dæmones, ex speciali permissione, occultoq; iusto iudicio Dei vexent homines intrantes corpora eorum, nihilominus, habita iam facultate intrandi, erunt ibi præsentes, taliter, qualiter naturali facultate sunt alibi præsentes: ergo non expectabatur miraculum, vt fuissent præsentes simul ibi inuicem, vel cum anima obsessi.

Non omne quod consequitur ad miraculū, est miraculosum.

11 Aegydius negat paritatē rationis de anima cum Angelo, & de Angelo cum Angelo: ait q; animam, & Angelum habere diuersos modos essendi, Angelos vero eundem; ideoque posse Angelum esse cum anima non tamen Angelum cum Angelo, affertq; exemplum de duabus animabus, quæ nequeunt simul informare idem corpus, quoniam ambæ habent modum eundem essendi per informationem, ideoque duos Angelos nec posse esse simul propter paritatem modi essendi amborum.

12 Sed impugnatur, quandoquidē licet duæ animæ non possint in eodem corpore esse simul per informationem, quoniam vnaquæq; est forma adæquata corporis, tamen abstrahendo ab informatione, nulla est implicantia vt possint esse simul: ex ergo ratione, qua formæ sunt adæquatæ, & completæ, nō vtique erunt simul, ne super eadem materia cadat duplex forma adæquata, ea tamen ratione, qua sūt spiritus, nulla est implicātia ad esse simul: sic Angeli, non vtique formæ sunt corporis, nec adæquatæ, nec inadæquatæ, ergo, qua ratione sunt spiritus, nil obstat, vt sint simul. Item ratio, & ordo ad corpus est quid extraneum ad animas, patet, etenim animæ separatæ, sunt extra corpus, ergo saltem hæ, poterunt esse simul, non enim obstat informatio, carentes corpore: multo magis simul poterunt esse Angeli, qui actu, & potentia abstrahunt ab informando corpus. Item corpus gloriosum potest esse cum non glorioso: vnum tamen non informabitur ab altero. Insuper tunc anima corporis gloriosi esset cum anima corporis non gloriosi, & anima vnius non informaret corpus alterius.

Animę duę eadē ratione possunt, vel nō, esse simul in eodem corp.

Corpus gloriosum quomodo cum nō glorioso

13 Præterea arguitur ad principale. Ratio, qua res vna nequeat esse cum altera, est quantitas, cuius munus est, facere distare latera, ob quod non potest dari naturaliter penetratio dimensionum: at ratio hæc cessat in Angelis, carentes quantitate, cum sint spiritus, ergo non implicat esse simul. Confirmatur, potest Angelus penetrare corpus, quandoquidem quantus non est: ergo poterit amplius Angelus stare cum Angelo, cum fundamentum talis repugnantiæ cesset, quod est quantitas. Accedit Richard. Victorin. lib. 4. de Trinit. vbi probans Dæmones non esse corporeos, ex narratione Lucæ recensita colligit, ait namque, fuit in corpore hominis illius obsessi legio, ergo Dæmones nō sunt corporei. Probatur consequens, alias si essent corporei, iam non potuissent penetrare corpus illud: ex hinc igitur habetur præsentia multorum in eodem corpore, & possibilis in eodem loco; Item ratio, qua corpus nequeat esse cum corpore in eodem loco, est, quia corpus occupat locum: at spiritus non

Z adeo

adeo occupat locum, vt nequeat locus capere plures Angelos simul, cum namque sit spiritus expers corporis, nõ impedit cum eo locari simul alterum spiritum.

Luminaria duo in eadem parte aeris.

14 Insuper duo lumina sunt simul in eadem parte aeris. Duæ quoque intellectiones in eadem potentia intellectiua, sicut & duæ volitiones in eadem volitiua: Diuus autem Dionysius appellat Angelos *lumina spiritualia*, ergo poterunt esse simul.

Angelus descendens ex Zenith aliis mouentibus an pertransiret per illum, an vero hic in eo cederet.

15 Præterea descẽdat Angelus vnus è Cœlo superiori, transeatque per punctum, in quo residet Angelus alter mouens Cœlum inferius, vtpotè descendat Angelus ab Empyreo, perpendiculariter per locum, in quo residet Angelus mouens Cœlum Lunæ, tunc per talem transitum vsque ad terram, in pertransitione erit simul Angelus mouens Cœlum, & Angelus descendens ab Empyreo; Dices, id nequire fieri, sed opus esse, vel non inde transire descendentem, vel è tali loco recedere Angelum mouentem, itaut cedendo locum, trãsire valeat Angelus descendens, hæc inania sunt: Et quidem ad rationem hanc, quæ est Scoti, addo, quod vel loquimur de facto, vel de possibili: de facto quidem fortasse id non euenit, vt descendat per eundem punctum, in quo residet Angelus mouens; ratio elicitur ex politicis in humanis, vbi alter alteri locum cedit ad transitum, si necesse sit inde quenquam transire: vel si necesse non sit, altera quidem via transit hic, v. g. nec vel molestiam inferat homini alteri, vel vt ordo seruetur & decus humanæ politicæ: ita à pari, de facto, forte non continget vt Angelus per locũ alterius transeat, nisi tamen aliqua necessitas vrgeret: ergo potius aliundè transibit, vt debitus seruetur ordo vniuersi: At loquẽdo de possibili, attenta vi, & facultate libera ipsius Angeli, poterit inde transire, si placuerit, tunc autem essent simul Angelus descendens, & Angelus Cœlum mouens.

Angeli si creati fuissent ante Orbem, an fuissent simul.

16 Rursus, si Angeli creati fuissent ante mundum, *Non videtur facile, assignare posse, non esse simul tunc*, ait Scotus: Probatur; tunc enim locus nullus fuisset, nullaque quantitas impediens simultatem: seu facient distare locata, siue Angelos. Circa hoc autem aduertendum, quod dato casu, simul quidem fuissent ratione loci negati: non tamen ratione Angelorum: Primum patet, siquidem etiam distantia locorum facit distare locata, tunc vero nulla fuissent loca vera, & realia, nisi sola potentialia & imaginaria; ergo hinc, dicerentur simul. Cæterum ex parte eorum negaretur simultas, ratione ordinis, ne vnus foret in alio, licet possent etiam esse.

Effectus si simul à duabus causis totalibus [illegible].

17 Dicimus Secundo, quod Angelus esset in loco per operationem, nil tamen obstaret, quamuis plures esse possent simul; hæc namque est fundamentalis ratio Thomistarum, aiunt enim, nõ potest vnus, idemque effectus pendere simul à duabus causis totalibus: ergo non poterunt esse simul, etenim dum sunt in loco per operationẽ, tunc eadem operatio penderet simul à duobus Angelis, veluti à duabus causis totalibus: At vero ostenditur hoc non impedire: Et quidem Primo concedimus eundem effectum non posse esse simul à duabus causis totalibus, atque ita nec eadem operatio pendebit sic à duobus Angelis, attamen, supposito hoc, vere contingere poterit, vt si vnus Angelus mouere, v. g. habeat corpus aliquod, poterit motus talis fieri simul à duobus Angelis, supponendo Angelum vnum non expendere totum conatum suum in tali motione: tunc namque Angelus alter supplere poterit quod deest virtuti motiuæ primi Angeli. Assumptum probatur, Angelus est agens liberum, ac in potestate agentis liberi & est actio, & modus, agendi, ergo si corpus hoc ex. gr. requirat potentiam motricem vt centum, poterit Angelus vnus habens potentiam vt centum, mouere solum vt quinquaginta, & associare inde secum Angelum alterum mouentem, vt insuper quinquaginta, sicque à duabus causis partialibus proueniet idem effectus producibilis integrè vt centum. poterit item vnus in eodem loco causare lumen, & alter calorem, siue cætera huiusmodi: Insuper poterit vnus desistere ab agendo, & alter inde in eodem loco incipere agere: Poterit denique vnusquisque pro libitũ

agere

agere siue secundum vltimum suæ potentiæ, siue citra; est enim agens liberum: & si citra vltimum suæ potentiæ operabitur, poterit alter, quod deest supplere, agendo secũ in eodem loco: ita quidẽ contingit in hominibus, vt si possit v. g. fortes trahere de se solo pondus aliquod expendẽdo totum conatum suum, poterit quoque pro libito associare sibi Cacum, vt secum insuper trahat, si contingat eundem fortem non trahere secundum vltimũ suæ potentiæ. Exemplum quoque elicitur ex

Angeli plures an necessarij ad portandam animã Lazari.

scriptura, vt Luc. 16. *Factum est, vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ.* Non quidem opus fuerat, vt tot numero Angeli interuenissent ad asportationem Lazari, quasi tanti ponderis fuisset eius anima, vt insufficiens fuerit Angelus solus ad portandum; anima namq; est spiritus, nec grauitat, nec oneri est Angelis, imo potentior est, & validior Angelus ipsa anima: quod ratione ponderis id necesse nõ erat, erant tamen Angeli plures honoris gratia associantes eius animam. Aiunt omnes quidẽ simul portasse, non tamen omnes erant simul in eodem loco, exemplum de pluribus ferentibus corpus aliquod, quorum alter manus, alter pedes portet, alter à tergo sustentet. At quæro quinam Angelorum illorum manus animæ Lazari portabat, quinam pedes, qui vero à tergo sustentabat? inania sunt hæc, vt inde vitare valeant simultaneitatem, caret namque anima pedibus, manibus tergo cum sit spiritus.

Simul esse an superuacaneum.

18 Dicunt, & si id fieri possit, vt sint simul, superuacaneum tamen esset, esse simul, & frustraneum. Respondetur in primis, quod esse simul, ex genere suo, malum non est, sed potius res indifferens. Secundo, poterunt plures fines honesti occurrere, quo sint simul: vtpote ad maiorem honorem, & excellentiam eius, cui se præberent præsentes, vt de facto Lazari, etenim ad maiorem Lazari honorem plures destinauit Angelos Deus ad eius animã portandam simul. Vel ad ostensionem diuinæ virtutis, vt Matth. 26. *Possum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi plusquam duodecim legiones Angelorum.* Vel gratia maioris iubili, & lætitiæ, vt Luc. 2. *Facta est cum Angelo multitudo militiæ cœlestis, laudantium Deum.* Item posset id contingere ad exercendam facultatem voluntatis, & virtutis angelicæ, cum enim liberi sint, & possint esse simul, poterunt vtique tali facultate vti, exercendo eam. Item Eccl. 4. *Melius est, duos esse simul, quam vnum, habent enim emolumentum societatis suæ:* sicque etiam poterunt simul esse, demptis tamen imperfectionibus.

19 Contingunt aliqui ad locum adæquatum, & inadæquatum, vt non possint in loco adæquato simul esse, bene tamen inadæquato. At quæro quidnam intelligit per locum adæquatum? si operationem, vtique vel paucis vicibus, vel nusquam forte aliquis erit in loco adæquato, quoniam non semper vnusquisque exercet totum conatum suum in operando, vel namque non vult, vel opus non semper est. Si vero intelligant præsentiam, quæro, quonam modo poterit adæquari locus taliter vni secundum substantiam, vt expellat alterum? hoc enim corpori competit, quod dum replet locum, nõ erit secum corpus aliud, ratione dimensionum, & quantitatis, quæ ratio hæc cessat in spiritibus, vtpote incorporeis, quomodo ergo ita adæquabitur locus vni, vt non possit cum eo simul esse alter?

20 Consimiliter aiunt, vt Caiet. posse esse plures simul in loco eodem, materiali, non formali: per formalem vero intelligunt operationem, vt nõ possit idem effectus pertinere à duabus causis totalibus. At iam constitit non esse in loco per operationem: item iam diximus qualiter possint, vel non possint simul operari: & hoc, quantum ad locum formalem. Loquendo vero de materiali, hoc sufficit nobis, vt possint simul applicare substantias proprias præsentialiter ad verum vbi, siue ad verum locum materialẽ, hoc enim intendimus, & huc conicienti sumus.

21 Dicimus Tertio, quod licet spectata naturali virtute Angelorum, possint esse simul, tamen non est fortasse valde decens, vt sic sint simul. Probatur, vniuersi dispositio consistit in ordine, ergo vnaquæque res, siue corporea, siue spiritualis sit, collocari debet

An sit decens Angelos esse simul in eod. loc.

in suo gradu, situ, & ordine. Item vniuersi perfectio consistit in debita proportione, vt vnaquęque res suũ habeat proportionatũ locum: ergo vnusquisque Angelus suo particulari fruetur loco. Insuper vniuersi decor consistit in debita rerũ distinctione, ad hoc vt euitetur confusio, & Chaos Anaxagoræ, ergo ad euitandam confusionem, quæ oriri posset ex simultaneitate, & penetratione, concludendum est, quod spectata Vniuersi distinctione, decore, proportione, & ordine, non decet Angelos plures esse simul, sed vnumquemque suo debere adaptari loco. Sententiam sic explicatam tenetur aperte D. Bonau. in comp. inquiens, *Quantum est de spiritali natura Angeli, & loci, nil prohibet, plures spiritus esse simul; sed quoniam ordo vniuersi tollitur per simultaneam indistantiam &c. sic non patitur, quod Angelus in eodem loco sit simul cum Angelo.* Hæc insuper fuit sententia D. Thomæ, is namque in 1. d. 37. q. 3. ad 1. ait, *Angelos plures esse possunt in eodem loco, non quod non possit esse, sed ne sequatur confusio operationum, quæ quodammodo redundaret in confusione virtutis, & essentiæ.* Idemque habet de potent. q. 3. artic. 19. ad 1. & accedit Albertus, inquiens, duo spiritus nequeunt esse in eodem loco, propter confusionẽ operationum vitandam, nõ propter repugnantiam naturæ. Hinc autem habetur, non discrepare Doctores sanctos à Scoto.

D. Bonau. & D. Tho. explicantur

Corpus gloriosum an esse possit cum glorioso, & non glorioso.

22 Dices, Scotus negat corpus gloriosum posse esse cum corpore glorioso. Respond. non negare absolutè, quasi repugnet vnum esse cum altero, sed catenus negare, quatenus euitari debet confusio: sic de pluribus Angelis in eodem loco: sicque non est alienum à Scoto, Corpus gloriosum esse posse cum glorioso, & non glorioso, nisi tamen ad vitandam confusionem.

An de facto velint esse simul in eodem loco.

23 Esset vero quærendum, constito iam, quod possint, vtrum velint: De bonis quidem distinguendum est Angelis, & de malis: De bonis dicendum potius nolle, quàm velle; ratio, quoniam, cum boni sint, seruare intendunt ordinem à Deo Orbis conditore, statutum, vt vnumquodque stat in suo gradu, ordine, & loco, eo magis, quo ipsismet Angelis demandata est cura Cælorum ad motum, & rerum inferiorum ad tutelam, & custodiam, ex quo res ipsas conseruari in proprio situ, & ordine intendunt, & eo magis id dicendum de ipsismet Angelis inter se, vt similiter seruent ordinem, & euitent confusionem, ita namque Orbis conseruatur in suo esse. De malis vero asserendum oppositum, etenim quantum est ex parte eorum, destruerent vniuersum, si possent, propterea quia inimici sunt ordinis, quo res conseruantur in suo esse, & decore, vnde confundi quoque appetunt, confusionem amant, & procurant in Orbe, quemadmodum & ipsi amici sunt confusionis, & destructionis ordinis, quæ vero appetunt in Orbe, in rebus corporeis, appetere quoque possunt in se ipsis.

24 Obstatur aduersus dicta, quæ habent eundem modum essendi in non possunt esse simul; probatur, dum corpora gloriosa non possunt esse simul. Item duo Dii si essent, per impossibile, non possent stare simul, insuper duæ formæ non possunt informare eandem materiam. at ex Damasceno cap. 5. Angeli habent eundem modum essendi in loco, ergo nequeunt esse simul. Respond. falsam esse vniuersaliter maiorem: & conuincitur ex alio modo essendi, nempe ab, etenim ab dicit dependentiam essentialem, vt creaturæ dependentes essentialiter à Creatore; quam tamen essentialem dependentiam non dicit esse in, sed accidentalem, vt esse in loco, esse in subiecto, esse in tempore, quæ quidem separari possunt per Dei potentiam, vt accidens à subiecto, & creatura à tempore, & loco; non autem potest stare creatura, sine actuali dependentia à Creatore, à quo actualiter dependet in fieri, esse, & conseruari: hinc tamen deducitur, quod si plura vt creaturæ, possunt esse ab nempe à Creatore, dependentia essentiali, poterunt quoque plura esse in eodem in loco, & tempore dependentia accidentali. Ad illud de corporibus gloriosis, non repugnat absolutè esse simul, sed vt euitetur confusio, vt diximus etiam de gloriosis;

Esse in Esse ab, quid in [illegible] differant.

Formæ plures an simul

riosis, & non gloriosis. Ad illud de duabus Diis, aliunde staret repugnantia, de qua re lege Scotum in 1. d. 2. quæst. 3. ergo quantum est ex seipsis possent esse simul, repugnantia proueniente ex aliis capitibus. Ad id de duabus formis, falsum assumit in via Scoti, etenim eadem materia informatur simul duabus formis substantialibus, vt forma corporeitatis, & animæ. Item dato quod repugnaret plures esse simul, id non contingeret ratione formarum absolutè, sed ratione adæquationis, supposito namque vnam esse formam adæquatam, non potest simul informari materia altera forma adæquata.

25 Arguitur, non possunt esse duæ causæ totales vnius effectus formalis: at id proueniret, si plures in eodem loco essent simul, quia eadem operatio esset à duobus simul. Argumentum hoc supponit Angelos esse in loco per operationem, quod supra fuit negatũ. Item conceditur antecedens: quomodo autem operando possint esse simul, iam fuit explicatum.

Finis Quintæ Disputationis.



DISPVTATIO VI.

De motu Angeli.

QVÆSTIO I.

Vtrùm Angelus vere moueatur: motusque eius sit continuus, & successiuus: qualisque sit potentia eius ad motum.



1 Quotquot negant, Angelum vere reperiri in loco, ij negant quoque vere moueri. Ex his autem aliquos singulariter referemus, quid sentiant in hoc.

2 Caietanus 1. par. q. 53. art. 1. ait, motum localem, propriè loquendo, nō cōpetere substantijs spiritualibus: Ratio, quia esse in loco competit eis in genere causæ efficientis, non in genere subiecti mobilis, sunt namque in loco per operationem, ergo consimiliter moueri in loco, non est per se propriè moueri, attendendo motum in ordine ad Angelum, sub ratione subiecti, seu substantiæ mobilis, sed in ordine ad operantem in loco. Sequuntur cæteri, quos allegauimus supra loquēdo de Angeli loco.

3 Henricus non differt, & idem docuit ante ipsos in quodlib. 4. q. 16. dum vere ait, esse in loco per operationem, consimiliter docuit consequēter, nō moueri per propriam substantiam, sed per influentias, seu operationes, circa corpora, & loca. Esse vero in loco, seu in vniuerso, solummodo tanquā partē illius, dum nihil operatur in vllo loco; falsumque esse, quod vicinior, siue remotior sit ab Oriēte, siue ab Occidente, attendendo absolutè substantiam, abstrahendo ab operatione: ita quoque abstrahendo ab operatione, falsum sit, moueri potius Occidentem versus, quam Orientem. Quod si inferas ergo, abstrahendo à motu per operationem ad loca, nullibi esset, dum nullibi operaretur, non audet id concedere, inquiens, *Hoc non dico, est enim contra articulum Parisiensem*; subdit vero, *Quomodo hoc intelligatur, mihi sit valde difficile*. cogitur quidem asserere, per ratiocinationem non esse nullibi, attamen non id audet asserere, dum fatetur, non valere id intelligere.

4 Durandus in 1. d. 37. par. 2. q. 2. id ipsum asserit, de motu, negando verum motum localem, vt præcedentes: Addit vero quid proprium, & singulare, vt ideo insuper, non vere moueatur localiter, quia Angelus est in omni loco: vnde cōficit argumentū, inquiens, motus est ad non habitum, possibile tamen haberi: sed Angelus dicitur esse in omni loco, in quo potest esse, ergo nullus est locus, ab Angelo non habitus: quod si in omni loco possibili est, ergo non potest moueri.

5 Conueniunt recensiti in eadem sententia; nisi quod discrepant à Durando in eo, quod ait, Angelum esse in omni loco possibili.

6 Sententiæ istorum facilè confutantur, expendēdo ea, quæ de loco Angeli dicta fuerunt: vnde ruunt primo loco, fundamenta ipsorum, de esse in loco per operationem: hoc remansit improbatum, & demonstratum esse in loco per veram applicationē propriæ substantiæ, ergo & mouebitur in loco per subnectationem motus in propria essentia ipsius Angeli.

7 Specialius autem Durandi sententia fuit ibidem confutata: ex ea namq. sequitur, Angelum esse immensum, quod est solius Dei.

8 Item argumentū suum nil probat:

hac: data namque, & non concesso, esse in omni loco, non sequitur non posse moueri, vt ipsa infert: Probatur de aqua occupante totam phialam; non quidem mouebitur ibi sursum, vel deorsum, moueri tamen poterit circulariter, vt experientia ostendit: ita & vltima sphæra non mouetur sursum, aut deorsum, mouetur tamen circulariter, quæ nihilominus comprehendit omnē locum: ergo & si Angelus esset in omni loco, posset tamen ibi moueri circulariter absque deperditione omnis, vel alicuius loci, sicut aqua in phiala, secundum se totam moueretur circulariter in phiala, absque deperditione alicuius loci in phiala: loquor autem de aqua spectata secundum se totam, non secundum partes; nam partes quidem mutabunt locum; at secundum se totam existens in eadem tota phiala, mouebitur circulariter in eadem phiala tota, nec deperdet locum suum.

Aqua [illegible] phialam [illegible] totam [illegible]

Angelus vere mouetur

9 Ex hinc statuitur assertio, Angelus verè, & propriè secundum substantiam mouetur localiter. Est communis Scholasticorum, eamque imprimis docet Scotus, sed supponit: ait namque, cum Angelus sit, v. g. in lapide, si lapis ab aliquo moueatur, Angelus continuans præsentiam suam in lapide, nō mouebitur à mouente lapidem, sed à seipso: expresse autē de eius motu agit in 2. d. 2. q. 9. & 10. & sæpissimè, clarè indicans, verè mouere seipsum: eodemque interpretantur eius discipuli. In eandē sententiam venit Gabr. in 2. d. 2. q. 3. Richar. in 1. d. 37. art. 3. quæst. 1. Occam quodlib. 1. q. 5. Alens. 2. p. q. 3. m. 1. 3. D. Bonau. d. 2. art. 1. q. 1. Et ratione autē, ea, quæ sunt perfectionis in natura inferiori, non sunt deneganda naturæ superiori, potentia autem, seu motiua, repetitur in hominibus, in brutis, ergo & in Angelis: Grauia quoque, & leuia habent intra se grauitatem, & leuitatē, tanquam principia motus, cur igitur deneganda virtus verè motiua Angelo?

Missio est semper cum motu;

10 Probatur autem apertè ex scripturis. Luc. 1. *Missus est Gabriel Angelus à Deo in Ciuitatem Galileæ &c. Et ingressus ad eam dixit*, & in. 3. *Et discessit Angelus ab ea*. Modus loquendi est apertissimus, vt ex missione, introitu, & discessu, clarè colligatur verus motus angelicus. Dices, missio non indicat necessario motum localem, patet, etenim Personæ diuinæ mittuntur, & tamen nec locum mutant, nec mouentur localiter: ergo nec id colligitur ex Angeli missione. Respond. esse disparem rationem, Personæ namque diuinæ sunt in omni loco per immensitatem, ac proinde mutare locum, nō possunt: omnis namque motus vel est deperditiuus, vel acquisitiuus, at Deus est vbique: Angelus vero non est immensus, nec vbique, ergo vel acquirit, vel deperdit locū, vnde vere mouetur. Item discessus Angeli à Virgine nonne indicat verum motum: introitus quoque nonne ostēdit verum accessum secundum substantiam, verumque motum?

11 Lucæ insuper 10. dicitur, *Videbam Sathanam sicut fulgur, de Cœlo cadentem*. Casus iste fuit per verum motum localem, verumq; discessum ex inde, dum ibi non remansit, sed inde cecidit. Matt. 8. dicebant Dæmones Christo Domino, *Si eijcis nos hinc, mitte nos in gregem porcorum: & ait illis, ite: at illi exeuntes abierunt in porcos & ecce abiit totus grex per præceps in mare &c.* nonne hæc apertè ostendunt, verum motū? hoc namque expresse indicant. *Mitte, ite, exeuntes, abierunt, abiit per præceps &c.* Hoc ipsum colligitur ex Act. 12. de Angelo, quem sequebatur Petrus, ab eo eductus è carcere: hunc autem locum expendens Origenes homil. 11. in lib. Num. inquit, Apostolos ipsos fuisse ministerio Angelorum ad explenda Dei munera, *Sic enim dubitabant, quod Angelus Petri esset, qui pulsaret ad ostium*, idemque docet de Angelo Tobiæ lib. 3. de Princ. cap. 2. Iob 1. *Circuiui terram, & perambulaui eam*. Apoc. 12. *Nec inuentus est locus eorū amplius in Cœlo &c.*

12 Accedit Aug. lib. 8. de Ciuit. Dei c. 22. *Multos Dæmones in hoc aere habitare, quia de Cœli sublimitate deiecti, in hoc, velut congruo carcere, præcipitati sunt*. Tertull. cap. 22. in Apol. *Omnis spiritus ales est, hoc Angeli, et Dæmones, igitur momento vbique sunt*. Gregor. lib. 2. moral. cap. 3. de Sanctis Custodibus ait, *Sic foris exeunt, vt internæ contemplationis gaudijs non priuentur*: Per verbum autem exire, apertè motum indicat localem. Nazianzen. q. 2. de Theol. inc.

ocat.

orat. 34. *Loca omnia peragrantes omnibus impigri adsunt, tum ob ministerij promptitudinem, tum ob naturæ celeritatem.* Damascen. l. 2. de fid. orthod. cap. 3. *Ea naturæ celeritate præditi, vt vbi Dei nutus iusserit, illic statim inueniantur.* Hæ, & consimiles loquendi phrases indicāt motum angelicum esse verum, ac proprium, non autem metaphoricum. Demum accedat Dionys. cap. fin. Cœlest. Hierarc. comparans Angelos ventis, inquit enim. *Ventorum nomen in eis celeritatem indicat, & in omnia, ferè punctò temporis, penetrantem efficacitatem, motumque ex superis ad infera loca, rursusq; ex inferis ad supera, traijciendi,* indeque comparat Aquilæ, *ob regiam potestatē, supera petendi, celeriterque volandi vim.*

Motus triplex metaphoricus in Angelis.

13 Circa eundē Dionysium est recolendus triplex motus angelicus, vt ipse vocat cap. 4. de diu. nom. loquitur autem non de motu physico, sed metaphorico, qui consistit in mentis illustratione, & reductione. Primus autē motus, ex Dion. est *Circularis*: consistit autem in eo, quod Deus Angelum illuminat, immittendo in intellectum eius supernas illustrationes, ipse verò taliter illuminatus, eleuatur in Deum, contemplando, & amando illum: sicq; progressus ille spiritualis, veluti motus quidam circularis, incipit à Deo, tendit in Angelum, & ab Angelo regreditur ad eundem Deum. Secundus appellatur *Rectus*, & est, cum Deus lumen immittit in Angelum superiorem, ipse verò refundit in intellectum Angeli inferioris: vocatur autem *rectus*, quoniam, quasi per lineam rectam ducitur lumen, & illustratio à Deo in Angelū superiorem, & ab Angelo superiori in inferiorem, illuminando eum. Tertius denique appellatur *Obliquus*, & stat in eo, ex quo Deus mentem Angeli illuminat, inde verò Angelus immittit ad inferiora, ita tamen, vt hæc taliter illuminata, non quidem reducātur in Angelum illuminantem, tanquam in finē, sed in Deum: vt puta, dum Angelus illuminat homines, homines inde eleuētur, & reducantur in Deum tanquam in vltimatum finem. Hunc verò motum D. Thom. 1. d. 37. q. 4. art. 1. ait esse compositum ex recto, & circulari, sicut est motus sagittæ per chordam, & arcum, illa enim est recta, hic circularis: ita illuminatus homo, quasi per motū rectū, redeat inde in Deum, reditu circulari. Plura addit ibi D. Tho. at hæc spectant potius ad materiam de locutione, & illuminatione Angelorum.

Angelis competit definitio motus.

14 Secundò dicimus, Angelis non inconuenit definitio motus, hinc autem sequitur consequens, ergo verè potest moueri. Antecedens est probandum: definitio motus tradita ab Arist. 3. physic. est hæc, *Motus est actus entis in potentia, quatenus in potentia*: Esse autem in potentia ad aliquem actum non inconuenit Angelis, ergo competit ei definitio motus. Probatur minor, id, quod non habet in se omnem formam, possibilem haberi, est in potentia ad illam, Angelus vero non habet omnem formam possibilem sibi, patet, non enim habet nunc præsentiam in Empyreo Angelus Custos, licet *Videat semper faciem Patris, quod est in Cœlis*, ergo existens in terra, est in potentia ad redeundum in Empyreum, ibique fieri essentia præsentem, iam peracta custodia. Item est in potentia ad futuras intellectiones, volitiones, operationesque, tum immanētes, tum transeuntes, quas de facto non habet, ergo esse in potentia, & in actu, reddendo singula singulis, non repugnat Angelo, ac proinde non incongruit definitio motus. Probatio hæc vniuersas amplectitur formas, tum spirituales, & immanentes, tum materiales successiuas, & transeuntes, & propterea probat de singulis.

Angelus perfectibilis accidentaliter.

15 Obstari posset, Angelū, alioqui ens perfectum, minime esse in potentia ad motū, quoniam perficeretur à motu, at qualisnam perfectio poterit præstari Angelo à motu? At cessat difficultas, etenim motus quoque esse poterit perfectio Angeli, licet accidentalis, & hoc non repugnat: Quod vero Angelus sit ens perfectum, vtique talis est in genere suo, nihilominus desunt ei perfectiones plures accidentales, has autem acquirere poterit per motum. Perfectio fuit, & honor Gabrielis, vt tanquam Incarnationis nuncius, mitteretur ad Virginem, at perfectionem hanc adeptus fuit per motum, dum *Missus est Gabriel Angelus ad Mariam*

Virginem, & ingressus ad eam dixit Aue gratia plena. Honor quã maximus fuit Angeli in horto confortantis Christũ, *Et apparuit Angelus ei confortans eum*, at honorem hunc adeptus fuit per accessum ad hortum. Honor fuit Angelorum, deuicta iam trina tentatione, ministrantiũ Christo Domino, *Et accesserunt Angeli, ministrabant ei*: Sicque de cæteris plurimis, id vero assequuti fuere per accessum, & motum: & ita de singulis trãseuntibus operationibus discurri poterit: quibus perfectiones accidentales acquiri potuerunt ipsi Angelis. De immanentibus vero operationibus res clara est, etenim intellectus Angeli perficitur per intellectionis receptionem, sicut & eius volitas per receptionem amoris, fruitionis, delectationis, & huiusmodi, ergo caput hoc nõ obstat de perfectione: Et confirmatur, solus namque Deus habet in se actu omnem perfectionem, habuitq; ab æterno, & habebit semper, ergo non expectat perfectionem, quæ sibi succedat de nouo. Angelus vero, cum sit ens limitatum, & finitum, licet actu habeat perfectiones omnes essentiales competentes suæ naturæ, caret tamen plurimis accidentalibus, & ob id erit in potentia ad eas, vt ei quadret definitio motus.

Aristo. definiendo motum an aspexit ad Angelos.

17 Verum est tamen, quod Aristoteles definiendo motum nõ aspexit ad Angelos, ac propterea motũ descripsit corporum, non spirituum: vnde definitio sumenda est, vel late, vel strictim: Primo modo amplectitur quoque Angelos, atque entia, tum materialia, tum spiritualia creata, omnis namque creatura caret perfectione aliqua accidentali, ad quam sit in potentia; Secundo tamen modo nõ conuenit Angelo, ratione passionum materialium consequentium motum rerum materialiũ, à quibus tamen abstrahit Angelus.

18 Cõfirmatur totus discursus: Omne receptiuum plurimarum formarũ, quod nec sit infinitum continens eas simul, nec determinatum ad aliquam ipsarum, potest moueri, seu mutari ad eas, recipiendo illas: at Angelus est de se indeterminatus ad plura loca, & non est de facto in omnibus illis, potest autem esse in quolibet illorum, igitur poterit moueri, seu mutari de vno in aliũ. Maior patet de superficie, quæ de se est receptiua omnium colorum, nullo tamen pacto de se determinata ad aliquem illorum, poterit vtiq; mutari ad illos colores. Item cuicunq; inest potentia passiua ad aliquid acquirendum per motum, non est imperfectionis in in eo, vt habeat etiam potentiam actiuam acquisitiuam: habet Angelus passiuam, ergo & actiuam.

19 Dicendum Tertio: Potentiam passiuam, qua Angelus mouetur ad locum, non esse naturalem, sed neutrã. Est Scoti 2. d. 2. q. 6. de qua consimiliter egimus supra Dispu. de loco Angeli q. 1. Et statuitur contra Molinam 1. p. q. 53. art. 1. ac plerosque Thomistas. Probatur autem: Angelus non est potius inclinatus passiuè ad moueri, quam ad quiescere, ergo est in potentia neutra ad motum. Probatur assumptum, inclinatio passiua prouenit ex prædominio elementi, ideo namque lapis existens sursũ, inclinatur ad motum, quo quiescat deorsum, quia prædominatur in eo elementũ terræ, trahens ad motum deorsum: & vice versa, ideo leuc violenter stat deorsum, quia prædominatur in eo elementum aeris, trahens illud sursum: at in Angelo, qua ratione est spiritus, nullum reperitur elementorum prædominium, trahens vel sursum, vel deorsum: ergo siue moueatur, siue quiescat ad id habet non potentiam passiuam naturalẽ, nec violentam, sed neutram. Item motus Cœli sicut, & quies, nec est naturalis ei, nec violenta, sed neutra. Prob. si naturaliter mouetur, ergo violenter quiescet post diẽ iudicij: vel si naturaliter quiescet, tunc, ergo nunc violenter mouetur. Insuper superficies est in potentia neutra ad colores, si namq; ad albedinẽ haberet potentiam passiuam naturalẽ, ergo ad nigredinem oppositam cõtrariè, siue ad reliquos colores oppositos disparate, haberet se violenter. Denique locus non influit in Angelum, siue producendo, siue conseruando, siue destruendo, ergo nec habebit inclinationem ad motũ siue ad quietem, quibus mediantibus, vel moueatur ad consentaneum locum, vel recedat ab inimico loco.

Auicen. 9. met. c. 1.

Angeli potentia ad motum, & quies neutra.

Potentia Angeli actiua motiua, an detur.

20 Loquutus fui in assertione, de potentia passiua, non autem de actiua: & quidem discrimen est inter vtramq; potentia enim passiua (vt hic) stat cũ inclinatione: Angelus vero nec inclinatur ad motũ, nec ad quietem ob dicta; si namque inclinaretur naturalitèr ad motum, ergo violentèr quiesceret, & è conuerso, si inclinatur naturalitèr ad quietem, ergo violentèr moueretur. At loquendo de potentia actiua, aliter est philosophandum, vnde dicendum, in Angelo reperiri potentiam actiuam naturalem ad motum. Ratio, quia Angelus habet potentiam actiuam, quæ sit principium naturale transmutandi, seù mouendi: assumptũ patet; quoniã in eo est intellectus, qui iuxta Thomistas, per modum imperii, est principium, & causa &c. adest in eo voluntas, quæ de sè sola, iuxta sententiam multorum; est principium, etiam operationum transeuntiũ: adest denique, & potentia exequutiua, iuxta nos, quæ amplius extendit principiũ, & rationem agendi: ergo, à primo ad vltimum est in Angelo potentia naturalis actiua ad motum. Explicant aliqui potentiam hanc naturalem, appellando naturalem, quatenùs distinctam à supernaturali: vel naturalem, prout distinctam à violenta: vel naturalem, non tamen prout distinctam ab agente libero: quidquid tamen sit, iam certum est, in Angelo reperiri potentiam, & principium mouendi, tum sè, tum alia: & confirmatur, virtus namque tributa agenti inferiori, & imperfectiori non est deneganda superiori, & perfectiori, sed in agentibus corporeis reperitur virtus, & potentia actiua, productiua motus, & huiusmodi, ergo non denegabitur Angelo.

21 Aduersus hæc arguit Molina. Primo, motus Angeli est operatio vitalis, promanans à principio intrinseco eiusdem Angeli, ergo habet potentiam naturalem ad motum. Secundo, virtus motiua est naturalitèr debita Angelo non minus, quam brutis.

Motus operatio vitalis.

22 Est qui respondens ait, hæc assumpta nihil probare, *Quandoquidem intellectio, & volitio Angeli sunt operationes vitales*, hæc ille: In hac autem responsione si intendat asserere solam intellectionem, & volitionem esse operationes vitales, non autem motum à se productum, seù ipsam productionem motus, non sumus cũ eo; etenim operationes promanantes effectiuè ab agente viuente, siue immanentes, siue transeuntes, vtique sunt vitales: & probatur promanant à principio viuẽti coniuncto, ergo sunt vitales: Item habent pro principio vitam, ergo sunt vitales: à contrario operationes promanantes à non viuente, non erunt vitales, non enim descẽsus lapidis erit operatio vitalis, licet sit lapidi cõnaturalis: est autem scriptio hæc mihi operatio vitalis; motusque, & ductus calami super hanc paginam est vitalis, manant namque à viuente, & à principio vitali: ergo cũ Angelus mouet seipsum, motus hic, vtpotè emanans à viuente, erit operatio vitalis. Quod si vitalitatem non desumimus effectiuè à principio vitæ, à quo nam desumetur?

23 Respondet insuper, motum dici naturalem, largè sũpto naturali, prout distinguitur contra supernaturale. Distinctio hæc est superflua; etenim dum verè Angelus habet in sè principium actiuum motus, & quietis, & hoc principiũ habet à natura, siue sit per modum imperii, siue per modum voluntatis, siue per potentiam executiuam, vt diximus, sufficiebat dicere, esse vere naturalem, quia prodit, tanquam effectus naturalis ab Angelo, habente in sè verè principium mouendi, & quiescendi, naturale. Quis autem aliundè dubitat non esse supernaturale, iam enim clarè id cõstat, at vltra hoc, est etiam aliunde naturale.

24 Quo fit, vt ad vtrumq; argumentum respondeamus, concedendo motũ Angeli esse naturalẽ, quatenùs tamen promanat à potentia actiua motiua Angeli, & vt sic, est naturalis: quatenus vero dicit ordinem ad potentiam passiuam, non erit naturalis, nec violentus, sed neuter.

Motus consideratur in ordine ad potentiam actiuam, & passiuam.

25 Constito iam, Angelum moueri, vtrum vero motus eius sit continuus, & successiuus, negat apertè D. Thom. in 1. d. 37 q. 4. art. 1. Argentin. ibid. Gregor. tamen in 2. d. 6. q. 2. negat moueri continuò à virtute creata, licet concedat moueri posse à Deo: attamen cõmunis

motus in contrarium, idemque D. Tho. 1. par. q. 53 art. 1. & 2. ad 2. cum suis discipulis.

Motus Angeli an vere continuus, & successiuus.

26 Ex omnibus autem recensitis, duo elic iuntur: Primum, Angelum vere moueri. Secundum, motum ipsius esse vere continuum, & successiuum, haberequè omnem realitatem veri motus: Vt vero magis constet continuitas, & successiuitas motus angelici, addenda sunt, quæ nos dicemus: etenim dum Angelus est indiuisibilis, quomodo poterit successiuitas interuenire in eius motu.

Motus successiuitas ex pluribus capitibus.

27 Vnde notandū est successiuitatem motus posse prouenire ex altero ex capitibus sequentibus, vel enim prouenit ex diuisibilitate mobilis, & diuisibilitate spatij simul: Vel Secundo ex diuisibilitate mobilis solius. Tertio vel ex diuisibilitate solius spatij; per quod fit motus: Vel Quarto ex distātia termini à quo ad terminum ad quem, dato quod mobile, & spatium sint vtrunque indiuisibilia: Vel Quinto ex resistentia aliquali mobilis ad motorem: Vel denique ex ipsamet voluntate ipsius mobilis. Exemplum primi, vt moueatur corpus diuisibile super planum diuisibile. Secundi si moueatur corpus diuisibile super punctum, motus erit successiuus ex parte solius corporis diuisibilis. Tertij si moueatur indiuisibile super spatium diuisibile, tunc motus erit successiuus ex parte spatij. Quarti dato, quod vtrumque sit indiuisibile, & supponendo quantitatem, siue lineā componi ex punctis indiuisibilibus, tunc si mobile indiuisibile trāsiret per istam lineā, haberetur successiuus motus solummodo ratione distantiæ termini à quo ad quem. Exemplū Quinti, vt si mobili aliqualiter resistet motori, tunc non statim fiet operatio, sed temporaneè, & successiuè. Exemplum Sexti, quandocunque mobile vult pro libito suæ voluntatis, maius tempus insumere in sua operatione, tunc namque erit operatio sua magis, & amplius successiua, licet operationem eandem possit in minori mensura assequi, & perficere; ex his omnibus capitibus, vel simul, vel singulariter tentis prouenire poterit motus successiuitas, hoc supposito, facile est omnia argumenta soluere.

28 Primo autem arguitur; *Indiuisibile non potest moueri ex 6. phys. tex. 10.* sed Angelus est indiuisibilis; igitur. Respondetur siue agatur de indiuisibili de genere quantitatis, vt est punctus, siue de genere substantiæ, vt est Angelus, & anima rationalis, negatur, indiuisibile non posse moueri, quoniam successiuitas motus, siue eiusdem motus diuisibilitas non potest prouenire ex parte indiuisibilis; prouenit nihilominus ex parte spatij diuisibilis; non igitur negat Aristoteles indiuisibile posse moueri; sed docet successiuitatē motus non posse prouenire ex parte mobilis indiuisibilis, igitur moueri poterit. & successiuitas proueniet ex capitibus recensitis.

Indiuisibile de genere quantitatis, & substantiæ.

Indiuisibile an possit moueri.

29 Secundo arguitur ex eodem Aristotele ibidem: *Omne, quod mouetur, partim est in termino à quo, & partim in termino ad quem*; sed Angelus non habet partes ergo non potest moueri. Respondetur, quod partibilitas sumenda est, vel ex parte mobilis, vel ex parte spatij, in casu autē nostro partibilitas non se tenet ex parte Angeli, sed ex parte spatij diuisibilis, cuius partes aliquæ sunt versus terminū à quo, & aliquæ versus terminum ad quem.

Quod mouetur partim est in termino à quo, & partim in termino ad quē, declar.

30 Tertio, *Indiuisibile mouens, semper tangit planum in puncto* ex eodem Philosopho, ergo si Angelus mouetur, semper aliquod planum tanget in puncto, inde autē sequitur, quod vel punctus erit immediatus puncto, vel planū componetur ex punctis. Respondetur, quod ly *semper* non est locutio vniuersalis, sed locutio *accommoda*, quandoquidem est locutio distributiua, non pro singulis contactibus, sed pro his solummodo, qui fiunt in puncto, non enim verum est, quod semper tangat in puncto, loquendo de singulis contactibus habitis super ipsum planum; etenim modo tangit in puncto indiuisibili, & post punctū tangit spatium diuisibile, non enim ly semper supponit pro omnibus cōtactibus vniuersaliter, sed est locutio accommoda, nempe ex parte ipsius Angeli, pro quando ipse Angelus tangit, siue alter punctus mobilis, vtique tangit in puncto, quandocunque post contactum spatij diuisibilis peruenit ad contactum puncti indiuisibilis.

Indiuisibile semper tangit in puncto.

lis. Exemplum sit de propositione ista sumpta ex Diuo Augustino. *Pater est principium totius Trinitatis*, quę quidem locutio est *locutio accommoda*, nēpè principium est illarum personarū, quas Pater producit, vt filij, & Spiritus sācti, non autem est locutio vniuersaliter distribuens pro singulis Personis Trinitatis, quia sequeretur Patrem esse principium sui ipsius, quod est falsum, ita hic, & cætera.

Mobile diuiditur etc.

31 Quarto, *quod mouetur, diuiditur in duo, quorum alterum est primum mouens, & alterum est primum mobile*. ex 8. phys. sed Angelus non potest diuidi in ista duo cū sit indiuisibilis, igitur &c. Respōdetur, quod Aristoteles loquitur de corpore mobili viuente, quod quidem diuiditur in duo, in Animam, & Corpus: Angelus quidem non habet ista duo, non enim constat ex Anima, & Corpore, nihilominus debemus concipere in ipso duplicem rationem, alteram principij mouentis, & alteram subiecti mobilis, hæc vero duo, sunt vnum, & idem cū ipso Angelo; ex his vero idem Angelus potest mouere se ipsum.

Mobile vel pertransit spatium sibi æquale, vel minus, vel maius, declaratur.

32 Quinto, ex eodem Arist. Omne, quod mouetur aut prius pertransit spatium sibi æquale, aut minus, aut maius se: Angelus non pertransit maius, non enim potest supra actiuitatem suam: non minus, quia cū sit indiuisibilis, nō datur minus indiuisibili: nec æquale, quia indiuisibile pertranseundo, semper spatium sibi æquale, indicaret spatium, seu lineam, super qua transiret, componi ex punctis siue ex indiuisibilibus. Respond. loquendo de mobili corporeo, id quidē vel pertransit æquale, vel minus, vt patet: loquendo de mobili indiuisibili, vel id erit indiuisibile de genere quantitatis, vel de genere substantiæ, vt Angelus, & anima: Primum falsum est, quod pertranseat minus, etenim indiuisibili, vt puncto non datur minus: item falsum quoque est, vt pertranseat semper sibi æquale: pertransit quidem quandoq; sibi æquale, at inde pertransibit spatium diuisibile ratione vtriusque, quia post transitum puncti super punctū, succedit transitus puncti super partem lineæ diuisibilis, ut punctus videatur immediatus puncto, & indiuisibile indiuisibili, ne ut linea componatur ex punctis. Loquendo de secūdo, poterit Angelus, & anima pertransire, & æquale, & minus, vt placet: Quod si quæras, quidnam erit minus Angelo & anima, cum sint spirituales, & indiuisibiles. Resp. minoritatem, & æqualitatem nō attendi penès quantitatem molis, sed virtutis, in hoc autem datur minus, & æquale, veluti minus & æquale in virtute.

33 Sexto, Angelo nil resistit, ergo non poterit moueri. Prob. cons. quoniam motus successiuitas pendet ex resistentia mobilis ad mouentem. Resp. antecedens esse falsum: soli namque Deo nulla creatura resistit, cum sit potentiæ infinitæ: Angelo autem, veluti inferiori resistere potest Angelus superior, & iam in penè Dan. X. habemus, *Princeps Regni Persarū restitit mihi viginti, & vno diebus*: Item successiuitas prouenire poterit, nedum ex resistentia, verum ex distantia extremorum, quæ cū inter se distent, faciunt motus successiuitatem. Item ex voluntate eiusdem Angeli, vt puta volentis sic, & sic mouere, insumendo maius tempus in motu, denique ex capitibus alijs recensitis. — Successiuitas motus ex resistentia, distantia, & voluntate.

34 Septimo corporale, non pōt subiectari in spirituali: corporale est motus, Angelus spiritualis. Resp. antec. verum de corporali permanēti, non successiuo, vt est motus. — Corporale non potest subiectari in spirituali, declarat.

35 Argumentum desumptū ex perfectione Angeli, vt quod non possit esse in potētia, iuxta definitionem motus, solutum fuit supra.

36 Damascenus lib. 2. de fid. orth. cap. 3. de Angelis inquit, *Confestim reperiuntur vbicunque diuinus iusserit nutus velocitate naturæ*. & insuper, *Vbi Deus iusserit, ibi statim inueniuntur*. Iy autem *statim* excludit moram, & tempus. Ad Damascenum respondetur, velle indicare non motum instantaneum, sed expeditum, & velocem, etenim expeditissimi sunt Angeli ad exequenda diuina mandata, vnde non probatur, quod ait Albertus, Iy *confestim significare momentum*, significat autem promptitudinem, & celeritatē, vnde Damascenus subdit, *Ad explendam Dei voluntatem fortes, & prompti sunt*. — Statim, & momentum non semper indicant instans.

ſunt. Dices, idem Damaſcenus ſubſequitur dicendo, *Vbi circa autem inſerit, illic ſtatim inueniuntur*. Iy autem *ſtatim* negat tempus, & ſucceſſiuitatem. At reſpondetur id ſignificare modicum tempus, vt ſolet etiam in humanis accidere, quæ namque modico ſub tempore geſta ſunt, dici ſolent, *ſtatim facta eſſe*. Confirmatur ex D. Thom. in 4. d. 44. quæſt. 1. art. 1. loquente, *Dicimus ſtatim factum, quod poſt modicum tempus fiet*. Conſimiliter dicendum de momento, etenim momentum non ſemper denotat inſtans, ſed quandoque breue temporis interuallum, vt Paulus Corint. 1. *In momento, in ictu oculi*, idest in breui tempore, vt exponunt Patres, & Scholaſtici.

QVÆSTIO II.

Vtrum Angelus moueatur per ſe, an per accidens.

1 Moueri per accidens ſiue corpus, ſiue quidquid aliud, contingere poteſt multipliciter: quia vero Doctores varie loquuntur de modis mouendi per accidens, eoſque parū neceſſarios exiſtimamus, ideo ad modos alios conuenientiores accedimus, vt explicemus vtrum Angelus poſſit moueri per accidens.

Requiſita ad motū per accidens.

2 Vt ergo aliquid moueatur per accidens plura requiruntur. Primo, vt mobile ſit in alio tanquam pars in toto. Secundo vel tanquam forma in materia: Tertio, vel tanquam accidēs in ſubiecto: Quarto, vel tanquam neceſſario alteri colligatum taliq; colligatio ſiue ſit abſolutè neceſſaria, ſiue ſecundum quid.

Pars mouetur per accidens.

3 Vnumquodque iſtorum ſufficit ad motum per accidens. Et quidem loquendo de primo, cum mouetur totum, mouetur quoque & pars eius: at toti per ſe, pars vero ratione alterius, vnde fit, vt dum non mouetur per ſe, ſed ratione totius, cēſeatur moueri per accidens.

4 Hic quæri poſſet, vtrum pars exiſtens in toto poſſit moueri per ſe: vt puta motus pedis, vel manus, quieſcente toto corpore, vtrum ſit dicendus fieri per ſe: videtur quod ſic, ratio, quia tunc pars mouetur per accidens, quando mouetur ad motū corporis, at quieſcit totum, ergo pars mouetur per ſe. Item contingere poteſt, vt totum non indigeat tali motu partis, ergo motus totus, & totaliter, ſpectabit ad partem per ſe, & ita nullatenus erit gratia totius.

5 Pro oppoſita parte arguitur: pars, quatenus pars pendet à toto in eſſe, & conſeruari, ergo eſt eius non gratia ſui, ſed gratia totius; aſſumptum patet, & ſequitur conſequens: quod ſi eſt eius non gratia ſui, ſed gratia alterius, ergo nec mouebitur per ſe, ſed per accidens gratia totius.

6 Item virtus motiua partis pendet à toto, ſiue à forma quę dat eſſe ipſi toti, etenim virtus motiua huius calami pendet ab Anima, ſiuens in manū, quæ ſcribit, non enim manus habet à ſe virtutem talem, eſt namque manus organum, & inſtrumentum animæ ad ſcribendum: quod ſi virtus non eſt à manu, ſed ab anima, quæ dat eſſe toti, motus quoque manus non erit per ſe, ſed per accidens. Confirmatur, recisa manus non ſcribit, ergo virtutem non habet à ſe, vtpotè priuata ſenſu, & motu.

7 Reſponderi poterit diſtinguendo de operationibus partis, vel namq; operationes tales omnino ſpectant ad totum; tanquam illis indigeat totum; vel vt aliquo modo ſpectent ad ipſum; vel nullatenus indiget eis totum, ſiue nullatenus ſpectant ad totum; primis modis ſpectando ad totum, mouebuntur gratia totius: exemplum, imperet totum, ſiue homo totus, vt manus ſcribat, pes ambulet, os loquatur, operationes iſtæ erūt gratia totius, non gratia partis, non enim propriè diceretur de

Pars in totō an moueatur per ſe.

ſorte,

forte, manus fortis scribit, os loquitur, pes ambulat, sed fors scribit, loquitur, ambulat, ratio, quia ex Arist. *Operationes sunt totius coniuncti*, liceto, verum sit manum scribere, os loqui, & pedem ambulare, attamen prædicationes illæ non sunt vltimatæ de partibus, quoniã vltimato denominatum non sunt partes, sed totũ: sicut nec dicitur propriè manus fortis mortua est, os mortuum, pes mortuus, sed fortes ipse est mortuus: vt sic ergo spectatæ, dici poterũt non moueri gratia sui, sed per accidẽs, gratia totius: Accedit, quod motus talis pendet ab imperio voluntatis, sic ordinantis, & præcipientis manui, vt scribat, os loquatur, & pes ambulet: sic in brutis & si desit voluntas, adest tamen natura, à qua ducuntur, & à qua impellitur pes, vt ambulet &c. Item, quamuis ambulatio, loquutio, scriptio, vita, mors, & huiusmodi, competant quoque partibus, tamen non vltima, & adæquata denominatione.

8 Loquendo tamen de secundis, non videtur fieri motus talis per accidens. Probatur, non pendet v.g. ab imperio voluntatis, ergo fiet gratia partis, nõ totius: Exemplum sit de eleuatione festucæ absque voluntatis imperio facta: siue de pectificatione barbæ nulla præuia meditatione acta: quæ operationes, cum sint indifferentes, non dicuntur fieri ratione alicuius alterius, sed gratia sui, siue gratia partis eas operantis. Dices, habebunt finem aliquẽ operationes illæ, ergo erũt gratia alterius, tanquam finis. Resp. spectando totum, & partem mouentẽ, nullus vtique apparet finis, dum namq; inopinatè barbã pectico, siue festucã de terra eleuo, nullus mihi, siue secundã partẽ siue mihi totũ spectato, occurrit finis: vt sic ergo, nullus est, saltem proximus, & intentus finis: spectãdo tamen Authorem naturæ, adest finis, nihil namq; est frustra in vniuerso, sed omnia diriguntur ab intelligentia non errante, ad destinatũ finem. Obstabis, si spectatæ operationes secundum se, nullum habebũt finem, ergo nec erunt gratia sui, nec gratia alterius: ergo nec erunt per sè, nec per accidens. Resp. vtique in ordine ad sè consideratæ nec erunt tales, nec tales, ratio, quia de sui natura sunt

Operationes indifferentes an fiant gratia sui, an alterius.

indifferentes, ergo abstrahunt, vt sic, ab omni fine, siue meritorio, siue demeritorio, siue bono, siue malo moraliter, vt patet in materia de actibus humanis, & penès Scotum in 2. d. 41. q. vnic. Redeundo tamen ad principale intentum, actiones tales independentes ab imperio voluntatis, non erunt per accidens gratia totius. Idemque esto iudicium de brutis: vbi tamen est diuersa ratio, quoniam non potest pes bruti moueri sine influxu Naturæ, *à Natura enim diriguntur, & non se dirigunt*, ait Damasc. quapropter omnis motus erit gratia totius; homo autem nõ omnia, quæ agit, pendent à nutu voluntatis, quod patet tùm in actibus indifferentibus, tùm in dormiẽtibus, tùm in amentibus. Accedit, quod operationes tales quandoque nullo modo spectabunt ad ipsum totum: ergo concluditur, motũ talem fore per se gratia partis motæ, & non gratia totius. Hoc tamen vltimũ modificatione eget, siquidem eadem pars ducitur ab eadem natura totius, etiam rationalis, licet imperium nullũ accedat voluntatis: quis namque impellit manum ad barbam? quis ad festucam? quis ad cõsimiles motus inopinatos? vtique natura, ergo fiunt impetu naturæ & consequenter per accidens, gratia naturæ. Propter hoc, res ambigua redditur, & disputabilis in vtramque partem: vnde locum habet axioma, quod pars mouetur ad motũ totius per accidens: In hoc autẽ casu, diceretur etiam causam habere per sè, quæ est ipsa Natura.

9 Hoc habito, quod ad hoc, vt quidquam moueatur per accidens, requiritur, vt sit in alio, tanquam pars in toto, sequitur, vt Angelus nequeat moueri per accidens, quia nulli bi est, tanquam pars in toto: Vna quidem ratio partis, competit Angelo, nempe in vniuerso, est enim pars vniuersi, dum vniuersum constat ex creatura corporali, & spirituali, cæterum ratio hæc partis longe admodũ est à ratione partis essentialis, de qua loquimur.

Angelus nõ mouetur per accidens.

10 Insuper non est in alio, tanquam forma, in materia, vt constat: Cælorũ autẽ est forma assistens, non informans. Item non est tanquam accidens inhærens subiecto, non enim indiget inhæsione,

stione nec substẽtatione: Nec veluti alteri colligatũ, siue insequens, vt pluma alligata lapidi: hæc quidẽ tria faciunt, vt quod mouetur ad motum eorũ moueatur per accidens, vt pluma ad motum lapidis: forma ad motum materiæ hærens ad motum substentaculi, siue subiecti, quo indigeat: nõ ita se habet Angelus, ergo non mouebitur per accidens existens in aliquo corpore.

Eques in Equo quomodo moueatur.

11 Dices, Eques mouetur ad motũ Equi: aurum in arca ad motum arcæ: & infirmus ad motum lectuli: ergo & Angelus ad motum siue Cœli siue corporis, in quo existat. Resp. esse disparem rationem, quia aurum, & infirmus pendent ab arca, & lecto, tanquam à conseruante, Angelus non sic à corpore, nec à loco, etenim spiritus indepẽdens à corpore: ita & de Eque, indiget enim Equo, cui insedeat, vt asportetur de loco ad locum, Angelus non indiget Equo asportante &c.

Angelus in alio quomodo moueatur

12 Dices, quomodo ergo mouebitur tunc Angelus, & à quonam? Resp. mouebitur à se ipso, & per sè: vnde est, vt ad motum corporis, ipse, attemperando sè motui corporis, moueat se ipsum, & ipse quoque moueatur à sè, ad motum talis corporis. Ita in consimili docet Scotus de Christo Domino, de quo ait, quod non mouetur à Sacerdote, dum Sacerdos mouet Hostiã consecratam, sed mouetur à Deo, ad motus ipsius Hostiæ, seù Sacerdotis, in 4. d. 10 quæst. 6.

Christus in Eucharistia à quo nam moueatur.

QVÆSTIO III.

Vtrum Angelus moueatur per formam, siue per motum intrinsecè sibi inhærentem.

1 COmmunis vsus loquendi in quæstione ista est, vtrum Angelus sit verè subiectum motus, an vero motus denominet extrinsecè tantum ipsam Angelum: Recentiores vero terminos aliquãto variantes, ita loquuntur, vtrum Angelus moueatur intrinsecè, siue vtrum motus sit forma intrinseca Angeli, clarior tamen sit titulus, vtrum motus verè subiectetur in Angelo. Vbi nihilominus aduertendum per formam intrinsecam non intelligi aliquid quod sit de intrinseca ratione Angeli, sed solũmodo denominationem formalem fiendam in Angelo à motu.

2 In qua quidem rẽ est sententia dicentiũ, motum esse solummodo formam extrinsecam denominantem extrinsecè Angelum, quæ denominatio, vel dependeat à loco extrinseco, vel à distantia à fixis partibus mundi, ita Ferrariens. 3. contra gentes cap. 102. Caitan. 1. par. q. 53. art. 1. Ariminensis in 2. d. 6. q. 1 art. 2. Aegid. in 1. d. 37. p. 2. art. 2. q. 1. quibus fauere videtur D. Tho. 1. par. q. 53. art. 1. inquiens, motum localem non aliud esse quã diuersos contactus diuersorum locorum.

3 Insuper est qui dicat, sententiam recensitam esse veram, quandocunque Angelus mouetur ad motum corporis quod mouet, non autem quandocunq; mouetur de sè solo absq; motu corporis, ita penès Ferrariens. loc. cit.

4 Accedit Vasquez infra citandus inquiens, quod quandocunque mouetur per accidens cum corpore, tũc nullam fieri in Angelo intrinsecam mutationem, quando autem, non per accidens, sed per se mouetur, fieri quidem mutationem: rationem reddit, quia cum per se mouetur, tunc verum modum realẽ vnionis acquirit, quo coniungatur corpori; subdit nihilominus motum formaliter non consistere in acquisitione, aut variatione illius modi vnionis, sed in extrinseca denominatione distantiæ à punctis fixis, & hoc de corpore etiã asserit Christi sub speciebus sacramentalibus mobili per solam extrinsecam denominationem, sicut & de anima mobili ad motũ corporis, in quo sit, ita habet 1. p. disp. 195.

5 Viti-

5 Vltimo est sententia verior, & communis, motum localem esse mutationem, siue formam verè inhærentem Angelo, atq; intrinsecè, & formalitèr denominantem Angelum. Ita Scot. in 2.d.2.q 9.& 10.& in 4.d.10.q 6. vbi de Christo docet moueri proprio motu verè subiectato in eo, dum defertur cũ speciebus sacramẽtalibus. & inter Scotistas expressius Licchetus ad locum Scot. 2. sent. post quos sententiã hanc communitèr amplexati sunt recentiores, vt videre est præcipuè penès Suar. de Angelis lib.4. c.13.& 14. & 12. cæterosq; modernos. Item sequitur Herrera, & Pelantius, penès eundem, atque Molnaius in 2.d.3. disp. 14.& 15. & cõsentiunt ex antiquioribus D. Bonau. ac Riccard. in 1.d.37. hic art.3.q.1. & ille art.1 q.1: quibus adhærent idem Suar. atque Molina, cæterique moderniores, paucis exceptis.

Motus verè formalitèr inhæret Angelo.

6 *Suadetur vero rationibus.* Primo Motus ex Arist. subiectatur formalitèr in mobili, ergo est forma intrinseca inhærẽs Angelo. Antecedens patet ex tradita diffinitione motus est namque: *Actus entis in potentia prout in potentia, per ens vero in potentia*, intelligitur subiectum mobile, per actum autem intelligitur forma, ergo formalitèr inhæret Angelo. Hoc idem probatur ex eodem Arist. 3 phys. t. 16.18. 19.& 21. dum ait, motum esse actum mobilis, nempè formam mobilis, ex hinc vero arguitur forma denominat subiectũ, in quo est formalitèr, & inhærentèr, sed motus inhæret Angelo formalitèr ex Arist. ergo denominat intrinsecè, & formalitèr Angelum. Item lib.11.met.cap.1. inquit, *Motum ad sanitatem esse actum in eo, quod progreditur ad sanitatem*, igitur motus, siue acquisitio sanitatis, denominat formalitèr subiectum sanabile; & insuper addit, motum ad locum esse actum eius, quod mouetur ad locum esse vero actu eius quod mouetur, nihil est aliud, nisi esse formam formalitèr denominantẽ mobile. Præterea 5.phyt. t.3. Arist. tria exigit ad motũm, nempè subiectũ mobile, terminum à quo, & ad quem, indeque concludit, motum debere esse in mobili, non autem in terminum ad quem, verba autem eius hæc sunt. *Horum aliud quidem quod, aliud in quod, aliud vero ex quo motus, manifestum est quod in ligno est, non in forma.* Per formam vero intelligit terminum, & per lignum subiectum, vnde expressè collocat motum in mobili.

7 Ad hæc accedunt rationes, non denominatur Angelus intrinsecè, & formalitèr à motu, ergo non mouetur. Probatur consequens, forma non denominat subiectum in quo non est, sed in quo est, non enim intellectio fortis inhærens intellectui fortis denominat Catonem intelligentem, in cuius intellectu non inhæreat intellectio fortis, sicut nec albedo Cai denominat albũ Etiopem, cuius vultui nõ inhæreat albedo, igitur si motus non inhæret Angelo, neque dici poterit moueri Angelum. Corroboratur ratio ex opposito, quandoquidem tritũ est axioma quod forma denominat subiectũ, in quo est. Item si daretur vacuum, posset vtique in eo fieri motus ex Arist. at motus ille non susciperetur in corpore ambiente, dum nihil esset præter mobile, ergo verè susciperetur in mobili. Rursus sanetur infirmus, quæro de motu isto ad sanitatem, aut recipitur in infirmo, aut minimè, si dederis secundum, ergo non sanabitur, si asseris primum, ergo sanabitur, sed sanatio hæc, siue sanitas non denominat solummodo extrinsecè infirmum sanatum, alias non esset verè sanatus, ergo denominat intrinsecè. Ita pariformitèr Angelus non esset verè motus, sed solummodo apparentèr extrinsecè, & fictitiè motus, dum subiaceret ipsi motui. Præterea Christi Corpus præsens Sacramento Altaris asportatum à Sacerdote, verè mouetur, cur igitur deneganda erit formalis ista denominatio ipsi Angelo. Et confirmatur, etenim magis pendet à loco Angelus, quam Christi Corpus, siquidem Angelus est in loco diffinitiuè, ita hic, vt non sit alibi extra sphæram suam, at Christus in Sacramento non est diffinitiuè; quandoquidem est in tot Altaribus valdè inter se distantibus per totum Orbem, igitur si Christo conceditur talis motus, multò magis concedi debet & Angelo. Accedit, quod anima Christi iterum vnienda corpori in resurrectione prius necesse fuit, vt mo-

uetur

ueretur de limbo Patrum ad sepulchrũ, ibiq; vnita corpori verè dicta fuit, iam acquisiuisse vnionẽ corporis per motum. Confirmatur ex D. Thom. loco citato inquiente, quod Articulus Fidei est, Christum secundum animam descendisse ad Inferos.

Quid in Angelo acquiratur per motum.

8 Ex his infertur, terminũ acquisitum per motum ab Angelo non esse aliquam vnionem, siue modum Angeli cum corpore, quæ moto iam corpore inuariata permaneat simul cum Angelo, sed esse modum realem, siue formam realem intrinsecus denominantem Angelum, quæ quidem forma toties variatur, quoties mutatur Angelus de loco ad locum habita relatione ad partes fixas mundi. cõsentit Suarez, & Molina &c. Ad hæc autem addendũ, non esse negandam vnionem mobilis ad terminum in quo quiescit; quandoquidẽ acquisitio termini importat necessario hanc vnionem, dũ opponitũ, & iam non habebitur adhuc terminus ad quẽ, quia cessaret præsentia, & vnio. Nec remouendus omnino est modus, qualis fortasse describitur à contrarijs; etenim verè Angelus alio modo se habet nunc mouendo, quam prius quiescendo; igitur induit aliam, & aliam modalitatem, iuxta motus successiuitatem. Nec denique remouenda est distantia illa à punctis fixis, quoniam verissimũ est per motum aliter, & aliter distare, siue præsentem esse Angelum punctis fixis, & hæc negari non possunt in quolibet motu tum Angeli, tum animæ, tum corporis, vt experientia docet, quæ tamen aliqui impugnãt, sed immeritò; non enim hæc sunt denegãda in motu, & in mobili, verum est tamen, quod Vasquez, alijq; contrarij hæc incompletè, & inadæquatè asserũt pro motu, & mobili, deberent enim apponere veram formalem, & intrinsecã denominationem, vltra recensita, ad hoc vt habeatur completior ratio mobilis, & motus.

9 Vnio item hæc, quam de se sola, volunt, vt constituat rationem motus, à quo nam pendet? vtique ab Angelo: quæro insuper, per quale medium acquiritur, aut per medium à parte rei existens, aut per solam Angeli voluntatem: si Secundum, vt aiunt, ergo est quid fictitium, quomodo namque poterit per solum imperium voluntatis vniri Angelus, nulla media interueniente actione? non enim poterit corpus corpori distans vniri ex solo imperio suæ animæ, nisi medio interueniente motu, ergo nec Angelus. Dices id esse medium naturæ inferiori, non autem oportere, vt sit mediũ naturæ superiori, qualis est Angelus, cum sit nobilior: sed contra, quoniam dum natura rei ex se aliquid postulat, in quocumque sit, necessario illud postulat: dum namque motus ex natura rei est successiuus, in quocumque subiecto sit, siue corporeo, siue incorporeo, & spirituali, debet sẽper esse successiuus: ergo illud idem, quod est medium corpori, erit & Angelo, vt non per solum nutum voluntatis agat vnionem. Si autem mediũ est à parte rei, illud erit actio, seu productio motus pendens ab Angelo mouente, verũ quia idem Angelus habet rationẽ mouentis, & moti, erit vtrumq; in eodem Angelo, tum actio, tum passio, actio, seu productio motus in eo, tanquam in mouente: & passio, seu motus productus in eodem, tanquam in subiecto moto.

10 Vasquez negat deberi subiectari in Angelo, licet mouente, & moto, nisi extrinsecè: asseritq; euasionem de Deo, qui appellatur Creator, creando: nihilominus creatio nõ denominat intrinsecè, & formaliter Deum, sed creaturã creatam, quæ ipsa, & non Deus, dicitur formaliter, & intrinsecè creari. Facillimè tamen eluditur euasio hæc, etenim differt Angelus à Deo; Deus namque immutabilis est, propterea non recipit denominationem hanc formalem intrinsecam. Angelus vero mutatur, ac proinde erit subiectum capax talis motus.

Quo nã denominatione denominetur Angelus à motu.

11 Thomistæ cæteri de facili negãt hoc idem, quandoquidem distant non consequenter ad locum, dum enim negant esse verè, & propriè in loco, negãt quoque verè, & formali intrinseca denominatione moueri ad locum: sicut autem confutatum fuit hoc de loco, in superioribus, ita ijsdem medijs confutari poterit de motu. De ijs vero sic scribit Molina art. 1. q. 53. *Sectatores D. Thomæ, de quorum numero est Caita-*

nes, coguntur, iuxta hanc sententiam affirmare, Angelos propriè non moueri localitèr, sed eam locutionem esse æquiuocam, sequenti nominibus, vt plures vtuntur: quod nescio, an satis scripturis sanctis sit consonum. hæc ille: Nos autem, præ reuerentia Diui Thomæ, contenti sumus nostram sententiam defensare, abstinendo à censura sententiæ oppositæ. Quapropter concludimus, motum esse relationem mouentis ad mobile. Hæc vero relatio subiectatur formalitèr in mobili, & terminatur ad locum.

13 Arguunt Aduersarij negantes moueri per formam intrinsecam: Motus est via ad locum, sed locus est forma extrinseca mobilis, ergo & motus erit forma extrinseca eiusdem. Resp. negando sequelam, verè namq; locus est quid extrinsecum mobili, vt superficies, minimè namque superficies vltima corporis locantis inhæret mobili, at vero ipsa acquisitio superficiei locantis, seù ipse fluxus formæ subiectatur in Angelo, & hic est motus. Vbicatio etiam passiua hæret intrinsecè Angelo, vt supra diximus, agendo de loco, vbi dedimus vbi intrinsecū ipsimet Angelo.

14. Arguitur. hinc sequi, dari plures terminos in motu, locū quidem acquisitum, & ipsum motum. Resp. esse plures partiales, vnum tamen totalem. Item motus est tanquam via; locus tanquam terminus motus: ex via autem, & termino fit vnum, nam via est gratia termini, & motus gratia quietis, vnde cessante motu fit quies.

15 Obstatur, si motus esset forma talis inhærēs, vel esset forma absoluta, vel relatiua: non Primum, quia non apparet, quidnam sit illud: nec Secundum, quia ad relationem non est motus, ex 5. phys. Resp. ad relationem non esse motum per sè, & primo, sed secundario: id vero de relatione intrinsecus adueniente: de extrinsecus vero est per se, & primo &c. Ad relationem [illegible]

16 Arguitur, ex 8. phys. t. 59. habetur, motum localem, esse perfectiorem cæteris mutationibus, eo quod per generationem, augmentationem, & alterationem, mobile mutatur intrinsecè, per motum autem localem non mutatur intrinsecè. Resp. sensum esse, mobile per motum localem non mutari essentialitèr, & substantialitèr, nulla namque fit mutatio talis, mutatio autem omnis erit accidentalis: cæterum mutatur verè intrinsecè, & formali denominatione ad formam aliquam accidentalem: item hæc forma non erit quid absolutum, vt in generatione, augmentatione, & alteratione, sed respectiuum.

QVÆSTIO IV.

Vtrum Angelus posit moueri de extremo ad extremum, non transeundo per medium.

1 AN vero moueri possit de extremo ad extremum, non transeundo per medium, sūt varij modi opinandi. Et quidem Gregorius Arim. in 2. d. 6. q. 3. art. 2. distinguit, de potentia naturali Angeli, & de potentia absoluta Dei: de vtraque autem concludendo inquit, se ancipitem esse: Eius autem verba sunt, *Corpus Christi existens in Cælo mutatur ad Hostiam Sacramentalem mutatione acquisitiua, quamuis non deperditiua, non transeundo per medium: ergo Deus possit vnum Angelum existentem in vno loco ponere in alio distante, absque eo, quod eum portaret per medium, non enim hoc est minus possibile, quam illud: ergo pari potentia posset Angelum sic mutare de loco in locum, non per medium*. Subdit vero inde, *Quamuis aliqui solemnes Doctores dicant quod sic, mihi tamen dubium est, nec bene clarum; ideo de hoc nihil ad præsens* hæc ille.

2 Albertus in 2. d. 37. artic. 23. ait

moueri

moueri de extremo in extremum, per medium: subdit vero, talem motum fieri in instanti, non in tempore continuo, & successiuo. Ratio eius, quoniam si virtus infinita esset in magnitudine, moueret in instanti, siquidem vinceret omnem resistentiam, seu retardationẽ motus: at virtus Angeli vincit similiter omnẽ resistentiam, ergo, etsi transeat per medium, transibit tamen in instanti.

3 Diuus Bonau. in 1 d.37 part.2. art.2 q.2. docet, rationem non capere, quod motus fiat, & non per medium: verba eius sunt, *Quod possit sine medio, arbitror respiciendum, nõ quia asseram esse falsum, sed quia non est authoritas in promptu, quæ hoc dicat, & ratio non cogit, imo vix capit*. Duo autẽ dicit sanctus Doctor. Primum quod *Non asserit id esse falsum*, & Secundum, quod ad id, *Nec authoritas, nec ratio cogit*. Tertium addit, quod vix capit. Hæc singillatim excerpsi, vt cõste Bonauenturam concordare vndequaque cum Scoto, vt infra.

4 Alensis idem sentit 2.par. q.33. mem.1. & cum eodem Richar. 1.d.37. art.3.q.2. differunt tamen aliqualiter inter se, inquirens enim Alensis, cur Angelus necessario transeat per medium respõdet *id prouenire ratione motus*. Richardus inde subdit, oportere Angelum transire per mediũ. *Non tamen quomodo transeunt mobilia corporalia*.

5 Idem Gregorius art.3 dub.1 aliter respõdet, distinguendo de loco adæquato Angeli, & inadæquato: si namque Angelus sit v.g. in loco sibi inadæquato, & transire velit ad locum adæquatum, poterit id præstare sine pertransitione medij, non tamen relinquendo primum locum inadæquatũ, sed quasi se extendendo ad locum adæquatum; ratio eius, quia nulla apparet resistentia ad hoc, quæ sit causa successionis motus, ac pertransitionis per mediũ, vnde fieri id poterit in instanti. Si vero sit in loco adæquato, & transire exoptet ad alium locum adæquatum, id fieri non poterit sine pertransitione medij: probat, quoniã alias sequerentur inconuenientia, vt puta, vel instans esset immediatum instanti, vel ex duobus instantibus fieret vnum: declaratur, nam derelictio termini à quo, fit instanti, & acquisitio termini *ad quem*, fit etiam in instanti: si demus autem inter hos terminos, nullum reperiri pertransitũ medium, vtique darentur instantia duo, inuicem immediata, inter quæ nullũ esset medium: at instans non succedit immediatè instanti: vel saltẽ sequeretur ex duobus illis instantibus fieri vnum, at id falsum.

6 Diuus Thom. 1 par. q.53 art.2. negantem etiam partem sequitur: distinguit vero de motu continuo, & discreto: loquendo de continuo, ait non posse moueri sine transitione medij: loquẽdo tamen de discreto, asserit at moueri posse sine pertransitione medij. hæc est summa sententiæ eius, & discipulorum.

7 Denique Scotus in 2 d.2. q.12. distinguit prius de medio, antequam soluat quæstionem: aliud namque est medium, quod est aliquid extremorũ, siue medium communicans cum extremis, siue participans de ipsis extremis: & aliud est, quod nihil est extremorum, nec participans, nec communicans cum extremis: Exemplum primi, vt punctus inter duas partes lineæ, continuatiuus earum: siue instans inter duas partes temporis: vel mutatum esse inter duas partes motus: quæ quidem, siue punctus siue instans siue mutatum esse, quamuis non sint linea, nec tempus, nec motus, sunt tamen aliquid ipsorum, quoniam sunt continuatiua eorum, & spectant ad idem genus ipsorum; quomodo etiam meditas huius paginæ est medium, participans de extremis eiusdem paginæ, atque communicans cum eis. Exemplum secundi vt elementũ aeris, medians inter elementum aquæ, & ignis: id autem nihil est eorum, nec communicat cum illis, vt patet.

Mediũ duplex cõmunicans, & non cõmunicans.

8 Hoc præsupposito, Scotus primo ait, loquendo de medijs non communicantibus, necesse est, vt Angelus mouendo de extremo ad extremum, transeat per mediũ. Scotum, vltra Expositores, sequuntur Suarez de Angelis lib.4. c.19. qui licet disputet pro vtraque parte, nihilominus tandem hanc existimat probabiliorem: in fine autẽ

Non potest fieri transitus sine trãsitione medij.

capituli ait, *Sententia ista melius intelligitur, & humana mens facilius in illa conquiescit*. Profecto loquitur more Diui Bonauenturæ, vt supra inquietis, *Quod si sit motus sine medio, ratio non capit*. Sequitur etiam Valentia quæst. 4. punct. 1. citatq; Gabriel in 2. d. 2. q. 3. quem trahit ad hunc eundem sensum, atque Richard. vbi supra, & Tanner. t. 1. disp. 4. q. 2. dub. 7. huius quoque est sententia, qui & citat Molinam q. 53. art. 2. de quo ait, *Videtur consentire*. Loquitur autē assertio de motu, vere successiuo, & continuo, & de motu proprie sumpto, quatenus includit omnem realitatem veri continui motus.

Ordo præfixus à superiori agente est necessario seruandus ab inferiori.

9 Ratio Scoti in primis hæc est: Ordo præfixus à superiori agente, necessario videtur seruandus à quocunq; agente inferiori, si vult operari circa illa, quæ à superiori agente sunt ordinata: Superior autem agens est Author naturæ: at is ordinauit, vt non deueniatur ab extremo ad extremum absque transitione medij, ergo talis ordo seruandus quoque erit ab Angelo, tanquam ab agente inferiori. Declaratur assumptum primo de formis naturalibus: etenim in formatione hominis ordo est, prius viuat vita vegetatiua, inde sensitiua, denique intellectiua, iuxta Arist. in lib. de anim. quia prius viuit vita plantæ, inde vita bruti, demum vita hominis: Item vinū non immediatè acescit, sed in acetum transit, media quadā dispositione, & forma ex 8. Metaph. ergo Angelus quoque non mouebitur immediate de extremo ad extremum. Rationem hanc conficit, saltem in virtute, etiam Aegidius: nisi quod ipse addit, Angelum esse partem vniuersi, & ideo obseruare debere ordinē vniuersi.

Ordinē præfixū à superiori agente seruandū ab inferiori declar. Caietan. considerat.

10 Responsio in primis adest Caetani, inde Vasquij, & quorundam, penès Suarez. Caetanus autē ait, ordinē talem habere locum in mobili corporeo, non autem spirituali, vt est Angelus: Ratio, quia spiritus est absolutus ab his legibus. At contra, & quæro, vnde nouit Caetanus, Angelum esse absolutum ab his legibus: id quidem elicere posset, vel ratione motus continui alterius tamē rationis à motu continuo nostro, ita vt noster quidem continuus requirat medium, suus autem continuus non exquirat tale medium: Vel id elicere posset ratione virtutis angelicæ, quæ ad locutionem Alberti, vincat omne medium: Vel quatenus Angelus per loca transmeet, non per substantiam, sed per operationem: loquendo de primo, id falsum omnino, & implicat in adiecto, nam impossibile est fingere motum, qui sit continuus, & non fiat continuè per transitū medij, ait namq; Aristot. 10. Metaph. t. 20. *Media dicimus, in quæcunque permutari necesse est*. & 7. Phys. *Medium est in quod prius venit, quod continuè mutatur, quam in quod mutatur vltimum*. Quod si recurras ad motum discretum, hoc est alterius ordinis, nec spectat ad præsentem Conclusionem, siue probationem. Loquendo de secundo, reddenda esset ratio, vel testimoniū, quo Angelus se eximere possit ab hoc medio: at ratio nō affertur, quæ sit sufficiens: nec testimonium vllum redditur omni exceptione maius, ipse nē est talis testis? Diuus autem Thomas amplectitur nostram sententiam, expresse docens art. 2. *Quod si motus sit continuus, non poterit Angelus moueri sine pertransitione medij*: talisque est sensus omnium Expositorum, testis ergo humanus accedat, qui sit omni exceptione maior, affirmans motū continuū fieri posse ab Angelo sine medio: vel adsit fortasse aliqua de eo reuelatio, at hæc non apparet: Loquendo de Tertio, facilis est expeditio pro Caetano, etenim, dum negat esse in loco per substantiam, ait operari posse in extremis, absque operatione in medio: at de hoc discussum fuit supra in prope. quæst.

11 Dices, nec nobis cōstare, vel ex reuelatione, vel ex testibus omni exceptione maioribus, vel efficaci ratione, vt ordo talis præfixus à superiori agente, sit quoque de Angelo. Ad hoc respond. nos habere hæc omnia: & in primis, testis est D. Thomas, qui, dum expressè docet, Angelum nō posse moueri sine medio vtique tacito id ipsum docet, quod Scotus, vt porrō rationem esse, ordinem rerum ab Authore Naturæ præfixum, quem transgredi non licet absque, vel rationabili causa, vel superiori nutu, & ordinatione: nec hoc

est

est contra doctrinam Diui Thomæ, cũ sit rationabile omnino. Testem habemus Diuum Bonauenturam, Alensem: Testem habemus Scotum, qui etsi sit sibi inuisus, adeat tamen testimonia recensitarum supra pro varijs opinionibus, quorum maior pars, imo communior Philosophorum, & Theologorum, id docet. Circa vero rationem vtiq; probabilior, sicut & apparentior est ratio allata, quam limitatio sui ad sola mobilia corporea, nulla enim ratio cogit, vt ad illa sola ordinem talem restringamus, quin potiù natura ipsa docet, debere id præstari ab omnibus: vnde merito Bonauẽtura aiebat, quod contrarium *Ratio non capit*, & Suarez, *Mens humana facilius in illa conquiescit*: hæc de Caetano.

Vasquij declar. confutatur.

12 Quoad Vasquez, ait ordinem præfixum ab Authore Naturæ seruari quoad situm rerum ipsius vniuersi, non autem in Angelo quoad transitũ: itaut seruandus sit omnino ordo elementorum, situsq; astrorum atque cunctarum rerum, iuxta collocationem, & situationem factã à superiori agente, & circa hæc nihil potest Angelus: at circa ordinem motus in transeundo per medium, non alligatur Angelus tali ordini. Responsio est quidem ingeniosè inuenta, attamen est purè chimerica: & quæro vnde nam ipse colligit seruandũ esse ab Angelo talem ordinem solummodo quoad sitũ, & non quoad motũ? rationem non affert, quæ conuincat, nec Authorem, cuius authoritas vrgeat ad sic credendum: Nos autem habemus legem ipsam ordinis statuti in vniuerso, quæ cum generalis sit, amplectitur omnes, etiã Angelos. Habemus quoque ipsam naturam motus, qui quatenùs continuus est, non potest non exigere transitum per mediũ: habemus deniq; D. Thomam, Bonauenturam, & Scotum, cæterosque, tum Principes, tum asseclas Theologos, hoc ipsum attestantes expressẽ de Angelo.

13 Aduersus autem, tùm Caetanũ, tùm Vasquez hæc sufficiat argumentatio, id quod est de intrinseca natura alicuius non potest auferri ab eo, absq; destructione illius: at de intrinseca ratione motus cõtinui, vt continuus est, est pertransitio medij, ergo ablatis medijs, iam motus non erit ampliùs continuus: antecedens patet, ablata namque rationalitate ab homine, destruitur homo: & minor quoque euidens est, eatenus namq; est continuus, quatenùs partes mediæ copulãtur, & continuantur vsque quo deueniant ad terminum ad quem: & iam Aristoteles recensitus id explicuit, dicens, *Medium est id, in quod prius venit, quod continuè mutatur, quam in quod mutatur vltimũ*. Et Thomistæ ipsi, sicut & Caetanus ac Vasquez, motum continuum in eo distinguunt à motu discreto, vt mouendo Angelus motu discreto, non opus sit pertrãsire media; quapropter cõtinuũ, & discretum distinguunt essentialitèr per habere media, & nõ habere media.

14 Circa Suarez, impugnat ipse rationẽ Scoti, simul & Aegidij: vbi multa dicit: Et in primis ait, *Fundamentum hoc infirmum est, quia si ex natura rei necessarium non est, Angelum transire per medium, gratis, & sine fundamento dicitur &c.* Circa hoc autem, potius ipse gratis loquitur, & sine fundamento; siquidem hic loquimur de motu, vt continuus est, at motus vt continuus, postulat ex natura rei, vt fiat per medium, ergo non loquitur gratis, & sine fundamento Scotus, & Aegidius, sed ipse potiùs, videtur enim destruere naturam continuationis motus. Pergit insuper, dicendo id nobis non constare ex reuelatione, nec ex aliquo effectu. Ad illud de reuelatione dicendũ, quod non non oportet haberi de hoc reuelationem, maximè, cum naturæ viribus ad hæc attingere valeamus, cognouit antè Aristoteles naturalitèr, ad motus continuitatem requiri mediorum pertransitionem, vt retulimus: Dicat autem ipse Suarez, si aliqua extet reuelatio de opposito, afferat si est: at dum vbicunque, & vtrinq; cessat reuelatio, attendenda est ratio, & natura, atque exigentia ipsius rei, nos vero attendendo intrinsecam naturam motus continui, comperimus cum Aristotele, cæterisque Philosophis, & Theologis, exigere essentialitèr pertransitionem medij, alias nõ esset cõtinuus. Ad illud de effectibus, non vtiq; videmus substantiam nudam Angeli in suo motu, cum spiritualis sit, & ob id, ab effectu non

Reuelatio de oppo. non est necessaria.

possu-

possumus id indagare: attamen indagamus aliundè, vt possumus, vtpotè à natura motus, quatenùs includit omnē realitatem motus, vt sic namque ab intrinseco postulat medium, quod si destrueret Angelus, vel destrueret motum continuum, vel moueretur motu non continuo, sed discreto: afferat tamen ipse, si viderit, motum sic procedentem ab Angelo, absque pertransitione medij. Item addit, nullum fore perturbationem in vniuerso, si moueretur absq; transitu medij. Ad hoc dicendū, nullam vtique fore in vniuerso perturbationem talem, nihilominus fore perturbationem in ipso motu, quandoquidē adeo perturbaretur natura continui motus, vt iam non esset ampliùs motus continuus, sed discretus, vnde destrueretur ipse continuus motus. Adde, quod id redundaret etiam in malum, seù perniciem vniuersi, ratio, quia perturbatis partibus, perturbatur & totū: motus autem non est de minimis portionibus vniuersi, quin potiùs est tantopere necessarius in vniuerso, tùm ad vitam tuendam, tùm ad actiones alias vitales, munia exequenda &c. Accedit quantopere commotum fuerit vniuersum in commotione, & perturbatione partium aliquarū eiusdem vniuersi in Passione Domini: itaut, *Vel Deus Natura pateretur, vel tota Mundi machina destrueretur* teste Dionysio: licet autē talia, ac tanta non euenirent in casu nostro, nihilominùs data proportione, haberēt etiam locum ea, quæ diximus.

Perturbatio partium redundat etiā in vniuersū.

15 Ad id præcipuè, quod addebat Aegidius, Angelum esse partem vniuersi: sunt, penès eundem Suar. qui id negant: Verum immeritò: habetur namq. in cap. firmiter, de sum. Trinit. & fide cathol. *Deus ab initio vtramque condidit creaturam, mundanam scilicet, Angelicam, & humanam.* Ergo ab initio condidit Deus angelicam naturam, veluti principalem partem vniuersi inter creata. Item Angeli tùm Deo assistunt, tùm mittuntur ad extra, siue ad custodiendos homines, Prouincias, & Regna; siue ad regimen ipsiusmet vniuersi. Demum in Patria, Animæ beatæ implebunt sedes Angelorū, qui corruerunt, ecce qualitèr & ipsi ad ordinem pertinent Vniuersi, & partes sunt Principes vniuersi. De his satis.

Angelus an sit pars vniuersi.

16 Redeundo autem ad principale, arguitur insuper, si à substantia demeretur quantitas, deberet nihilominus moueri motu verè continuo, transeundo per medium, ergo & Angelus, qui similitèr non est quantus spiritualis. Sunt qui negent assumptum: vel quia tunc substantia illa nullibi esset; tùm etiam quia nec posset absolutè, & simplicitèr moueri, & multo minus transeundo per medium. At hæc inania sunt; non enim quantitas est ratio præcisa essendi in loco, etenim anima, & Angelus sunt in loco, & sunt omnino abstracti à quantitate, & materia, multo ampliùs esset sic substantia materialis non quanta. Quod etiam esset immobilis, nulla ratione conuincitur; & saltem per diuinam potentiam posset moueri: at quis negabit Angelū posse illam mouere? ratio, potest namque Angelus mouere animā, vt dicitur de anima Lazari, *Factum est, vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ*, ergo & poterit mouere substantiam illam: nisi tamen fortasse superaret vires alicuius Angeli inferioris, quæ nihilominùs moueri posset ab Angelo potentiori.

Si à substantia demeretur quantitas, [illegible]

17 Insuper, de ratione motus continui est, vt mobile partim sit in termino à quo, & partim in termino ad quē, ergo erit priùs in medio, quam in extremo.

18 Item talis est ordo inter partes loci in ordine ad motum continuum, qualis est ordo inter partes temporis præteritas, & futuras: at tempus futurū non potest aduenire, nisi trāseatur per tempus præsens, ergo nec ad terminū ad quem loci poterit per continuum motum deueniri, nisi transeatur per medium.

19 Item si posset trāsire sine medio, ergo poterit se subito transferre ad quamcunque magnam distantiam, & ita in momento poterit quemcunque locū, qualitercunq; distantem acquirere. Respondet Caetan. concedendo sequelam, quia Angelus absoluta operatione in loco, non dicitur distans ab vllo loco. Responsio supponit non esse in loco, nisi per operationē, quod supra impugnauimus.

20 Rationes plures cōgerit Valentia t. 1 disp. 4. q. 4 puncto 1. qui confirmans ordinem vniuersi recensitum à Scoto, ita scribit, *Et videtur si quis necessario ex ipso intrum ordine, vt stante ac subsistente quouis vnum locum deserit, vel inuicem excipiatur aliud proximo illi priori*, nota ly *inuicem*, quandoquidē, velit, nolit creatura, quandocunq; mouenda est motu vere continuo, includente totam realitatem motus, necesse est, vt moueatur per media, nec enim poterit creatura vlla, quantæcunque virtutis, destruere naturam motus continui, de cuius essentia est continuitas, & transitus per media.

21 Accedit deniq; Arist. 6. phy. t. 77. inquiēs, *Prius ad mediū oportet peruenire id, quod fertur*. & l. 5. t. 22. *Inter esse id, in quod prius aptum natura est, peruenire id, quod mutatur, quam in quod vltimū mutatur*. cætera supra.

22 Addenda foret ratio, ex principiis Thomistarum, vt quod agens non possit agere in distans, absq; quod prius agat in medio: quo supposito arguitur ad hominē, minus est agere in distans, sine transitu actionis per mediū, quam Angelum suam substantiam collocare in extremo loco, absq; transitu per medium: at non potest præstare illud, vt agat in extremum, nisi præagendo per mediū, & hoc est minus, ergo nec poterit se collocare per motum in extremo, quin se prius collocet in medio, quod est maius.

23 Demū ex sectatoribus D. Thomæ Tanner. cit assert. 2. in fin. sic concludit, dicens, *Neque vlla ratio, aut experientia, vel authoritas probat oppositū de Angelo*: Quo fit, vt euasio Caetani restringens ordinem vniuersi ad sola corpora, eximptando Angelum, remaneat elusa.

Loquendo de motu improprie sumpto posse transire.

24 Secūdo Scotus ait, quod loquendo de mediis communicantibus inter extrema, & de motu impropriè sūpto, nempè pro mutatione locali, subitanea, & instantanea, potest transire de extremo in extremum, absque pertransitione medij. Sequuntur Authores citati pro sententia Scoti. Scotistæ in probationem afferunt naturam mutationis, quæ cum sit de se instantanea, nō requirit continuitatem, nec successionem, neque transitum per medium; ergo dum medium est eiusdem rationis cum extremis, poterit transire absque medio. Vtrum autem hæc probatio vrgeat, videtur, quod non magis competat medijs communicantibus, quam non communicantibus, ratio, quoniā omnis mutatio erit semper instātanea, etiam si fiat inter extrema non communicantia, si namque per solam mutationem mutetur Angelus de Cœlo ad Terram, vtiq; per media, etiam non communicantia fiet, non enim Aqua, Aer, & Ignis interceptus cōmunicant, dum eiusdem rationis non sunt cum Cœlo, & Terra: ergo mutatio de se sola non est ratio, quare non sint pertranseunda media participantia, nec namque per veram mutationem pertranseuntur media non participantia, vt in Sacramento Altaris, cui sit in instanti præsens Christus, non pertranseundo media inter Cœlū, & Altare, non enim fit mutatio hæc per motum continuū, & successiuum. Dices, ratione hac vtitur etiam Scotus; fateor, at illa, & si sit recepta, tamen nō affertur, vt adæquata, & præcisa.

Probatio Scotistarū vrgeat.

25 Vnde aliūde est efficaciter probanda conclusio: & ita probatur; ideo non est opus transire per medium, quia medium est idem, seu ferè idem, cum extremis: quod si ferè idem sūt extrema, & medium, non diceretur transire ad extremum per media: Probatur assumptum, sit Angelus in extremo Angulo huius aulæ, transeat ad alterum extremum, transibit quidem per medium, (saltem ordine naturæ, vt dicemus) attamen medium interceptum est eiusdem rationis cū extremis, imo idem, seu ferè idē: fiat res clarior, transeat à primo angulo huius paginæ ad alium, medium interceptum erit idem cū extremis, quoniam est eiusdem rationis cum eis, nam ab angulo ad angulum nihil inuenies, nisi papyrum, & in extremis, & inter extrema nil reperitur, nisi papyrus: hoc stāte, nō dicitur transiri per medium, ibi, vbi mediū est idem cum extremis, extrema namq; cū tali medio cōficiunt vnū totū, tale autem totum, est totū similare, eiusdemq; rationis, & idem, seu ferè idē, sicut partes omnes, tūm extremæ, tūm interme-

dia

diæ in ista pagina; omnes sunt pagina, imo sunt vna totalis pagina: vnde concluditur, vt transiens v. g. à loco semipedali ad alium semipedalem, non dicatur transire per medium, quia iam vterque constituit integrum pedalem.

26 Dices, hoc non est intelligibile, vt medietas huius paginæ non habeat rationem medij; & sic de aliis exemplis. Resp. quod spectata in ordine ad sé, & prout est via ad extrema, vtique habet rationem medij, at spectata, quatenus est participans & communicans cum extremis, se habet vt ferè idem cum extremis, & ita nō habebit rationem medij; licet enim videatur ita esse, attamen, non ita est, mediū namque participans, est partim ipsum extremum, vide Valent. in fine.

Media communicantia transeuntur solo ordine naturæ.

27 Et hinc solui potest instantia facta à Vasquez, sicut posita ab eodem Scoto, vnde nam est, vt loquendo de medijs non communicantibus, oporteat transire per media, non autem loquendo de communicantibus. In Primis respondet Scotus, debere etiam pertransiri media communicantia, at solo ordine naturæ, non temporis: non communicantia autē, ordine durationis, & temporis; quæ doctrina verissima est, quidquid dicat Tanner. nu. 15. in fin. in quiens, Aristotelem loquutum fuisse de transitu fiendo ordine temporis, non naturæ: Aristoteles autem loquebatur de motu vere includēte omnem realitatem motus, vt continuitatem, & successiuitatem, quæ requirunt durationem, & tempus, non autem loquebatur de mutatione, quæ fit in instanti, & respuit mensuram durationis.

Communicantia, temporis.

28 Item Secundo responderi potest consequenter ad dicta, quod media cōmunicantia, quatenus facientia ferè vnum cum extremis, non possunt pertrāsiri ordine durationis, & temporis, ratio, quia inter extrema sunt media participantia infinita, vtpote infinitæ partes lineæ intermediæ, & infinita puncta continuantia intermedia, licet non in actu subsistendi, sed in potentia; at infinitū non potest pertransiri, nisi per durationē infinitam; tempus autem habet quoque partes infinitas similiter, & mutata esse infinita in potentia, ergo cū mensura debeat adæquari mensurato, vtique solo tempore debebunt pertransiri talia media: cum vero instans non sit infinitum, sed rapitim transeat, hinc est, vt non possint per vnicam mutationem instantaneā transiri talia tot media, esset enim inadequata, & insufficiens mensura; restat ergo, vt dum pertranseuntur, pertranseantur per tempus, vtpote per mensuram adæquatam, dum vero instans est mēsura inadæquata, minimè transeantur per instantaneam mutationem. Dices, cur ergo transeuntur ordine naturæ, si sunt impertransibilia? Respondendum, non implicare talem ordinē; nam in vno instanti tēporis includuntur plura instantia naturæ, cum vero mens humana sēper cogitet inter quælis extrema reperiri media, hinc est, vt dum transitus qualiscunque fit, semper dicat aliquam intercapedinem, siue ordinem; dum etiam ordo nō sit temporis, nec ipsorum instantium temporis, ne demus instans instanti immediatum, nec etiā Scotus admittat motum, & tempus discretum, merito talis ordo appellandus venit ordo naturæ, vt transitus fiat mediorum, ordine naturæ.

29 Ex omnibus autē deducitur duplex assertio, Prima, siue sumamus motum rigorose pro continua, & successiua termini acquisitione, includente omnem realitatem veri motus, vtpotē fiendi in tempore; siue sumamus impropriè, pro sola instantanea mutatione, abstrahente ab ipsa realitate veri motus: dicendum est, quod non poterit fieri transitus, nisi per medium. Secunda, siue loquamur de medijs communicantibus, siue non communicantibus, non potest trāsire de extremo ad extremum sine transitione medij. Intelligantur vero, reddendo singula singulis, iuxta dicta, vt pertransitio, modo fiat ordine durationis, & temporis, per media non communicantia, sumpto motu perfectè, & rigorosè: modo vero fiat ordine solius naturæ per media participantia; sumpta mutatione solū instantanea, quæ singula probata remanent sufficienter. Adde Tertiam, quod loquēdo de extremis immediatis & de motu largè sumpto, pro mutatione instantanea, potest moueri in instanti,

Non potest fieri transitio nisi per medium.

Recapitulatio solutionis quæst.

non

non transeundo per medium succesiuè: patet, tum quia mutatio est instantanea, ergo nō mouebitur in tēpore. Item si extrema sint omnino immediata, ergo nullum aderit medium, quod pertranseatur, supponendo, Angelum esse in toto primo extremo, & non in parte; vtpotè si sit in tota illa aula, poterit simul totam relinquere, indeq; totam instantaneè acquirere aliam immediatam: cęterum si sit in parte huius aulę, vt inde se trāsferat in alteram, iam intercipientur media, quę pertranseat, siue per motū in tempore, siue per mutationem in instanti.

30 Posset hic agi de motu discreto an detur. Verum id remanet confutatū ex confutatione temporis discreti, de quo supra loquēdo de mensura Angelorum.

31 Argumenta potiora quę obsistunt, hęc sunt, Primo, potest Angelus operari in distans absque quod operetur in medio, ergo potest esse in extremis distanti per motum, absque quod trāseat per medium: Antecedens conceditur à Scoto, ideo fit ad hominem, contra Scotum.

32 Secundo, potest Angelus velle esse in extremo distanti, absque quod velit transire per medium: potentia autem angelica, cùm sit tam magna, non videtur, quoad hoc posse impediri.

33 Tertio, potest intelligere extremum, non prȩintelligendo medium, ergo & poterit esse ibi, non transeundo per medium.

34 Quarto, Sol illuminat extrema distantia, absque illuminatione medij, & absque mora, & intercapedine temporis, ergo poterit & Angelus transire ad extrema, sine medio.

35 Quinto Christus Dominus in Sacramento Altaris fit praesēs descendendo è Cœlo ad Altare, absq; pertransitione medij; quare ergo non poterit Angelus de Cœlo descēdere ad terram, absq; pertransitione elementorum intermediorum?

36 Sexto, idem Christi Corpus, de vtero integerrimae Virginis transiit extra, absque pertransitione medij.

37 Septimo, anima intellectiua informare potest partes extremas corporis dispositas, absque quod informet partes medias indispositas, ut eūt nūc, poterit idem praestare Angelus habens maiorem virtutem, quam anima.

38 Octauo, nimis detrahitur velocitati Angeli, dicendo non posse transire sine medio, est enim velocissimus in suo motu.

39 Nono, Angelus non est necessario in loco, dum potest se eximere ab omni loco: ergo nec necessario est in medio loco.

40 Ad Primū, Resp. Primo negando consequens. Resp. Secundo supponere, Angelum esse in loco per operationem, quod confutauimus.

41 Ad Secundū, distinguo, vel enim loquimur de Angelo bono, vel malo: si de malo, poterit vtique id appetere, attamen *desiderium precariorum periret*, quoniam appeteret aliquid contra ordinem Naturae, qui est, vt ab extremo non transeatur ad extremum, nisi per medium: nec mirum, si posset id appetere, quoniam malus Angelus vellet, quantum est de sē, destrui totum vniversum, desiderium autem talis trāsitus absque medio, non adimplebitur. Si vero loquamur de bono, dicendum Primo, quod bonus Angelus nequaquā id appeteret, ratio, quia conformatur ordini vniuersi, statuto ab Authore Naturae Deo, ipseq; bonus Angelus nō destruit, sed potius conseruare nititur ipsum vniuersum in suo ordine; vnde coelestes intelligentiae mouent ordinate Orbes ad commune commodum vniuersi: Angeliq; ipsi sunt *Administratorij spiritus propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis*, Custodiunt Regna, praesunt Prouinciis, ac destinantur ad hominum custodiam, & tutelam, conanturq; conseruare omnia in ordine suo, ac propterea, dum ordinatè cuncta volunt, (vt decet) volunt quoque, vt motus fiat de extremo in extremum, seruata tamē lege, & ordine naturae, prius transeundo per medium, nec volūt oppositum, ne destruant ordinem naturae: Resp. Secundo, quod si casus contingeret, vt id appeterent, tunc Deus condescenderet ad desideria eorum, inquit Scot. lic. F. motusq; talis fieret per diuinam potentiā absq; medio in angelici desiderij adimplementū: vide consimilia ad hæc, supra disp. 5. q. 8. num. 5 & 6.

Angelus an possit velle transire absq; medio.

Intellectus pot abstrahere à medio, non autem motus, nec potẽtia motiua.

42 Ad Tertium, Resp. 1. negando consq. quia intellectus est potentia magis abstractiua, quam sit potentia motiua Angeli, vnde ille non alligatur tali ordini bene tamen alligatur potẽtia motiua. Resp. 2. quod intellectus in intelligendo non pendet à loco, ergo potest abstrahere à medio loco inter extrema loca. Resp. 3. quod intellectus in intelligendo nõ pendet à motu, ergo nec alligatur legi motus, vt transeat per medium. Dices, discursus intellectus est quidam motus. Resp. est motus intentionalis, non physicus: hic quidem necessario pẽdet à medijs, extremis, ille nõ, ratio, quia intellectus est potentia abstractiua, & potens abstrahere à medijs. Vel motus talis intellectus appellandus venit motus metaphysicus seu metaphoricus. Deniq; id potest aptè facere, abstrahẽdo à medio, quia *Abstrahentium non est mendacium*. Et insuper, ista abstractio præcisiua, quia per intellectum: nõ diuisiua, quia non à parte rei.

Illuminatio aeris an vna, an plures.

An tota simul.

43 Ad Quartum de illuminatione dicendum, illam esse totam simul in medio, & in extremis: nec fieri per motum, sed per instantaneam mutationẽ, ait Scot. qui etiam addit, *Vel esse plures mutationes, ordine tamen non temporis, sed naturæ*: sensus illius est, vt si vellimus, illuminari mediũ, & extrema per plures mutationes, eę nõ fient ordine durationis, & temporis sed naturæ: verum Prima responsio est, vt sit vna omnium instantanea mutatio, quia nõ implicat aliquam alterationem esse totam simul, quandocunque agens respicit pro termino suæ actionis, totũ passum constãs ex medio, & extremis. Dices, sonus multiplicatur per medium ordine durationis, & temporis, ergo etiam illuminatio fiet in tẽpore. Resp. negando consequens, quia multiplicatio soni fit per motum localem, illuminatio autem abstrahit à tali motu.

Soni multiplicatio in tempore, illuminatio aeris in instanti.

44 Ad Quintum, iam cõstat id fieri per diuinam Potentiam.

Christus nascendo pertransijt media, sicut & resurgẽdo.

45 Ad Sextum, verè Christus Dominus transijt per vterum Beatissimæ Virginis, vereq; fuit translatum corpus eius per medium; attamen factum fuit miraculum penetrationis: sicut & per medium transijt quando ingressus fuit ad discipulos *ianuis clausis* quemadmodum, & quando resurgens, exiuit de sepulchro: in quibus omnibus pertransijt media, facta penetratione dimensionum per miraculum: absque tamen apertione ianuarum, & Sepulchri: & absque præiudicio integerrimæ virginitatis Mariæ.

46 Ad Septimum, anima tũc se haberet ibi non per nouum motum, sed per antiquam informationem: dum namque ab initio informauit caput, media, & pedes, si accidat inde, vt pars aliqua media arescat, non dicetur anima moueri ad informandos pedes, sed remanens, vt prius in pedibus, desinet informare medias partes arescentes. Resp. 2. argumentum concludere Angelum posse esse simul in extremis duobus, absque eo, quod sit simul in medio, non autem quod moueri possit absque transitione medij.

Anima in scente parte mota, quomodo se haberet.

47 Ad Octauũ, nihil detrahitur velocitati Angeli, dicendo, necessitati ad transire per motum; etenim ita natura motus exigit, nec destruẽda est natura motus, vt illa absq; ratione adaugeatur velocitas Angeli: & Angelus quidem bonus contentus est, res conseruari in suo esse, apprimè enim nouit Angelus quid, & quantum velocitas sua possit, & quid consentaneũ sit naturæ motus.

Loca extrema esse possũt sine medio, non tamen motus sine medio.

48 Ad Nonum, aliud est loqui de existentia in loco, & aliud de motu ad locum: Primum cõceditur, de quo egimus Disputat. præced. Secundum negamus; ratio vtriusque, quia non est tanta connexio loci medij ad locum extremum, quanta est motus per medium ad extremum: locus enim, vt locus, non postulat necessario, vel locum medium, vel alium locum: potest enim locus esse, siue loca, sine locis intermedijs, nam posset Deus conseruare in hac aula duos extremos Angelos, siue suo extrema loca, & destruere omnem locum intermedium, faciendo ibi vacuũ, & nihilominus illa duo extrema essent vera loca, cum tamen non possit tolli à vero motu continuitas, & successiuitas per medium ad extrema loca.

49 Sicque possat consequenter argui de Angelo, iam enim dictum

fuit,

fuit, posse Angelum existere simul in pluribus locis discontinuis intra sphæram suam, non existendo in medio eorum, ergo poterit & moueri de extremo in extremum, non transeundo per medium. Responsio iam constat, aliud esse de existere in loco, aliud de moueri ad locum: eo autem casu diceretur quidẽ existere in extremis locis discontinuis, non existendo in medio, non vero diceretur moueri de extremo in extremũ, non transeundo per medium: nam eo tunc, nil diceretur agere Angelus positiuè circa medium, sed se haberet solũ negatiuè, nempè, non coexistendo in medio, sed derelinquẽdo esse in medio, nec operãdo quidquam ibi, nec transeundo per illud: vnde committitur fallacia, commutando statum in loco, ad motum in loco.

QVÆSTIO V.

Vtrum Angelus possit moueri in instanti.

1 GRegorius, atque Gabriel allegandi, animaduertũt, successiuitatem motus prodire posse ex duobus capitibus: Vnum est pendens ex ipsa natura motus, cui necessario competit successiuitas de se, cum sit essentialiter successiuus: alterum pẽdet ex parte spatij, per quod fit motus, quod cum diuisibile sit, causabit successiuitatem motus: immo dato, quod spatium non sit diuisibile, nihilominùs aliundè causabit successiuitatem motus. Attenta quidem prima consideratione, minimè poterit fieri in instanti, attenta autem secunda, poterit fieri. Et hinc inferunt, liberum esse Angelo, moueri, siue continuo motu, siue in instanti.

2 Hibernicus addit, nedum posse Angelum moueri in instanti, verum & debere moueri in instanti. Ratio autem omniũ hæc est: successiuitas motus pendet ex resistentia medij, seu spatij, at Angelo nihil resistit, ergo vel poterit moueri, vel necessario mouebitur in instanti. Item ex 4. Phys. t. 71. docet Arist. quod si daretur vacuum, posset in eo corpus moueri in instanti, fundamentum huius est, quia in vacuo nõ reperiretur plenũ, quod resisteret corpori mobili: ergo corpus moueretur ibi in instanti: hinc vero arguitur à fortiori, & à simili, nam Angelo nihil resistit, etiã si moueatur in pleno, vnde sicut se habet vacuum ad corpus mobile, ita spatium plenum ad Angelum: at vacuum non resistit corpori, ergo nec plenum resistet Angelo: at ablata resistentia in motu, motus non fit successiuè, sed in instanti, ergo Angelus mouebitur in instanti. Fundant ergo totam successiuitatẽ motus in sola resistentia medij, quæ cum nulla sit penès Angelum, mouebitur in instanti.

3 D. Thom. 1. par. q. 53. art. 3. docet Angelum nõ posse moueri in instanti: vnde ait, quod si motus sit continuus, erit necessario in tempore continuo: si vero sit discretus, erit in tempore nõ continuo, sed discreto. Inter cæteras vero probationes hæc fit ex D. Thom. Quiescens in aliquo toto tempore præcedenti, necesse est, vt quiescat etiam in fine illius tẽporis, siue in vltimo instãti illius tẽporis, ergo si Angelus v. g. quieuit per spatiũ horæ, non poterit in vltimo instanti illius horæ moueri, igitur non poterit moueri in instanti.

4 Rationem hãc impugnat Scot. in 2. d. 2. q. 11. & sequitur Vasquez 1. p. disput. 197. cap. 2. Molina q. 53. art. 3. & Suarez de Angel. l. 4. cap. 21. non dissentit, Bassolius non putat improbabile, apertè autem Gregor. in 2. d. 6. q. 3.

5 Duo præstabimus in præsẽti dubitatione, Primum est inquirere, an vera sint, quæ dicunt Gregor. Gabr. & Hibernic. & Secũdo videbimus impugnationes rationis allatæ à D. Thoma.

6 Circa Primum, iam superiùs, hac eadem disputat. q. 1. notauimus capita, ex quibus pẽdeat successiuitas motus, *Successiuitatis motus capita duo.*

nunc vero iterum, sed sobriè recensebimus, vt pateat aditus ad impugnationes eorum: Capita ergo non vnũ, sed plura, hæc sunt, vtpote diuisibilitas mobilis: diuisibilitas spatij: indiuisibilitas spatij, cum diuisibilitate mobilis: indiuisibilitas mobilis, cum diuisibilitate spatij: distãtia extremorum: resistẽtia mobilis ad motorem: & propria voluntas ipsius mobilis, siue velociùs, siue tardiùs cupiẽtis moueri: quæ omnia remanent explicata ibi. Ex his vero deducimus non vnum, sed plura esse capita cõtinuitatis, & successionis motus, quapropter primò inferimus, male citatos Authores continuitatem motus restrinxisse ad vnicum solum caput, nempe ad spatij plenitudinem, cum oriri possit ex tot recensitis capitibus. Item minus probabilis, imo magis improbabilis est opinio Hibernici, potest namq; Angelus moueri, vt placet, ergo nõ cogitur moueri in instanti: Antecedens remanet probatũ q. 2. vbi potentiã motiuã Angeli non esse naturalem, diximus; per naturale autem, (nunc licet addere alterum significare) vt nedum excludat potentiam oppositam violentam, quapropter sit in potentia neutra ad motum; verum & intelligamus necessitatem naturæ, quomodo dicitur lapis moueri naturaliter deorsum, tùm ratione inclinationis naturalis, tùm quia necessario à natura, seu grauitate impellitur deorsum: quapropter liber est omnino Angelus ad motum, liberq; etiam manet ad sic, & sic moueri; tùm motu continuo temporaneo, & successiuo, tum instantanea mutatione. Item non sequitur cõsequens illud, spatium non resistit Angelo, ergo mouetur necessario in instanti; negatur consequens, siquidem dato, quod non resistat spatium, poterit tamen resistentia aduenire aliundè, vtpote poterit Angelus superior, maiorisque virtutis, impedire Angelum inferiorem, minorisq; potentiæ, siue ne moueatur omnino, siue ne tam cito motum suum conficiat: hæc possibilia sunt. Insuper cum potest Angelus Angelum, siue omnino impedire, siue retardare à motu, poterit ampliùs idẽ Angelus siue se cohibere, siue frenare potentiam suam motiuam, vt nõ tam cito, sed lento gradu peragat suũ motum. Insuper dato vacuo, quiuis nulla daretur resistentia ex parte spatij, daretur tamẽ motus successiuitas ex parte distantiæ extremorum, non enim extrema essent simul, ergo hinc successiuitas, & non ex parte spatij, distantia namque termini à quo, & ad quem, facit quoque continuitatem, & successiuitatem in motu. Qualis vero esset talis distantia in vacuo, an positiua, an negatiua, non spectat ad præsens.

Angelus nec mouetur in instanti, nec necessario.

7 Sunt qui dicunt, dato casu, in vacuo nõ fieri motum: vel si fit, necessario fieri in instanti. Primum probãt, quia debet fieri super pleno, deest autẽ corpus replens: ita Vasquez, vnde non consensit Aristoteli, dicenti in vacuo fieri motũ. Secundum habet Gregor. probat, quoniam in vacuo omnia sunt simul, terminus à quo, medium, & terminus ad quem: stante autem simultate, & cessante distantia istorũ, fit motus in instanti.

In vacuo an fieri possit motus: negant aliqui.

8 Aduersus Vasquez in primis sufficeret authoritas Aristotelis asserentis posse fieri motum in vacuo: sed accedat ratio recensita, quandoquidem etsi nõ posset fieri ratione spatij vacui, fieret tamen ratione distantiæ extremorum: & hoc sufficit ex parte spatij, quod quamuis careat plenitudine, nõ tamen caret distantia extremorum, quæ extrema faciunt motus continuitatem, & successionem: linquo capita alia recensita ad successionem motus.

Motus in vacuo vnde sit,

9 Aduersus autem Gregorium, circa id, quod dicit, tũc omnia fore simul, non probatur. Ratio, quia simultas est conditio entium realium, & positiuorum: at in vacuo nihil est reale, nulla ergo simultas: Item extra Cœlum spatia illa imaginaria non dicuntur esse simul, cum nihil sint. Petes autem ergo distabunt tum partes vacui, tum spatia imaginaria inter se. Respond. non esse distantiam positiuam, sed negatiuam: positiuè autem loquendo, nec distabunt, nec erunt simul. Circa insuper, quod motus tunc foret necessario in instanti, iam constat oppositũ ex dictis tum contra Hibernicum, tum contra Vasq. esset namq; verus motus cõtinuus, etsi nõ ex parte spatij, tamen ex parte distantiæ extremorum.

In vacuo an simul omnia.

An distabunt inuicem.

10 Di-

Aristotelis [illegible] motu in vacuo

10 Dices, cur Aristoteles absolutè docuit, motum tunc fieri in instanti? Resp. imprimis nõ considerasse distantiam extremorum, nec enim id negasset, si sermo de hoc contigisset; considerasse autem solam spatij vacuitatem: & quia vacuum nõ impedit, hic astruit instantaneitatem motus. Resp. Secundo loquutum fuisse ad mentem eorum, qui motus successiuitatem expendebãt solummodo ex parte pleni spatij, itaut plenitudo impediret, vel retardaret, vnde postmodum adoriret successiuitas motus: hoc stante, sequitur, tanquam ab opposito, vt in vacuo motus fieret in instanti: sequitur consequẽs, si namque plenum est causa successionis, ergo vacuum erit causa, vt motus fiat in instanti. Caeterum, an haec sufficiant, vt sic fiat, iam diximus: nusquam vero Arist. cõsentit, motum fieri posse, vbicunque, & qualitercunque in instanti, sed loquutus est comparatiuè ad desectum alicuius circumstantiae requisitae ad successiuitatẽ motus: & abstrahentium non est mendacium.

11 Priusquam vero accedamus ad probationem Diui Thomae, animaduertimus non esse sermonem de motu propriè dicto, includente omnem realitatem motus, cõstat namque ex quaestionibus praecedentibus, nõ posse fieri in instanti, sed omnino in tempore: igitur loquimur de mutatione, seu de motu impropriè sumpto, quatenus cõcernit solam acquisitionem termini ad quem, absque tamen continuitate, & successione; & de motu sic sumpto, dicendum est, fieri posse in instanti.

12 De hac autem loquens etiam sanctus Doctor, ait, posse quidem mutationem fieri in instanti, siue in non tempore continuo, siue in tempore discreto; attamen loquens de motu propriè sumpto, negat cũ vniuersis Theologis, licet in probatione discordet: Probatio autem sua haec est, quiescens per tempus praecedẽs, necesse est, vt quiescat etiam in fine, seu in vltimo instanti talis temporis: ergo non poterit Angelus moueri in illo vltimo instanti, sicque absolutè non poterit moueri in instanti.

Quiescens tẽpore prae-

13 Probationem hanc impugnat Scotus, probatque, quod quiescens tẽpore praecedenti, non sit necesse quiescere in vltimo instanti illius temporis probatque sic, si quiescens toto tempore praecedenti, necessario quiesceret in vltimo instanti, sequeretur, quod in vltimo instanti prolationis verborum consecrationis Hostiae in Sacramento Altaris, iam non esset Corpus Christi, sed panis: sequitur consequẽs, quoniam panis in esse panis durauit in Hostia per tempus praecedens ad verba, scilicet ad vltimum verbum consecrationis, ergo deberet panis perseuerare ibi, etiam in vltimi verbi prolatione: tunc vero, vel non esset ibi Corpus Christi, vel esset simul panis, & Corpus Christi.

cedenti, an necessario quiescat in vltimo instanti.

14 Caetanus respondet axioma Diui Thomae valere in naturalibus, non autem in supernaturalibus, & miraculosis, qualis est transubstantiatio. Haec est prima sua euasio. At impugnatur, & quidem Molina, vltra Scotistas, ait responsionem hanc esse nullam, vnde & ipsemet impugnat: Nos vero sic impugnamus, iam constat penès omnes Philosophos corruptionem, & generationem fieri in instanti, & quidem in vltimo instanti quietis formae antecedentis fit corruptio ipsius, & generatio formae nouae subsequentis, at haec sunt ordinis naturalis, ergo falsò negat valere in naturalibus. Item iam constat Philosophis, materiam in vltimo dispositionis instanti mutari de forma in formam, prius tamen tẽpore quieuit sub opposita forma.

15 Respondet secũdo, falsũ esse, panẽ quieuisse tẽpore antecedẽti, vel tẽpore antecedẽti fuisse ibi vllã quietẽ, quoniã transubstantiatio non habet quietem oppositã. At contra, quia verè Caetanus, vel non percipit naturam transubstantiationis, vel fugam arripit: & quidem, loquendo de transubstantiatione, nequaquam ibi adest propriè quies antecedenter, cum non adest propriè motus, opposita enim habent fieri circa idem, (nisi sumamus quietem instantaneam, prout oppositam mutationi instantaneae) quamuis namque quies non fit in instanti, sed in tempore, ex Arist. sicut & in tempore est eius oppositus motus, nihilominus, reddendo singula singulis, si quies opposita motui erit in

tem-

tempore, quies opposita mutationi instantaneæ erit in instanti (oppositorum enim est eadem ratio.) Quamuis ergo non sit quies penes transsubstantiationem, adsit tamen quies penes panem, & accidentia, nam panis prius ibi erat, nunc non est: accidentia quiescebant in substantia subiecti, nunc per diuinam potentiam stant sine subiecto, ergo ibi adsist vera quies. Res quidem tanto pere patet, vt panis tempore antecedenti sit, & perseueret in esse veri panis: qui tamen in vltima prolatione, de fide, recedit.

16 Arguitur Secundo ad principale intentum, si quiescens toto tempore antecedenti, non posset moueri in vltimo instanti, sequeretur, illuminationem nõ fieri in instanti, sed in tempore, probatur sequela, iam aer quieuit v. g. tempore antecedẽti sub tenebris, ergo nõ posset illuminari in vltimo talis quietis instãti, ergo illuminatio fienda foret in tempore, cum tamen fiat in instanti. Item sequeretur, aerem esse simul tenebrosum, & lucidum, patet, esset tenebrosus per tẽ, dum ais, nõ posse illuminari in vltimo quietis instanti: esset quoque luminosus, quoniam vere illuminatio fit in instãti, disposito namque agente, & passo, amotoque omni obstaculo, iam Sol illuminaret aerem in primo instanti.

Illuminatio aeris an fiat in instanti.

17 Respondet Caet. illuminationẽ aeris fieri per motum, & non in instanti. Responsio continet errorem; etenim, quamuis Sol motu suo diurno ascendens ad nostrum Emisphærium illuminet illud, per accessũ ad nos, qui accessus est verus motus, tamen illuminatio inde fit subito & in instãti, quod autem interueniat motus, id est per accidens ad illuminationem: probatur, posset fieri aeris illuminatio absque omni motu, ergo motus non pertinet per se ad illuminationem: probatur assumptum, siet Elementum Aeris in sua sphæra, creet autẽ nunc, v. g. Deus Solem in eodem Emisphærio, tunc eueniet, quod Sol illuminabit aerem in instanti, nullo facto motu siue sit nunc tenebrosus omnino, & vndequaque obscura, tunc autem creet Deus lumen aliquod, siue corpus aliquod luminosũ, in eodem loco, & tempore, illuminatio non fiet per motum, ergo de sui natura est, vt fiat in instanti, quod si modo, ex cursu syderum interuenit motus, id est per accidens. Item illuminatio caeci fit in instanti, quamuis per tempus præcedens disponatur oculus per medicinas, & similia, tamen ipsa forma fit in instanti, ex 5 phys. t. 7.

18 Arguitur Tertio, si Angelus necessario quiescit toto tempore præcedenti, sequitur inde, vt nullatenus possit moueri: Probatur, post illud vltimum instãs ad quietem præcedentem, quæro quid sequitur, aut instans, aut tempus: non instans, quia instans non est instanti immediatum: si tempus, ergo non poterit moueri instantaneè; probatur, mutatio instantanea non fit in tempore, sed in instanti; patet, quia mutatio simultanea, qualis est instantanea, haberet pro mẽsura tempus successiuum; & mutatio indiuisibilis, vt est instantanea, haberet pro mensura tempus diuisibile; mensura autem debet esse vniformis mensurato, est argumentum ad hominem.

19 Occurrunt Aduersarii, moueri tunc in instanti temporis discreti. Sed arguit Scotus, quærendo, quidnam de tempore communi correspondeat ipsi instanti temporis discreti: aut quidem tempus, aut instans: si tempus, ergo non poterit mutari in instanti, vt fuit probatum, quia hoc est indiuisibile, illud diuisibile, & successiuum: si instãs, ergo instãs esset immediatum instanti. Impugnationes autẽ temporis discreti habentur supra: de quo actum fuit de Mensura Angelorum disp. 4.

20 Quarto arguitur, recidatur membrum à corpore humano, siue arescat statim, & in instanti anima desinit informare membrum illud: Item accedat noua pars corpori, siue per augmentationem, siue per aggenerationem, tunc in eodem instãti anima informabit ipsam: modo autem, ac continuo contingit, vt facta iam digestione conuerso cibo in substantiam aliti, mox & in instanti anima informat carnem denuo aggeneratam: at hæc fiant in vltimo instanti temporis antecedentis, cur ergo nõ poterit id ipsum Angelus præstare? sumpto motu, vt supra.

21 Dices, Scotus in 2. d. 2. q. 6. habet

Scoti cõtradictio soluitur.

oppo-

oppositum, inquiens, quod quiescens toto tempore antecedenti, habet etiam quiescere in vltimo instanti talis temporis. Resp. sensus Scoti est, vt loquatur de successiuis, non de permanentibus, & habentibus esse totum simul: qualis est motus, & tempus, siue entia, consistentia in fluxu, & fieri successiuo, de his namque dicendum, semper habere esse in tempore, non enim motus fieri potest in instanti, vnde necesse est, vt quiescat toto quiescens tempore praecedenti, inde vero post vltimum instans, incipiat per vltimum sui non esse &c. at in praesenti loco Scotus de mutatione, concedit, non de motu propriè sumpto: & loquitur de iis, quae possunt acquiri sine motu, & successione.

Si virtus maior mouet in tempore, ergo maxima in non tempore, declar.

22 Arguitur ad principale, si virtus angelica posset moueri in instanti, ergo virtus maior posset moueri in minus, quam in instanti. Probatur sequela ex Arist. 6. phys. dicente, *Si maior virtus mouet in tempore, maxima virtus mouebit in instanti*: at non datur mensura minor instanti, ergo nec moueri poterit in instanti. Resp. argumentum tenere vbicumque mensura est diuisibilis, omni namque diuisibili potest dari minor, instans autem non est mensura diuisibilis, ergo nec dari poterit motus in minus, quam in instanti.

23 Dices, igitur motus, vt sic, non repugnat ex parte sua, sed ex parte mensurae quae non est dabilis minor instanti; igitur, si dabilis esset, haberi posset motus tum in instanti, tum in minori mensura. Item ratio mensurae est quid posterius, quomodo ergo natura, & quidditas motus, ac mutationis metienda est essentialiter ab ea? Si dixeris, mensuram intrinsecam esse simul cum mensurato, atque esse eandem cum eo: Contra, nedum intrinseca, verum & extrinseca, est simul cum mensurato: de Prima patet, quia est eadem realiter cum mensurato: & de Secunda, ita etiam conuincitur de facto, & quidem res cunctae semper mensuram habuerunt sibi coeuam, tum intrinsecam, reddendo singula singulis, tum extrinsecam, vt Tempus, Aeuum, & Aeternitas, quae sunt mensura omnium, dum vero ais esse idem, bene quidem, attamen, adhuc cum identitate reali stat ordo, prius & posterius natura, vnde prius natura res habet esse, posterius natura incipit habere suam durationem, non enim dicitur durare cum accipit esse, sed post acceptum esse: sicut non dicitur conseruari res, dum incipit esse, est enim illa, tunc creatio, productio, generatio vocanda, in secundo vero instanti naturae incipit conseruatio, licet omnia simul fiant instanti temporis. Ad obiectionem ergo respondetur, implicare, implicationem vero prouenire non ex vno, sed & pluribus capitibus: inter caetera autem adest caput illud responsionis, at non est ratio praecisa. Secundo insuper dicendum, quod si casus eueniret, vt daretur mensura minor instanti, vtique virtus maior mouere posset in ea: at non datur: vnde argumentum procedit ex hypothesi. Praeterea, data hypothesi, adesset contradictio, quandoquidem fieret, & non fieret in minus, quam in instanti: patet Primum, supposito, dari mensuram minorem instanti, & virtutem maiorem, & maximam, potentem in tali mensura mouere: patet & Secundum, dum implicat fieri motum in instanti, multoque magis in minori mensura, quam in instanti.

Duratio quando incipit.

Conseruatio quando incipit.

Motus an fieri posset in minus, quam in instanti, si instans esset diuisibilis.

Finis Sextae Disputationis.



DISPVTATIO VII.

De Intellectu angelico.

QVÆSTIO I.

Vtrum in Angelis detur intellectus agens?

1 Diuus Thomas negat omninò in Angelis intellectum agentem 1. p. q. 54. art. 4. probationes quidem afferentur in fine quæstionis, nunc autem proponemus præcipua suæ sententiæ fundamenta, & discutiemus qualia sint, siue sua, siue opposita fundamenta ad sententiam Scoti.

2 Diuus Thomas negat in Angelis intellectum agentem. Primo, quia opus intellectus agentis est depurare phantasmata: at nulla sunt in Angelo phantasmata, cum careat sensu, ergo non indiget intellectu agente. Secundo, munus intellectus agentis est transferre de ordine in ordinem, ac facere obiecta, de potentia intellecta, ad actu intellecta: noster quidem intellectus est quandoque in potentia, vt in dormitione, & quandoque in actu intelligendi, vt in vigilia, intellectus autem angelicus nunquam est in potentia ad intelligendum, sed semper in actu. Et Tertio, habet ab initio côcreatas sibi species omnium intelligibilium, vnde fit, vt minimè opus habeat intellectu agente; hic namque in hominibus necessarius est, vt abstrahat species à rebus, quas sibi concreatas non habet; at Angelus habet sibi species côcreatas, ergo minimè admittendus est in eo agens intellectus. Capita alia addenda erunt ex Thomistis infra. Oppositum habet Scot. 2. d. 3. q. 11. Bassol. ibid. D. Bonau. Richar. Gabr. ibid. Molina rursum distinguit vtrumque.

Phantasmata depurare an competat per se intellectui agenti. 3 Videamus vero, vtrum hæc necessaria sint, vt cogant nos ad negandũ in Angelo agentẽ intellectum. Et Primum, quod primum, est breuiter attingendum, verum depurare phantasmata competat primo, & per sè, intellectui agenti. Thomistæ quidem asserunt id competere per sè, atque hinc negãt in Angelo intellectum agentem: Oppositum habet D. Bonau. in 2. d. 3. art. 2. q. 1. Alens. 2. p. q. 24. citante Bassol. ad eundem locum, & Scotus ibidem, docentes id competere per accidens: Et quidem ita probabilius videtur. Ratio autem hæc est efficacissima, anima separata intelligit absque recursu ad phantasmata; patet etenim caret sensibus, ergo caret recursu ad phãtasmata: igitur non per sè competit intellectui agenti depurare phantasmata. Item Beatus, (anima iam corpori in resurrectione reunita) poterit pro libito recurrere, vel non recurrere ad phantasmata: poterit tanquam intelligere immediatè abstrahendo species intelligibiles à rebus: & poterit quoq; vti speciebus sensibilibus, abstrahendo inde, ex depuratione phantasmatum species ipsas intelligibiles: quod si per sè cõpeteret depurare intellectui, nõ id posset agere, vel anima, vel Beatus: vnde concludimus non competere per sè. Verum quia quandiũ sumus in via, nõ possumus immediatè intelligere absq; recursu ad sensus, ideo opus est depurare phãtasmata: Ex hinc vero sequitur, recursum hunc, atque hanc depurationem, competere tantummodo secundario, & per accidens intellectui agenti. Confirmatur attingendo rationes talis recursus, quas Scotus reducit ad tria capita: Primum est ordo potẽtiarum, iuxta quem Aristoteles in lib. de anim. sæpè ait, *Oportet intelligentem phantasmata speculari*. Item, *Intellectus noster non potest intelligere, vnde est, idest, in actu secundo*. Insuper *Omnis nostra cognitio*

Beatus intelligere poterit absque recursu ad sensibilia.

ortum habet à sensibus &c. Secundum caput prouenit ratione viæ, quandiu namque sumus Viatores, egemus recursu ad sensus, ad intelligendum. Et Tertium prouenit ratione peccati, de quo August. l. 15. de Trin. c. 27. qui quærens ab anima, cur est, vt fixa acie non possit exemplari &c. Respondet, *Hoc fecit infirmitas.* Et insuper postulans, quænam fuerit causa infirmitatis? respondet, *Utique iniquitas.* Qualis autem sit infirmitas ista, est illa qua sanari postulat Vates, inquiens, *Sana animam meam, quia peccaui tibi.* Hæc vero spectat ad vulnera humanæ naturæ inflicta ob peccatũ, de quibus in materia de Gratia. His stantibus, clarè patet, quod depurare phantasmata competat per accidẽs, siquidem, ex capitibus recensitis, id competit, propter ordinem potentiarum, & alligationem ad sensus, Angelus autem caret hac alligatione. Et si id prouenit ratione viæ, iam Angeli Beati sunt extra viam; & si denique prouenit ratione peccati, iam Angeli Beati sunt expertes peccati: ergo falsum est, competere per sè depurare phantasmata, quo fit, vt competat secundario, & per accidẽs. Vide Scotum tum in 1. d. 3. q. 12. tum d. 3. q. 1. tum in d. 3. q. 3. & in eod. 2. d. 8. q. 1. ad 1. & in 2. d. 3. q. 1. atque in 4. d. 45. q. 1. ad 3. pro opin. loquens de pena peccati: & loquens de Beato in lib. de anim. q. 18. vnde Anima Christi in via nõ indiguit recursu ad phãtasmata, vt etiam habet D. Thom. 3. par. q. 11. art. 4. Idem autem Scotus loc. cit. de anim. idem docet de statu Innocentiæ, vt nõ fuisset necessarium recursus ad phantasmata. idemque quod Beatissima Virgo non habuerit recursum ad phantasmata, habet etiam ex nostris Vgo in lib. de anima q. 18. dub. 10. post 2. conclus. at de homine in statu Innocentiæ, idem Scotus, oppositum habet in 4. d. 1. q. 3. art. 3. vnde videtur in hoc, problematicè.

Christus, & Virgo non habuerunt necessitatẽ recurrendi ad phantasmata.

In statu innocentiæ an necessarius talis recursus.

4 Stante hoc, ruit Primum fundamentum Thomistarum, & arguitur cõtra eos, si aliqua ratio esset, cur negandus foret ab Angelis intellectus agens, ea esset, quia intellectui agenti competit per sè, depurare phantasmata, quæ nulla sunt in Angelo: at sequela talis falsa est, vt iam ostendimus, ergo ruit fundamentum eorum: Et hoc primo loco deseruiat, tum pro confutatione sententiæ, tum ad probationem opinionis nostræ: hæc quoad Primum.

5 Accedendo ad Secundum, in eo sunt duo, Primum, quod munus intellectus agentis est, transferre obiecta de ordine in ordinem, nempè de ordine sensibilium, in ordinem intelligibiliũ, at sensibilia nulla sunt in Angelo. Secundum, quod Angelus est semper in actu, ergo non eget intellectu agente.

6 Circa Primum, recolendum est ex libris de anima, plura esse munera intellectus agentis: depurare quidem phãtasmata: abstrahere species intelligibiles: & producere intellectionẽ &c. quodnam istorũ per sè verè, & primo, atque essentialitèr cõpetat intellectui, dicamus: loquendo quidem de intellectu, vt intellectus est, siue spectando intellectũ ex natura rei, munus eius primo, & per sè, est producere intellectionem, probatur, ad hoc datur intellectus, vt intelligat, ergo per sè primo ei competit intelligere: Item finis eius est intelligere. Insuper, auferas ab intellectu munus intelligendi, & destrues intellectum, in hoc namque stat essentia, & natura intellectus, in habendo potentiã ad intelligendum: loquimur autem de actu primo. Demum ita accidit cæteris potentijs, vt eatenus potentia visiua, & auditiua, atque huiusmodi, sint tales, quia munus per sè, & primum ipsarum est visio, & auditio; ergo munus per sè, & primum intellectus, erit posse producere intellectionẽ. Ad hoc sequitur munus aliud, non tamen ita essentiale, nec in tanto gradu competens eidem intellectui, hoc autem est abstrahere species intelligibiles: dixi non ita essentiale, quoniam non est absolutè necesse, vt intellectus abstrahat species, sicut est absolutè necesse, vt intellectus possit intelligere. Probatur, intellectui diuino competit necessario, & absolutè vis intellectiua, at non competit vis specierum abstractiua, quoniam *Vilesceret*, ex Arist. *Dei intellectus, si cognitionẽ desumeret à rebus.* Item, si Deus species rerum omnium etiam possibilium, tum vniuersalium, tum singularium infunderet alicui intellectui, iam non opus esset, vt

Intellectus agentis munus per se quid sit.

ad intelligendum ille abstraheret species à rebus, quamuis posset abstrahere, si habens talem intellectum, vellet. Dices discursus procedit de actuali abstractione, non de potentia abstrahendi: illam namque, jam constat, esse accidentalem, at ista erit intellectui essentialis. Resp. id ipsum currere de intellectione & de potentia intellectiua: vtique actualis intellectio est accidens, quo carere potest intellectus, qui tamen carere nequit potentia intellectiua: loquendo tamen de vtraque potentia, tum abstractiua specierum, tum intellectiua, licet vtraque sit eadem cum intellectu, tamen intellectiua est in primo gradu, atque prædicatur de intellectu in primo modo dicendi per sè; potentia vero abstractiua prædicabitur in secundo modo per sè; probatur, est essentialior intellectui potentia intellectiua, quam specierum abstractiua: & hoc non est absonum Scotistis: Thomistæ tamen facillimè amplectuntur, cum eam Angelo substrahunt, apponendo solam potentiam intellectiuam. Hactenus de potentia intellectiua, & specierum abstractiua: At loquendo de potentia phantasmatum depuratiua, siue obiectorum de ordine sensibilium, ad ordinem intelligibilium translatiua, hæc quidem nullatenus competit per sè intellectui, sed solummodo per accidens: vnde dicendum nō competere intellectui ex natura intellectus, sed qua talis intellectus, vtputa intellectus coniuncti sensibus: & intellectus Viatoris, vt jam ex Scoto, & Augustino diximus: & hinc deducitur, munus hoc competere solummodo per accidens; quo stante cum Angelus careat sensu, nequit sub ratione hac competere ei, sed sub alijs, vtputa abstrahendi, & intelligendi &c. hæc de depuratione phantasmatum; & circa primum.

Potentia intellectiua competit intellectui in primo modo dici per sè; abstractiua in secundo.

Phantasmatum depuratio non per se competit intell. agen.

7 Et hinc formamus secundo argumentum, & euertimus fundamentum secundum, si qua esset ratio negandi Angelis intellectum agentem, ea esset, quoniam intellectui tali competit transferre res de ordine in ordinem, primo, & per sè: at hoc est falsum, vt demonstrauimus, per accidens enim id conuenit, ergo nec implicat dari Angelo intellectum agentem.

Transferre de ordine in ordinem qualiter cōpetat intell. ag.

8 Circa Secundum, vbi dicitur; quod Angelus est semper in actu, ideoque caret intellectu agente, educente ipsum de potentia ad actum. Circa hoc quæro quidnam intelligitur de actu, aut enim intelligitur actus primus, aut actus secūdus: spectando hæc absolutè, & absque modificatione, falsa sunt: Et quidem, concedimus semper Angelum esse in actu intelligendi, semperq; fuit, & erit, nusquam enim interrumpetur somno, aut tędio, siue lassitudine ab intelligendo, & propterea Aristoteles Angelos appellat Intelligentias, ab intelligēdo &c. attamen, quod absolutè sint in omni actualitate, id est gratis dictum, nec vlla ratio cogit nos id amplecti. Demonstratur autem, aut namque loquimur de actu primo, aut de actu secundo: actus autem primus erit species vna cum intellectu; secundus erit actualis intellectio: si loquamur de actu primo, sensus esset, quod haberet species omnium intelligibilium, at id, vsque modo non patet, nec ratio vlla vrget: quod quidem multorum habeat species, id concedimus, vt dicemus infra; siue quod quidditatum habeat species, id amplectimur, at quod omnium, & vniuersorum singularium species habuerit ab initio, id non possunt Thomistæ validè demonstrare, quin potius rationabilius conijcitur oppositum infra: igitur non erunt sic Angeli semper, saltem vniuersaliter de singulis in actu primo. Si autem loquamur de actu secundo, facilius id sequitur, nam si non habēt de omnibus species, neque habebunt de omnibus intellectionem: fateor hanc sequelam non esse necessariam, potest namque haberi cognitio sine specie, vt est cognitio intuitiua: At dicitur id per quandam consequentiam: & quidem multa sunt, quorum notitiam non habent, cum nec ipsorum receperint speciem, ergo ad hoc vt sint in actu secundo, necesse erit cognitionem talē mendicare à rebus, assumptum patebit infra. Hinc vero inferimus, semper esse in actu primo, non quidem vniuersaliter, loquendo de singularibus, (aliter enim sentimus cum ipsis) sed sunt in actu primo, solum modo circa ea, quorum receperunt species, et sunt aliqua,

Angelos semper esse in actu intelligendi, [illegible]

Vel plura singularia, & vt sunt omnes quidditates vniuersales, nō tamen circa omnia singularia, non enim omniū species receperunt. Item semper sunt in actu secundo, circa quidem ea, quorum species receperunt, modo sē conuertendo ad hoc, modo ad illud, non tamen circa omnia indiuidua, cum nō omnium species receperint, sed ad has possint esse, imo sint in potentia: ergo propositio hæc, semper sunt in actu intelligendi: potest intelligi, vel quod semper actualiter, hoc vel illud intelligant, & hoc verum: vel quod omnia intelligere possint per solas species infusas, & hoc negatur.

9 Et hinc formamus Tertium argumentum; si namque negandus esset intellectus agens, ideo esset, quia semper intellectus Angeli est in actu, nusquam in potentia: at id est falsum, vt constitit, ergo dandus erit intellectus agens.

Perfectio inferioris nō deneganda superiori.

10 Addimus ad hæc rationes Scoti: vnde arguitur Quarto, quod est perfectionis in natura inferiori nō est denegandum naturæ superiori: at perfectionis est in anima habere intellectum agentem, ergo non denegabitur Angelo. Minor probatur, quia anima mediante intellectu agente, abstrahendo species ab obiectis, quæ ignorat, parit cognitionem eorum, vnde & perficitur, dum de nesciente fit sciens, est autem scientia perfectio intellectus.

11 Respondēt Aduersarij, maiorem esse veram de perfectione simpliciter, non autem de perfectione supplente imperfectionem: intellectus agens est perfectio, non simpliciter, sed supplens carentiam infusionis specierū. Exemplum de generatione, quam non oportet ponere in Angelo, quoniam in homine est supplens imperfectionem.

Angelus carendo intellectu agente, esset imperfectior homine.

12 Responsio est aperta fuga: Et quidem demus, quod Deus non infuderit species vllas Angelis (poterat n. id facere, quia nulli eas debet) tūc Angelus esset prorsus imperfectus, imo imperfectior homine, probatur, quia nihil posset intelligere: non enim posset, quia non haberet species infusas; nec posset eas acquirere, quoniam nō haberet intellectū agentem, cuius munus est, eas acquirere, ergo nusquam intelligeret: Esset quoque imperfectior homine, homo namque habet de facto intellectum agentem, quo species quærat, cum tamen Angelus eum non haberet, ac proinde esset homine imperfectior. Item destrueretur, ad mentem Aristotelis, natura Angeli, appellat namque Aristoteles Angelum intelligentiam, ab intelligēdo; vt sic autem, iam cessando ab intelligere, cessaret esse intelligentia. Demum esset tunc, veluti truncus, haberet namque essentiam, absque tamen potētia intellectus agentis, & veluti truncus, minimè intelligeret. Illud vero de generatione non currit, quia non potest locum habere in Angelo, cum tamen possit habere locum intellectus agens: Arguo autem hinc, retorquendo contra ipsos, si Angelo competeret generatio, & nō haberet instrumēta apta ad generationem, esset prorsus imperfectus, imo imperfectior homine: ergo à pari, si Angelus non habuisset ab initio species, nec insuper haberet instrumentū eas adipiscendi, esset prorsus imperfectus, & imperfectior homine, ergo omnino ad perfectionem eius, absolutè, & simpliciter, dandus erit intellectus agens, ne semota, per Dei potentiā, v. g. speciebus infusis, remaneret impotēs ad intelligendum.

13 Et hinc Quarto arguitur, imperfecta est illa natura, quæ caret instrumentis necessario requisitis ad exercēdas functiones talis naturæ, sicut ex opposito, perfecta est illa, quæ habet organa necessaria ad eas: homo autem habet intellectum agentem, & possibilē, veluti instrumenta intellectionis, quæ tantopere dignificat naturam, Angelus vero caret his, ergo homo quidem erit perfectus, Angelus tamen imperfectus.

Imperfecta est natura carens debitis sibi instrumentis.

14 Respondent, imperfectum fore Angelum, si non haberet ab Authore Naturæ indi eas species, tunc namque careret principio elicitiuo cognitionis, ut habet eas, & hoc sufficit ad sui perfectionem, absque recursu ad intellectum agentem.

15 Sed arguitur contra, dato, quod Deus species tales nō infuderit, imperfectus foret Angelus vndequaque, atq; careret omni via ad intelligendum: ca-

reret enim intellectu agête abstrahente species: careret quoque speciebus, quas Deus dato casu, non indidisset, ergo remaneret imperfectus, vt supra. Argumentum est vrgentissimum: & vel hoc solum sufficeret ad retrahendos à sententia opposita.

16 Arguitur Quinto, creetur nunc nouum obiectum, cuius speciem Angelus ab initio non receperit: quæro tunc, aut poterit Angelus abstrahere speciem à tali obiecto aut non poterit: si des primum, habemus intentum: si secundum, ergo carebit cognitione talis obiecti, eritq; eius ignarus, cum tamen possit homo de eo abstrahendo speciem, habere cognitionem.

17 Respondent, quod obiectum illud nouum intelligerent per species illas vniuersales ab initio sibi concreatas. Respondêt Secundo, quod si non per illas intelligeret, crearet tamê Deus nouitèr in Angelo speciê huius obiecti noui. Impugnatur autê vtrumque: Et Primo de speciebus, posset Deus facere, vt species illæ antiquæ non repræsentent hoc obiectum nouũ quis enim alligauit potentiã eius? ergo tunc intelligerêt per illas species. Secundo de infusione nouo obiecto, posset insuper Deus non infundere speciê huius obiecti, quomodo autê tunc Angelus se haberet è vtiq; imperfectissimus, & ignorans esset eius rei, cuius cognitionem de facili posset acquirere homo.

18 Et hinc magis vrgetur, poterit Deus, saltem de potêtia absoluta, creare Angelos sine infusione specierum, ergo per intellectum agentem deberet sibi conquirere cognitionem. Antecedens negari non potest: quamuis namque de facto, & secundum legem ordinariam ita contigerit, de potentia tamen absoluta, poterit nõ infundere species: Item per eandê potentiam potest nũc, siue species illas reformare, & reducere ad pauciores, siue facere, vt minus repræsentent, quam sint aptæ natæ repræsentare: siue poterit de toto ipsas tollere ab angelico intellectu, & annihilare: hæc non implicant fieri, eo magis, quo Deus ad extra agit liberè, & contingentèr in potestatem autem agentis liberi, & est actio, & modus agendi: hoc stante, quidnam faceret Angelus ? erit veluti truncus aridus & inanis ad exercêda hæc opera vitæ, siue operationes vitales, cuiusmodi sũt cognitio, scientia, &c.

19 Confirmatur, non implicat hæc fieri, nec ex parte Dei, nec ex parte Angeli: Primum est iam probatum: probatur autê Secundum, omne prius absolutum, realitèr distinctũ, & independens à posteriori, potest esse sine eo: Angelus ita se habet, est namq; prior, saltem natura, de facto, speciebus: & de possibili, esse prior tempore, quia poterat Deus creare eum sine speciebus, & inde in tempore post, infundere eas: est insuper ens absolutum, relatiuũ namque est illud, quod esse nequit absque correlatiuo: est denique independês à speciebus quoniam substantia non dependet ab accidente, potestque à Deo conseruari, etiam corporea, sine omni accidête, quanto magis substantia spiritualis Angeli, eo magis, quo species sunt accidentia per accidens, separabilia à subiecto, præter subiecti corruptionem, itaque non implicat talis separatio ex parte Angeli, nec ex parte Dei. Detur autem casus, quod fiat separatio, tũc Angelus remanebit ignorans, & impotens ad rerum cognitionê adipiscendam, quia careret intellectu agente, quo posset supplere deficientiã concreatarũ, siue ceimpraram specierum, sicut homo per intellectum agentem, supplet deficientiam inditarum specierum, quo mediante, abstrahendo eas, poterit adipisci cognitionem.

Omne prius absolutum, realiter distinctum, & independens à posteriori, potest esse sine eo.

20 Respondent, species tales competere Angelo per sê, quapropter non poterit illis denudari. Responsio remanet confutata ex dictis: & insuper confutatur ampliùs, perseitas illa, aut est perseitas essentialis, aut accidentalis. si Primum, ergo species erunt de essentia Angeli, eruntq; de constitutione intrinseca, & essêtiali Angeli: si Secundum, igitur poterunt separari ab Angelo per Dei potentiam, poteritque Angelus esse absq; eis, quemadmodum subiectum esse potest sine accidête. Itê si est perseitas accidentalis, aut erit accidentale proprium, aut commune: Si Primum, ergo erunt species propria passio Angeli identificata realitèr cum Angelo, vel saltem secundum consequen-

Species per accidens se fundantur Angelis.

parabilis omnino ab Angelo, etiam per potentiam abſolutam, vt riſibilitas ab homine, at poteſt Deus, ſaltem per abſolutam potentiam, tollere ab Angelis ſpecies, ergo non competent per ſe, perſeitate accidẽtis proprij: Si des Secundum, igitur de facili poterit Angelus eſſe ſine eis, cum talis ſit natura huius accidentis, vt adſit, & abſit, præter ſubiecti corruptionem.

21 Rurſus arguo, ſpecies nõ debentur à natura ipſi Angelo, ſed à gratuita voluntate Dei: Patet Primum ex dictis, ſi namque à natura debentur, ergo per nullam potentiam fieri poterit, vt talis natura ſtet abſque talibus speciebus, probatur, debetur quidem homini ab intrinſeco ſuæ naturæ, animalitas, rationalitas, riſibilitas, & huius generis: Quo ſtante, nec de potentia abſoluta, poterit Deus auferre hæc ab homine, dato namque hominem non eſſe animal, nec rationale, nec riſibilẽ, periret natura hominis, reddendo ſingula ſingulis, iuxta naturam prædicatorum in primo, & ſecundo modo dicendi per ſe, vt eſſentialia, & paſſiones &c. igitur ſi à natura debentur ſpecies Angelis, non poterunt per abſolutam potentiam Dei, ſine non concreari, ſiue diuelli ab ipſo Angelo. Confirmatur, vel enim debentur ab intrinſeco ſibi, vel ab extrinſeco; ſi Primum, ergo non poterunt nec per abſolutam potentiã diuelli, vt prius; ſi ab extrinſeco, ergo conferuntur ei gratis, & pro libito, & beneplacito Dei, ita volentis dignificare naturam: at, quæ extrinſeca ſunt, poſſunt adeſſe, & abeſſe, poteſtq; ſubiectum eſſe ſine ipſis, ergo &c.

22 Diſcurſus iſti à quinto argumẽto vſq; huc, ſunt adeo efficaces, vt mihi videantur terminare quæſtionem pro ſententia Scoti: & fateor, argumentis cęteris Scoti ſtæ, de facili fore occurſurũ, his tamen nuper recenſitis, ignorem proſſus quid opponam, & quomodo occurram: nec argumẽtis vllis detineor in hac ſententia, niſi his, ſolutiones quorum videntur aperta fuga.

23 Perguat arguere Scotiſtæ, anima rationalis habet intellectum agentem, ergo & Angelus. Reſpondẽt non eſſe parem rationẽ, quia anima eſt forma corporis alligata ſenſibus, proptereaq; ei deberi talem intellectum, vt depuret phantaſmata. Reſponſio remanet confutata ſuperius, dum vidimus, an principale munus huius intellectus ſit depurare phantaſmata.

24 Arguunt. Anima Chriſti Domini habuit ab initio plenitudinẽ ſcientiæ, habituum, ſpecierum, & viſionis, & nihilominus habuit quoq; intellectum agentẽ, ergo & Angelus. Reſpondent negando paritatem, quoniam Angelo infuſio ſpecierum competit per ſe, Chriſto per accidẽs. Reſponſio, quoad primam partẽ, remanſit ſuper confutata, quærendo quidnam importet ly *per ſe*. Quoad Secundam vero dico, quod magis debebatur Chriſto Domino perfectio talis, ſuo creato intellectui quam Angelo, quoniam ratione vnionis, cum Diuina Natura, ſiue ratione ſtatus hypoſtaticæ vnionis, dignificata fuit humana Chriſti Natura pluſquam omnis alia creata natura, reddẽdo ſingula ſingulis: vnde nos dicimus, quod ſpecies infuſæ Angelis, ſi aliquo modo ipſis debebantur, vtique debebãtur ſ ſummo in ratione ſtatus; & hoc ab extrinſeco, ſiue ex beneplacito Dei, dignificantis angelicam Naturam, vt decet, at magis decuit dignificare Naturam humanã Chriſti, quia eſt in altiori, & eminẽtiſſimo ſtatu, vtpotẽ vnita eminentiſſimo Filio Dei: at & ſi non cogebatur Chriſtus in intelligendo dependere à phantaſmatibus, habuit nihilominus intellectum agentẽ, vtendo eo, prout ſibi placuerat, ergo nec implicabit ponere eum in Angelo.

25 Arguitur, quamuis Deus præueniret calefactionem ignis, vtputa producente Deo calefactionẽ hanc, quam eſſet nunc hic producturus ignis, non tamẽ per hoc, tolleretur virtus calefactiua ab igne: ergo, & ſi ab initio infuderit ſpecies Angelis, præueniendo intellectus angelicos in abſtractione fienda per eos, nihilominus nõ exinde negandus foret intellectus agens in eis. Vnde arguitur præuẽtio alicuius facta ab alio, non tollit ab eo virtutẽ ſuam operatiuam: ſi namq, quis hęc manum meam præueniẽdo, ſcriberet, non exinde tolleret à mea manu vim ſcribendi: ſimiliter dicendum de Angelo. Præuentio operationis facta ab alio, non tollit virtutem agendi.

26 Re-

16 Respondent, hanc Angeli non esse præuentionem, in collatione specierum, non enim Angelus posset abstrahere, sed esse debitum naturæ talem collationem. Responsio remanet nuper confutata, an verum sit Angelo deberi à Deo talem collationem, non enim Deus cuiquam est debitor. Confirmatur, potest Natura esse sine eis, potuitq; creari absq; illis, cum sint accidentia.

27 Vltimo, vt cætera Scotistarum capita reticeam, dignificanda est natura, quantũ potest: at dignificatur natura per intellectum agentem, & possibilem: Prob min. dignificatur tunc natura quandocunq; præstantur ei instrumenta debita, & apta ad operandũ: hæc autem in natura intellectuali sunt intellectus agens, & possibilis.

28 Respondent argumentum concludere in iis, quæ non habent ex sui natura co[n]uam suam perfectionẽ, hæc namque habere debent instrumenta, quibus eam conquirant, & ita bene currit de anima: Angelus autẽ habet à natura sibi coæuam suam hanc perfectionem: Et confirmatur, cum namq; Cœli habeãt suas perfectiones sibi coæuas ex sui creatione, ideo non egẽt instrumentis ad eas conquirendas. Retunditur argumentum sic, quia Cœli non habent instrumenta, quibus suas adipisci possint perfectiones, ideo suppleuit Author Naturæ, conferendo eas illis, Deus enim, & Natura non deficiunt in necessariis: vnde argumentũ est potius ad oppositum: Cœli quidem non habent talia instrumenta, nec eis competunt: Angelo autem & competunt, & insunt intellectus agens, & possibilis. Item, quod habuerint Angeli species illas tanquam coæuas, liberalitèr, & gratis à Deo præstitum ipsis fuit; poterat enim tunc non conferre, vnde acquisissent eas in tempore.

29 Quidquid sit de rationibus istis, profectò rationes fundatæ super absolutam potentiam Dei sunt insolubiles, quicquid dicere conentur Aduersarij, & miror, vt saltem illæ non adducant quosque ad sententiam Scoti.

30 Molina insuper Scoti sententiã nõ omnino abijcit; sicut nec omnino amplectitur sententiam Thomistarum: fatetur namque plura se reperire, quæ in sententia eorum sibi displicent: vnde est, vt disputet in vtramque partem.

31 Bannes 1. par. q. 54. art. 4. loquens de sententia Scoti, ita scribit *Sententia eius ab omnibus, tanquam falsa, reijcitur.* In hoc autem Bannes plus iusto & minus vero loquitur: quandoquidẽ apertè falsum est, ab omnibus reijci, nec Bannes legit præcipuos Doctores, qui de rẽ hac scribunt, legerat enim fortasse solos Diui Thomæ Expositores: Et quidẽ magnus ille Alexander Alensis apertissimè sententiam Scoti docet, ait enim par. 2. q. 22. m. 3. *Dicendum, quod intellectus possibilis est in Angelis; sed nõ secundum omnem modum, secundũ quod est in animalibus rationalibus habet enim Angelus intellectum possibilem ad recipiendum cognitionem à Deo, & etiam ab Angelis superioribus, si superiores habet: habet etiam intellectum possibilem ad capiendam notitiam istorum inferiorum, sed non illo modo, quo intellectus humanus: intellectus enim humanus indiget ministerio sensus preambulo, quod non est in Angelo, & ideo dissimilitèr dicitur. Ad obiectum ergo dicendum, quod licet habeant intellectum possibilem, non tamen respectu specierũ abstrahendarũ à phantasmatibus &c.* Et infra loquens de intellectu agente, sic scribit, *Ad illud, quo quæritur de intellectu agente, dicendum, quod intellectus agentis propriè sumpti, est educere potentiam intelligendi, & hoc per abstractionem specierum à phantasmatibus, in Angelo autem non est acceptio specierum per abstractionem à phantasmatibus, vnde quantum ad hanc conditionem, non dicitur intellectus Angeli agens: sumendo autem communiùs, intellectum agentem, prout agentis est educere potentiam intelligendi in actum per acceptionem quandam specierum, intellectus Angeli potest dici agens.* Hæc Alexander. legisti nẽ Bannes? En qualitèr Alensis ad verbum docet sententiam Scoti recensitam.

Bannes falsa refert de sententia opposita.

32 Accedat D. Bonau. in 2. d. 3. p. 2. art. 2. q. 1. §. *Et ideo est tertia positio*, vbi sic loquitur, *Est tertia positio, quod Angelus omnia cognoscit per species innatas: non quia non possit recipere species, tunc enim, si Deus crearit aliquid nouam speciem, necesse esset Angelum ignorare, quod*

si fal-

si falsum esset, posset recipere &c. En qualitèr sanctus Doctor, quamuis ipse de facto teneat non recipere, tamen non negat posse recipere species si quid de nouo crearet Deus, admittit ergo & ipse talem intellectum.

33 Accedat rursus Richard qui in 2. d. 3. art. 6. q. 2. qui ex professo sententiam Scoti defendit: ait autem in corpore quæst. *Non omnia, quæ Angelus naturali cognitione cognoscit, per concreatas species cognoscit.* Et infra. *Quadam cognoscit per species à rebus acceptas.* Affertque aliquas rationes Scoti supra adductas.

34 Vasquez affert in hanc eandem sententiam Albertum lib. 4. de Coæquis 1. par. q. 5. art. 11. & 12. & par. 2. summæ tract. 4. q. ... art. 2. par. 1. ad 1. atque Capreol. 2. d. 3. q. 2. affert ad hanc eandē sententiā Gregorium Arimin. in 2. d. 7. q. 5. art. 1. concl. 1.

35 Attuli externos, linquo autem nostrates, cuiusmodi sunt Lycherus, Bassolius Tataretus, Fauentinus Bada, innumeriq; alij Expositores, vt videat Bannes quam longè distet à vero, quod sententia hæc reijcitur ab omnibus vt falsa: libretque, quantæ sit authoritatis Alexander Alensis, quantæ D. Bonauentura, quantæ Richardus, quantæ cæteri &c.

36 Addo demū Molinam, qui hinc inde disputat pro vtraq; parte, soluitq; argumenta tùm D. Thomæ, tum Scoti, affirmatq; modū defendendi sententiam vtrāq; tùm Scoti, tùm D. Thomæ. Vnū verò ex eodem Molina obseruet Bannes. affero autē verba Molinæ in 1. par. q. 54. mem. 4. de Scoto loquentē. *Atque vt ab opinione Scoti ordiamur, facile arbitror posse illam defendi, quoad cognitionem, quam Angeli de rebus corporeis habent: Neque in ea video esse tot difficultates, quot dilliscunt in opinione Diui Thomæ*, Ita habet in principio mēbri. Et infra memb. 5. post initium, sic scribit, *licet argumentum Scoti in contrariū, dissolui possit, res tamen ipsa in se, ea vnica, creditūq; difficilis, sese offert intellectui.* En quid sentit Molina: qui quamuis dicat, in sententia Scoti reperire difficultates, non tamen tot in ea reperit, quot in sententia Thomistarum. Hæc satis de Bannes.

37 Argumenta autem potiora, quæ militant in oppositum, hæc sunt: Primo, intellectus agens admittitur propterea, vt deporet phātasmata: hæc autem non sunt in Angelo. Secundo Augustinus lib. 2. & 4. super Genes. ait, *Res istas prius fuisse in cognitione angelica, quàm in proprio genere*, ergo, quatenus sunt in proprio genere, non recipit ex eis Angelus species, & cognitionē. Tertio, corpora cœlestia habent suas perfectiones, non quidem in tempore, aliundè quæsitas, sed ab initio ab Authore Naturæ secum concreatas, ergò similitèr Angeli, non aliundè conquirunt species, sed ab initio creationis receperūt à Deo. Quarto sicut se habet modus essendi animæ rationalis ad modū essendi Angeli, ita se habet modus operandi ipsius animæ, ad modum operandi Angeli: sed anima ideo accipit species, & cognitionē à rebus, quia quoad operari dependet à corpore, cū sit forma corporis, ergo dum Angelus non est forma corporis, neque quoad operari dependebit à speciebus exceptis à rebus. Quinto, intellectus agēs, & possibilis nō distinguūtur, nisi per comparationem ad phantasmata: hæc autem non sūt in Angelo, ergo nec distinctio intellectus agentis, & possibilis. Sexto, non conuenit transire de extremo in extremum, nisi per medium: sed inter sensibile, & intelligibile mediat imaginabile, ergo non licet transire de sensibili ad intelligibile, nisi transeundo per imaginabile: at non reperitur in Angelo imaginatiua, ergo nō se habebit eius intellectus, ad instar intellectus hominis, qui de sensibili nō transit ad intelligibile nisi per imaginabile. Rationes cæteræ non potius spectant ad hoc, quam ad quæstiones sequentes, ideo ibi &c. Vltimo intellectus angelicus semper est in actu: ergo non indiget intellectu agente, educente de potentia ad actum. Item Comentator lib. 3. de anim. ait, quod *Si quidditates rerum essent separatæ, & abstracta, sicut posuit Plato, nō indigeremus intellectu agente.*

38 Ad Primum, iam responsio constat ex dictis in primo, & secundo fundamento Thomistarum: negando id, nisi per accidens: non enim per sè, sed per

per accidens id competit intellectui, & id intellectui coniunctio, vt diximus, & rationes attulimus: ab his autem rationibus abstrahit Angelus: vnde est, vt competat ei ratione abstractionis specierum, quas nõ habet, & ratione producendæ intellectionis, non ratione depurationis phantasmatum, hoc autẽ competit homini, & cætera, vt ibi.

39 Ad secundum, non est mens Augustini, docere, Angelos recepisse ab initio species omnium rerum: sed ait, quod ab initio res, quę tunc non habebant esse in genere proprio, habebant tamen esse in mente angelica per species inditas: quod verò rerum species receperit, hoc nõ docet: neque docet, carere intellectu, potente eas conquirere à rebus.

40 Ad Tertium, iam hoc argumentum fuit contra ipsos retortum: vnde dicendum, quod ideo Cœli habuerunt ab initio à Deo perfectiones suas, quoniam eas adipisci non poterant ex seipsis: at quia Angelus species, quas nõ receperit ab initio, potest ex seipso acquirere, ideo collocamus in eo intellectum agentem.

Angeli dependentia à rebus nõ in essendo, sed in operãdo.

41 Ad Quartum, nõ valet ista consequentia: Non dependet Angelus à corpore, siue non est Angelus forma corporis, ergo non dependebit à corpore in intelligendo, sicut dependet anima coniuncta in intelligendo: licet namque ille non dependeat in essendo, non tamen negandum dependere in operando, & in abstrahendo species, & cognitionem.

42 Ad Quintum, illud est inde præcisè, & per se distingui, solummodo enim id erit extrinsecè, & per accidẽs, distinguuntur autem ex suis intrinsecis rationibus formalibus per se &c. nec depurare phantasmata competit per se intellectui, vt est dictum.

Mediũ necessariũ virtuti inferiori nõ est necessariũ superiori.

43 Ad Sextum, Resp. 1. Non esse opus tali transitu per medium, patet, alias Deus non posset intelligere, nisi transeũdo per imaginabile: igitur nec Angelo talis transitus competit. Respondet 2. Imaginabile non habere propriè rationem medij, sed vel se tenere ex parte sensibilis, vel ex parte intelligibilis. Resp. 3. quod id, quod est medium virtuti inferiori, non est necessario medium virtuti superiori: virtus enim calefactiua debilis nõ poterit statim inducere calorem, vt viginti, sed transibit paulatim per tempus, & per mediũ, modo inducendo quattuor gradus caloris, modo sex, modo decem, vsque quo deueniat ad viginti: virtus autem calefactiua perfecta, statim calefaciet vt viginti: ita homo, quidem Angelo inferior non statim intelliget, sed transibit per sensus, & phantasmata, Angelus verò, vt perfectior nõ eget tali transitu, ideo non depurat phantasmata.

44 Ad Vltimum, Responsio cõstat euertendo secundum fundamentum oppositum, ibi enim deduximus an, & quomodo sit verum esse sẽper in actu. Ad Commentatorem dicitur, quod non indigeremus intellectu agente ad abstrahendum species, sed ad intelligendum & hoc sufficit.

45 Sunt, qui quasi cõciliare quęrũt, Scotum cum D. Thoma: Ratio, quia non omnino D. Thom. negat intellectũ agentem in Angelo, ait namque, *Intellectum agentem dici æquiuocè*. Puto autem æquiuocationem esse illam, quam adstipulatur Alensis, idemque Scotus, siquidem homini competit, mediante intellectu agente facere duo, depurare phantasmata, & intelligere: Angelo verò solummodo intelligere: en æquiuocatio. Demamus autẽ phantasmatum depurationem ab Angelo, & vtrique statuamus vnanimiter omnes in eo intellectum agentem. Ad hunc quidem sensũ admittit in eo D. Bonau. Alens. Richard. & Scot. vt vidimus: stante autẽ tali modo loquendi Diui Thomę, intellectum agentem dici æquiuocè, facilè erit ipsum cõcordare cum Scoto, Bonauentura, Alensi, Richardo, cęterisque, vt & ipse quoque admittat intellectum agentem.

46 Verum etsi sic loquatur, & prima facie ita videatur, tamen aliundè constat, negare omnino intellectum talem ab Angelo: ideo namque dixit esse semper in actu: ideo asseruit, recepisse omnium prorsus intelligibilium species &c. vt prorsus ab eo tollat intellectum agentem. At hæc non obstante reconciliatione, quandoquidem etiam si recepisset rerum omnium spe-

cies, non tamen hoc aufert intellectum agentē, poſſet namq; vti eo, & ſpecies abſtrahere: & dato, quod nuſquam abſtraheret, nec propter hoc negaret ipſum: etenim admittit Scotus in nobis potentiam inorganicam, & ſi ipſa non vtamur, poſſunt tamen Beati ea vti in Patria: vbi etiam Scotus ipſe multa admittit in corporibus Beatorum, licet facultatibus talibus non forent Beati vſuri: ſiquidem ſpectant ad integritatem, & perfectionem Naturæ. Id etiam quod ait ſemper eſſe in actu, minus obſtat, ſiquidem Angelus non dormit, vt homines, ſed ſēper intelligit, ob quod Ariſtoteles eos appellauit Intelligentias: Cæterum non negaret, eſſe in potentia aliorum intelligibilium, quæ actu non intelligit, imo nec poſſibile eſt, intelligere, alias ſi ita eſſet, ſemper in actu intelligeret omnia ſimul, quod eſt ſolius Dei, ergo à primo ad vltimum admittatur & conciliatio: & ita cenſendum eſt, nequaquam abſolutè negaſſe D. Thom. intellectum agentem, ſed eo pacto, quo ſupra, ſpectando imperfectionem eius, & infuſionem ſpecierum omnium: quæ ſi concederentur, vtique intellectus agens nō fungeretur officio abſtrahēdi, licet poſſit abſtrahere.

Reconciliatur D. Tho. & Scot.

QVÆSTIO II.

Vtrum Angelus cognoſcat omnia per habitum concreatum, ex Henrico.

1 NEgat Henric. quodlib. 5. q. 14. ſpecies, tùm ab intellectu humano; tùm angelico: De vtriſque autem diſcurrens, ait, homini quidem neceſſarias non eſſe ſpecies intelligibiles, ſed ſufficere phantaſmata: hæc autem & præcedunt ſpecies intelligibiles, & ſunt humano intellectui rationes ſufficientes ad intelligendum. Solùmodo vero ſpecies ſenſibiles concedit ipſi homini propter ſenſus, cæterum negat ſpecies omnes intelligibiles, & ait ſufficere phantaſmata.

2 De Angelo autem loquēdo, ſubdit, nec in ipſo eſſe admittendas ſpecies intelligibiles, ſed habitum quendam ſcientialem, alioqui ſibi concreatum, quo fiant ſibi præſentia omnia intelligibilia. Nec vero ſpecies admittit, ſed habitum, quoniam ſi haberet ſpecies, ſequeretur, quod ſemper, & neceſſario intelligeret: habitu autem non neceſſario intelligit, quia habitu vtitur, quādo vult, ſicut ex oppoſito, ſpecies, ait, non ſubſunt imperio voluntatis. De hoc, inſuper habitu, inquit, quod eſt ratio intelligendi omnem quidditatem, etiam infinitas, ſi eſſent, non autem oportet, quod de talibus quidditatibus habeat ſpecies, quia vbi vnum ſufficit, nempè habitus, fruſtra ponuntur plura. Tanto autem plura repræſentat iſte habitus, quanto eſt ſim plicior, actualior, vel eminentior, continens in ſe plures alios habitus partiales. Habitus item iſte eſt vnicus, & indiſtinctus realitèr, inhærens intellectui angelico, ſibi cōcreatus, in ordine ad obiecta: & quia eſt habitus ſcientialis, hinc habet ordinem, & reſpectum eſſentialem ad quodlibet obiectum, & hic reſpectus eſt idē realitèr cum habitu tali, ſic, quod ſine illo, nec eſſe, nec intelligi poteſt: ratione etiam plurium reſpectuum, quos habet ad talia obiecta diſtincta, poteſt plura ſimul, & actu, atque diſtinctè repræſentare. Rurſus ait, per habitum iſtum intelligere primo vniuerſale, deinde ſingulare, quia ſingulare non addit ſupra vniuerſale, niſi duplicem negationem.

3 Opinio hæc communitèr reijcitur, ac præcipuè à Scoto in 2. d. 3. q. 10. & q. 11. atque diſt. 9. q. 2. Improbationes vero ſunt ferè eędem, quas contra Thomiſtas adducendę erunt de ſpecie repræſentante plura obiecta, eſt namq; par ratio de ambobus, de quibus infra

q.4.ar.1. Etenim habitus iste foret infinitus, quia repræsentaret infinita. Item non posset repræsentare existentiam, & circumstantias loci, & temporis, quoniam quidditates vniuersales, quarum esset habitus iste repræsentatiuus, abstrahunt ab existentia, & ab hic, & nunc. Insuper nihil potest plura repræsentare, nisi contineat ea virtualiter, & eminenter, quemadmodum Diuina Essentia repræsentat omnia diuino intellectui, quoniam omnia sic continet eminenter, & virtualiter: at nulla creatura habet virtutem hanc infinita continendi, esset namque infinita, sicut infinita est Essentia Dei, sic continendo. Rursus per Henricum, ponuntur in Deo tot ideæ rerum, quot sunt ipsæ res, quæ quidem ideæ sunt distinctæ, & diuersæ rationes repræsentandi, igitur si non admittit omnia repræsentari per vnicam ideam, neque admittere poterit, repræsentari posse per vnicum habitum. Præterea quod vnum sit repræsentatiuum plurium, habentium ordinem, subordinationem, & connexionē ad inuicem, bene currit: at quod res vnica repræsentare valeat plura, inter quæ nulla subordinatio reperitur, nulla connexio, sed sint omnia omnino disparata, id implicat. Item, falsum est, quod assumit, singulare non addere ad vniuersale, nisi duplicem negationem, etenim addit veram entitatem realem, quæ sit reale principium positiuum indiuiduationis. Rursus, circa id, quod ait, posse habitu Angelum vti quando vult, non autē specie, id gratis dicitur, quandoquidem est eadem ratio amborum, ambo namq; sunt qualitates, naturaliter mouentes intellectum: quod si vti, vel non vti voluerit habitu, idem quoque præstare poterit de speciebus. Rationes alias vide infra loc. cit. Addit quoque Scotus, tunc fore Angelum, siue substantiam Angeli, fore, seu remanere, veluti truncum, patet, quoniā ablato habitu v.g. inquit Henricus, vel possit Angelus intelligere, ergo dempto habitu, remaneret, veluti truncus arboris nil operans. Item tunc natura Angeli non videretur esse magis intellectualis, quam natura, seu substantia lapidis, patet, lapis namque nil intelligit, substantia autem Angelica, cum, to-tali habitu nil prorsus, per Henricum, intelligeret: ergo &c.

4 Rationes vero Henrici, quas oportet soluere, hæ sunt. Prima, ex 2. Ethic. cap. 5. *In anima non sunt nisi tria, potentia, habitus, & passio*: at sola animæ potentia: non est sufficiens ad cognitionem, quia aliquod naturale esset sufficiens principium repræsentandi omnia: nec est passio, vt patet, ergo erit habitus. Secundo, in intellectu non habente habitum, potest generari habitus ex frequentatis actibus, ergo posset quoque in Angelo generari talis habitus, id vero est inconueniens, probatur, quoniam tunc Angelus esset in potentia essentiali nedum ad actum secundum, sed etiā primum. Tertio, Dionys. de diui. nomin. cap. 7. ait, quod connexio vniuersi consistit in hoc, quod supremum inferioris coniungitur cum infimo superioris: at supremum in homine est scire per habitum, ergo hoc debet poni in Angelo. Quarto, species sine habitu non sufficit ad perfectam cognitionem, sufficit autē habitus sine specie. Quinto, in voluntate non ponuntur plura, tanquam principia volendi, ergo nec in intellectu ponentur plura, sed vnum solummodo, namque habitus, veluti principium intelligendi. Hæc ex Henrico colligit argumenta Scotus quo §. *Hic dicitur*. Aliqua item alia ex eodē refert quæst. 11. §. *Ad dicunt*. non oportet autem ea referre, quia sunt ferè eadem.

5 Ad Primum vero respondetur, per habitum intelligi speciem, eo maximè, quo se habet permanēter, qualis est passibilis qualitas, de difficili mobilis.

6 Ad Secundum. Resp. 1. Angelū non generare in sè habitum.

7 Nota, quod habitus non generatur in naturaliter inclinatis, siue summe determinatis ad vnum: sicut, quantumcunque, & quotcunque multiplicatis vicibus graue descēdat deorsum, siue leue ascendat sursum nunquā generabitur in has habitus, quoniam sunt à natura inclinati, & determinata ad sua centra. Neque generatur habitus in violenter motis, vt in graui respectu sursum, sed generatur in potentijs de se indeterminatis ad actum, per Habitus generatur in quibusnam

actibus frequenter elicitos.

8 Ad Angelum autem redeundo, dicendum, quod Angelus est summe à sui natura habilitatus ad intelligendũ, est namque celerrimus, & expeditissimus in operationibus externis, siue in ministerijs exequendis, multo autem celerior, atque expeditior erit in operationibus internis intelligendi; quapropter cum habitus ponatur ad habilitandam potentiam, ipsamque promptam, expeditamq; reddendam, cumq; Angelus sit de se promptissimus atque expeditissimus, minimè egebit tali habitu. Resp. 2. quod si contendas posse generari, damus, & concedimus, absq; tamen præiudicio virtutis angelicæ.

9 Cum autem infertur, Angelum fore in potentia essentiali, si non haberet habitum, dicendum fore in potentia accidentali ad actum secundum, at ad actum primum minimè, quoniam etsi careret habitu, haberet tamen ipsã sẽ speciẽ, quæ vna cum intellectu constituunt Angelum in actu primo, siue in potentia proxima ad intelligendum.

Supremum infimi iungitur cù infimo supr. declar.

10 Ad Tertium, dicendum, tunc supremum infimi iungi cum infimo supremi quando non repugnat superiori tale supremum infimi: at habitus elicitus ex actibus incõgruit Angelo, qui est de summe habilitatus, ergo nõ eget habilitatione habitus. Dices, in nobis dicit perfectionẽ talis habitus ex actibus genitus, ergo & in Angelo. Resp. negatur conseq. quia in nobis non reperitur congenita à Natura, promptitudo, & habilitas, ac facilitas ad intelligendum, Angelus vero est summe habilitatus, dum non dependet à sẽsibus. *Corpus enim, quod corrumpitur, aggrauat animam, & terrena habitatio deprimit sensum multa cogitantem* Sap. 8. vnde in nobis dicit habitus, non perfectionem simpliciter, sed supplens imperfectionem, tale autem supplementum non est necessarium in Angelo.

Habitus an perfectio simpliciter.

Habitus sine specie an sufficiat.

11 Ad Quartum, negatur assumptũ. Species vtique sufficit absque habitu, habitus autem non sufficit sine specie; adde, nisi in cognitione intuitiua.

12 Ad Quintum, dicendum, quod per easdem rationes obiectum est præsens voluntati, per quas est præsens intellectui; intellectus enim intelligit gloriam, gratiam, merita, virtutes, hæc autem eadem proponũtur voluntati: Intellectus insuper cognoscit gloriã consequi neminẽ posse, sine meritis, & virtutibus, & hæc vtique sub his rationibus idẽ intellectus proponit voluntati: Atquid inde. Subdit Scotus, *ergo quod consequentia non valet, quia appetitiua non est nata habere obiectum in se, eo modo, quo est præsens potentiæ cognitiuæ.* Dices, eodẽ prorsus modo habet vtraque, cognitiua namque apprehendit, obiectum vt bonum, aut malum: & appetitiua, vt bonum, appetit, vt malum, respuit. Item, Scotus idem ait, ens esse obiectum intellectus, & voluntatis: pariterque assereret de æstimatiua, & appetitiua bruti: ergo erit prorsus idem.

Intellectus, & voluntatis cognitiuæ, & appetitiuæ, obiectum an idẽ.

13 Respond. idem quidẽ esse vtriusque obiectum, materialiter, nõ formaliter. Ratio primi quoniam voluntas fertur in præcognitum, igitur fertur super eodem obiecto præcognito ab intellectu: Ratio secundi, quia non sistuntur in obiecto, vt ens absolutẽ est, sed sub ratione veri intellectus: sub ratione boni, voluntas: ita & de appetitiua, & æstimatiua bruti, hoc tamen differentia admissa: quod appetitiua bruti nõ est libera vt voluntas Angeli: nec consequenter, poterit se abstrahere ab assequendo obiectum, nec etiam contranitendo, & respuendo id, sicut libera est voluntas.

Alia argumenta eiusdẽ Henrici.

14 Arguit idem, singulare nullam entitatem addit supra vniuersale, ergo & nullam etiam cognoscibilitatem: Prob. sequela, sicut enim res se habet ad esse, sic ad cognosci: Secundo, si per speciem posset intelligere singulare, tũc angelicus intellectus esset magis determinatus, quã modo, essetq; determinatus eo etiam modo, quo est determinatus sẽsus ad suum singulare, vnde fieret Angeli intellectus valdè limitatus. Tertio, non cognoscit intellectus noster singulare, ergo minus id nouerit intellectus Angeli per eius speciem. Quarto, si cognosceretur ab eo, aut quidem per Angeli essentiam: aut per habitum: aut per se ipsum: non Primũ, quia Angeli essentia est ratio cognoscendi tantum seipsum: non Secundũ, quoniam habitus ille est ratio cognoscendi tantum vniuersale: nec Tertiũ,

quia veriùs cognosceretur per se ipsū, quā per vniuersale, quod enim cognoscitur per se ipsum, cognoscitur veriùs eo, quod cognoscitur per habitum, quod est vniuersale.

15 Respondetur, ad Primum; satis ex Logicis patere, quam sit falsum antecedens: ex quo, falsum quoque est consequens.

16 Ad Secundum, imo concluditur magis oppositum, etenim, si solummodo cognosceret singulare, & non vniuersale, vel viceuersâ, sequeretur limitatum, at quia cognoscit vtrumque, ideo est magis illimitatus, & indeterminatus.

17 Ad Tertiū; negamus paritas pro statu isto, in statu autem Patriæ poterit etiam nullet.

18 Ad Quartum: cognoscere poterit, siue intuitiuè per ipsummet singulare, siue abstractiuè, eliciendo speciē ab eo.

QVÆSTIO III.

Vtrum Angeli indigeant speciebus intelligibilibus ad intelligendum?

Negantes species intelligibiles.

1 HEnricus supra recensitus, apponens in Angelo habitum, quo mediāte cognoscat, negat omnino species quibus intelligat. Sequuntur autem in negatione specierum Okam in 2. q. 14. ad 16. Durand. in 2. d. 3. q. 6. Gabriel q. 2. Gregor. d. 7. q. 3. Bacon. d. 3. q. 4. adduntq; Bassolium, Vasquez 1. par. disp. 200. & Suar. lib. 2. de Ang. cap. 7. sed immeritò: loquitur namque de relationibus, vel de speciebus vel de actu intelligendi, de quibus ita scribit q. 7. d. 3. Scotus igitur in fine, inquit enim: *Aduertendum, quod si sūt aliqua, quibus repugnet habere speciem, vt species, vel actus intelligendi, vel relationes tunc, vel cognoscet intuitiuè, vel abstractiuè per species aliorum.*

Bassol negat relationem actum intelligēdi, & speciem producere species.

2 Rationes hæ sunt, sufficit obiecti præsentia ad causandam cognitionem, ergo superfluunt species: Probatur, dum namque obiectum est debitè approximatum potentiæ, sequitur, absque alio adminiculo, operatio: Secundo, intellectus humanus intelligit res immateriales, seu spirituales absque speciebus, ergo & Angelus à fortiori, qui est nobilior. Assumptū probatur, res spiritualis non causat phantasmata, ergo nec causabit species intelligibiles; Patet sequela, species enim sunt abstractæ à phantasmatibus. Tertio, relationes reales non causant speciem sui. Quarto, entia rationis non possunt causare sui speciem, quia nihil sunt. Quinto, non possunt esse in eadem potentia plures formæ eiusdem rationis, at species pro obiectum sunt eiusdem rationis. Sexto, inter ea, quæ sunt eiusdem rationis non potest esse similitudo: species autem non est causa cognitionis nisi ratione similitudinis. Huius quoque sententiæ est Vasquez negans necessitatem specierum in Angelo 1. par. disp. 204. cap. 2. in fin. de quo aliqua etiam repetam infra quæst. 6. num. 2. 3.

3 Est sententia altera, propriam substantiam Angeli posse Angelo deseruire loco specierum, itaut intuendo Angelus ipsam, pariat cognitionem quorumcunque obiectorum, ita Vdalric lib. 4. summæ, atq; Aphrodiseus l. 12. Met. t. 44. Probatur, si ex sui natura, & per propriam substantiam, non posset cognoscere singula obiecta, sequeretur fore Angelum, de sui natura, imperfectissimum, ignorantem, & coecum: at natura Angeli est perfectissima inter creatas, ergo cognoscit per suam essentiam. Secundo, potest dari vna species, repræsentans omnia obiecta, ergo magis dicendum hoc esse de essentia Angeli, vtpotè perfectiori. Tertio, si non posset id fieri, maximè esset, quia essentia Angeli esset infinita, ratione, qua

repræ-

repræsentaret infinita obiecta: at id nō sequitur: Prob. species vna repræsentans infinita, non exinde esset formalitèr infinita, ergo nec essentia Angeli. Quartò Essentia Diuina repræsētat intellectui diuino omnia intelligibilia, & hoc dicit perfectionem: ergo perfectio hæc non erit deneganda Angelo, vtpotè tantopere perfecto.

4 Sententiæ huic non admodum dissimilis, extat sentētia Altissiodorēsis, qui lib. 2. tract. 5. c. 4. constituit duplex medium in Angelo ad cognoscendū: medium quod, & quo: illud, ait, esse intellectum; & hoc, directionem intellectus: quo, stante, inquit, Angelum cognoscere omnia per lumen sui intellectus. Accedit autem ad hoc, imperium voluntatis, quo voluntas imperet intellectui, vt dirigat aciem suæ mētis ad obiecta: hisque mediis, docet intelligere omnia, nec speciebus vllis tractis ab obiectis, indigere. Fundatur positio hæc in Angeli perfectione, supra hominem, ideo namque indiget vel præsentia obiecti, vel speciebus, quia potentia sua intellectiua, est potentia inchoata tantum, & non completa. Angeli autem intellectus est potentia completa, & perfecta, ergo non indiget speciebus, sed ex sè sufficit.

Angelo necessariæ sūt species intelligibiles.

5 Vltima sententia est, Angelum indigere speciebus intelligibilibus, vt cognoscat: Vnde sic dicendum, egere speciebus ad cognoscendum. Est communis, traditaq; ab Authoribus quęst. 1. recēsitis: tum à Thomistis, tum à Scotistis, tum ab Alensi, Bonauentura, Ricchardo, cæterisque, vt ibi.

6 Non est autem intentum, absolutè probare species intelligibiles, id namque spectat ad materiā de Anima: sed loquimur de eis in subiecta materia, quatenus admittendæ veniunt etiā in Angelo.

7 Res est probatu facilis. Et in Primis, ex sentētia D. Bonau. in 1. d. 39. in Deo sūt plures rationes cognoscendi, vt plures ideę, cur autem negandæ erunt Angelo species, quæ stant instar idearum, siue sunt ipsęmet ideæ. Item intellectus diuinus ex sè solo spectatus, seiunctim ab Essentia Diuina, nihil cognosceret: Essentia enim est speculum repræsentans omnia intelligibilia: repræsentat autem singula, secundum proprias naturas: at naturæ tales non sunt in essentia realitèr, sed eminentèr, virtualitèr, & repræsentatiuè: ergo Angelus quoque indigebit aliquo repræsentante, obiecta, quæ intelligat. Insuper species quidem necessariæ non sūt in cognitione intuitiua, cum sufficiens sit præsentialitas obiecti: in cognitione tamen abstractiua, necessario omnino sunt, ratio, quia dum abstrahimus à præsentia obiecti, indiget intellectus specie vicaria, supplente vicem obiecti. Et hinc confirmatur, distantia improportionata impedit cognitionem, ergo dabitur species supplens distantiam: Probatur assumptum, si namq; non impediret distantia aliquatenus improportionata, exiens extrema actiuitatis, posset Angelus intuitiuè cognoscere rem in quacunque distantia: & si daretur infinita distantia, pariformitèr cognosceret intuitiuè in infinita distantia: dixi, *intuitiuè*, etenim de abstractiua cognitione loquendo, distantia non impedit, existens, namque Neapoli intelligo Hispaniam, Galliā, & quidquid lōgissimè distat à Neapoli: at intuitiua cognitio, cum requirat præsentiam obiecti, intra sphæram contenti, tantam requirit distantiam, vt non maiorem, nec enim visus corporeus, & auditus, colores, siue sonum percipit vndequaq; longissimè distantes, sed intra sphæram contentos. Insuper species admittēda est, vt suppleat imperfectionē intellectus carentis præsentia obiecti, non enim singula sunt angelico intellectui intuitiuè præsentia. Præterea ex cognitione obiecti derelinquitur species repræsentans talem visionem: patet, quoniam recordamur præteritorum, & actuum, siue intellectionum præteritarum, modorumq; cognoscendi, temporis, & loci, vbi, & quādo facta fuerit cognitio talis: bene autē recordatur præteritorum Angelus, signum proinde erit, relictam fuisse in eo speciem intelligibilem. Demum, *Ex cognoscente, & cognito pariter nascitur*: quod si cognitio sit abstractiua, cognoscibile debet repræsentari per species.

Species Vicaria obiecti.

Distātia improportionata impedit Angelū cognoscere, declar.

8 *Secunda sentētia est magis improba-*

Nulla creatura continet cæteras vel formaliter, vel virtualiter, vel eminenter.

probabilis. Conuincitur autem, nulla creatura continet, vel formalitèr, vel virtualitèr, vel eminentèr cæteras alias creaturas: si autem per intuitionem propriæ substantiæ cognosceret Angelus cætera obiecta, contineret illa, aliquo illorum modorum, at id falsum est: Probatur falsitas, de continentia quidē formali patet, non enim Angelus continet formalitèr hominem, Leonē &c. Nec etiam loquendo de spiritualibus, non enim continet rationalē animam, vel alterum Angelum &c. de continētia insuper virtuali ostenditur, Angelus enim nō potest quidquam, vel substantiale, vel accidentale producere, præter actus intelligendi, volendi, motum &c. ergo non continet qualitatē, non quantitatem, non substantiam, nec namque producere potest, vel hominem, vel brutum, vel muscam, quāto minus spiritualem substantiam, vt animam, vel Angelum alterum, de quo infra disp. 16. q. 2. Nec denique continet eminentèr omnia, probatur, etenim potentiam generatiuam, siue hominis, siue bruti non sic continet, cum nullo modo valeat reperiri in eo: sicut nec continet virtutē nutritiuam, digestiuam, augmentatiuam, & huiusmodi: ergo ex cognitione propriæ substantiæ, non valet cætera cognoscere. Dices continet eminentèr motum hominis, & bruti: sicut & intellectionem, atque volitionem eius. Resp. quoad aliqua, verum esse, quod cōtineat eminentèr non tamen quoad omnia. Item, & si contineat hæc eminentèr, non tamen virtualitèr, cum ea in ipsis producere nō posse. Rursus probatur principale intentum, non cōtinet substantia Angeli inferioris substantiā, & perfectiones Angeli superioris, ergo non potest per propriam essentiam cognoscere illas. Demum, & est explicatio maior eiusdē rationis, id, quod est, seu quod habet principium cognitiuum alicuius, necesse est, vt contineat illud, siue per aliquod repræsentatiuum extrinsecum, siue per propriam essentiā: iam probatum remanet, non continere per propriam essentiam, ergo continebit per aliquod repræsentatiuum externum, id vero erit species. ergo dandæ sunt species. Demum, si ēt infinita essentia hæc Angeli, cōtineret namque infinita, & repræsentaret infinita; nam ea, quæ sunt possibilia, vtique sunt infinita, cogitationes enim Beatorum, & damnatorum multiplicabuntur in infinitum, dum in æternum durabunt. Confirmatur, sola Essentia Diuina est illa, quæ sufficientèr, ostēdit diuino intellectui omnia obiecta, ea enim ratione, qua cōtinet cuncta, bene potest intellectus diuinus, siue etiam Comprehensoris, intuendo in eam, intueri infinita, Angeli autem essentia est limitata & finita. Dices, dari potest species intelligibilis, repræsētans Essentiā Diuinam, ob quod esset infinita, ergo &c. Resp. non repræsentaret virtute sui, vt absolutè qualitas creata est, sed virtute Dei. Responsio alia infra ad 3.

9 Tertia sententia similitèr improbatur: Et in primis, ea est contra omnem philosophiam, quoniam *à cognoscente, & cognito paritur notitia* ex lib. de anim. ergo nō sufficit intellectus de sè solo. Item non sufficit sensus de sè solo ad sensationem, ergo nec intellectus de sè solo ad cognitionem. Insuper, diuinus intellectus, nisi conuerteretur ad Diuinam Essentiam, tanquam ad obiectum mouens, non produceret intellectionem. Confirmatur. Pater Æternus non produceret notitiam genitam, quæ est Verbum, nisi haberet Diuinam Essentiam sibi præsentem, sub ratione obiecti actu intelligibilis. Rursus, nil producit ad extra, nisi per ideas, quæ sunt *Rationes in mente diuina; secundum quas quidlibet est formabile ad extra*. Denique intellectus non est cognitionis principium totale, & integrum, sed partiale; ex vtroque autem, obiecto, & intellectu, integratur principium totale, ergo de sè solo non sufficit.

Species quando necessaria.

10 Hinc ad rationes pro singulis sententiis respondēdo, dicimus ad Primum primæ sententiæ, quod quandocunque obiectum est præsens in cognitione intuitiua, non est necessaria species, attamen necessaria est quando est absens in cognitione abstractiua.

Spiritualia quomodo cognoscimus.

11 Ad Secundū, res spirituales pro statu isto, cognosci per conceptus aliquos communes materialibus, & spiritualibus. Item cognosci nō per phantasma-

phantasmata quæ non habent, sed per similitudines materialium, in quibus videtur habere aliquam symbolicitatem.

Relationes qualiter cognoscuntur.

12 Ad Tertium, Relationes non cognoscuntur per se ipsas, sed gratia sui Relatiui, & Correlatiui: & hic est sensus Basolis.

Entia rationis quomodo cognosc.

13 Ad Quartum, nec entia rationis cognoscuntur gratia sui, & secundum se tota, cum nihil sint, nihil enim est Chimera, & Hircocernus, cognoscuntur tamen gratia partis, quoniam partes, ex quibus constant, habent vere esse reale, vt aurum, mons, Ceruus, Hircus, &c.

Species, & obiectum an eiusdem rationis.

14 Ad Quintum, species, & obiectum, si formaliter spectentur, non sunt eiusdem rationis, siquidem species est accidens, & obiectum, poterit esse substantia: species inhæret intellectui, & informat illum, obiectum autem est extra intellectum: species potest remanere, corrupto obiecto &c. ergo formaliter spectata, vt sic, non sunt eiusdem rationis, bene tamen sunt rationis eiusdem repræsentatiuè, etenim, dum species repræsentat obiectum, assimilatur obiecto. Item argumentum supponit, obiectum esse in eodem intellectu, in quo sunt species, non sic, sed species remanet intra, obiectum extra.

15 Ad Sextum, falsa maior, etenim homo homini, & indiuiduum intra eandem speciem, esse solet simile indiuiduo, pagina enim hæc est eiusdem rationis cum subsequenti, & tamen stat inter eas similitudo: sicut & paries hic, parieti illi, inter quos stat identitas specifica, & in albedine similitudo. Item dicendum, speciem & esse similem obiecto, & dissimilem: si enim spectetur in ratione repræsentandi, erit similis, si formaliter, dissimilis, est enim species accidens, & obiectum potest esse substantia: vel si sit species quantitatis, species erit qualitas, & obiectum quantitas: stat ergo similitudo, non realis, sed obiectiua, & intentionalis: siue stat similitudo, non formalis, nec eminentialis, sed virtualis, dum cognitionem parere potest de obiecto.

Species an similis obiecto.

Cæcus qualiter, & quando dicatur oculus.

16 Ad argumenta secundæ sententiæ respondendo, dicimus ad Primum, tunc fore cœcum, quandocumque careret Angelus potentia ad intelligendum, sicut oculus est cœcus, quoniam caret vel organo, vel ei debilitatum remanet, vel impeditum, ne videat: non autem dicitur cœcus oculus, quando nullum ei obiectum præsentatur, vel quando deest lumen illustrans obiectum visibile; non enim oculus apertus dicitur esse cœcus in nocte, absente lumine, quia tunc retinet potentiam visiuam: Angelus autem, quia habet intellectum agentem, & possibilem, hinc non est cœcus: Argumentum autem militat potius contra Thomistas, negantes illum, dempto, namque tali intellectu, remotis insuper, per Dei potentiam, speciebus, esset cœcus, vt deduximus quæst. 1.

Substantia, & species in minus excedunt.

17 Ad Secundum, conceditur de specie, negatur de substantia: & loquendo de facto, iam intellectui Christi Domini datur quod cognoscat omnia habitualiter, per habitum quendam ex Henrico: licet Scotus, aliter exponat ly *habitualiter*; non tamen datur substantia creata, quæ sit huiusmodi repræsentatiua: soli enim hoc competit Essentiæ Dei. Dices, nobilior est substantia, specie accidentali, ergo & competere magis ei. Resp. & si verum sit, ordinariè loquendo, & vt in pluribus, nihilominus est quoque verum, quod substantia indiget accidentibus, itaut multa facere nequeat sine accidentibus: si ergo mutuo excedunt hinc inde &c. Vtique quod perfectius est altero, indiget quoque illo aliquando; ita Dominus indiget seruo, Caput manibus, & pedibus Substantia accidente: solus enim Deus sibi sufficit.

Perfectum indiget quandoque imperfectiori.

Cur species potest repræsentare infinita, & non substantia.

18 Ad Tertium, vere esset infinita, quidquid alij reclament, vt Molina, Vasquez. Dices, species non esset formaliter, sed solummodo obiectiuè infinita, ergo nec Angelus esset formaliter infinitus. Resp. negando paritatem, quoniam si species repræsentaret infinita, iam notum esset, non continere illa ex propria virtute, quoniam accidens, cum sit imperfectæ entitatis, non potest habere de se virtutem sic continendi: at si id diceretur de substantia, daretur intelligi propria virtute id fieri, est namque substantia principium contentiuum, & productiuum aptum ad plures operationes perfectas.

19 Ad

19 Ad Quartum, est dispar ratio, vt est dictum, Essentia namque Diuina est infinita, Angeli finita.

20 Ad fundamentum tertiæ sententiæ, dicendum, ita esse potentiam inchoatam & incompletam intellectum Angeli absque obiecto sicut intellectũ hominis ergo concursus speciei, siue obiecti, requiritur ex parte vtriusque. Nec ratio perfectioris naturæ supra humanam, aufert necessitatẽ specierum, etenim intellectus humanus est perfectior sensu, at non sequitur, vt nõ egeat specie ad intelligendum. Dices, nec quidem sensus indiget specie, ergo minus egebit intellectus. Resp. in cognitione quidẽ intuitiua stat paritas, sicut namque sensus sensationem producit præsente suo sensili, ita intellectus intuitiuè videt, præsente sibi obiecto: at in abstractiua stat disparitas, propterea; abstractiuè intelligendo, specie indiget, ob absentiam obiecti. Nec insuper voluntatis imperium quidquam prodest; licet enim imperare valeat intellectui, attamen nequit supplere vicem obiecti. Contra, etenim etiam ad sensationem concurrit species: est autem sensatio operatio intuitiua, non abstractiua, cum sensus non sit abstractiuus: ergo etiam, imo magis species cõcurrit ad cognitionem intuitiuam. Responsio patet ex doctrina sæpiùs repetita, siquidem differentèr concurrit species ad abstractiuam, & intuitiuam: ad illam, tanquam causa, seù concausa intellectionis: ad istam, non vt causa, sed tanquam effectus præuius naturalitèr productus à solo obiecto: semper namque obiectum immittit speciem sui, tum ad intellectum, tum ad sensũ & ita paritèr, nulla fit sensatio absque præuia specie licet non sit causa sensationis, de quibus tom. 2. de Trinit. l. 3. d. 3. quæst. 10.


Species an ad sensationem, & cognitionẽ intuitiuam.

21 Ad principale autem intentum redeundo: Angelus, & homo, in ratione intellectiui æquè indigent specie, in hoc enim non datur excessus vnius supra alterum. Quod vero superior Angelus intelligat per species pauciores, easque vniuersaliores, & inferior per plures, ad mentẽ Thomistarum, id per accidens est, omnes namque intelligũt per species: quod etiã homo pluribus egeat, quam Angelus, illeque sensibus vtatur, hæc, & huius generis, per accidens sunt: quod vero Angelus speciebus vtatur in cognitione abstractiua, sicut etiam homo, id per accidens nõ est, sed per se. Idque experientia patet, si namque intelligibilis ab intellectu decidat, non poterit fieri intellectio in absentia obiecti: minusq; intelligi valebit obiectum, cuius species nusquã in intellectu fuerit recepta. Præterea, obiectum mouere debet potentiam; idque præstabit vel per se immediatè; vel per speciem: vtroq; illorum ablato cessabit notitia: igitur cessante specie in cognitione abstractiua, cessabit notitia abstractiua: ergo, saltem, solũ cognitio vnius solius generis habebitur, intuitiua, dempta specie, & nusquã abstractiua.

Angelus, & homo pariter egẽt speciebus.

22 Mirum vero est, vt voluntas imperio suo supplere valeat præsentiam, & vicem obiecti: etenim cognitio est veluti proles, parta à potentia, & obiecto: at nequit voluntas sufficiens esse vt producatur fœtus, & proles ab altero tantum parente, cum ab vtroque parente generetur proles, & filius, ergo nec hic. Item nec voluntas ad intra imperare valebit Patri, & Filio, vt Spiritum sanctum spirent absque obiecto amato: Sicque de cunctis insuper, siue à Natura pendẽtibus, siue ab arte, vnaquæque namque facultas, solo Parente, contenta non est, requirit enim concausam, cum qua operetur, & de qua extrahat partum.

Obiecti vicẽ supplere nequit voluntatis imperium.



QVAE-

QVÆSTIO IV.

Vtrum Angeli habeant species rerum omnium, ipsis concreatas ab initiō.

ARTICVLVS I.

Aperitur status Quaestionis.

1 GRauis, & laboriosa est ista Disputatio inter Thomistas, & Scotistas: vt vero sensu experiar, dico laborem, & tricas, quibus quaestio implicita est, aduertere, ex quo sensus siue Diui Thomae à Scotistis nō facilè percipitur, siue sensus Scoti à Thomistis, salua quidem pace amborum: Quo fit, vt argumenta vtriusque partis, adhibitis, multis ferè solutionibus, minimè euacuētur, non percepta mente vtriusque Praeceptoris. Profitebor infra, mentem vtriusque aperire, & solutionesque vtraq; parte, fore nullas, demonstrare; sitq; inde compensatio, ne contingat amplius tantopere laborare. In primis autem afferam sententiam D. Thomae cū fundamentis Thomistarum: Secundo sententiam Scoti, cum fundamētis Scotistarum: Tertio, sensum meum aperiam: Quarto, demum, & Quinto, soluam rationes Thomistarum, & Scotistarum.

ARTICVLVS II.

Asseritur sententia, & probationes Thomistarum.

2 REfertur sententia Diui Thomae 1. par. q. 54. & 55. Angelos ab initio creationis ipsorum, recepisse à Deo species omnium rerum intelligibilium. Cuius etiam sententiae sunt Authores citati, in disputat. hac, q. 1. pro sententia negante intellectum agentem in Angelis. Plura autem continentur in hac sententia. Primo, quod species rerum omnium receperint ab initio. Secundo, quod non possint comparare speciem vllam à rebus. Tertio, quod non possint cognoscere materialia per species ab ipsis receptas. Quarto, quod cuncta, & singula, tum vniuersalia, tum singularia cognoscant per species vniuersales concreatas, quarum munus sit repraesentare rerum quidditates ipsas abstractas, & vniuersales, rerum & singula indiuidua, pro loco & tempore existentia vna cum cōditionibus omnibus, & circumstantiis indiuidualibus. Et quinto, quod Angelus, quo superior est, eo indigeat paucioribus speciebus ad intelligendum, speciesq; Angeli superioris sit vniuersalior, vnde fiat, vt plura repraesentet, quam species Angeli inferioris, & propterea, paucioribus speciebus indigeant Angeli superiores, pluribus vero Angeli inferiores. Haec ad summū, sunt capita doctrinae Thomistarum. Primo autem loco afferemus rationes negantes, accipere species à rebus: & Secundo, rationes probantes, quod Angeli, quo sunt superiores, eo intelligant per species vniuersaliores.

3 Probationes omnium capitum hae sunt. Primo, est sententia Authoris libri de causis propos. 9. dicentis, *Omnis intelligentia est plena formis.* Nempè speciebus, seu rationibus intelligendi. Item Dionys. c. 7. de Ang. Hierarc. ait, *Angeli superiores habent vniuersaliorem scientiam.* Idem, *Angeli non congregant diuinas illuminationes, siue notitiam diuinam ex rebus sensibilibus.* Insuper August. lib. 2. super Genes. ad lit. inquit, *Res, quae sunt infra Angelos, prius fuerunt in cognitione angelica, quam in proprio genere*, ergo non recipiunt cognitionem à rebus. Rursus, Arist. lib. 3. de Anim. c. 4. de intellectu possibili loquens, ait, intellectum possibilem non appellari possibilem, quia possit recipere species, sed quia prius est in potentia, & postea in actu: at intellectus angelicus, est semper in actu.

4 Secundo, probatur rationibus, nisi omnium recepissēt species, sequeretur, Angelos non posse cognoscere singularia distantia; id vero admodum derogat perfectioni intellectus ange-

lici: Probatur assumptum, etenim magna distantia impediret, nè abstrahere possent species à singularibus distantibus, sicque remanerent ignari, nec per concreatas, nec per abstrahibiles species, possent singularia cognoscere.

5 Tertio, sicut se habet modus essendi Animæ nostræ ad modum essendi Angeli, ita se habet modus operandi Animæ ad modum operandi ipsius Angeli: at intellectus noster, ideo in operando, speciem recipit à rebus, quia in essendo dependet à corpore, cum Anima sit actus corporis, ergo, ex opposito, Angelus nullam recipiet speciem ab obiecto, cum non dependeat à corpore.

6 Quarto, sicuti se habēt substantiæ corporeæ inferiores, & superiores, ita se habent substantiæ spirituales inferiores, & superiores, at substātiæ corporeæ superiores habēt à natura, concreatas sibi omnes qualitates, & perfectiones; substātiæ autem corporeæ inferiores adipiscuntur ipsas sensim, & in tempore, quia non habēt eas connatas à natura: ergo à pari licet Anima cognitionem, & species acquirat à rebus, Angelus tamen habuit ipsas sibi concreatas in sui creatione.

7 Quinto, corpus non potest agere in spiritum, ergo obiectum materiale non potest producere speciē in intellectu Angeli. Confirmatur, quia sequeretur Angelum exinde reddi imperfectiorem; probatur, cognitio ista v. g. causatur à specie recepta ab obiecto inferiori, ergo cognitio Angeli causaretur à creatura inferiori; perfectum autē non habet pro causa, eus inferius, & imperfectum: quia Agēs est præstantius passo, ex August. 12. de Gen. ad lit.

8 Sexto, species recepta à rē materiali, & extensa, debet necessario esse quanta, & extensa: extensio autem hæc repugnat intellectui angelico, alioqui in extenso, & indiuisibili.

9 Septimo, intellectus agēs, & possibilis non distinguuntur, nisi per comparationē ad phantasmata: in Angelis nullum est phantasma, ergo neque erit species abstrahibilis à phantasmate.

10 Octauo, negatis speciebus, ab initio concreatis Angelis, sequeretur, Angelos in primo creationis instanti non fuisse perfectè sapientes, id autem aduersatur Ezechielis 28. *Tu Cherub*, signaculū similitudinis plenus sapientia, *& decore &c.* & infra. *Perfectus* in vijs tuis à die conditionis *tuæ*.

11 Nono, oportet receptiuum denudari à toto genere receptibilis, ex 2. de Anim. sed *Angelus est plenus speciebus*, ex 9. Prop. de caus. ergo non recipit species. Denique non datur intellectus agens in Angelis, ergo nec cōparat species à rebus. Sequitur consequens, quia munus eius est abstrahere species ab obiectis.

Hæc ad summum, sūt principaliores rationes pro primo capite.

Nunc afferēdæ sunt rationes probantes secundū quod, quo Angeli sunt superiores, eo intelligant per species vniuersaliores.

12 Prima sit authoritas Dionys. Vulg.
c. 12. cælest. Hierarc. vbi ait, *Cherubim ordo sapientiæ, celsiori scientiæ communicat: qui vero sub illis sunt sanctarum spirituum ordines, & ipsi sapientiæ, ac scientiæ participes sunt quidem: particularis tamen, pro modo suo, atque inferioris.* Et confirmatur ex similitudine eius quod aduenit sensibus corporis, præcipuè diuidentibus nutrimentum ipsi corpori, inquit enim cap. 15. *Porro dentes diuisionem indultæ sibi perfecticis alimoniæ, alentisque perfectionem exprimere credimus; quælibet enim substantia spiritualis, quæ ab augustiore perceperit, vnicam, & vniformem intelligentiā, prouida virtute diuidit, atque multiplicat, dum inferiorum quoque, pro captu suo promouet, atque subsellit.* dum vero ait, *vnicam intelligentiam*, dat intelligere superiores Angelos, per vnicam percipere speciē, ea quæ inferiores percipiūt per plures. Et 12. de cælest. Hierarc. *Angeli superiores habent scientiam vniuersaliorem*. Et cap. 8. de diu. Nom. *Naturale est animæ per signa inferiora cognoscere: Angelos vero vniuersalius, & plura in vnum colligere.*

13 Secundo probatur rationibus, *Priora sunt primo propinquiora, sicut in entitate, ita & in cognoscibilitate:* At Primum, quod est Deus, intelligit omnia per vnicam rationem repræsentandi, patet, quia intelligit mediante Es-

sentia

sentia Diuina, quæ cum vnica sit, repræsentat infinita, ergo & Angeli, quo erunt superiores, eo erunt Deo propinquiores, & consequentèr indigebunt paucioribus speciebus in repræsentando.

14 Tertio, quanto ratio repræsentandi est immaterialior, tanto est in repræsentando vniuersalior: ergo in Angelo superiori erit vniuersalior species, & inferiori minus vniuersalis.

15 Quarto, *formæ se habent sicut numeri*, 8. Met. t. cap. 10 at maior numerus includit minorem, ergo perfectior species includet imperfectiorem: igitur dabitur Angelo superiori species includens cognoscibilia per plures species ab Angelo inferiori.

16 Quinto ex 2. de anim. t. 2. *Sensitiua est in intellectiua, sicut trigonum in tetragono*: at tetragonus potest esse ratio sufficientèr cognitiua, & repræsentatiua trigoni: ergo vna species angelica erit sufficientèr repræsentatiua plurium cognoscibilium per plures species ab Angelis inferioribus.

17 Sexto, ex prima propos. de caus. *Omnis causa primaria plus influit in causatum, quam causa secundaria*; ergo intellectus superior in perfectione maiori, plus cognoscet, quã intellectus Angeli inferioris.

18 Septimo, intellectus vnius hominis perspicacior, plus cognoscit per vnam rationem cognoscendi, quam intellectus minus perspicax: ergo multo amplius id continget in Angelo superiori, vt per speciẽ vnam, vel per pauciores, plus cognoscat, quam Angelus inferior.

19 Octauo, possibile est, quod virtutes diuersarum causarum vniantur in vna causa superiori: ergo possibile erit, vt virtutes multarum specierum intelligibilium vniantur in vnica specie intelligibili in Angelo superiori. Antecedens patet Primo de Deo, etenim virtutes causarum secundarum vniuntur in vnica Causa prima. & Secundo, de sensibus exterioribus, quorum obiectorum species, multæ quidem sunt, attamen obiecta hæc cognoscuntur per vnicam speciem repræsentantem omnia, à sensu communi: Et confirmatur ex communi axiomate, *Quæ sunt dispersa in inferioribus, sunt vnita in superioribus.*

20 Nono, non sunt impossibiles tales species vniuersales in repræsentando plura, & plura, cur ergo negantur?

21 Decimo, speculum, cum sit vnicum, repræsentat tot, & tot obiecta, quæ sibi apponuntur: ergo non implicat id fieri per speciẽ, vt ad instar speculi, ostendat plura.

22 Vndecimo, causa æquiuoca continet in se, cum sit vna, rationem producendi plura, vt plures effectus: ergo non implicabit, vt vna species possit repræsentare plura, & continere in sè diuersa obiecta.

23 Duodecimo, Intellectus Animæ Christi Domini habuit ab initio habitum vnum, quo mediante videat singula & infinita, vt etiam docet Scotus in 3. d. 14. q. 2. ergo non repugnat ex parte speciei, repræsentare plura, & infinita.

24 Tertiodecimo, Angelus est medius inter Deum, & Hominem: Deus autem nõ intelligit per species: homo intelligit per species acceptas à rebus, ergo Angelus medio modo se habebit, intelligendo per species, non desumptas à rebus, sed acceptas à Deo.

25 Quartodecimo, per vnam, eandemque speciem intuemur colorem, & quantitatẽ substratam colori, ergo dari poterit similis vnica species in Angelo, repræsentans plura.

ARTICVLVS III.

Asseritur sententia, & probationes Scotistarum.

1 EX opposito, Scoti sententia, & sectatorum, his tribus continetur: In Primis autem docet, dari intellectum agentem in Angelis, per quẽ possint species abstrahere à rebus: Secundò ait, ab initio recepisse quidẽ concreatas species vniuersales quidditatum rerum, non tamen singularium: Addo, quod non negaret, recepisse species singularium aliquorum, licet non omnium, & id propter dignificationẽ Naturæ, vt singularium quorundam principaliorum species acceperit ab initio, & si non omnium. Tertio, ne- Scoti sententia.

gat recepisse species repræsentantes simul quidditates omnes vniuersales, & singularia. Quarto falsum putat, Angelum, quo superior, eo recepisse speciem vniuersaliorem repræsentantem plura: vnde docet, non posse dari talē speciem, quæ repræsentet plura. Quinto infert, posse Angelos proficere, accipiendo cognitionem à rebus. Sexto, dato quod singularis alicuius receperit speciem, nihilominus adhuc speciem de nouo debet acquirere de existentia, & conditionibus indiuidualibus eius: tota ratio dictorum, quia species illæ sunt repræsentantes in abstracto, abstrahendo ab hic, & nunc &c. ergo indiget specie noua, vt cognoscat existentiam pro loco, & tempore talis singularis, ita habet in 2. d. 3. q. 11. & sequuntur, quos retulimus q. 1. pro intellectu agente. Quibus adde ex parte, Marsilium in 2. par. q. 7. art. 1. conclus. 9. Ioan. Maior. in 2. d. 3. q. 2. Vasquez incertam reliquit quæstionem, & Molina disputat in vtramque partem.

2 Probationes sunt. Primo, datur in Angelis intellectus agens, per quem acquirere possit species intelligibiles, ergo non receperunt ab initio species omnium intelligibilium: antecedens remanet probatum supra q. 1. & probatur conseq. alias frustra poneretur intellectus agens, eius enim munus est abstrahere species intelligibiles.

3 Secundò huc afferri possunt rationes omnes probantes dari intellectum agentem; siquidē eę adstipulantur nō fuisse inditas species omnes Angelis ab initio.

Res vna nō potest esse imago, & similitudo dissimilium.

4 Tertio arguitur aduersus id, q Thomistæ aiunt, per vnam speciē posse repræsentari plura. Vna res non potest esse similitudo, & imago naturalis rerum dissimiliū, ergo nec vna species angelica poterit repræsētare plura dissimilia. Probatur consequens, quia species est imago, & similitudo obiecti, quod repræsentat: probatur autē antecedens, etenim imago, & similitudo dicit ordinē ad simile, & ad imaginatum, igitur non dicit ordinem ad dissimile, & ad id, cuius non est imago; patet, nam species Leonis est similitudo Leonis, non autem Bouis: & imago Cæsaris, non Pompeii: igitur restat, vt vna species nō possit repræsentare dissimilia, ergo nec in Angelo dabitur species vnica repræsentans Leonem, Bouem, Camelum, Elephantem, & alia dissimilia. Confirm. vbicunque obiecta nullū dicunt ordinem essentialem ad inuicē, vnum non est alterius repræsentatiuū.

5 Quarto, Ideæ in mente diuina taliter sunt à Deo dispositæ, vt singulę singula repræsentent obiecta, non autē vna omnia: ait enim August. lib. 83. qq. q. 46. *Deum singula singulis rationibus creasse*: Vnde fit, vt idea Leonis repræsentet solummodo Leonem: idea Bouis solum Bouem, & non alia: ergo nec species in mente angelica repræsentabit plura.

6 Quinto, si species vna repræsentaret plura, iam Angelus necessitaretur intelligere simul illa plura, nec posset vnum intelligere, non intellectis cæteris; probatur sequela, species illa repræsentat naturalitèr, ergo naturalitèr, & necessario mouet intellectum: item non magis repræsentat vnum, quam alterum quia repræsentat naturalitèr.

7 Sexto, quidquid est ratio cognoscendi distinctè aliqua plura, habet vnum obiectum primum, & adæquatū, in quo continentur illa plura, sed nulla species intelligibilis habet obiectū vnum adæquatum, in quo contineantur illa plura, ergo non datur talis species vna: minor patet, quia nulla creatura continet sic plura: nec enim continet plura quoad entitatem, minusque continebit quoad cognoscibilitatem, non enim continet eminētèr, nec virtualitèr obiecta infinita, cum hoc sit solius Dei. Et certè argumentum vrget, loquendo namque de disparatis, & nullum ordinem habentibus inter sē, non est inuenire vnum tale creatum, & si perfectum sit inter entia creata: homo namque non potest imaginem, seu speciem parere de Leone, de Boue, Camelo, Vrso, plantis, lapidibus, minusq; de rebus spiritualibus, cum hæc non contineat in se ipso, quomodo igitur poterit Angelus de his, deque pluribus cognitionem parere per speciem vnam, cum species talis non valeat ista continere.

8 Septimo hinc sequeretur dari speciem aliquam infinitam, probatur,

species

species angelica potest repræsentare quidditates infinitas, seu singularia infinita, si non in actu, saltem in potentia, ergo erit infinita. Prob. conseq. vbi pluralitas numeralis requirit maiorem perfectionem, ibi infinitas numeralis requirit infinitam perfectionem: sed quod vna species repræsentet plura requirit, seu indicat maiorẽ perfectionem, ergo, quod repræsentet infinita, requiret infinitam perfectionem. Confirmatur, posse portare vnum pondus, dicit tantam perfectionem: posse portare plura, indicat maiorem perfectionem, ergo posse portare infinita, indicabit infinitam virtutem, & perfectionem.

Vbi pluralitas requirit maiore perfectionem, ibi infinitas requirit infinitam perfectionem.

9 Octauo sequitur, deueniri posse ad hoc inconueniens, vt Angelus intelligat omnia, & singula absq; omni specie: Probatur, Angelus quo superior est, eo intelligit per pauciores species, ergo supremus intelliget per vnicam speciem, igitur summus omnium Angelorum, saltem possibilis, intelligere valebit absque omni specie: Discursus patet, quia quanto magis receditur sursum, tanto magis intenditur, & perficitur virtus, & intelligentia Angeli; infimus quidẽ intelligit per plures species: maior, per pauciores: supremus per minus, supremus per vnicam speciem, ergo summus omnium intelliget per nullam speciem.

10 Nono hinc sequitur, Angelum talem, intelligentem per vnam speciẽ, æquiparari Deo in intelligendo: Prob. Deus intelligit mediante Essentia Diuina, quæ est vnica ratio repræsentandi omnia, sic autem Angelus intelligeret mediante vnica specie, veluti vnica ratione repræsentandi.

11 Decimo, hinc rursus sequeretur, quod sicut Deus, nulla mediante specie intelligibili creata, intelligit, ita & summus Angelus intelligeret nulla media specie creata: Tunc autem quæro, per quid intelligeret, non per speciem, ex octauo argumento, ergo per propriam suam essentiam: at hinc sequuntur tria absurda: Primo, sequeretur in Essentia sua contineri omnia intelligibilia: Secundo, sequeretur æquiparari Deo, qui intelligit omnia per suam Diuinam Essentiam repræsentantẽ: Et Tertio, sequeretur vel non omnia, vel paucissima, vel nihil, extra seipsum, intelligere: Probatur, iam non intelligit summus Angelus per speciẽ, non per propriam essentiam, ergo nihil intelligit: intelliget autem solummodo seipsum in essentia sua.

12 Vndecimo, species debet adæquari suo subiecto, itaut non possit excedere illud in repræsentando: species enim Leonis non potest repræsentare aliud, quam Leonem, alias excederet suum obiectum: ergo vna species non potest repræsentare, nisi vnum obiectum.

13 Duodecimo, quod per species illas vniuersales intelligit Angelus, etiã singularia, id repugnat bonæ philosophiæ: Et arguitur, vniuersale abstrahit à singulari, ergo per speciem vniuersalem quidditatis v. g. naturæ specificæ humanæ, non poterit cognoscere Petrum, Sortem, Caium, &c. Item vniuersale abstrahit ab hic, & nunc, à loco, & tempore, nam humana Natura spectata secundum se, sub ratione vniuersalis, non dicit ordinem ad locum, & tempus, ad motum, & quietem; ad hic, & nunc: Insuper contingentia non possunt cognosci per quidditates vniuersales: Probatur, propositio hæc, Homo est animal rationale, fuit, est, & erit semper vera, quia est de materia necessaria, & naturali, eritq; vera in omni loco, tempore, &c. at ista, Sortes scribit, non semper vera, etenim heri non scripsit, hodie quidẽ scribit, crastina autem, dubia res est, an scribet: at inspiciendo in quidditate Naturæ humanæ in se, cuius speciem habeo, non potero inde, certũ desumere argumentum, an scripserit, an scribat, an scribet, quia vniuersale non repræsentat contingentiam loci, temporis, ac cæterarum circumstantiarum. Rursus, si quidditas vniuersalis repræsentat singulare, non poterit, nisi confusè, & indistinctè repræsentare. Ratio, quia quidditas abstrahit ab hic, & nunc, ergo Angelus per talem speciem cognoscit indistinctè, ac confusè singulare. Præterea, singulare addit aliquid ad vniuersale, ergo quidditas vniuersalis caret de se, tali addito, vtpote hecceitate &c. ergo per solam speciem quidditatis

Contingentia non cognoscuntur per quidditates vniuersales.

ditatis vniuersalis non poterit cognoscere singulare. Insuper quidditates rerum sunt æternæ, nec variantur per totum, & tempus, at me scribere, non fuit æternum, cum sit temporale, & hodiernum: item desinam scribere: nec semper scripsi: vt quid ergo per quidditates naturarū inuariabiles, seu per quidditatem naturæ humanę inuariabilem, cognosci poterit me vel non scripsisse, vel scribere, vel desecturum à scriptura? Item circa quidditates non contingit spectare præteritum, nec futurum quia abstrahuntur à tempore, cum sint æternales, singulares tamen actiones assequuntur temporum differentias, ergo inspiciendo quidditatem humanam, non poterit inspici præteritum, nec futurum. Quomodo insuper sciri poterit, fortem fuisse, vel esse, vel fore in tali loco per solam inspectionē Naturæ vniuersalis, cū vniuersale abstrahat ab omni loco, nec repræsentet tempus, aut locum, aliamq; conditionem existentiæ?

ARTICVLVS IV.

Iudicium de vtraque sententia, & reconciliatio D. Thomæ, & Scoti.

1 Visis iam, quæ vtrinque pugnant, rationibus, meditatis, dicam quid sentiam, vt promisi.

2 In Primis autem asserere, Angelos recepisse ab initio species omnium quidditatum, assentior cum vtraque Schola, nec namque circa hoc stat quæstio, & bene remanet probatū in vtraque opinione.

3 Secundo, asserere recepisse species aliquorum etiam singularium, nō implicat, imo dignificat magis angelicam Naturam: nec id negaret Scotus: de quo amplius dicemus infra.

4 Tertio, pace vtriusque partis, mens Diui Thomæ, & Scoti, non mihi videtur hucusque percepta: vnde est, vt inutiliter multiplicentur lites: quod autem ita sit, demonstrabo, simulque partes ambas reconciliabo.

5 Vnde dico, quod quæstio ista moueri potest altero ex duobus modis, vel namque spectamus speciem intelligibilem quantum est ex natura sua, siue ab intrinseco; vel spectamus eam ex addito, siue ab extrinseco, prout eleuatam à Deo. Primo modo dicit ordinem ad obiectum, tum in ratione causandi passiue, tum vero repræsentandi, vnde duplicem dicit ordinem pro nūc, causationis, & repræsentationis. Dico insuper, quod species considerari potest, vel quatenus per actionem intellectus agētis est abstracta ab obiecto: vel quatenus est infusa intellectui à superiori agēte, supplere vicem abstractionis factæ per intellectum. Dico itē, quod quæstio examinari potest, vel philosophicè, vel Theologicè: Primus sensus erit, spectando speciem ex natura rei, secundum sé, & ab intrinseco: Secundus autem, spectando eam ex addito, & per dependentiam ab Agente superiori, & extrinseco; quatenus est eleuata à Deo, ad sic, vel sic; tot, vel tot repræsentandum, prout Deo placuerit.

Species cōsideratur, vel Physicè, vel theologicè.

6 His præstabilitis assero Primo, quod D. Thomas, & Scotus non sunt loquuti ad vnum, eundemq; sensum, sed ad diuersos, vnde mirum non est, si tantopere discordent. Qualis autē sit vtriusque sensus, aperiam. Vnde Secundo assero, D. Thomam loquutum fuisse, spectando speciem non quidem ex natura rei, nec ab intrinseco, nec quatenus causatur virtute intellectus agētis abstrahentis ab obiectis, sed spectando eam ab extrinseco, & prout eleuatam, quatenus infunditur Angelo à superiori Agente Deo, conferente ei modum, & sic, tot, & tot repræsentandi obiecta, prout Deo placuit virtutē speciei dare maiorem, vel minorē ad repræsentandum: & iste est modus cōsiderandi speciem Theologicè: Scotum vero considerasse speciē ex natura rei, & ab intrinseco, quatenus pēdet ab ipso obiecto creato, & ab intellectu agente incausari; non autem ab extrinseco, nec in ordine ad Deum, sic, & sic, prout ei placuerit, contemperantem speciem: & iste est modus considerandi speciem philosophicè: Vnde differentia inter D. Thom. & Scotum est, quod Scotus considerat speciem ex natura rei, & D. Thom. prout eleuatam à Deo.

7 Quod Scotus philosophicè, & ex natura rei, siue ab intrinseco considerct

ret

ret speciem, apertissimè constat ex rationibus adductis pro sua sententia, omnes namque innituntur principijs philosophicis, vt de se patet: Quod vero D. Thomas loquatur de specie, non prout à obiecto abstracta, sed prout à Deo sic, & sic contemperata, & infusa, probo ex apertissimo loco eiusdem Doctoris sancti, is enim quæst. 8. de cognit. & scient. Angel. art. 10. respons. ad tertium ait, species abstractas ab obiectis esse adæquatas obiectis, itaut non possint repræsentare plura obiecta, species vero infusas à Deo, posse repræsentare plura obiecta: rationem autem de hoc reddens, inquit, ideo ita est, quoniam species infusæ à Deo, sunt superexcedentes obiecta, & propterea species vna potest repræsentare plura obiecta: cum autem species abstracta ab obiecto, sit adæquata tali obiecto, non poterit repræsentare, nisi vnicum obiectum. Doctrina hæc Diui Thomæ est responsiua ad argumentum vndecimũ art. præced. factum pro Scoto, nempè, species debet adæquari suo obiecto, ita vt non possit excedere suum obiectum in repræsentando, species namque Leonis, ita repræsentet Leonem, vt nil vltra, alias excederet suum obiectum: ergo vnica species angelica repræsentabit vnum, & non plura: Ad hoc autem respondens D. Thomas ait, adæquationem in repræsentando, competere soli speciei desumptæ ab obiecto, & in hac stat adæquatio: attamen loquendo de specie infusa à Deo non oportet ipsam adæquari vni tantum obiecto, rationẽ reddit, quia *species angelicæ habitæ à Deo, sunt superexcedentes*: quæro autẽ quid dicat illud *superexcedentes*; nisi quod non repræsẽtat solummodo Leonem, solummodo hominem, sed superexcedit, quia repræsentat plura, & tot, quot placuerit Deo, vt repræsentet. En sententia apertissima Diui Thomæ, & Scoti.

D. Thom. loquitur in sententia Scoti

Species vna quomodo repræsẽtare potest plura

8 Ex hinc autem quæro, vtrum D. Thomas, si peteretur de suo sensu, asserere, speciem ex natura rei, & ab intrinseco, v. g. speciem Leonis, posse simul repræsẽtare Leonem, & Vrsum, Lupum, & Agnum, Hominem, & Brutum? & speciem albi posse repræsẽtare album, & nigrum? neutiquam hoc; etenim apertè fatetur, speciẽ desumptam à rebus repræsentare vnum, & non plura: talis vero est sensus Scoti, vt speciem consideret ab intrinseco, & ex natura rei, & prout desumptam ab obiecto, vt apertissimè patet: Ergo philosophicè loquendo, & ex natura rei, D. Thom. & Scotus apertissimè concordant, iam enim D. Thomas loco recensito, hoc ipsum docet apertè, quod Scotus.

9 Quod vero Scotus id ipsum doceat, quod D. Thom. spectata specie in ordine ad infundentem Deum, in primis, hoc solum apertè de eo constat, quod negarit infusas fuisse species omnium rerum. Cæterum, si interrogatus fuisset, vtrum possit Deus infundere speciem vnam, quæ repræsentet plura, conferendo ei virtutem cognoscendi plura? nequaquam id negaret, alias limitaret Potentiam Diuinam: tum etiã quia quidquid potest causa prima cum secunda, potest se ipsa sola &c. Et hoc ipsum probo ex doctrina eiusdẽ Scoti, docet namque datam Angelis speciem intelligibilẽ, abstractiuè repræsentantem Essentiam Diuinam, dum erant in via: species autem illa erat vnica, at repræsẽtabat plura, vtpotè Essentiam, modos intrinsecos, attributa, & Personas Diuinas. Dices, hæc omnia esse essentialitèr obiectum vnum, & non plura. Contra, licet essentialitèr sint vnum, tamen realitèr sunt plura, quia plures Personæ Trinitatis, distinctæ realitèr: item modi intrinseci sunt plures: & attributa sunt plura: & vnumquodque ad intra distinctam habet conceptibilitatem, siuè realitèr, vt Personæ distinctæ realitèr, siue modalitèr, vt modi intrinseci distincti modalitèr: siue denique formalitèr, vt attributa distincta formalitèr: Cum ergo species illa vnica repræsentare potuit tot conceptibilitates talitèr distinctas, cur non poterit in via Scoti dari similis species in ordine ad obiecta creata? Confirmatur, adeo species illa vnica repræsẽtabat plura, vt repræsentaret Paternitatem, Filiationem, Spirationẽ vtramque, tantopere distinctas, vt principiũ vnius non possit esse principium alterius, Filij namq; principium est intellectus, non voluntas: & Spiritus sancti principium est voluntas, non intellectus.

Scotus tradidit in sententiam D. Thom.

lectus. Item Scotus in 3. d. 14. q. 2. inter alios modos, quibus intellectus Animæ Christi cognoſcat omnia in Verbo, aſſert, quod id agat vnica viſione, quæ quidem terminabilis ſit ad infinita numero obiecta. quæro autem de actu iſto vnico videndi, vtrū id habeat ex ſe, ab intrinſeco, ex natura rei, an prout eleuatus à Verbo? Scotus negaret primum, & affirmaret ſecundum: ergo eandē virtutem, ex Scoto, potuit conferre Deus, vel paucioribus ſpeciebus, vel vnicæ ſpeciei ad repræſentanda infinita. An vero vel viſio illa, vel ſpecies iſta foret infinita, de viſione decidit ibi Scotus, & de ſpecie dicemus infra art. fin.

ARTICVLVS V.

Soluuntur argumenta Thomiſtarum.

1 CONſtito de ſenſu tum D. Thomæ, tum Scoti, remanet oſtendendum, argumēta hinc inde adducta, non militare aduerſus præclaros Doctores. Et quidē Thomiſtæ, Scoti ſententiam impugnant non in ſenſu Scoti, ſed in eo ſenſu, in quo aiunt, loqui D. Thomam: & Scotiſtæ D. Thomæ ſententiam arguunt, non in ſenſu Diui Thomæ, ſed in eo ſenſu, in quo loquutum exiſtimant Scotum. At quia vidimus alienos eſſe à ſenſu vtriuſque Doctoris, hinc exiſtimo non eſſe immorandum in oppoſitorum argumentorū ſolutione.

2 Quapropter breuitèr lites interimendo, pro vtraque parte dici poſſet, Argumenta non impugnare ſententiā, ſiue Doctoris Angelici, ſiue Subtilis, id vero accidat, minimè bene perſpecta mente vtriuſque. Vt vero ad vtramq; argumentorum claſſem vno verbo reſpondeamus, vnica reſponſione dicimus, Argumenta Thomiſtarum procedere, ſpectat à ſpecie intelligibili extrinſecè, & loquendo Theologicè: Argumenta vero Scotiſtarum militare, ſpectata ſpecie intelligibili, ex natura rei, intrinſecè, & loquēdo philoſophicè: Hoc autem ſtante, ceſſat omnis controuerſia: & iam conſtitit in tali ſenſu loquutos fuiſſe noſtros Præceptores: & D. Thomas nec Scoti ſententiā negare, viſus ſuit, nec Scotus D. Thomæ doctrinam, in tali ſenſu impugnare, compertum extitit, vt præcedenti articulo dilucidè patuit.

Solutio vnica pro Thomiſtis, & Scotiſtis.

3 Verum, quia video Scotiſtas offenſos, niſi oppoſitis argumentis ſolutiones præſtem, hinc, vt morem eis geram, præſtabo: non quod à ſenſu ſecundum receſſito de Scoto & D. Thoma; ſed quaſi abſtrahendo à quæſtione oſtendam quantum roboris contineāt rationes illæ in Philoſophia.

4 In primis vero ad rationes omnes Thomiſtarum ſit generalis reſponſio, quod procedunt, ſpectata ſpecie ab extrinſeco, per virtutem repræſentandi ſuperadditam à Deo, non autem intrinſecè, & ex natura rei.

5 Singularitèr tamen ad ſpecialia capita deſcendēdo, ad authoritatem libri de Cauſis, *Omnis intelligentia eſt plena formis*. Reſp. loqui de formis quidditatum vniuerſalium has enim receperunt ab initio, non autem eſt plena formis ſingularium. Ad illud Dion. quod *Angeli ſuperiores habent vniuerſaliorem ſcientiam*. Reſp. quod alia tranſlatio habet, *Angeli ſuperiores habent ſcientiam totalem*. Reſp. 2. quod ſiſtendo in prima lectione, ſenſus non erit, vt intelligant per ſpecies vniuerſaliores, & pauciores, ſed in eo habent ſcientiā vniuerſaliorem, ex quo plura cognoſcunt, quam Angeli inferiores. Reſp. 3. vniuerſalitatem ſcientiæ conſiſtere in eo, quod plus, perfectiùs, intenſiùs, & limpidiùs, ſiue clariùs cognoſcunt, quā Angeli inferiores. Ad alterum locum Dionyſii, iam declarat ſemetipſum, vt non loquatur de cognitione creaturarum, ſed de cognitione arcanorum, & diuinorum, vnde inquit, *Non congregāt notitiam diuinam ex rebus ſenſibilibus*, loquitur de notitia diuinorum, & de hac conſtat an haberi poſſit ex ſenſibilibus. Ad Aug. prius fuerunt in mente angelica, quoad quidditates vniuerſales, non ſingulares. Ad Ariſtotelem, Reſp. 1. intellectum Angeli non diſtingui à noſtro, ex eo, quod hic poſſit abſtrahere ſpecies, & ille non: Nec diſtingui ex eo quod noſter ſit in potētia, ille autē nunquā in potētia, ſed ſēper in actu, ſed diſtingui aliunde, vt plenè traditū fuit q. 1. agendo de intellectu agente.

Omnis intelligentia eſt plena formis, declar.

Angeli ſuperiores hēt vniuerſaliorem ſcientiam, decl.

Angeli non congregant notitiam diuinam ex ſenſibilibus declar.

Diſtãtia improportionata impedit cognitionem intuitiuam.

6 Ad Secundum ex rationibus, reſpond. nil implicare, vt ſtante diſtantia improportionata, minimè cognoſcere valeat intuitiuè Angelus aliquod ſingulare, minimèq; abſtrahere poſſit ſpecies ad cognoſcendum. Dum autẽ infertur, fore alicuius rei ignarum, hoc nihil eſt, ſolus enim Deus ſcit omnia, & neceſſario, cæterum, creaturam nil implicat ignorare aliqua: nec etiam exiſtimandum eſt ſciri omnia ab Angelis, ſiue impediente diſtantia extra ſphæram ſuam, ſiue non reuelãte Deo. Et confirmatur, quia ex Thomiſtis etiã ſuperiores Angeli plura ſciunt, inferiores ſciunt non tot, vt ſuperiores, ergo non omnia norunt.

Non ideo Anima abſtrahit ſpecies, quia eſt cõiuncta corpori.

7 Ad tertium, non ideo anima recipit ſpecies à rebus, quia eſt coniuncta corpori, hoc enim per accidens aduenit, nam etiã ſeparata abſtrahit ſpecies; ſed ideo, tum quia non habet ſecum concreatas omnium ſpecies, tum etiam, quia habet intellectum agentẽ, potentem abſtrahere ſpecies: ergo, quamuis Angelus non dependeat à corpore, nil vetat abſtrahere quas non habet ſpecies.

Cœli quare habent perfectiones ſibi concreatas.

8 Ad Quartum, ideo Cœli habent ab initio perfectiones à Deo concreatas loquendo de eſſentialibus, quia nõ poſſunt eas ſibi comparare, Angelus autem poteſt accipere notitiam à rebus, vide quæſt. 1.

Corpus an poſſit agere in ſpiritum.

9 Ad Quintum, corpus non poteſt agere in ſpiritum, verum eſt, tanquam cauſam totalis: at erit cauſa partialis in cauſando ſpeciem in Animam, & in Angelum? Corpus non agere in ſpiritum, vtique verum eſt *phyſicè*, at poteſt *intentionaliter*, immittendo ſpeciem. Primum patet, dum non poteſt producere actiones, ſiue cauſatiuas, ſiue alteratiuas, ſiue deſtructiuas ſpiritus: quod eſt agere *phyſicè* poteſt tamen immittere ſpecies intentionales. Reſponſio tertia non ſpectat ad hunc locum; ſed ad materiam de Purgatorio, quomodo ignis agat in animas purgantes &c.

Species abſtracta à corpore qualis ſit.

10 Ad Sextum, ſpecies abſtracta ab intellectu agente, fit virtute talis intellectus, inextenſa, & immaterialis, licet abſtrahatur à phantaſmate extenſo, & materiali: vnde, intellectus eſt ſpiritualis, & ſpecies quoque informans eſt ſpiritualis: ita enim currit in intellectu Angeli, ſicuti in noſtro: ſpecies namque abſtractæ ab intellectu noſtro, & à corpore materiali, & extenſo, eſt inextenſa, & ſpiritualis, ergo talis erit in Angelo.

11 Ad Septimum, negatur aſſumptum, vt in quæſt. 1.

12 Ad Octauum, vtique Angeli ſunt ſapientiſſimi, plenique, ab initio, ſpeciebus vniuerſalibus: habent tamen intellectum agentem, quo mediante poterunt, eorum, quorum ſpecies, & cognitionem non habeant, comparare.

Recipiſſe denudandã à natura recepi, declar.

13 Ad Nonum, locum habet in potentijs ſenſitiuis, ſi namque oculus, ſeù potentia viſiua eſſet de ſui natura viridis, vel nigra, vel huiuſmodi, tunc omnia obiecta apparerent, vel viridia, vel nigra &c. ergo debet eſſe omni colore denudata: non ſic potentia intellectiua, quam quidem non impediant in intelligendo, nullæ colorum ſpecies, nõ enim anima afficitur colore, ſapore, odore, cum ſit ſpiritus.

14 Ad id quod non datur intellectus agens, iam falſum conſtat ex 1. quæſt.

Dionyſius expoñitur.

15 Ad authoritatem autem Dionyſij deſcendendo, dico ad primũ, quod per ly *particulares* non intelligitur, quod inferior Angelus intelligat per minus vniuerſales ſpecies, de hoc namq; Dionyſius nec verbum facit; ſed indicat, quod cognoſcat pauciora, quam Angelus ſuperior. Ad Secundum locum Dionyſij dicendum, loqui de illuminatione Angelorum inferiorum, fienda per Angelos ſuperiores de diuinis reuelationibus. De his autem ſenſus eſt, vt plura percipiat Angelus ſuperior vnico intuitu quam inferior, indigens pluralitate mentalium conceptionum. Et Tertio ad tertium locum, ſenſus eſt, apponere diſcrimen inter nos, & Angelos, etenim nos, mediantibus ſenſibus, atque ſignis externis, percipimus, & ratiocinamur, Angelus autem nec eget ſenſu, ſed immediatè rem percipit, & cognoſcit.

Propinquitas Angeli ad Deum, qualiſnam.

16 Ad Secundum, ex rationibus, propinquitas Angeli ad Deum conſiſtit in perfectione entitatiua, eſt enim Deus, & Angelus naturæ immaterialis, ſpiritualis, incorruptibilis: ſtat etiam

propinquitas, vt plura, & limpidiùs, intensiusque siue perfectiùs, cognoscere valeat, (nisi tamen aliundè impediatur) quam homo, Deus enim cuncta limpidissimè noscit: non autem propinquitas stat in eo, vt sicut Deus media vnica Diuina Essentia, cuncta cognoscit, ita Angelus cuncta cognoscat siue per vnicam speciem, siue per paucas, pauciores &c.

Immaterialitas maior nō est ratio repræsentandi plura.

17 Ad Tertium, sola immaterialitas maior, vel minor, non est ratio repræsentandi plura, vel pauciora, etenim si species intelligibilis, quæ est immaterialis, subiectata in intellectu, subiectaretur inde in phantasia, vel in sensu, nil minus repræsentaret in sensu materiali, & nil plus in potentia intellectiua immateriali: ergo ratio sic, & sic repræsentandi, prouenit ex natura speciei. Quod si contingat, id prouenit non ratione formali immaterialitatis, sed quia vel virtualiter ea contineat, vel aliundè id habeat.

In speciebus, & formis subalternis datur continentia vnius in alterantno in disparatis.

18 Ad Quartum, & Quintum, intelligendus est vtrobique Aristoteles de formis, & speciebus subalternis, hæ namque, dum habent subordinationē inter se, ex vna cognoscitur altera, & vna repræsentat alteram, vt in exēplis allatis, Quaternarius enim subalternat sibi Ternarium: & Anima intellectiua sensitiuam, atque vegetatiuam. Item ternarius est de essentia quaternarij, dum tres vnitates ingrediuntur constitutionem quaternarij: atque vegetatiuum, & sensitiuum sunt de essentia hominis: quo fit, vt his stantibus, ex vnica specie hominis repræsententur plura inclusa in homine: & ex vnica specie quaternarij repræsentētur plura, vtpotè binarius, & ternarius: at in disparatis non sic, vnde disparata species Leonis non potest repræsentare Bouē, quia & ipse continet entitatem disparatam: sic de speciebus disparatis angelicis.

Sensitiuum in intellectiuo, sicut trigonum in tetragono, declar.

19 Ad Sextū, intelligitur propositio de causa omnino prima, vt est Deus. Resp. dato, quod valeat in Angelis, non tamen sequitur, vt superior intelligat per vnicam, siue per pauciores, sufficit, vt emineat in intelligendo, extensiuè, intensiuè clarius &c.

20 Ad Septimum, nō est existimandum, intellectum perspicaciorē intelligere plura, quam intellectum obtusum, mediante specie vnica; etenim tot repræsentabit species illa vna intellectui obtuso, quot perspicaciori, & nō plus, nec minus: Diuersitas autem aliundè eueniet; nam obtusus, tardiùs, obscuriùs, & minus iusto, vt fas est, intelliget; perspicax autem homo, & ingeniosus, citiùs, sollicitiùs, clariùs, limpidiùs, aptiusque, & vt fas erit, perfectiusq; rem intelliget, & hoc sufficit.

Intellectus perspicax non plura intelligit per vnã speciē, quam obtusus.

21 Ad Octauum, ibi tria assumuntur. Primum, quod causa æquiuoca existens vna, producit tamen plures effectus, ergo ita species. Secundum, quod species diuersæ, & plures sensuum vniuntur in sensu communi in vnica specie repræsentante omnia. Et Tertium, quod dispersa in inferioribus, sunt vnita in superioribus. Quoad Primū, concesso antecedenti, negatur consequens, quia species non est causa obiecti, sed est imago, & similitudo obiecti, ac propterea, cum sit similitudo, repræsentabit, cum sit vnica, vnicum obiectum: cum ergo sit quidem causa cognitionis, at non causa obiecti, nec producet plura obiecta, nec repræsentabit plura obiecta. Quoad Secundū, nō vnica species erit in sensu communi, sed plures, & tot, quot erunt in ipsis potentijs sensitiuis, falsum namque est, colorem v.g. saporem, odorem, sonum, cæterasque sensationes externas repræsentari per speciem vnam, siue in sensu cōmuni, siue in intellectu, sed sic vt plurificantur species in sensibus externis, sic & in internis, in memoria, & in intellectu. Et quoad Tertium, vera est propositio in Ente primo, & supremo, vt est Deus, in quo continentur omnia creata virtualitèr, & eminentèr. Item militat in causis vniuersalibus, vt sunt Cœli, à quibus tot effectus emanant, propter virtutem multiplicem contentam in eis, id vero non conceditur speciei, vt repræsētet plura, dum non continet illa plura.

Dispersa in inferiorib⁹ vnita in superioribus, declar.

22 Ad nonum, iam fuit responsum, quod philosophicè loquendo, spectata natura rei, sunt impossibiles species tales.

23 Ad Decimum, est dispar ratio, siquidem speculum, obiecta repræsētata,

Speculum qualitèr repræsentat.

nua

non continet in sua entitate, non enim ex sē ea producit, patet, quoniam in absentia obiectorum, non repraesentat ea, ergo non continet in seipso: repraesentat autem ideo, quia sibi extrinsecè obijciūtur, & vt sic, relucēt in eo, vnde, si repraesētaret infinita, nō inde esset in sua virtute infinitū. Item ea, quae repraesentat, nō repraesētat per vnicā solūmodo speciē, sed singula per singulas species: species autē Angeli repraesētaret plura per vnicam rationē repraesentandi: & id ageret propria vi, & virtute.

24 Ad Vndecimū patet ex responsione nuper data ad Octauum, §. *Quoad primum*, negando speciem esse causam, siue vniuocam, siue aequiuocam obiecti: erit ergo causa actus, & similitudo obiecti.

Intellectus animę Christi qualiter videat.

25 Ad Duodecimum, quod intellectus Animae Christi videat cuncta per vnum habitum repraesentantē omnia, est sententia Henrici, non Scoti. Aliter autem Scotus explicat, qualitèr videat habitualitèr, vt ibi &c. Quidquid tamen sit, concedimus ita quoque contingere posse Angelis, (loquimur autē de potentia, & de possibili) tunc vero species vna, vel paucae, siue pauciores, non haberent vim, tot, & tot repraesentandi, ex natura sua, & ab intrinseco, sed ob speciali beneplacito Dei, sicut ex speciali eleuatione, & beneplacito Dei, Christi creatus intellectus videt, siue per vnicum habitum, secundum Henricum, siue alitèr, secundū Scotum omnia, & singula, quae voluerit, iuxta placitum, variosque modos assignandi Theologorum.

Angelus qualiter medius inter Deum, & hominem.

26 Ad Tertiumdecimum, mediat quidem Angelus inter Deum, & hominem, non in sic cognoscendo per speciem vnicam, repraesentantem plura, nec per species pauciores &c. sed quatenus intelligit absque depuratione phantasmatū, sic participat cum Deo; quatenus vero species abstrahit, quas non habet, participat cum homine. Item, quatenus limpidiùs, eminùs, & plus cognoscit de rebus, in hoc participat cū Deo, quatenus vero species abstrahit eorum, quorū species non recepit, pit, participat cum homine: sic in alijs multis participat vtrinque &c.

27 Ad Quartumdecimum, dicendū Primo, tum quantitatem quantum est de sē; tum colorem, posse immittere speciem, imo species, vnam distinctam ab altera, etenim sunt vera entia, sunt etiam entia naturalia, quae necessario agant, ergo earū naturae competit immittere, quantum est de sē. Dicendū Secundo, quantitatē remanere occultatam sub colore, ac proinde non videri secundum sē immediatè, & proximè, videmus tamen colorē, & modum existendi coloris, qui consistit in figura illa, quadrata siue triangulari, siue alitèr expansa &c. res autē, & modus rei videntur per eandem speciem: non sic de specie angelica, in ea namque non consideratur res, & modus rei, sed considerantur plures res, nempè plura intelligibilia, disparata, nullamque connexionem, & ordinem dicentia inter sē, ac propterea non posse per vnicam speciem repraesentari sic plura: ratio iam fuit allata, quoniā vniuersale abstrahit ab hic, & nunc, à modo, conditione, & huiusmodi; nisi tamen eidem speciei detur ab Agēte extrinseco virtus ea omnia singularitèr, & sic, atque sic, repraesentandi.

Quantitas sub colore [illegible]

ARTICVLVS VI.

Soluuntur argumenta Scotistarum.

1 SIcut vero in gratiam Scotistarū, solutionē adhibuimus argumentis Thomistarum, ita in gratiam Thomistarum solutionem adaptemus argumentis Scotistarum.

2 In primis autem, sit pro Thomistis vnica, & generalis responsio, argumenta Scotistarum procedere philosophicè, spectando speciem ex natura rei: ita namque, & in hoc sensu vrgēt, non vero, loquendo Theologicè spectando speciem ab extrinseco, prout repraesentandi tantam, vel tantam virtutem contulerit sibi Deus: Hoc quidem Thomistis sufficit, vt se soluant ab argumentis Scotistarum; fundamentū enim Thomistarum stet in specie, quatenus eleuata.

3 Quamuis autē solutio haec adaptari possit possit argumentis eorum, nō tamen omnibus, vnde est, vt aliqua singularia singulari egeant solutione; qua-

quapropter Primum, & Secundum facile à Thomistis negatur, vt visum fuit supra q. 1. Quintum non vrget; etenim ad placitum voluntatis Angeli intelligeret, modo hoc, modo illud. Septimũ vtiq; vrget, adeo vt tot ferè habeat solutiones, quot sunt qui eam tuentur sẽtentiam vnde Molina, & Suarez negãt talis speciei infinitatem: Ibañes negat quoque, sed alia ratione: & Vasquez admittit infinita fore repræsentaturam, alia via: sic Alij, non vna incedentes via ad hoc soluendum: Nihilominus

Species finita an repræsentare valeat infinita.

stet nostra solutio, vt spectata quidem natura rei, non possit repræsentare infinita, cæterum ex virtute repræsẽtandi, tradita sibi à Deo, posse repræsentare infinita. Si autem vrgeas, ergo esset species infinita. Respond. fore infinitam in repræsentando, non in essendo: item fore infinitam nõ ex sé, sed à Deo eleuante illam ad infinita repræsentandum: hæc est adæquata solutio pro Thomistis, quidquid alij inuenerint; Octauum, Nonum, & Decimum procedunt philosophicè, etenim discursus philosophicus id concludit, spectata specie ex natura rei; non tamen Theologicè, per eleuationem speciei. Et ita denique ad hunc sensum currunt cætera argumenta, à tertio ad finem &c.

4 Atque hinc litem componimus inter Thomistas, & Scotistas, vt Scotistæ considerent speciem ex natura rei ab intrinseco, Thomistæ vero, quatenus eleuatam, & ab extrinseco: & in hoc sensu debet vtraque pars conuenire, ipsorum namque Præceptores, visũ est, ipsos quoque in hoc debere concordare.

5 Ex his petere potest, rem non esse tantopere à ratione remotam, vt opinatur Vasquez, vt nõ possit ad apicem veritatis deduci, sicuti actum putamus, ait enim 1. par. disp. 203. cap. 4. *Ego vero*, ipse Vasquez, *rem hanc existimo, ita esse à sensu, & ratione hominis remotam, vt vt nihil certi de illa affirmare possimus, non solum certa aliqua, & manifesta ratione, sed neque probabili coniectura*. hæc ille. Infra vero concludẽs ait, *Quæ in re, ita à sensu, & philosophia humana, remota, nihil affirmare, commodius est, quàm sine certa ratione aliquid asserere*. ita Vasquez forte Vasquez præ humilitate sic loquitur, non altè sentiens de seipso; sed vtinam sæpius, & in re maioris ponderis, sic egisset. Nimium autem est quod dixit, *Nil affirmare nos posse, nec quidem probabili coniectura*: Etenim ex vtraque Schola sapientissimi discipuli, tum D. Thomæ, tum Scoti, id probare efficacitèr nituntur, & ratione, & coniectura, quod prius præstiterunt eorum incliti Doctores: vnusquisque autem in suo sensu abundat.

6 Nescio an inuisus forem Scotistis, dum Aduersarijs arma præbui dimicandi aduersus Scotum: & scutum defensionis attuli, ab ipsibus Scotistarum: Verum, vtinam conciliare possemus & in cæteris tot eximios Præceptores, vberiores namque caperemus fructus laborum ipsorum; atque concordes, & vnanimes, in maiorem animarum profectum, laboraremus in Vinea Domini. Nec est, quod Scotistas iure retrahere posse à tali conciliatione; siquidem, dum docent, posse, ex Dei potentia, dari speciem repræsentantẽ Dei infinitam Essentiam: cur negabunt, dari posse speciem repræsentantem plura penès Thomistas: illa quidem species non repræsentabit infinitam Essentiam ex sui physica, intrinsecaque natura, quatenùs absolutè qualitas est; sed virtute *Dei*, eleuantis illam, talemque vim conferentis: ergo nec species Thomistarum, habebit id, ex sui natura, sed quatenus ad id attemperata à Deo. Vtique finitum non repræsentat nisi finitum, ex sé, & vniuersale nõ nisi vniuersale: atq; Leo non nisi Leonem, & huius generis: accedente tamen Dei virtute poterit finitum infinita: Vniuersale singulare: & Leonis species cuncta animalia repræsentare. Præcipua vis, quæ vrgeat est, quoniam nec Leo continet species cæterorum animantium: nec vniuersale singulare, cum species plures implicent simul in eodem constituto: & vniuersale abstrahat à singulari: discursus currit quidem philosophicè, spectata intrinseca natura Leonis, & vniuersalis: cæterum, attenta Dei virtute non implicat. *Petes*, Leo quonam modo repræsentabit Vrsum, Ho-

Species vna quo repræsentare valebit plura.

minem,

mitem, Bonem &c. id namque nec Deus præstare poterit, sicut enim nequit facere in sensu composito Leonem esse simul & Hominem: ita nec facere valebit, speciem Leonis repræsentare hominem. Respond. non faceret, Leonis speciem vt Leonis est, repræsentare Hominem in sensu composito, etenim implicat, sed in sensu diuiso, quod non implicat.

QVÆSTIO V.

Vtrum species angelicæ fluant à natura Angeli intrinsecè an vero effectiue infundantur à Deo extrinsece.

1 CApreolus in 2. d. 3. q.2. art. 3. sustinet species angelicas fluere, atque emanare à natura ipsius Angeli, intrinsecè, non autē produci effectiuè à Deo extrinsecè. Inclinat Caetan. 1.2. q.50. art.6. ait enim, *Species esse Angelo congenitas ab Authore Naturæ, sicut grauia, & leuia habent motum à Generante*: At quamuis motus ille promanet extrinsecè à generāte, nihilominus emanat etiam effectiuè à propria forma, & natura ipsius mobilis. Hinc Angelorum species vocant Thomistæ, naturales, siue proprietates naturales, siue denique passiones ipsius Angeli, promanantes intrinsecè à natura Angeli, eo modo, quo propriæ creaturarū passiones emanant à subiecto. ita Bannes 1.par.q.55. art.2. ibique Ripa, Valentia, &c. atque nituntur trahere in hanc sententiam D. Thomam.

2 Suarez de Angelis l.2.c.7.nu.11. ait tria. Primum est, quod concreatio specierum in Angelo, facta à Deo, est actio naturalis, loquēdo nempè de speciebus ordinis naturalis.) Secundum, quod species tales sunt Angelo connaturales: & Tertium, quod sine miraculo, & violentia non possint Angelis denegari. Hoc etiam ante ipsum docuit Molina 1.par.q.52.disp.2.m.3.

3 Vasquez autem 1.par. disp. 201. cap.3. in fin. ait, *Ego vero censeo, pro vtraque parte rem difficilem esse, nec plenè respondere argumentis vtriusque partis*. Vnde quæstionem indecisam relinquit.

Species non emanant ab essentia Angeli. 4 Nobis vero est absolutè dicendum, nequaquam species tales profluere ab essentia Angeli, tanquam à principio intrinseco effectiuo, sed solum promanasse à Deo effectiuè, initio Angelorum creationis. In primis autem Scotus facillimè descēdit in hanc sententiam, pro quanto elici potest è sui doctrina. Et in primis, nusquam ipse de tali emanatione ab intrinseco naturæ loquutus fuit, nec meminit vllo modo. Item semper dixit, eas recepisse Angelos à Deo: Et inter disputandum vsus semper fuit verbo creationis, & productionis à Deo; insuper docet Scotus proprias passiones identificari realitèr cum subiecto: species autem istæ, iam Omnes concedūt distingui essentialitèr. Hinc ergo facile è Scoto trahitur sententia ista. Sequuntur etiam Scotistæ, ex quibus Rada 2. par. controu. 9. art. 3. & in Scholis Scotistarum communitèr versatur. Sequuntur ex exteris Ferrar. 2. contra Gent. cap.98. idem Suarez, Molina, pluresque.

5 Probatur autem aliundè, posset Angelus intuendo essentiam suam, cognoscere naturas, proprietates, & accidentia omnium rerum. Probatur, ab essentia sua pullulant omnium rerum species, ergo intuendo propriam essentiam, intuetur naturas omnium rerū. Probatur conseq. si per intuitionem specierum omnia cognoscit, ergo & multo ampliùs cognoscit ea, mediante cognitione propriæ Essentiæ, quæ eminentèr, & virtualitèr, & effectiuè continet tales species. Confirmatur, cognita causa, cognoscitur effectus, at Essentia est causa specierum, ergo ea cognita, cognoscuntur omnes res. Item sufficeret cognoscere solam suam Essentiam Angelus, ad cognoscendos res

omnes

omnes absque recursu ad species emanantes ab ea: nam si per species ab Essentia fluentes cognoscit, ergo multo melius, imo prius cognoscet per propriam Essentiam. Confirmatur, Essentia est, quæ dat esse, & virtutem repræsentandi speciebus, ergo poterit de se ipsa sola id præstare. Insuper se haberet Essentia Angeli ad instar Essentiæ Dei. Deus namque intuendo suam Essentiam, videt cuncta, non enim opus habet speciebus repræsentantibus obiecta: & nihilominus creaturæ ipsę continentur in Essentia eminenter, & virtualitèr: ergo, quatenus species rerum continentur in Essentia Angeli, poterit Angelo Essentia sua esse sufficiēs repræsentatiuum omnium rerum, absque speciebus.

6 Argumentor item; passiones, & proprietates rerum nec sunt innumeræ, nec in maximo numero, nec infinitæ in numero: at species omnium rerum, sunt in tanto numero, vt ferè enumerari non possint, ergo non possunt esse passiones, siue proprietates naturales Angeli: maior patet, etenim passiones, & proprietates Hominis non sunt in magno numero, numerantur enim risibilitas, flebilitas, beatificabilitas, admiratiuitas, & si quæ alię paucæ. Passiones Leonis, nec insuper erunt in aliquo magno numero, vt rationabile est concedere, & ita de singulis creaturis, siue perfectis, siue imperfectis: at species rerum videntur penè innumerabiles, sicut res ipsæ: quis ergo dicet proprias Angeli passiones esse innumerabiles, sicut res ipsæ: quis ergo dicet proprias Angeli passiones esse innumerabiles? Adde fore infinitas, patet, vltra enim facta, reperiuntur factibilia in potentia in infinitum, daturque infinitum in potentia: & cogitationes Beatorum, ac damnatorum durabunt in æternum, & multiplicabuntur in infinitum, fluant ergo ab intrinseco Angeli species infinitorum possibilium, quæ quidem species sint passiones Angeli, habebit inde proprietates, & passiones infinitas. Incredibile item videtur, vt à natura limitata, & finita promanēt infinita: vnde, tum pro passionibus, tum pro speciebus arguitur, Natura finita non potest esse principiū productiuū infinitorum, genere, & specie distinctorum, at species rerum ita se habent, loquendo tum de actualibus, tum de possibilibus, vt genere, specie, & numero procedāt in infinitum: Dixi *genere, & specie*, nam posset instari de infinito in numero, vt infinitæ numericæ cogitationes Beatorum, & damnatorum: hæc quidem ita se habebunt producibilitèr à causis finitis durantibus in æternum: at posse in infinitum producere distincta genere, & specie, non competit virtuti creatæ. Dices, Cœli producunt sic genere, & specie distincta in infinitum. Falsum est, esse infinita, datur enim status in generibus, & speciebus: imo dabitur quoque status, & terminus in numero, sed in indiuiduis, quia peracto iudicio, iam non influent amplius, nec quid vltro producent, siue genere, siue specie, siue numero distinctum; Angeli vero, atq; Beati homines, & damnati durabunt in æternum, eorumque cogitationes augebuntur in infinitum numericè, ergo fluent ab Angelis infinitæ passiones, infinitæ rerum intelligibilium species.

7 Dices, cognoscit Angelus sola futura, non autem possibilia, & ob id, habere species, seu ab ipsius natura fluere species solummodo futurorum, non autem possibilium, vt D. Thomas docet 1. par. q. 56. art. 2. ad quintum: futura autem hæc, non illa, sunt finita, ergo non sequitur, vel habere proprietates, passionesq; infinitas, vel species infinitas. Contra, dato, quod in sententia Thomistarum ita sit, non habere species possibilium, nihilominus ipsamet natura Angeli non respueret quidquid per potentiam absolutam determinaret v. g. de nouo creare Deus, nam si determinaret alium mundū creare, aliosque Angelos, natura Angeli non respueret hæc intelligere, vtique ergo intelligeret, & apprimè nosceret, dato, quod non excederent capacitatem intellectus angelici, vtpotè ordinis supernaturalis: ergo speciem de his nouitèr factibilibus haberet, quæro autem, species illas vnde haberet, iam dicunt emanare, veluti passiones ab Angelo. At quæro iterum, cur potius emanant nunc, & non prius? iam enim aiunt, possibi-

Proprietates, & passiones verè nō infinitæ.

Passiones nō possunt exurire subiecto in tēpore, sed insurgunt cum eo.

possibilium species non habere: at detur quid tale produci, nunc, inquiunt emanabit species ista, tanquã propria passio; quæ nõ emanasset prius, contra, propriæ passiones sunt coæuæ subiecto: emanant à subiecto in eodem instanti tẽporis, quo incipit habere esse subiectum, licet non naturæ: falsumq; est, nunc subiectũ oriri, inde vero in tempore post, crastina, vel mense, vel anno sequenti emanare passiones; & hoc in vtraque Schola tum Scotistarum sustinentium identificari realitèr cũ subiecto, ergo erũt simul cum subiecto, dum eandem entitatẽ possident cum subiecto; tum Thomistarum, existimantium esse accidẽtia inseparabilia à subiecto, quod si inseparabilia sint, quomodo potuerit tanto tẽpore stare Angelus absq; hac passione huius nouæ speciei, inauditum enim est, & contra philosophiã, subiectum stare posse sine proprijs passionibus, & aduenire illas postmodum in tempore.

8 Præterea, species istæ sunt determinatæ à Deo, non autẽ à natura Angeli: Patet, quandoquidẽ ea sunt, fuerunt, & erunt numero, pondere, & mẽsura, quæ à Deo determinata sunt, tot quidem, & non plura: & talis determinatio nõ stat in intrinseco naturæ Angeli. Prob. quia nedum Angelus deberet continere ea, quæ iam determinauit Deus facere, verum, & omnia possibilia. Probatur, proprietates, siue passiones emanãt necessario à natura, & Angelus non respuit possibilia, quæ tamen nusquam erunt, si namq; alium mundum vellet creare Deus, non renueret cognoscere illum Angelus, ergo speciẽ talis mundi iam continet: Dices, non continet, quia non omnia, quæ sunt possibilia, continet Angelus, sed ea solum, quæ ponuntur in actu, & sequuntur decretum diuinæ voluntatis; At contra, passiones emanãt à natura necessario, ergo necessario emanabunt tales species ab Angelo, etiã nullo stante decreto creandi nouum mundum. Insuper superexcederet Angelus limites prouidentiæ diuinæ. Probatur iuxta ordinem Prouidentiæ diuinæ, tot erunt in mundo, & talia, quot & qualia decreuit Prouidentia diuina, & non plura: at Angelus haberet species plurium his. Prob. siquidem haberet species etiam possibilium, quæ nunquam erũt: patet sequela ex dictis, quia passiones necessario sequuntur naturam. Dices, non pullulabũt ab essentia, nisi quando possibilia ponentur in actu. Contra, passiones, & proprietates abstrahũt ab hic; & nunc; à loco, & tempore, quia semper consequuntur naturã, statimq; vt natura est, pullulant ab ea, nõ enim concernunt ad locum, aut tẽpus, homo namque est risibilis, etiam abstrahendo à loco, & tempore, cum sit talis naturæ, hæc namque sunt quid extrinsecum ad pullulantiam passionum, ergo habebit de facto Angelus species rerũ omnium, tum actualium pro quacunque differentia temporis præteriti, præsentis, & futuri, tum vero possibilium, quæ nusquam erunt: satis autẽ patet quanta sint hæc incommoda.

9 Demum, demus quod auferat ab intellectu Angeli aliquas species, inde sequitur destrui naturam Angeli, vel magnam violentiam pati: Probatur Primum in sententia Scoti, etenim, cũ doceat passiones identificari realitèr cum natura, vtique destructa, seu separata passione, perit natura, quia habent ambæ eandem entitatem realem. Probatur quoque Secundum in sententia D. Thomæ, nam si passiones sunt accidentia inseparabilia à natura, vtique violentia inferretur Angelo, tollendo aliquam passionem à sua natura: at quis dicet hæc, sunt enim species accidentia cõmunia separabilia à natura, præter subiecti corruptionem, sicut namq; infudit species multas eis Deus, sic poterat non infundere, vel infundere plures ad mentem Scoti, vel pauciores; potestq; has, quas infudit, tollere ab Angelis, absque tamen subiecti corruptione.

10 Dicendum Secundo, negatio, (si forte eueniret, loquimur enim data hypothesi) negatio inquam specierum Angelo, si fieret, nec esset violenta, nec miraculosa: hoc dicimus aduersus Molinam, & Suarez. Probatur. Deus non est debitor talis speciei Angelo, ergo negando eã, nullã Angelo inferret violentiam. Item potuit Deus Angelum creare absque infusione vllius speciei, quis namque alligauit Deum ad hæc

Specierum negatio ab Angelo, si à Deo fieret, nõ esset violenta.

præ-

præstanda, aut quis legem ei imposuit? Rursus nil tollitur de perfectione essentiali Angelo, negatis speciebus, ergo nec violentia, nec miraculum: Prob. conseq. si non præstaret Deus homini manus, pedes, & huius generis, atq; id immediatè eueniret ab ipso Deo, vtiq; foret miraculum; dico, *Immediatè à Deo &c*, nam quod modo nascatur homo absque pedibus, manibus, vel huius generis, id miraculum non est, sed defectus naturæ, materiæ, cæterorumq; deficientium ex parte causæ secundæ, vt solet in monstris, Deus autem non tenetur supplere defectus hos naturæ, materiæ &c. ergo tunc foret miraculũ, quando Deus ex se solo immediatè sic hominum crearet: At Deo non præstante v.g. species Angelo, nil de integritate naturæ, & de essentialibus tollerentur Angelo, tollerentur namque perfectiones illę extrinsecæ specierum, quæ quidem, cum accidentales perfectiones sint, non esset violẽtia, nec miraculum non conferre eas, vel collatas amouere. Insuper, Deus non promisit hæc Angelis, ergo si non daret, nullum prę iudicium inferret Angelo: Antecedens ostendant, si locum, & tempus afferre possint pacti, & promissionis: Dices, contulit, vt ex superiùs demonstratum fuit quæstionibus supra. Resp. contulit, at liberaliter, nulla necessitate, seu vinculo alligatus.

Deus libere Angelis species contulit.

11 Et hinc soluitur argumentum Molinæ, ait namque, si Deus denegaret concursum causis secundis, faceret violentiam illis, ergo consimiliter, si denegaret speciem Angelis. Respond. negando consequens, est enim dispar ratio, siquidem concursus cum causis secundis debetur ex pacto inito à Causa prima cum secunda. Scit namque Deus, Causam secundam non posse operari sine concursu primæ, & hinc est, vt Causa prima statuerit concursũ suum præbere causis secundis, quoties dispositæ fuerint ad operandum: quod si casus contingat, vt non præbeat, tunc accidet miraculũ: at Deum fœdus iniisse cum Angelis, conferendi eis species, vbi pactum, ubi fœdus? Nec etiam argumentum valet aliundè, nam denegato cõcursu causis secundis, iam causæ secundæ non possunt agere, in tantũ enim agunt, in quantum mouentur à prima, indeq; inanes, supernacaneæ, otiosæ, & inutiles forent: at si denegarentur Angelis à Deo species non ita forent inutiles, & otiosi, quandoquidẽ, dum habent intellectum agentem, possent, mediante eo, species ab obiectis comparare, ac proinde cognoscere, & intelligere: ergo non concludit Molinæ argumentum.

Denegatio concursus causis secundis, & specierum Angelis, an violenta.

12 Suarez in fine ait, inferri aliundè violentiam, quia Angelus habet inclinationem, & appetitum ad species; inclinationem quidem naturalem, & appetitum elicitum, dum desideraret eas, si non haberet; vnde carentia earum, vt sic, esset ei violenta. Discursus iste minus vrget, quoniam hoc idem dicere possemus etiam de homine, etenim ipse quoque inclinationem, imo & appetitum elicitũ habet ad species, ad habitus, ad scientiam, *Omnis enim homo natura scire desiderat*, igitur, non habendo hæc à Deo, infertur sibi violentia? nequaquam, ergo ratio inclinationis, & appetitus non est in causa violentiæ. Dices, maior necessitas est Angelo apponendi species, quam in homine, ergo demptis ab Angelo, infertur violentia: Patet antecedens, tum quia est in altiori statu, quam homo, tum quoque quia non habet intellectum agentẽ, quo eas acquirat, sicut habet homo. Ad Primũ respond. adesse maiorem quidem congruentiam in Angelo, ratione status, non tamen maiorem necessitatem, quod patet in responsione ad Secundum, quia si non haberet intellectum agentem, vtique necesse esset infundi species, ne foret perpetuo ignorans, at quia habet, vt in q. ideo necesse non est aliundè infundi, cũ possit medio intellectu, eas comparare.

13 De vltimo capite remanet discurrendum, verũ species tales, sint saltem dicendæ Angelo naturales: constitõ namque non fluere ab Essentia Angeli, an tamen, saltem dicendæ veniãt naturales. Pro hoc autem distingui solet de naturali, aliquid namque dicitur naturale, vel Primo ex parte principij actiui, vel Secundo ex parte principij passiui: vel Tertio quatenus est simul indusum, seu creatum cum natura, à superiori

Naturale multipliciter dicitur.

periori Agente; vel Quarto ratione inclinationis naturalis ad illud; vel Quinto ratione status, in quo reperitur.

Species Angelicæ [illegible] ipsi naturales.

14 His suppositis, dicendū species appellari posse naturales Angelo, non primo modo, ratio, quia iam probatū remanet non fluere, neq; produci à sua ipsius natura: sed appellari posse naturales cæteris subsequentibus modis: Et quidem sunt naturales secundo modo, quatenus recepit eas, habens potentiā naturalē receptiuam: Item tertio modo, quia id, quod simul habetur cum productione naturæ, potest, & solet à Theologis vocari naturale, sic scientiā Initio infusam Adæ, sic quoque iustitiam originalem ei initio collatam: sic gratiam datam Angelis ab initio, appellant Theologi naturalē, non quod producatur ab Agente naturali, sed naturalem, quia connaturalem, siue connatam simul cum natura: Insuper naturalem Angeli speciem quarto modo, propter inclinationem naturalem: Et denique naturalem quinto modo, propterea quod Angelus est in gradu, & statu valdè eminenti, vnde dignus est, ratione talis status, cōdecorari speciebus, & scientia à supremo rerum Conditore, iuxta illud Ezech. 28. *In delicijs Paradisi fuisti omnis lapis pretiosus operimentum tuum.* Et doctrina hæc, est conformis etiam Scoto, qui loquens de specie intelligibili diuinę Essentię, collata ab initio Angelis, appellat eam etiam naturalē: non quatenus habeatur viribus naturæ, vel ab Agente naturali: sed duplici ex capite, Primo, quia nō est principium, & causa actus gratuiti, meritorij, siue gloriosi (quantum est de sè sola) & Secundo, quia fuit ab initio, Angelo concreate, in 2. d. 3. q. 9. lit. D. Applicando autem ad Angelum cæteras species, dicende veniunt ei naturales, quatuor his modis [illegible]ensitis, & præcipuè vltimo ratione status, non ratione primi.

15 Licet vero hæc ita sint, nullo tamen pacto est asserendū, deberi simpliciter species ipsi Angelo à Deo, Hoc iam probatum remanet: nil autē viget, vt aliqua ex parte sibi debeantur, nisi status, in quo est Angelus, inde tamen non consurgit debitum simpliciter, cum Deus nulli debeat; possitque Angelus priuari talibus speciebus, sufficit enim habere intellectum agentē, quo eas acquirere valeat, vt diximus, stat vero congruētia, vt ei fuerint collatæ, ita enim decuit fieri, ratione talis status, ab initio: Et hæc est potissima ratio, non autē illa, siue ratio receptiui, siue inclinationis naturalis, vt asserit Suarez, iam enim diximus has rationes etiam militare in homine, cum sit ipsius quoque intellectus specierum receptiuus, atque naturalitèr inclinatus ad species, habitus, & scientiam, iuxta quod *Omnis homo natura scire desiderat*: Quod si receptiuitas, & inclinatio esset potissima ratio, vtique nedum Angelo carēti speciebus fieret violentia ex Suarez, verum & fieret quoque homini; at quia status hominis est inferior Angelo, hinc Angelo conferuntur, & non homini. Adde, quod Deus primum quoque hominem speciebus, & scientia ab initio condecorauit, nēpè Adam, sciuit enim, inquit Moyses, nomina imponere animantibus. *Et quodcunque vocauit Adam ipsum est nomen eius.* Gen. 2. At merito id factū in Adam, fuit enim Parens, & Caput totius humanæ Naturæ.

Species de congruo, & ratione status collatæ fuerūt Angelis, non autē ex necessitate.

16 Dices, materiæ primæ debetur forma ab Agente extrinseco, alias remaneret valdè indecora, & imperfecta, prout nudata omni speciositate formæ, ergo sic debentur species Angelo. Resp. posse per Dei potentiam relinqui materiam absq; omni forma, vt patet in Physicis, vnde sequitur, vt nulla sit necessitas absoluta, dandi ei formā: Nihilominus spectando ordinē, & decorem vniuersi, exigentis res perfectas, & completas in gradu suo, hinc est, vt ratione vniuersi, decens sit formas præstari materiæ ab Agente extrinseco: Est & altera ratio, cur præstentur formæ ab extrinseco Agente, quia materia est adeo imperfecta, vt non possit formas propria virtute sibi comparare: Angelus autem habet intellectum agentem, quo possit species rerum acquirere: ratioque, qua infusæ sibi fuerint species, iam dicta est, ratione status &c.

Materię cur necessario detur forma.

QVÆSTIO VI.

Vtrum Angelus cognoscat se intuitiuè per Essentiam suam absque specie.

1 FVit opinio Asserentium, intellectum angelicum esse de sè solo sufficientē ad intelligendum, obiecto non quidem concurrente in ratione motiui, sed terminatiui. Idem vero applicando ad propositum, ait sententia hæc, Angelum cognoscere seipsum, non vtique per Essentiam suam, sed vi solius sui intellectus: itaut, intellectus de sè sit sufficiēs in actu primo, Essentia autem sit sufficienter intelligibilis, & præsens, vt terminet intellectionem. Sententiam hanc in primis retulimus supra in communi, & si non applicando ad Angelum, sup. q. 3. loquendo de necessitate specierū: modū tamen tribuitur Caietano à Thomistis, licet neget Vasquez esse Caetani: ait vero Caetan. 1. par. q. 54. art. 3. ad 4. *Angeli substantiam nō concurrere ad sui intellectionem, vt efficientem; sed vt finē intellectus in actu respectu sui.* Nititur autem etiam Valentia saluare Caetanum, itaut negauerit cōcurrere Essentiam sub ratione formæ quidem inhærentis, non autē, vt vnitam intellectui formaliter. At merito impugnatur hæc saluatio Valentiæ à Suarez, quoniam non erat ibi sermo de inhærentia, sed de efficientia; quærebatur namque, quomodò substantia creata possit esse principium proximum, & immediatū operationis accidentalis, cum substantia non agat, nisi mediantibus instrumentis, accidentibus &c. & respondet Caet. *Non esse principium efficiens intellectionis, quia nō concurrit, vt efficiens, sed vt finis.* Ergo apertè hic negat rationē principij ex parte Essentiæ. Cuiuscunque tamen sit hæc sententia, ea remanet ibi impugnata supra q. 3.

2 Idem Vasquez ibid. 1. p. disp. 204. cap. 2. num. 12. ponderans hanc eandē rationē, quomodo possit Essentia esse principium intellectionis, cum non inhæreat intellectui, cum sufficiat ex Scoto in 2. d. 3. q. 8. *Ad quæstionem.* Caetano, cæterisque, tantummodo assistere intellectui, sicque per assistentiam vnitas, non per informationem, respondet, *Non habeo persuasum id, quod Caetanus contēdit, nempè satis esse, vt aliquid sit principium intelligendi, si assistat intellectui, & non ipsi inhæreat: quod enim nō inhæret, non potest esse principium determinans per modum efficientis.* & infra subdit, *Quare potius existimo, intellectū, sicut & quamlibet facultatem, esse principium proprium, & propinquum, determinans Essentiam, & substantiam Angeli, quam è contra.* Et denique ita concludit, *Quare ego philosopharer, vt Essentia Angeli sit commune, & remotum principium intellectionis sui, proximum autem intellectus eaque coniunctio Essentiæ cum intellectu, nihil omnino confert, vt Essentia sit principium in sui intellectione.*

3 In hoc tamen, quod ait, coniunctionem Essentiæ cum intellectu, nihil conferre ad intellectionem, aduersatur apertè omni bonæ philosophiæ, cunctisque Philosophis, ac Theologis: hoc enim docetur ab omnibus in lib. 3. de Anima, vt extra rem, sit, probationes hic recensere. Itē si opus non est coniunctione obiecti cum potentia, ergo cognitio fiet mediante separatione obiecti à potentia: tunc vero qualisnam cognitio produceretur, vel intuitiua, vel abstractiua: nō Prima, quia illa fit præsente obiecto, & coniuncto in ratione proximè intelligibilis, ergo remanebit secunda: hinc autē sequitur non posse habere Angelum cognitionē, nec sui, nec cuiuscunque alterius, intuitiuam, sed omnis eius cognitio erit abstractiua. Idem quoque concludit de intellectu nostro, nam loquitur, vt dixit, de *quamlibet facultate.* Insuper, ipse ibidem nu. 13. negat esse necessarias species in Angelis: vnde, hinc rursus, arguitur, Potentia, ex communi placito Arist. & Philosophorum, debet vniri cū obiecto, vnio autem illa contingere potest, vel per speciē, in absentia obie-

Coniunctio potentiæ, & obiecti necessaria ad intellectionem.

cti,

cti, cuius vicem gerit species: vel per propriam, ac realem coexistentiam: nõ datur alter modus; at Vasquez negat vtrumq; modum; negat enim species, negatq; coexistentiam, ergo nullam poterit Angelus, siue sui, siue alterius, habere cognitionem. Dicat igitur Vasquez ipse, doceatq; quonammodo producere, vel nos possimus, vel Angelus cognitionem. Verè Vasquez illudit, vt solet, Philosophis: parcendum tamen, quoniã cognitionis productio, quæ *Lippis, & Tonsoribus nota est*, ipsi imperuia, & à sensu remota, visa est. sic enim discursum terminat, *Verum in rẽ, ita nobis obscura, & à sensu remota, hæc dixisse sufficiat*. Hæc Vasquez.

Caietanus, & Vasquez impugnatur.

Henrici sententia de habitu.

4 Est insuper sententia Henrici quodlib. 5. q. 14. negantis Angelũ cognoscere se per suã Essentiam, sed per aliquid additum suæ Essentiæ id autem ait esse habitum scientialẽ, in quo Essentia suo repræsentatur intellectui: adeoque existimat necessarium esse talem habitũ, vt cessante eo, nullatenus intellectus suus immutari possit ad intelligendum, neque ab Essentia sua neque ab vllo alio. Fundamentum eius est, quia Angelus nullam naturam singularem per sé intelligit, sicut nec intellectus noster; ratio, quia naturæ rerum nõ repræsentantur intellectui, nisi prout abstractæ à conditionibus materiantibus, seù indiuidualibus, at, vt sic, sunt vniuersales, ergo oportet dari habitum quendam, in quo relucẽãt quidditates vniuersales: & hinc est, vt primo intelligat suã Essentiam, prout relucet in habitu abstractiuẽ, quæ tamen sic in vniuersali cognita, erit inde medium Angelo ad cognoscendam eandem in particulari.

5 Scotus impugnat hanc sententiam in 2. d. 3. q. 8. lit A. §. *Contra istam opinionem*: Impugnationes autem hæ sunt: Potest intellectus inferior cognoscere absque tali habitu, ergo & poterit intellectus perfectior: Antecedens patet, potest namq. intellectus humanus cognoscere quodcumq; obiectum intelligibile sibi proportionatum, vna cum concursu causarum naturalium, vt phantasmatis, & intellectus agentis, absque alio habitu. Et prob. conseq. quia perfectio concessa inferiori, non est deneganda superiori. Item, si non potest intelligere, nisi quatenus Essentia relucet in habitu, quæro vnde nam id prouenire poterit, aut Primo, quia absolutè necesse sit relucere in habitu, alias nullo pacto intelligibilis esset: aut Secundo, quia huic intellectui debet relucere in habitu: aut Tertio, quia requiritur præsentia obiecti per informationem: nullum istorum est dicendum: non Primum, alias Deus non posset propriam Essentiam cognoscere, nisi relucentem in habitu: non Secundum, quia Essentia angelica intellectui angelico proprio non est improportionata, nec superexcedẽs, sed summè proportionata: nec Tertium, quoniam, vt dictum fuit, non requiritur vnio per informationẽ ab obiecto in sua natura, sed sufficit vnio coexistentiæ. Rursus per talem habitum non cognosceret Angelus existentiam, cum omnibus accidentibus loci, temporis &c. Prob. habitus est vniuersalis, atque abstrahẽs ab hic, & nunc, repræsentat enim solas quidditates abstractas à conditionibus indiuidualibus: tunc vero non magis repræsentabit non scribere, quã non scribere: potius hoc loco, & tempore, quam alio in loco, alioque tempore, prout fuit etiam dicursum de speciebus angelicis, quest. Confirmatur, impossibile est, aliquod esse repræsentatiuum alterius secundario, nisi primum obiectum repræsentatum determinetur ad illud: quidditas, quæ primo per habitum istum repræsentatur, non determinatur ad existentiam, nec ad conditiones vllas indiuiduales, dum abstrahit ab illis, & est indifferẽs ad illas, ergo non potest repræsentare. Præterea, circa id, quod subdit, quod non intelligit per sé singulare, nisi prius intellecto vniuersali, contra, Deus verè intelligit Essentiam suã singularem, alias non posset eam per sé intelligere, nisi præintellecto aliquo antecedenti vniuersali. Item non impedit sic Angelũ intelligere, limitatio, alias nullo modo posset angelica natura, vel ab ipso, vel ab alio Angelo, siue homine intelligi, ergo limitatio naturæ non obstat: Nec obstare poterit materialitas, siue recursus ad phãtasmata, cum sit spiritualis, & abstractus à sensibus:

Impugnatur Henrici sententia de habitu.

bus: Nec videtur quid aliud impedire, ergo supervacaneè ponitur talis habitus, impugnationes alias habes supra licet in alia materia, quæst. 2.

Sententia D. Thomæ ... de Thomistis, & Scotistis.

6 Penès Scotum, vt cit. habetur, siue refertur, D. Thomam asseruisse, Essentiam Angeli, in ratione obiecti, esse causam totalem suæ cognitionis. ita inuenitur penès Scotum. Scotistæ quoque, ita, Scotum sequuti, sentiunt: & nouissimè Vulpes de Angelis disput. 12. art. 1. num. 4. idipsum nititur comprobare ex pluribus alijs contestibus Diui Thomæ. Ex opposito autem Thomistæ omnes, tum antiquiores, tum recentiores, negant, id asseruisse D. Thomam, soluuntque argumenta Scoti. Ego tamen, nè videar iurasse in verba Magistri non assentior hac in re Scotistis. Vnde primo assero, D. Thomam non fuisse talis sententiæ, hoc inuenti textu patet, sicut Expositores eius demonstrant perapprimè. At Scotistæ asserent, me declinare à via Scoti. Respondeo in primis, me non declinare à doctrina, nihil enim, in hoc de suo Marte docet, sed ad mentem alterius refert. Dico Secundo, Scotum non dicere illud assertiuè, sed loqui indeterminatè, & dubitatiuè per verbum *Videtur*. Et quod ita sit, legatur ante lit. A. §. Contra, vbi habet, *Hæc opinio ponit, vt videtur &c.* Vnde verò desumpserunt occasionem sic dubitatiuè loqui de Diuo Thoma, indè fortè, quia ait, quod calor, si esset separatus à ligno adhuc foret principium totale calefactionis: Essentia autem Angeli non est per informationem vnita intellectui angelico, ergo, dum in ratione inhærentiæ est, veluti separata, licet aliundè sit coniuncta, videtur quod ipsa sit totalis causa intellectionis. ex hinc fortasse desumpsit occasionem Scotus. Quidquid tamen sit, siue desumpserit hinc, siue aliundè, id certum est, Scotum nō imponere D. Thomæ absolutè hoc, & assertiuè, sed ambiguitiuè, ac dubitatiuè, sic dubitatiuè, non autem assecurantèr dicendo, *Videtur &c.* Hoc autem stante, non opus est argumenta referre Scoti, nec Aduersariorum solutiones, cum nihil faciant ad propositū, iuxta dicta.

Expenditur Scotus aduersus quosdam Scotistas.

7 Ad solutionem vero quæstionis accedendo, dicendum, Angelum cognoscere & ipsum per suam Essentiam. ita Scotus ibidem. ita D. Thom. 1. par. quæst. 56. artic. 1. & de Verit. quæst. 8. artic. 6. D. Bonauent. in 2. d. 3. part. 2. artic. 2. quæst. 1. estque communis. Sensus autem assertionis est, vt Angelus in cognoscendo seipsum intuitiuè non indigeat specie aliqua repræsentante, cum sufficiat præsentia Essentiæ suæ: suadetur autem, Agens, habens causam totalem alicuius effectus, potest illum producere, omnibus alijs seclusis Angelus habet totalem causam suæ cognitionis, probatur, habet enim intellectum in ratione potentiæ, habet Essentiam in ratione obiecti sibi sufficientèr vniti, ergo potest illam cognoscere, seclusis omnibus speciebus. Itē, quidquid potest causari ab aliquo vbi habet esse imperfectum, & secundum quid, poterit multo meliùs causari ab eo vbi habet esse simplicitèr, & perfectum: at Essentia, prout habet esse repræsentatum in specie, habendo esse secundum quid, potest causare cognitionem sui, ergo & poterit eandem, imo perfectiorem, causare dum præsens est suo intellectui simplicitèr in sua entitate. Rursus, non impedit distantia, cum sit perfectissimè præsens intellectui: Non est improportionata suo intellectui, cum non superexcedat vires eius. Non est materialis, ob quod indigere habeat specie per depurationem phantasmatum. Præterea species ponitur, vt sit Vicaria obiecti, suppleatque absentiam obiecti, Essentia autem est omnino præsens suo intellectui. Insuper species ponitur, vt vniat, quoquomodo cum potentia obiectum, at Essentia est perfectiori modo vnita Angelo, quam sit vnio per speciem; demum, species ponitur, vt obiectum, potentiam intelligibile, faciat actu intelligibile, virtute intellectus agentis abstrahentis à rē materiali species: at Essentia est obiectum actu intelligibile, ergo seipsum immediatè intelligit per Essentiam.

Angelus cognoscit se ipsum per Essentiam.

8 Dicendum item, eundem Angelum cognoscere ea, quæ in eo sunt intrinsecè, absque omni specie: Patet de proprietatibus, proprijsque passionibus, siue potentijs Angeli, quo fit, vt intuitiuè cognoscat intellectum, volunta-

Angelus cognoscit intrinseca sibi absque specie.

ſtabilitatem, propriaſque paſſiones &c. Ad has autem non indiget ſpecie, cum omnino præſentia ſibi ſint, ſicut nec indiget pro cognoſcenda Eſſentia. Circa vero accidentia communia ſeparabilia, dicendum non ea cognoſcere per intuitionem Eſſentiæ angelicæ, non enim manant ab Eſſentia, vt intellectus, voluntas, cæteræque naturales paſſiones; ſed cognoſcere, vel intuitiuè, vel abſtractiuè, iuxta modum proportionis, & viciniæ, quam habent ad intellectum angelicum.

9 Quæ obſtare poſſunt præcipua, hæc ſunt, Eſſentia non vnitur intellectui ſub ratione informantis, ergo non ſe intelligit Angelus per Eſſentiam: Probatur conſeq. quia ſpecies, ſiue ratio intelligendi debet inhærere potentiæ. Reſpond. 1. non eſſe abſolutè neceſſe, vt obiectum informet, & inhæreat, alias Eſſentia diuina informaret, & hæreret intellectui diuino, & Beatorum; Reſpond. 2. id contingere in cognitione abſtractiua, vbi non obiectum in propria Eſſentia, ſed ſpecies obiecti cauſat intellectionem, dum vero ſpecies illa eſt accidens, poteſt informare, & inhærere. Reſpond. 3. ſufficere, vt obiectum vniatur potentiæ, altero ex duobus modis, vel vnione conſiſtentiæ ad intellectum, in propria Eſſentia, vel vnione inhærentiæ, & informationis: primum militat hic. Et de altero actum fuit quæſtione præcedenti.

Obiectum non eſt neceſſe vt informet potentiam, niſi in ſua ſpecie.

10 Obſtatur, Anima noſtra eſt ſibi intimè præſens, & nihilominus non cognoſcit immediatè ſeipſā, ergo nec Angelus. Reſpond. eſſe diſparem rationem, quia Anima eſt coniuncta corpori, ob idque, dum pendet à ſenſibus in intelligendo, reperit impedimentum, quod eſt ſubordinatio ſenſuum, & intellectus, de qua ratione, aliiſque diximus ſupra quæſt. 1, num. 3. Angelus caret tali obſtaculo.

11 Arguitur, nihil patitur à ſeipſo: pateretur autem à ſe ipſo Angelus, ſi cognoſceret ſe per ſuam Eſſentiam. Prob. Eſſentia Angeli eſt eadem realiter cum ſuo intellectu: Probatur ſequela, nam *Intelligere eſt quodam pati.* Reſpond. paſſionem hanc intellectus, non eſſe veram paſſionem, niſi denominatiuè, eſt namque ſenſus Ariſtotelis, *Intelligere eſt quodam pati*, ideſt, eſt quodam recipere; ratio, quia intellectio conſiſtit in receptione, intellectus namque, recipiendo intelligit, non producendo intellectionem; ſi namque intellectui meo imprimeretur, ſeu cauſaretur intellectio ab Angelo, vel à Deo, vtique, & nil minus intelligerem, habente ſe meo intellectu more paſſiuè, ſeu receptiuè. Scotus in 1. d. 3. quæſt. 7. Item intellectus patitur quidem, ſed paſſione perfectiua.

Intelligere eſt quodā pati. Declaratur.

12 Arguitur, idem eſſe in potentia ſimul, & in actu. Argumentum fuit occaſione alia ſolutum: non enim vetat eſſe ſimul in potentia formali, & actu virtuali: licet eſſe nequeat in potentia formali, & actu formali.

Nihil eſt in potentia ad actum. Declaratur.

13 Arguitur, oportere intellectionem hanc Angeli identificari cum Angelo: Prob. etenim mediat inter obiectum, & intellectum, ergo identificatur cum extremis, medium enim participat naturam extremorum. Argumentum non magis militat pro intellectione angelica, quam humana; nec magis pro intellectione, quam pro ſenſatione, cum inſuper medient inter potentiam, & obiectum: Reſpondetur autem, negando mediare, quoniam cum ſit effectus ab ambobus productus, ſubſequitur potius ad obiectum, & potentiam, quam mediet.

Intellectio an mediet inter pot. &c.

14 Arguitur, *Recipiens debet denudari à natura recepti*: ergo intellectus angelicus non poterit intelligere ſe per Eſſentiam, quia eſt ſuæ Eſſentiæ vnitus, imo idem realiter. Reſpond. 1. non eſſe veram abſolutè, & ſimpliciter propoſitionem hanc deſumptam ex 2. de Anim. etenim ea, quæ Angelus, Deus, & Homo intelligunt, ſunt entia, & tamen Deus, Angelus, & Homo ſunt quoque entia: vnde non poſſent quidquam intelligere, vel opus foret ipſos non eſſe entia, ſeu denudari debere à natura entis. Reſpond. 2. militare in potentijs ſenſitiuis, non enim oculi potentia viſiua debet eſſe colorata, alba, rubra, & huius generis, aliàs obiecta omnia apparerent rubra, alba, &c. non autem locum habet in

Recipiens debet denudari à natura recepti. &c.

potentiis

potentia intellectiua; ratio, quia non recipiuntur colores in intellectu, sed species coloris, ait enim Arist. *Non lapis est in Anima, sed species lapidis*. colores quidem, vtpote materiales, se ipsos impediunt, & præoccupant, quia sunt materiales, species vero in intellectu non se impediunt licet sint oppositorum obiectorũ vt albi, & nigri, calidi, & frigidi, quia sunt intentionales.

QVÆSTIO VII.

Vtrum Angelus possit se ipsum cognoscere abstractiuè, possitq; cessare à cognitione sui.

1 MOlina 1. part. q. 56. disput. 2. duo ad rem hanc dicit. Primum est, non esse certum, an Angelus cessare possit à cognitione sui: & Secundum, probabile esse, nunquam cessare à sui cognitione. Loquitur autem de cognitione sui intuitiua. Vasquez 1. par. disp. 204. cap. 1. ait non posse cessare, idemq; habet Suar. lib. 2. de Ang. cap. 4. Becanus autem de Ang. q. 7. inquit, primo nunquam cessare, & secundo subdit, probabile est, non posse cessare, citatq; Capreol. & Heru. in 2. d. 3. q. 2. hoc stante, infertur, non posse Angelum seipsum cognoscere abstractiuè per speciem repræsentantẽ ipsum abstractiuè.

2 Probatur autem Primo, omnia viuentia habent sẽper aliquam actionẽ vitalem: ergo similiter Angelus: actio autẽ alia vitalis in eo non poterit esse, nisi cognitio sui: Probatur minor, nulla actio est magis proportionata Angelo quam cognitio sui, ergo ab illa nunquam cessat. Secundo, Essentia sua est sibi proportionata, & sẽper præsens in ratione obiecti, ergo semper videt intuitiuè. Tertio, Angelus est præstantissimus inter puras creaturas, ergo sẽper seipsum cognoscit. Quarto, præstantiùs est, esse sẽper in actu, quam in potẽtia, ergo suus intellectus, penès semetipsum, semper erit in actu intelligendi seipsum. Quinto, nunquam Angelus est ociosus: Sexto, nunquam defatigatur. Septimo oblectatur in cognitione sui. Octauo, ex cognitione sui deuenit in cognitionẽ Dei, melius, quã ex intuitione cuiuscunq; alterius obiecti creati. Hæc penès Molinam.

3 Vasquez autẽ ita arguit, cognitio hæc Angeli abstractiua, altero ex duobus modis erit abstractiua, vel quia Angelus cognoscat seipsum per species alienas, quomodo spiritualia cognoscimus per corporalia, remque vnam ad instar alterius: vel quia verè habeat speciem repræsentantem suam Essentiam, & quidditatem, absque tamen existentia: non Primum, non enim seipsum cognoscit per species rerũ aliarum, neque ad instar rerum aliarum, sicut nos spiritualia noscimus ad instar corporalium: nec Secundum, cum nullatenùs cognosci possit Essentia absque existẽtia. Secundo, cognitio abstractiua est admodum imperfecta, non ergo apponenda in Angelo. Tertio intuitiua, & abstractiua solo numero differũt: duo accidẽtia numericè distincta non sunt in eodem, ergo non abstractiuè.

4 Suarez hæc eadem reperit, additque alia: Et in primis ait, dato, quod possit seipsum abstractiuè cognoscere, non tamen indigere specie intelligibili, à sua substantia, distincta. Probatio vero huius, non nisi obscurè elicitur ex eo; quod vero ipse apertè habet, hoc est, posse Angelum per Essentiam suam cognoscere sẽ intuitiuè, & abstractiuè: Item, quod eadem species potest repræsentare simul intuitiuè, & abstractiuè, ratio, quia cognitio intuitiua, & abstractiua non differunt ex parte speciei, seu principij, & hinc deducit, posse vtramq; cognitionem, per essentiam suam habere. Atque addit, quod si data fuisset Angelo species ad cognoscendũ se quidditatiuè, (id est abstractiuè) non repugnaret, per eandem se cognoscere

intui-

intuitiuè: Insuper ait, Angelum, per eandem speciem singularis, cognoscere quando singulare existit, & quando non existit: Et hinc concludit, superuacaneam fore speciem in Angelo ad cognitionem sui abstractiuam, quia quandocunq; se cognoscit, semper intuitiuè cognoscit, & nusquã se potest cognoscere abstractiuè: hæc habet à num. 18. ad 20.

5 Omnium tandem communis, & potissima ratio est, Angeli essentia est sibi perfectissimè præsens: ergo nõ eget specie, per quam cognoscat illam abstractiuè: antecedens patet, & probatur consequẽs: species enim pro cognitione abstractiua, ponitur ad supplendam absentiam obiecti, at est sibi sẽper præsens. Item, cognoscit se intuitiuè, ergo non abstractiuè. Denique species illa esset superflua, quia solũ admittẽda est in absẽtia obiecti, non in præsẽtia.

Sensus quę stionis duplex.

6 His tamen non obstantibus, est aliter dicendum. Quæstio autem duas partes habet, vnam, vtrũ Angelus possit cessare aliquandò à cognitione sui: alteram, vtrum cognoscere possit se abstractiuè. Dicendum est primo de prima, nam solutio secundę partis pendet à prima.

7 Ante verò solutionem animaduerto primo, quæstionẽ posse esse metaphysicam potius, quam realem: sensus est, vt procedamus, facta quadam suppositione, vtpotè, supposito, quod Angelus cesset à cognitione sui, intuitiua, vtrum danda esset in eo species repræsentans Essentiã abstractiuè, per quã cognoscere ipsã valeat abstractiuè? sensus hic est metaphysicus: sensus autem realis esset, si certum foret, ipsum de facto, cessare aliquando à sui cognitione intuitiua, & tunc quæreretur, vt prius &c.

Munera speciei abstractiuæ.

8 Recolo insuper munera, propter quæ sit admittenda species abstractiua. Ponitur quidem, vt sit vicaria obiecti, repræsentans illud in sui absẽtia. Item, vt cognitio sit in potestate cognoscẽtis, ne omnino pereat cognitio, & memoria obiecti: dum namq; Vesuuiũ montẽ nunc video, & intelligo intuitiuè, est enim è regione præsens, relinquitur de eo tamen species, vt in eius absẽtia, valeam ipsum contemplari, prout, & quando, mihi libuerit, abstractiuè.

Non est certum Angelum nõ posse cessare aliquandò à cognitione sui intuitiua.

9 His stantibus, est primo dicendum, non est certum, quod Angelus nõ possit aliquandò cessare à cognitione intuitiua sui. Assertionem hanc sequitur etiam Molina vbi supra. Et probatur, ad cognitionem est necessaria attentio: at Angelus est applicatus ad cognitionem multorum, & pluriũ: ergo poterit distrahi aliquandò à cognitione sui. Confirmatur, Angelus est plenus speciebus, vt supra, habetq; ibi species omnium quidditatum, repræsentantium etiam singularia, & conditiones omnes indiuiduales, ex Thomistis, quorum ergo fieri poterit, vt aliquando non distrahatur à sui visione. Patet verò id amplius de Angelis tutelaribus Ciuitatum, Prouinciarum, & Regnorum, etenim dum præoccupari detinentur in gubernio, & administratione, siue singularium hominum, vt Sãctissimi nostri Custodes, siue Ciuitatum, & Regnorum, vtique, facile est dictu, posse aliquando distrahi à sui inspectione. Insuper intellectus angelicus non est infinitus, nec infinitæ virtutis, ergo minus potens erit: ad hoc semper præstandum. Rursus non vnicã cognitione se, & obiecta cætera cognoscit, ergo pluribus, at non contingit simul plura intelligere, non habentia ordinem, & connexionem inter sè, quomodo ergo semper necessario stabit in cognitione intuitiua sui, si ad tot, & tot necesse est intellectum eius conuerti obiecta, siue diuina ministeria ad vnera exequendo, siue Ciuitates, Prouincias, Regnaq; sibi commissa gubernando. Præterea, ex eo, quod in nobis accidit, arguere possumus, non enim valemus simul plura intelligere, disparata, & inconnexa, nullumq; dicentia ordinem inter sè, ergo nec Angelus. Dices, Angelicum intellectum esse virtutis maioris fateor, ac propterea dico non esse penès Angelum, tantam, vel impotentiam, vel tantum impedimentum, ad hæc præstanda, quantum in hominibus, attamen quod nusquam, & nullo modo distrahatur aliquando ipsemet Angelus, hoc non est vsque modo compertum. Accedit ad principale, id, quod cecinit Poeta.

Pluri-

Pluribus intentus, minor est ad singula sensus.

Probabile est nunquam cessare a cognitione sui intuitiua.

10 Dicendum Secundo, licet non sit certum, aliquando non posse cessare ab intuitiua cognitione sui. Nihilominus probabilius est, nunquam cessare. Hanc defendunt Authores initio citati. Et confirmatur iisdem coniecturis, vt ibi. Coniecturas quidẽ appello probationes illas, etenim nõ sunt demonstrationes, nec vrgent, ideoque talem, assertionẽ statuimus, quales sunt probationes: at hæ sunt topicæ, & probabiles, ergo, tanquam probabile admisimus, nunquam cessare à cognitione intuitiua sui; & in hoc sensu, rationes illas concedimus, nec oportet eas soluere.

Ab Essentia Angeli necessario fluunt species ad quemcunque intellectum.

11 Dicendum Tertio, ab essentia Angeli emanant naturaliter semper, & necessario, species repræsẽtantes eam, cuicunque intellectui ad eas recipiendas disposito; siue sit intellectus ipsiusmet Angeli, à quo emanant, siue alterius. Assertio innititur fundamẽto philosophico est autem, quod Natura necessario agit, non impedita: hinc arguitur, Essentia Angeli, prout antecedens actũ suæ voluntatem, operatur per modum naturæ, ergo operatur necessario, ergo necessario immittet speciem sui. Confirmatur, obiectum visibile naturale, non impeditum, vt paries, immittit naturaliter, & necessario speciẽ visibilem ad oculum, ergo à pari de visibili spirituali, vt substantia Angeli, currit namque paritas in ratione naturæ, vt natura, præscindẽdo à corporeo, & incorporeo: Item non est in potestate parietis immittere speciẽ, vel non immittere, sed necessario immittit, quia est agens naturale, ergo, nec erit in potestate substantiæ, & naturæ Angeli, qua natura est, immittere, vel non immittere, quoniam, abstrahendo ab eo, quod facere posset circa eam volũtas, est agẽs naturale. Rursus, si paries haberet oculos, nõ esset in potestate parietis immittere speciem sui in oculos alterius, & non sui, imo indifferenter in oculos omnium immittit, quemadmodum corpus meum non habet in sua potestate immittere speciẽ sui in oculos alterius, & non mei, ergo Essentia Angeli, qua natura est, non habet in sua potestate, immittere speciem sui in intellectum alterius Angeli, & non sui, ergo immittit etiam speciem in intellectum suum. Assertio supponit non adesse impedimentum, siue à Deo non concurrente, siue ab Angelo occultante, vt in mat. de loquut. Angel.

12 Obstant Aduersarij, dicẽdo speciem huius v.g. Angeli non immitti in intellectum alterius Angeli ab illo Angelo, sed infundi à Deo, siue vna cum cæterarum rerum speciebus, recepisse infusam ab initio à Deo. Contra, arguo, dato quod ita sit, habuisse à Deo, nihilominus nil impedit, vt habeat etiam à natura illius Angeli; probatur, natura, vt natura, quantum est ex sè, semper operatur, quia est agẽs naturale, nisi fiat miraculum impediendo: ergo, non obstante, quod talem speciem infuderit Deus, nõ cessabit natura Angeli immittere speciem, alias Deus faceret miraculũ in natura Angeli: Esto exemplum, dato, quod Deus immittat in oculum meum speciem illius parietis, non propter hoc paries cessabit immittere speciem, quia agens naturale est, ita & Angeli Essentia faciet, etiam dato, quod Deus speciẽ eius initio infuderit. Item arguo de Anima, Animæ, nõ constat, Deum infudisse species intelligibiles, initio creationis, seù infusionis in corpus, excipiendo tamen Christum Dominum &c. & nihilominus Essentia Angeli, veluti Agens naturale, nil vetat, quantum est de sè, vt immittat speciem sui in illam. Vltra quod, de doctrina illa specierũ ab initio receptarum, discursum fuit supra quæst. 4. an. & quomodo sit vera.

Potest Angelus seipsum cognoscere abstractiuè.

13 Et hinc dicendum Quarto, potest Angelus semetipsum cognoscere etiam abstractiuè. ita Scotus in 2. d. 3. q. 10. ante argum. Bassol. q. 3. ad 2. Gabr. q. 2. art. 3. Maior q. 1. ad 3. atque Expositores ad eum locum. Probatio Scoti est, potest Angelus superior cognoscere alium abstractiuè, vtpotẽ inferiorẽ, tum per Essentiam, tum per speciem, intuitiuè per illam, abstractiuè per illã, ergo eandem poterit habere Angelus inferior de sè ipso, intuitiuam per Essentiam, & abstractiuam per speciem: Item perfectionis est in intellectu nostro, posse habere cognitionem de rè

non

non existente, & id per speciem repræsentantem, ergo perfectio hæc non est deneganda Angelo, vtpotè perfectionis, omni namque quidquam cognoscitur abstractiuè est aliquo modo absens &c.

Cognitio abstractiua daptur.

14 Dicendum Quinto, abstractiuã istam cognitionem esse præcisiuam, quia casus est metaphysicus non diuisiuam, quia casus non est realis, dum Angelus non potest distare à se ipso.

15 Ad rationes autem Vasquii respond. abstractiuam cõtingere secundo modo: ad probat. negatur assumptum, potest namque cognosci Essentia, abstrahẽdo ab existentia; sic namque cognoscitur quiditas vniuersalis; Item, existentia non est de quiditate Essentiæ quia nullum posteriùs est de quiditate prioris, ergo poterit cognosci illa absque ista. Rursus, existentia, & Essentia, vel distinguuntur ratione, vel modalitèr, secundũ nos, igitur potest illa cognosci absq; ista. Ad Secundum, cõparata abstractiua ad intuitiuã, vtiq; illa est perfecta, illa imperfecta: at de cætero, vnaquæq; est perfecta in ordine suo, nam in ordine cognitionis rei præsentis, vt præsentis intuitiua est perfecta: in ordine autem absentis, vt absẽtis, perfecta est abstractiua, reddendo singula singulis. Ad Tertium, falsũ est, intuitiuam, & abstractiuã solo numero differre, vnde licet obiectiuè possint, terminatæ ad idem obiectum, esse eiusdẽ speciei, tamen in modo tendendi ad obiectum, sunt alterius speciei.

Abstractiua, & intuitiua cognitio an eiusdem speciei.

16 Ad rationes Suarii, plura connectit, quæ vt falsa sunt, ita non probat; & in Primis ait, posse Angelũ cognoscere sè per Essentiam intuitiuè, & abstractiuè. Ex hoc statim sequitur, vt velit, nolit, incidat in sententiã Scoti, dum inquit Suar. posse se cognoscere etiam abstractiuè. Item quæro, sub qua ratione Essentia poterit esse ratio cognoscendi etiam abstractiuè, an sub ratione præsentis, an absentis: Si Primum, ergo non erit abstractiua, quia abstractiua est de absẽti, vt absens est: Si Secundum, ergo conuenit cum Scoto, dicente Angelum se abstractiuè cognoscere sub ratione absentis, siue non existentis. Insuper ait, intuitiuam, & abstractiuam non differre ex parte principii: Hoc falsum est, etenim principium intuitiuæ est præsentia, abstractiuæ autẽ est absentia. Rursus, inquit, Angelum per speciẽ singularis cognoscere quando existit, & quando non existit: falsa prorsus Philosophia, etenim si singulare non existit, quomodo repræsẽtari poterit per speciem, cuius munus est repræsentare existentiam? dare autem speciem vnicam, quæ simul repræsentet rem, quæ existit, & quæ non existit, non admittitur ab Animasticis: vnde arguo, quomodo præsentabit id, quod non existit, aut intuitiuè, aut abstractiuè, non Primum, quia intuitiua est de existentia, ergo repræsentabit solum abstractiuè, non autem simul & intuitiuè. Quod demum concludit, superuacaneam esse speciem, quia semper intuitiuè se videt: iam conclusio destruit suum dictamen, iam enim dixit, per Essentiam suam posse simul præstare, & intuitiuè, & abstractiuè, cur ergo nunc negat abstractiuam? Quod si non neget abstractiuam, sed solummodo speciem, cum Essentia sua sufficiat etiam ad abstractiuam, non vtique discordabit à nobis, hoc enim solum prætendimus, vt possit quoque habere abstractiuam: quod vero eam habeat per speciem, vel per Essentiam, parum de hoc curamus, dummodo quomodocunque, & qualitercunque fateatur nobiscum se posse cognoscere, etiam abstractiuè.

Suarez eluditur.

Species vna an simul repræsentet rem existentem, & non existentem.

17 Ad rationes denique, quæ supersunt, responsio patet ex dictis, & ad Primum, speciem admitti non ratione Angeli præsentis, qua præsens est, sed qua cogitatur vt absens. Ad Secundum negatur conseq. Et ad Tertium, iam constitit non esse superfluam speciem, quia deseruit in concipiẽdo Angelum, vt est absens.

Species admittitur, vt repræsentet Angelum non vt præsentem, sed vt absentẽ.

18 Atque demum pro complemento est dicendum, speciem deseruire Angelo, non vt mediante ea cognoscat eum absentem, falsa enim est hæc propositio, nihil enim distat à seipso; sed vt cognoscat abstractiuè Angelus semetipsum, quem concipit, vt absentem, & sic vera est loquutio, estque germana mens Scoti: ideoque supra prænotaui, casum non esse rea-

lem, sed metaphysicum, procedentem, per abstractionem intellectus, abstrahendo à sua præsentia. Vel alio modo posset casus habere locum, supponendo per impossibile Angelū posse distare, & elongari à seipso, posset verè tūc cognosci abstractiuè abstractione diuisiua, & realiter casus est impossibilis, ergo sit abstractio solummodo præcisiua, & intentionalis. Vel Tertio, si contingere posset, vt per Dei potentiam Angelus annihilaretur, tunc Angelus annihilatus cognosceretur abstractiuè ab altero Angelo, in cuius intellectu iam remanserat species illius, quando habebat esse.

QVÆSTIO VIII.

Vtrum Angelus per propriam Essentiam cognoscat alterum Angelum.

1 Diuus Thomas consequenter ad dicta superius de speciebus infusis, respondet, non posse Angelū cæteros Angelos cognoscere per Essentiam Angeli cognoscibilis, nec per speciem desumendam ex eiusdem Essentia, cognoscere autem, sicut & cætera, per species ipsis in creatione infusas à Deo. ita 1.p. q.56. artic. 2.

2 Vasquez 1.par. disp.205. sentit, intellectum Angeli de se esse sufficiens principium ad talem cognitionem: probatque Primo, non potest Angelus quidquam in intellectu alterius efficere, ad illuminandum eum, ergo non potest Essentia alterius Angeli concurrere, veluti concausa, ad producendam intellectionem. Secundo non potest producere qualitatē physicam in corpus, ergo nec qualitatem spiritualem cognitionis in intellectu alterius Angeli. Tertio non potest producere impulsum in aliū Angelum, ad instar impulsus immissi in corpus mobile, ergo nec causare cognitionem in intellectu illius. Quarto, non potest cognitionē talē causare, nisi eleuetur, & veluti instrumentum eleuatum, causabit, qualis autem sit ista eleuatio, non cōstat: Vltimo oporteret Essentiam talē cognoscibilem, vniri localiter cum intellectu cognoscentis. hoc autem non apparet.

3 Suarez lib.2.cap.5.ita arguit, tædiose tamen, cum multa congerat, vel gratis allata, vel nullatenus vrgentia: arguit ergo Primo: à num.16. nam duo antecedentia argumenta non sunt sua, sed sed aliorum: arguit, inquam, ad hoc, vt actio prodeat à potentia, & obiecto, oportet vt hæc duo, ita inter se vniantur, vt aliquam subordinationem seruent inter se: at hæc subordinatio non reperitur inter Angelum intelligentem, & substantiam Angeli intellecti, ergo: minor prob. inquit, per se euidens est, quia si prius natura, quam Angelus eliciat intellectionē alterius, ad summum præcedere potest præsentia Angeli cognoscendi ad intellectum cognoscētis, per realem indistantiam, quæ ad subordinationem non sufficit. Secundo, nec intellectus, nec obiectum ex necessitate naturæ operatur, quia Angelus cognoscēs, liberè cognoscit, & Angelus cognoscibilis, si non vult cognosci, non cognoscitur. Tertio, inter intellectum Angeli, & essentiam alterius, nulla est vnio, vel coniunctio. Quarto, à num.27. arguit, intellectus angelicus non potest abstrahere speciē à substantia angelica. Quinto, non potest eam recipere, alias esset aliquando in potentia, & non semper in actu. Et Quinto, repugnat ex parte specierum, quia postulāt fieri in Angelo per concreationem: ergo non potest cognoscere Angelus Angelum, siue intuitiuè per Essentiam, siue abstractiuè per speciem ex eo receptā. Ac Sexto, sequeretur Angelum cognitū esse in cognoscente per intimum illapsum, quod est solius Dei.

4 Est nihilominus sententia opposita.

sita, quia magis placet, idcirco quod est Primo dicendum: potest Angelus Angelũ cognoscere intuitiuè per propriam Essentiã Angeli cognoscibilis. Ita Scot. in 2.d.3.q.9. Molin.q.56.art.1. quem tamen irridet Ripa ibid. est etiam Becani de Angel. q.8. eamque probabilẽ putat Suar. num.12. prius autem probabilem eam existimauit D. Thom. de verit. q.8. art.7. & 2. contra Gent. c.98. ibique Ferrariensis. Probatur autem; quandocunque obiectum est actu intelligibile, & praesens potentiae dispositae, & nõ impeditae, potest inde produci cognitio: taliter autem se potest habere Angeli intellectus, & alterius Angeli praesentia sub ratione actu intelligibilis, ergo Angelus Angelum poterit cognoscere intuitiuè, immediate per cognitiã essentiam. Quod autem Angelus sit actu intelligibilis, dummodo sit praesens, patet, quia est spiritualis, materialia namque sunt in potentia intelligibilia, donec phantasmata depurentur &c. ergo. Item, non est necesse, vt Essentia vniatur potentiae per informationẽ, vt praeced. quaest. fuit dictum, eoque magis patet, quod Essentia diuina cognoscitur à suo diuino intellectu, cui tamen non vnitur per informationem, ergo nec hic requiritur species aliqua concreata, informans intellectũ Angeli, vt intelligat intuitiuè. Rursus, potest Angelus Angelum illuminare, cur autem non poterit per Essentiam intelligere. Praeterea, potest alter alterum mouere, etiam imprimendo impulsum, quomodo factum fuisse praeliũ, & deiectionem Angelorum malorum è Coelo putat Hugo Cauellus de anim. disput. vlt. num. sicut etiam per impulsum fieri docet Zumel 1. par. q. 53. art. 1. q. 5. Suar. tum in Metaph. disp. 35. sect. 6. num. 28 tum de Angel. l. 4. cap. 18 aliique penes ipsum, & Nos. Probatur insuper iisdem rationibus, quibus praeced. quaest. ostensum fuit, Angelum intuitiuè per propriã Essentiam, absque specie, cognoscere seipsum, non enim est dispar ratio, nisi in obiecto, cur namque seipsum per propriam Essentiam cognoscit absque specie; & non aliũ, maximè concurrentibus omnibus requisitis ad talem cognitionem, omnique amoto obstaculo?

Potest Angelus alterũ cognoscere per ipsius essentiam intuitiuè.

5 Dicendum secundo, potest Angelus Angelum abstractiuè cognoscere, mediante specie emanante ab Essentia Angeli cognoscibilis. Assertio haec, est eorundem, qui supra. Probatur autem, Angelus cognoscere potest se abstractiuè, mediante specie emanante à propria Essentia, ergo & cognoscere similiter alterũ, per speciem emanantẽ à sua Essentia. Antecedens probatum fuit quaest. praeced. Et prob. conseq. quia non est maior ratio de Essentia huius quã alterius in immittendo speciem. Item Natura, vt Natura, naturaliter & necessario agit, ergo Essentia alterius necessario immittet speciem. Confirmatur iisdem mediis, quibus similis assertio probata fuit de cognitione sui ipsius per speciem quaest. antecedenti num. 11. 12. & 13.

Potest Angelus Angelum cognoscere abstractiuè.

6 Dices, Speciem talem, cùm sit, cum aliorum fuisse ipsis infusam à Deo per creationem. Confutatio huius patet ibid. num. 1[illegible].

7 Dices, Angelus caret intellectu agente, ac propterea non potest abstrahere speciem ab Essentia alterius Angeli. Respondeo Primo, falsum esse assumptum, vt ostensum fuit quaest. huius disput. Respondeo Secundo, quandocunque obiectum est immateriale, non est opus intellectu agente abstrahente, abstractio namque fit à sensibilibus & materialibus, depurãdo phantasmata, ratio, quia obiectum materiale intellectui coniuncto in statu viae non est actu, sed potentia intelligibile, propterea atque eget munere intellectus agentis transferentis de genere in genus, vnde fit, vt ad habendas species tales, concurrat tum obiectum immittens, tum intellectus abstrahens, siue depurans: hoc tamen non contingit penes obiecta spiritualia, siquidem ipsa totaliter immittunt species, intellectu se habente non amplius abstrahendo, nec actiuè circa species, sed recipiendo, & passiuè, vt habet Scot. quodl. 15. lit. Q. idque locum quoque habet in Anima separata, vt non egeat tali abstractione, seu depuratione phantasmatum, cum non dependeat à sensibus, sufficit autem abstrahere species intelligibiles depurando, dum est coniuncta sensibus, ex hoc tamen non tollitur ab-

Intellectus Angelicus an sit abstractiuus specierum ab obiectis spiritualibus.

solutè vis abstractiua, non quidem phantasmatum, quę non sunt in Angelo, sed specierum.

Angelus nõ põt per se ipsũ cognoscere alterũ.

8 Dicendum Tertio, Angelum nõ posse cognoscere alterum per propriã Essentiam Angeli cognoscentis. Est communis, tum Scotistarũ, tum Thomistarum. Et suadetur breuitèr, Angelus in Angelo nõ continetur formalitèr, nec virtualitèr, ergo ex inspectione suæ Essentiæ non potest cognoscere alterum Angelum: De continentia formali, iam patet: De virtuali quoq; est de fide contra Auicennam docentẽ in sua Catena, Angelum producere Angelum, aduersus quem acritèr pugnat Scot. in 4.d.1.q.1. Ratio hæc innititur illi fundamẽto, nempe aliquid posse ab aliquo cognosci, vel tanquam effectus à sua causa, vel tanquam causa à suo effectu: Angelus autem non est causa alterius, cum igitur nullus habet rationem causæ, vel effectus, respectu alterius, inde sequitur, vt nequeat per propriam Essentiam cognoscere alterũ. Item Essentia vnius nullo modo poterit esse medium cognoscendi alium: Prob. non potest esse medium cognitum, quia non continet formalitèr, nec virtualitèr alium, qua ratione homo est medium cognitum, seu ratio cognoscẽdi cognita in ordine ad animal, dum formalitèr, & essentialitèr continet illud; & præmissæ sunt rationes cognoscendi cognitæ in ordine ad conclusionem: nec potest esse mediũ non cognitum, seu ratio cognoscendi nõ cognita, qualis est species, seu imago, etenim Angelus non est imago Angeli, nec est species repræsentans Angelum, ergo stat conclusio.

9. Dices, Author libri de Causis Propos. 8. ait, *Omnis intelligentia scit, quod est supra se, et q. est sub se, quoniã est causa ei, & scit quod est supra se, quia acquirit bonitatem ab eo.* Sensus autem est, quod dum intelligentia producit intelligentiam, intelligentia producens intelligit productam, tanquam effectum eius: & intelligentia producta intelligit suã producentem, tanquam causam ipsius. Resp. negando talem productionem, sunt namque Angeli per creationem à Deo, vide Scotũ ibi, & D. Thom. vbi supra.

10. Dices, reperitur inter Angelos assimilatio, sicut & inter homines, ergo alter ex hinc, spectando essentiam suã, intuebitur essentiam alterius. Resp. assimilationẽ, aliquam spiritualem, inter Angelos, esse in cõceptibus genericis, siue etiã specificis, dato quod sint plures sub eadẽ specie, vt sup. in propo. 9. vel si stet in aliquibus conceptibus numericis accidentalibus, vtique inde non habebitur, nisi imperfecta assimilatio, & confusa, quapropter haberi nequibit distinctè, vt etiam patet in hominibus.

11 His actis, soluẽda sunt argumenta Vasquij. Ad Primum negatur antecedens, vt patebit in materia de Illuminatione, & loquutione Angelorum. Ad Secundum, concesso antecedenti, negatur consequens. Ad Tertium, negatur assumptum, ex dictis. Ad Quartum, negatur antecedens, nulla enim requiritur supernaturalis eleuatio, cum sufficiat ipsa facultas naturæ, à Deo sic conditæ. Ad Quintum, iam vnio stat obiecti cum potentia, quod si Vasquez fatetur non sibi apparere, apparet alijs, vera philosophia vtentibus.

12 Ad argumẽta Suarij superfluum est respondere: attamen ad Primum dicitur, quod iam stat vnio inter ea, & gratis negat. Ad Secundum dato, quod hic Angelus possit se occultare cognoscenti, de quo in mat. de Loquutione Angelorum, nihilominus fortasse Angeli alij nollent se occultare, sed cuperent ab Angelo altero videri: vel dato, quod ille nunc, & hoc in loco se occultet, forte tamen alio loco, & tempore non se occultabit. Ad Tertium patet ex Primo. Ad Quartũ, nil obest, vt ipse non abstrahat, sufficit, vt obiectum spirituale immittat speciẽ, tanquam causa totalis. Ad Quintũ, patet ex 4. quæst. negãdo, recepisse species omnium singulariũ. Et ad Sextum, negatur sequela; Immittere namque speciẽ in Animam, seu in Angelum, non est illabi in creaturam: nisi sumpto nomine illapsus, valdè impropriè, & largè: illapsus namque in rigore competit soli Deo, quatenus est intimè præsens creaturis, per præsentiam, Essentiam, & potentiam, quatenus; cunctæ creaturæ dependẽt ab ipso in esse, fieri, & conseruari.

QVAE-

QVÆSTIO IX.

Vtrum Angeli cognoscant secreta cordium.

1 PEr secreta cordium intelligendæ veniunt, Primo affectus, volitiones, passionesq; voluntatis, tum Angeli, tum Hominis; veniunt & Secundo, intellectiones, cogitationesq; mentis, non quidem Secundum se, seu quantum ad substantiã spectare, sed quatenus subsũt imperio voluntatis, ratio, quoniam, si cui competit occultare, vtique voluntati id competet, quandoquidem ipsa est Regina in toto Regno Animæ &c. loquimur etiam de cogitationibus, & volitionibus, iam positis in actu, non autem antequam ponantur in actu.

2 Circa hoc, plures afferuntur modi dicendi, quos tamen, gratia prolixitatis vitandæ, breuitèr recensebimus, & confutabimus. Est autem in Primis sentẽtia negatiua, vniuersim de Angelis omnibus, siue bonis, siue malis, negãs posse cognoscere, siue alterius Angeli secreta, siue Animæ, ita D. Tho. 1.par. q.57. art.4. eiusque Expositores. D. Bonau. in 2.d.8.par.2.art. 1.q.6. ibiq; Richard. & Aegyd. vna cum Henric. quodl.3. q.13. Alensi par.2. q.26. m.3. pluresque. Hoc autem interest inter Authores plures, vt Thomistæ negent absolutè, & simplicitèr id fieri posse; Scotistæ affirment, absolutè, & simplicitèr fieri posse; medij vero sunt, qui nec absolutè affirmant, nec absolutè negant, sed modificatione vtuntur in asserendo, & negando. Hi autem sunt.

3 In Primis, D. Thom. rationem reddens, cur non possint, inquit, voluntas creata, siue Angeli, siue Animæ, quia soli Deo subest, atque solius Dei imperio subiacet: ergo à solo cognoscuntur, siue intellectiones, siue passiones, siue volitiones, affectusq; eiusdẽ voluntatis, ergo non potest Angelus quidpiam cognoscere de secretis voluntatis.

4 Thomistæ plures, modos alios excogitant, hi autem diuisi sunt: Caetanus namq;, Ferrar. Capreol. pluresq; ideo cognoscere negant, quoniam sint improportionata intellectui angelico: Addunt, quia non sunt ordinis naturalis, quo fit, vt hinc non valeant cognoscere. Alij vero voluntatis actus distinguunt, alios namque appellant naturales, alios elicitos, seu liberos: Fundantur in eo, quod D. Thom. voluntatem distinguit, in liberam, & naturam: hincque actus quoque inde prodeuntes condistinguunt in naturales, nempe necessarios, & liberos: loquendo de primis, aiunt posse cognosci, loquendo de secundis, negant, nisi consensus, & voluntas accedat Angeli, seu Animæ, vt velit reuelare, alias occultando, non posset Angelus ea cognoscere; ratio primi, quia non subiacent imperio voluntatis, ratio Secundi, quia subiacent, & proinde, voluntate occultãte, ignota erunt; voluntate pandente, erunt nota, & aperta.

5 Iidem Thomistæ ad aliud recurrunt impedimentum; aiunt enim, ideo Angelum non posse, quia v.g. non accepit ab initio à Deo speciem talis secreti: ergo, vt illud noscat, oportet infundi à Deo speciem nouam: nõ enim species capiunt à rebus, vt supra retulimus &c.

6 Suarez l.2.cap.22. atque Molin. q.57. art.4. ad hoc idem effugiũ recurrunt, aiunt enim defectum prouenire, quoniam deest illis actus primus ad hęc intelligenda, actum autem primum appellant speciem intelligibilem talis secreti, quam cum ab initio non acceperint, neque valent viribus naturæ, secreta cognoscere.

7 Vasquez 1.par. disp.209. cap.10. postquam dixit, *Nihil ratione naturali posse probari*, vnde subtexuit, rationem reddens, inquiens, Angelus virtute luminis sui intellectus, absque speciebus, intelligit: verum est tamen, quod tale lumen attingere nequit ad secreta, & hinc est, vt non possit: vnde est, ipse quoque fateatur, vt Thomistæ, obiecta ista esse intellectui angelico improportionata.

8 Hi

8 Hi hucusque recensiti, negant vndequaq; posse cognosci; Afferemus vero alios, qui ex parte negant, & ex parte affirmant.

9 Ideo Henric. ait, posse Angelum alterius secreta cognoscere, tum in substantia, tum quantitate, & qualitate, vtpote amoris, odij, fugæ, prosequutionis, & similium, vno tamen modo non posse cognoscere, nempe ratione finis, non enim scire potest, ad quem finem amor ille, vel odium, vel fuga, vel prosequutio dirigatur.

10 Argentinas in 2. d. 7. q. 1. art. 2. docet, cognoscere posse, v. g. an sint, & quando sint; non tamen qualitates eorum, vtputa an sint passiones amoris, an odij &c. ergo sentit scire Angelum, habere alterum, siue in intellectu suo cogitationes, siue in voluntate affectiones, ignorare autem qualitates eorum.

11 Heruæus in 2. d. 8. q. 3. ait, cognoscere secreta voluntatum, & cordium, quoad substantiam, qualitatem, cæteraque, præterquam quoad intensionē, siue remissionē actuum voluntatis: intensio ergo, & remissio celatur Angelis, ex Heruæo.

12 Durandus 2. d. 8. q. 5. & d. 3. q. 7. & 8. inquit, cognoscere actus præsentes voluntatis, licet non futuros, cos namq; reseruat scientiæ Dei. Hi sunt, vt plurimum, modi dicendi Theologorum de hac re.

13 Vasquez primum, & inde ab eo Suarez, laborāt valde in impugnatione horum modorum dicēdi: nihilominus inaduertenter, pro Scoto pugnant, demonstrando aduersus prædictos, non posse cognoscere ex parte, vel secundū aliquem modum secreta cordium, sed si cognoscere habēt, cognoscunt vtique de toto.

14 Nos autem, relictis impugnationibus eorum, quæ facillimo negotio eneruari possunt, vnam, vel duas rationes afferemus ex Scoto, quibus hucusque satisfactum non est, simulq; deinde soluemus argumēta in contrarium.

15 Scotus ergo in 2. d. 9. q. 2. lit. M. 6. *Ad argumenta secundæ quæstionis*, & in d. 45. q. 4. lit. L. *Ad secundam*, atque in eodem 4. d. 10 q. 8. lit. M. N. *Ad tertium principale*. expresse fatetur, posse Angelum naturaliter cognoscere cogitationes, volitiones, & secreta cordis. idemq; docet de Anima separata, quod posse hoc ipsum præstare in 4. 45. loc. cit. sequuntur alij, vt infra.

16 Probatur autem ab eodem in secundo, duplici argumento: Primo, potest alter Angelus videre naturaliter Essentiam huius Angeli: ergo & poterit naturaliter videre cogitationes, atque volitiones eiusdem Angeli. Antecedens est concessum etiam à Thomistis: & probatur consequens, quia non est maior ratio de vno, quam de altero. Respondent negando consequens, quoniam potest occultare volitiones, & cogitationes dependentes ab imperio voluntatis. Contra hoc arguit Scotus, non potest occultare Essentiam suam alteri Angelo: ergo nec occultare poterit volitionē suam: Antecedens concedunt, ergo coguntur concedere, & consequens, non enim est maior ratio de Essentia, quam de volitione.

17 Respondent, esse disparem rationem, quandoquidem Essentia est ordinis naturalis, volitio autem est ordinis superioris, vnde ad illam potest attingere naturaliter, & non ad istam. Contra, quidnam intelligunt per *ordinem superiorem*, an forte intelligunt ordinem supernaturalem? si hoc intelligunt, vtique falsum est, in præsentiarū; etenim nō omnis angelica intellectio, & volitio est ordinis supernaturalis, sicut non omnis habet pro termino obiectum supernaturale, quemadmodum etiam, nec omnis procedit ex instinctu gratiæ, & motione Spiritus sancti, neque omnis est gratifica, & meritoria, intelligūt namq; Elementa huius mundi, Cœlos, Homines, & si quæ alia huius mundi, quæ non semper diriguntur in Deum sub ratione gratifici, & supernaturalis, eoque magis hoc est verum spectando Angelos in via, non enim erant beati, nec cōfirmati in gratia, & currit multo clarius in Angelis malis, destitutis beatitudine, & gratia: Non omnis ergo operatio angelica est ordinis supernaturalis, igitur erit ordinis naturalis aliquando, de hac autem quærimus, verū, & quare non possit Angelus eam

Pôt Angeli naturaliter cognoscere secreta alterius.

Anima separata pôt naturaliter cognoscere secreta alterius.

naturaliter videre, quapropter arguitur, non trascendit naturalē intelligentiam Angeli, ergo potest naturaliter eam videre: Falsa igitur responsio esse ordinis superioris, & ob id non posse videri.

18 Secundo arguit Scotus, si volitio hæc non videtur ab Angelo, quia est ab alio occultata, ergo per aliam volitionem erit occultata, de ista autem quæro, aut videtur, aut non videtur, quia est occultata; si videtur, ergo videbitur quoque de se prima volitio, absque quod sit occultata: prob. conseq. quia non est maior ratio de volitione occultante, quam occultata: si si volitio occultans non videtur, ergo ideo non videtur, quia per aliam deinceps volitionem nouam est occultata, de hac autem iterum quæro vt supra, aut de se videtur, & habetur intentum, quod idem dicendum sit de prima, si non videtur quia occultata denuo, dabimus processum in infinitum &c.

19 Responderi potest, quod potest euenire, vt actus occultatiuus sit manifestus, actus autem occultatus, remaneat obscurus, & non manifestus. Exēplum sit de Arca occultante aurum, etenim aurum remanet occultatum intra eam, Arca autem occultans est patens, & manifesta. Arguitur autem contra, & rešpōsio est nulla, ideo namque aurum remanet occultatum, & Arca remanet manifesta, quia aurum, & Arca non sunt eiusdem rationis, hæc enim est lignum, & illud aurum: at volitio occultans, & volitio occultata sunt eiusdem rationis, ambæ enim sūt accidentia, ordinisq; naturalis, vt supponimus, ergo non currit paritas. Impugnatio quidem hæc est magis apparens, quam vera, probo, demus Arcam ligneam occultare intra se, aliam arculam ligneam, erunt tunc occultans, & occultatum, eiusdē rationis, & tamen ex inspectione Arcę maioris occultantis arculam minorem, non sequitur vt videam arculam intus occultatam. Verum ad hoc posset, & bene, responderi instantiā esse nullam, quandoquidem, ideo intellectus noster cōiunctus, seu noster visus non potest arculam occultatam videre, quia intellectus noster dependet à sensibus, sensus autem visus non potest Arcam penetrare, vt arculam intro occultatam videat, ad instar Lyncis, de quo aiunt, tanta visus acutie pollere, vt quæ extra parietem sunt, peroptimè penetret, & videat, licet fabulosum id patet Albert. l. 21. de animal. intellectus autē angelicus non dependet à sensibus, ergo poterit ita occultatum penetrare, & videre, sicut occultantem: quare concluditur, impugnationem de occultato factam, esse optimam; Dices, Scotus idem asserit de Lynce in 4. d. 49. q. 15. ad 1. resp. illud ait, non asserendo, sed referendo. De Lynce quid Scot.

20 Arguit Tertio Scotus, Omne ens limitatum, & finitum, (non habens pro termino Deum sub ratione obiectū supernaturalis, excedentis naturalē capacitatem Angeli,) potest ab Angelo naturalitèr cognosci: ita'es sunt prædictæ intellectiones, & volitiones Angeli, ergo potest Angelus naturalitèr illas cognoscere: probatur antec. quia omne ens creatum, limitatum, & finitum, vt supra, continetur sub obiecto adæquato intellectus angelici: sic autem continentur intellectiones, & volitiones prædictæ, & ergo &c. Obiectum adæquatum intellectus quale nam.

21 Respondent dupliciter, Primo Scotum supponere, quod Angeli intellectus sit passiuus, atq; species recipiat à rebus, cum tamen receperit à Deo. Respondent Secundo, cogitationes, & volitiones considerari, vel secundum se, vel quatenus subsūt imperio voluntatis occultātis: Primo modo, possunt cognosci, Secundo autem modo nequeunt.

22 Sed contra vtramque responsionem: Prima quidem certe est effugiū, dum namque non valent soluere argumentum, confugiunt ad species non receptas à rebus, siue à volitione, & cogitatione, sed à Deo. At contra hoc etiam arguo, dato ita esse, quod tamen discussum fuit supra q. 1. & 4. dato, inquam recepisse talis volitionis, & intellectionis speciē à Deo, non per hoc impeditur à naturali eius cognitione, probatur, species illa repræsentat necessario, & naturalitèr volitionem, & intellectionem, at omne ens creatum, seu naturale, non habens Deum pro termino supernaturali, potest cognosci ab Angelo naturalitèr, ergo. Contra

tra

tra Secundum iam militant argumenta facta, & arguitur Quarto.

23 Quarto arguitur, supponẽdo, ea, quæ à voluntate dependent, esse in duplici genere: alia namque dependent in actu primo, quatenus habent esse intra intra causas suas, vtpotè quatenus sũt in virtute, & in potentia in ipsa voluntate, alia vero habent esse extra causas suas, vtpotè, quia iam sunt verè producta à voluntate: exemplum primi, vt volitio, seù nolitio, quam producere potest voluntas habens esse solummodo in potentia, in voluntate: exemplũ secundi, vt volitio, seù nolitio, iam de facto, producta à voluntate: Hæc duo, ita se habent, vt primum cognosci nequeat, saltem à priori, & determinatè, vt infra dicam, à creatura, est enim solius Dei scire, quidnam voluntas creata sit factura, scire inquam certo, & infallibilitèr, cum tamen creatura non possit, nisi à posteriori, & fallibilitèr sæpè sæpiùs ita cognoscere: Secundũ vero, iam habet esse determinatum, & certum, vnde est, vt certo sciri possit, & determinatè, ita, & ita esse: Hinc arguitur, volitio, postquam est ab Angelo producta, habet certum, & determinatum esse, ergo certo, & determinatè sciri potest ab Angelo, licet non prius quam fuerit producta. Item est ens non non amplius liberum, sed naturale, ergo ingerit cognitionem sui necessario, & naturalitèr.

24 Insuper, Angelus non est impeditus, vt homo, non enim eget sensuũ subordinatione, nec depuratione phãtasmatum, hæc namque, pro statu isto, impediunt, quia cogitationes valeat anima percipere immediatè aliorum, Angelus autem nõ sic, ergo poterit recurrere ad occultationem fiendam à voluntate, vel quod sint alterius ordinis, apertè constat, esse effugia, nulla enim ratione demonstrant quomodo possit occultare, & quomodo sint alterius, siue superioris ordinis cogitationes, & volitiones tales, atque secreta talia.:

25 Mirum profectò est, vt rationes, siue euasiones, siue fugæ istæ non afferantur à Nouissimis doctrinam thomisticam profitẽtibus non enim afferuntur à Vasquez, à Suarez, neque à Molina: profectò existimantibus nil prodesse. Sed, an ipsorum rationes quid conferant, facilè est videre.

26 Vnde dum Vasquez aiebat, non posse lumen naturale intellectus angelici ad hæc pertingere, id gratis dicit, nec probat cur non possit: eoque minus probabilis est sua sentẽtia, quo species negat esse necessarias, itaut solus intellectus sufficiat ad intelligendum, quod est destructiuum totius philosophicæ doctrinæ traditę communitèr in materia de Cognitione, & Speciebus: siquidẽ à cognoscente, & cognito paritur notitia: de quo etiam aliqua habuimus supra quæst. 3. Necessitas specierũ, aduersus Vasquez

27 Quod etiam Molina fatetur, & Suarez, quod non habeant actum primum, siue speciem talis volitionis: id quoque gratis asserũt, nec probant, id necessario requiri, cum tamen necessitatem talem probabilitèr excluserit Scotus.

28 Hinc est, vt ipsemet Suarez eod. cap. 23. initio dixerit. *In hoc pũcto valde laborant Theologi, quia re vera difficile est*. Inter quos laborat & ipse.

29 Testimonia autem Molinæ, & Vasquij de opinione Scoti hæc sunt, inquit enim Molina §. *Fateor*. *Fateor, iuxta Scoti, & aliorum opinionem, multo faciliùs, & meliùs, posse explicari, quomodo Angeli inter se mente loquantur, quã iuxta hanc nostram. Fateor item, iuxta hanc nostram opinionem; esse difficile, rationem reddere, quare potius cogitationes, & affectiones cordis, supra naturam, Angelis lateant, quam & substantiæ, & potẽtię spirituales, quibus insunt*. En quomodo confirmat primam rationem Scoti, iam allatam, subditque, *Neque mirum alicui videri debet, si in rebus adeo à sensibus, & experientia nostra semotis, nostrã aliquando profiteamur ignorantiam &c.* En qualitèr ignorantiam fatetur in dissoluendis rationibus opinionis Scoti. Molinæ testimoniũ aduersus se pro doctrina Scoti.

30 Audiamus, & Vasquez, is namque cap. 10. initio sic scribentem, *Mea quidem in hac re, sententia est nihil rationibus philosophicis efficacitèr posse probari, id, quod hactenus aliqua ex parte monstratũ est; nulla enim ex rationibus allatis sufficienter ostendit, secretũ cordis, vnius Angeli, aut Hominis, ab alio non posse cognosci*. Fatetur ergo, & ipse, rationes Testimoniũ Vasquij de eadem sententia;

Aduer-

Adversantium sententiæ Scoti non esse sufficientes ad oppositum demonstrandum. Atque tandem, etsi [illegible] qualibet occurrere valeas rationibus Scoti, concludit, oppositum esse asserendum, ex alio capite, subdit namque: *Quoniam ex sola Scriptura, & Patrum doctrina, nobis constat, secreta cordis humani nō esse intra latitudinem obiecti naturalis intelligibilis ab Angelo*. Hinc tamen fatetur, suam opinionē non posse ratione naturali demonstrari: mirum tamen est, cū hæc non spectent ad misteria fidei, etenim sūt operationes naturales Angeli, & Animæ, nō supernaturales, nec requirunt concursum Dei, nisi sub ratione communi, & generali, qua concurrit cum cæteris creaturis. Vnam tamen inde subtexit rationem ex cap. 2. at hæc nō spectat ad præsentem conclusionem, sed ad infra sequentes.

Intellectus non potest in distantia infinitate.

31 Dicendū insuper, bonos Angelos multa quidem posse, atque cognoscere posse, nisi tamen duo obstent, Primum est voluntas Dei impedientis, & Secundum, improportionata distantia. De Primo clarum est, posse Deum impedire. De Secundo etiam verum est, ratio, quia Angelus est Agens finitum, & limitatum, ergo non potest agere in distantia improportionata. Item, alias posset agere in distantia infinita: Hoc dicitur contra Vasquez. dicentem, posse agere in quacunque distantia, quia medium non impedit. At hæc ratio non obstat, etenim, spectata natura Agentis creati, est tanta, vt non possit vltra sphæram activitatis: Item est sibi præfixa sphæra à natura, sicut cæteris agentibus creatis. Insuper quæro, aut sphæra sua est finita, aut infinita: Si Primū, habeo intentum, quod non possit in quacunque distantia: Si Secundum, ergo Angelus est potentiæ infinitæ, & & ita erit Deus. Rationes hæ militant directè contra Vasq. quoniam insinuet, Angelū non indigere speciebus ad intelligendū, sed sufficere lumen intellectus sui: hoc stante, sequitur potentiā suam intellectiuam esse infinitam, non inclusam intra limites activitatis finitæ. Maiorem tamen apparentiam haberet, si diceret, ideo distantiam non impedire, quia habuit ab initio species

Angelus multa pōt cognoscere, nisi impediatur.

contractas rerum etiam quantumcunque distantium, tunc namque intellectus non requireret proportionatam distantiam, vt species abstraheret ab obiecto proportionali [illegible] distanti, sicut modo requirit in abstrahendo, ex doctrina Scoti in 4. d. 45. q. 2. [illegible]

32 Dicendum rursus, loquendo de Angelis malis, possent vtique idipsum præstare, attenta eorum naturali virtute, attamen à Deo impediuntur, sic Scotus. Ratio autē talis impedimenti est, ad euitandum mala, quæ Dæmones procurare possent, si viderent cogitationes tales &c. vnde est, vt si in homine propositum videret faciendi bona, procurarent ipsum à tali proposito remouere: si vero propositū mali, accelerarēt, atque vrgerent hominem ad citius exequendum tale propositum malum, & ad faciendum maius malū. Et hinc est, vt dicere Paulus 1. Cor. 2. *Si cognouissēt, nunquam Regem gloriæ crucifixissēt*, idest, vt Scotus explicat, *Nunquam crucifixissent [illegible]* hoc, vt impediretur redemptio humani generis per Christum. Hinc quoque nō fuit permissum, Dæmonem cognoscere integritatē Beatissimæ Virginis, vt adducit idē Scotus [illegible] *partus celaretur Diabolo* ex Iustino Mart. atque hinc aiebat Ambros. Luc. 1. *Malignum spiritū latuisse mysterium Incarnationis*. De hoc autem magis quæst. seq. Concludit autē Author de Ecclesiast. dogmat. cap. 50. inquiens, *Internas cogitationes Diabolum non videre, certi sumus* &c.

Diabolus [illegible] de malis [illegible] Dei impedire.

33 Vasquez cap. 2. [illegible] ait, credibile nō esse perpetuo impediri à Deo, non solū malos, sed etiam bonos Angelos, ne secreta cordium cognoscant. Rursus subdit, potentiam quidem Dæmonis impediri à Deo, propter bonū Vniuersi, ne multa perdāt &c. at quod impediantur tum boni, tum mali, ne secreta cognoscant, inquit, *Non video, qua ratione fieri debeat*. At, ratio euidens est, quare mali impediantur, enim est eadem, qua impeditur eorum potentia: igitur impeditur vis cognitiua, ne in mala inde prorumpant, quæ de facili, hominibus possent machinari. Pergit idem, dicendo, si impediantur à cognitione secretorum,

De quanam impeditur cognitio Diaboli adversus Vasquez.

ergo deberent quoque impediri à cognitione aliorum: Respond. non esse parem rationem, impediuntur namque in iis, ex quibus ansam desumere possent nocendi, non autem in aliis. Insuper, dum ait impediri nedum malos, verum & Angelos bonos, negamus, vt plurimum de bonis; at de hoc infra.

Possunt Angeli à posteriori cognoscere secreta cordis.

34 Dicendum præterea, posse Angelos, tùm malos, tùm bonos, à posteriori, & per signa cognoscere passiones cordis, atque mentis cogitationes: Est omnium, & de facili probatur. Potest homo per signa, & nutus, atque per operationes, tanquam à posteriori cognoscere secreta, & passiones cordis, ac mentis alterius hominis, ergo multo amplius potest id Angelus. Item potest Medicus per varia sinthomata, perque obseruationem pulsus, atque corporis alterationem, vultusque immutationem, iudicium ferre de Ægroto, ergo potest & Angelus. Confirmatur ex lib. de Ecclesi. dogmat. cap. 80. *Interras cogitationes Diabolum non videre, certi sumus, sed motibus eas corporis ab illo, & affectionum indiciis colligi, experimento didicimus.* Hieron. in Matth. 15. *Non debemus opinari Dæmonem occulta cordis rimari, sed ex corporis habitu, & gestis, æstimare quid versemus intrinsecus:* atque August. libro de diuination. Dæmon. cap. 5. inquit. *Peruenire illa ad notitiam Dæmonum, per nonnulla etiam experimenta compertum est.*

Iudiciũ de mẽte Scoti.

35 Denique inquiri posset de intẽtione Scoti, tàm enim docuit posse Angelos omnes ea cognoscere, vt est dictum, attamen vtrum docuerit, de facto sic cognoscere Angelos bonos? negant Okam. in 2. d. 20 & quodlib. 14. quæst. 13. Lychet. Bassol. Gabriel. ibidem cum Maiore: cæterum communis Scotistarum est in oppositum.

36 Obstatur aduersus dicta: est proprium Dei noscere secreta cordis, ergo nõ potest Angelus. Probatur 1. Reg. 8. *Tu solus nosti cor filiorum hominum*, lib. 2. Paralip. *Redde vnicuique secundum vias suas, quas nosti habere in corde suo; tu enim solus nosti corda filiorum hominum.* Ierem. 17. *Prauum est cor hominis, & inscrutabile, quis cognoscet illud? Ego Dominus scrutans cor*; Hebr. 4. *Discretor cogitationum, & intentionum cordis.* Et hinc Patres colligunt Diuinitatem Christi, dum de eo dicitur Matth. 12. *Iesus autem sciens cogitationes eorum &c.* Vnde Hieronym. *Hinc discimus, quod nullus cogitationum secreta cognoscit, nisi solus Deus.* Item Athanas. quæst. 27. ad Antioch. *Præscius rerum, & cordium cognitor solus est Deus; nec enim vel Angeli cordis abscondita, vel futura videre possunt.*

37 Scotus breuitèr ad singula respondet, dicens in 4 d 45. quæst. 4. Ad secundum. *Quod solus Deus* nouit abscondita cordis, verum est vniuersalitèr, ex propria perfectione, ita quod impossibile est, quod per aliquod impediens se lateant: Nouit etiam, vt Iudex vniuersalis omnium talium occultorum, illo modo, quo nec Angeli boni, nec mali, nec animæ separatæ nouerunt: Suarez impugnando alteram ex his responsionibus, quod cognoscat vt Iudex, inquit, non fieri sermonem ibi de hoc: Verū & si non in loco aliquo penès ipsum id fiat, fit tamen alibi, præcipuè penès Paul. Rom. 8. *Nolite ante tempus iudicare, donec veniat Dñs, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & tunc reddet vnicuique secundum vias suas.*

38 Responsiones ergo Scoti, hæ sunt: Primo solus Deus nouit, *Vniuersalitèr*, Creatura autem non omnia, quia multa sunt ei abscondita. Secundo solus Deus nouit, *non impedibilitèr*, cũ tamen Angelus possit à Deo de multis cognoscibilibus impediri. Tertio nouit, *vt Iudex*, quia *ipse constitutus est Iudex viuorum, & mortuorum*: sub tali autem ratione non cognoscit Angelus. Quarto, solus Deus *nouit à se*, quia scientiam, atque vim intelligendi possidet à sè, independenter ab alio, non sic Angelus, cum sit creatura dependens. Quinto nouit ipse solus *infallibilitèr*. Sexto ipse solus nouit, non solum præterita, & præsentia, verum & *futura certitudinalitèr*, cum tamen futura pendentia ex causis liberis Angelus cognoscat non certo, sed coniecturalitèr, & dubiè. Septimo solus ipse

Respondetur argumẽto ex Scriptura, & Patribus.

nouit

nouit [illegible] etenim ex plenitudine perfectionis diuini sui intellectus, nil potest ipsum latere, vnde necessario scit omnia; Angelum scire hæc omnia non est necesse.

89 Et his modis Patres colligunt Christi diuinitatem, qui modi, cùm nō conueniant creaturę, inde deducitur Christi diuinitas. Cæterum modi alij competunt ipsi Angelo.

QVÆSTIO X.

Vtrum Angelus posit naturalitèr cognoscere intuitiuè misteria supernaturalia.

ARTICVLVS I.

1 DIuus Thomas 1. par. q. 57. art. 4 docet, nullatenus posse Angelū cognoscere misteria gratiæ naturalitèr, propriisque viribus. idemque habet Alexan. par. 2. q. 26 m. 1. Durand. in 2. d. 7. q. 7. ibique D. Bonau. Richar. &c. fundamentum autem D. Thomæ est hoc, non potest Angelus cognoscere ea, quæ pendent à diuina voluntate, misteria gratiæ pendent à voluntate Dei, ergo. Item, non potest Angelus cognoscere naturalitèr cogitationes alterius Angeli, ergo nec poterit cognoscere misteria, quæ pendent à sola voluntate Dei. Confirmatur ex 1. Corinth. 2. *Quæ sunt hominis nemo nouit, nisi spiritus hominis, qui in ipso est, ita, quæ sunt Dei, nemo nouit, nisi Spiritus Dei.*

2 Ratio ista patitur instantias, & Primo, ratio concludere quidem videtur de misterijs, antequam ponantur in esse, siue spectatis in esse possibili, etenim futura pendētia à sola Dei voluntate non potest cognoscere Angelus, at loquendo de misterijs, non iam possibilibus, sed actu existentibus, & de facto, positis in esse, non concludit ratio: Et probatur, non valet ista consequentia, effectus hic v. g. pendet à sola voluntate Dei, ergo non est naturalitèr cognoscibilis, nam creatio Cælorum, Angelorum, Animarum, ac cæterorū, quæ ab initio mundi, habuerunt esse, per solam creationē, vtique sunt naturalitèr cognoscibilia, naturaliter namque Angelus cognoscit tum semetipsū, tum alios Angelos, & Anima Animā, atque homo ipse, & Angelus, Cælos, Elementa, & huius generis.

3 Suarez l. 2. cap. 29. num. 6. postquam dixit, *Omissa pro nunc, hac ratione, quam defendere non est facile*. Pergit inde ipse aliundè conclusionē D. Thomæ statuere. Et Primo, tales res sunt supra naturam Angeli, ergo superant eius intelligibilitatem. Secundò, non habet species, ab initio sibi concreatas de misterijs gratiæ, ergo non potest naturalitèr ea intelligere, probat consequentiam quia ad cognoscendum ea, quæ sub obiecto sui intellectus continētur, habuit ab initio, species concreatas, non habuit autē de misterijs, ergo. Tertio, non potest misteria hęc cognoscere per species à causis naturalibus acquisitas, ergo non potest absolutè cognoscere: prob. antec. species repræsentantes hæc misteria debent esse eiusdem ordinis cum ipsis, ergo debent esse supernaturales, sicut sunt misteria, prob. conseq quia species debet habere entitatem proportionatam suo obiecto, at misteria sūt supernaturalia species autem à rebus acquisitę, essent naturales, ergo non possent repræsentare. Quarto, descendendo ad misterium Eucharistiæ, probat non posse cognosci existentiam Christi in Eucharistia: arguit autē sic, supponendo existentiam esse accidens, etenim est præsentia ad species illas sacramentales: quo supposito, quærit, aut existentia hæc, siue præsentia, cognoscitur per cognitionem substantiæ corporis Christi, aut per propriam speciem sui: non Primum, quia substantia corporis nullam habet con-

uenientiam cum hac præsentia, siquidem substantia corporis requirit de se extensionem ad locum, & esse modo quantitatiuo in loco, talis autem existentia sacramentalis se habet opposito modo: non Secundum, quia species illa est supernaturalis. Quinto, existentia Christi in Sacramento; conuersio panis, & vini; atque conseruatio accidentium absque subiecto, sunt obiectiuè credibilia, non ergo naturalitèr attingibilia. Sexto, omnia hæc sunt supernaturalia tum effectiuè, quia à solo Deo, tum entitatiuè, & quoad substantiam, non ergo naturalitèr intelligibilia: probatur assumptũ quoad Secundam Partem, visus namque restitutus cæco, supernaturalitèr quidem fuit redditus, seù collatus, at inde conseruatur naturalitèr: accidentia tamen Altaris tum supernaturalitèr sunt une separata à substantia, tum quoque supernaturalitèr conseruantur, ita quoque existentia corporis Christi ibi &c. Tandem misteria gratiæ nulli creaturæ debentur, ergo sũt quoad substantiam, & entitatiuè supernaturalia, non attingibilia à creaturis.

4 Vasquez 1. par. disp. 22. eadem ferè media congerit, innixus in supernaturalitate quoad substantiam, cuiusmodi putat esse, & consequentèr minimè attingibilia ab Angelo: Pergensq; inde infert, si posset Angelus naturalitèr attingere misteria gratiæ, posset quoque naturalitèr deuenire vsque ad misterium Incarnationis, ea autem sũt altioris ordinis, ergo.

5 Molina q. 57. art. 5. adducit, præcipuè authoritates Patrũ, quibus ipsum confirmat: vndè Ambros. de Institut. Virgin. cap. 5. ait, *Resurrectionem Christi, Angeli ignorauerunt*. Iustin. Mart. dial. cum Tripho: super illa verba psalm. 23. Quis est iste Rex gloriæ, inquit, *Quoniam ij, qui in Cœlis erant Principes, deformem cum sint intuere, & gloria videbant, cum eum non cognoscerent, quærebant, Quis est iste Rex gloriæ?* Nazianzen. orat. 42. *Hic* propter corporis & passionis signa, quæ in descensu non allata, secum ascendens tulit, mente dubia, & ancipiti sunt, atque ideo percunctantur, Quis est iste *Rex gloriæ?* atque Dionysius in Isaia 63. scribit, *Neque per se quærant, cur rubra sunt vestimenta tua; sed secum primo dubitantia quæ declarant quidem se discere, diuinamq; scientiam capere, sed doctrinam, & illustrationem, quæ concedatur diuino progressu, & ordine, non accepere.*

6 Ad hæc, addimus argumenta deducta ex Scoto, pro parte hac. Primo arguitur ex ipso in 4. d. 10. q. [illegible] Existentia Christi in Eucharistia est supernaturalis, ergo est solum supernaturalitèr cognoscibilis: prob. conseq. factibile supernaturale non potest fieri à causa naturali, ergo nec potest cognosci naturalitèr. Secundo, cognitio fidei est eminẽtior omni cognitione naturali, probatur, aliàs ad cognitionem misteriorum Fidei posset attingi naturalitèr: at de existentia Christi in Sacramento est Fides, ergo nõ potest cognosci naturalitèr. Tertio, si posset naturalitèr cognosci ab Angelo, ergo etiam mali Angeli possent misterium hoc cognoscere, quia ex Dionys. 4. de diuin. Nom. *Naturalia in Angelis remanserunt integra*. At consequens est falsũ, quia inimici gratiæ nõ possunt cognoscere Sacramentum gratiæ; Item Ambros. Luc. 1. malignum Spiritum latuit misterium Incarnationis, ergo & Eucharistiæ, quia est similis ratio. Confirmatur ex Damasc. l. 4. fid. orth. cap. 5. dicente, *Vere Spiritus operatio, hæc, quæ supra naturam sunt, operatur, quæ nõ potest capere, nisi sola fides*. Et infra. *Interrogat, qualiter panis fit corpus Christi? Dico tibi, Spiritus sanctus superuenit, & facit hæc, quæ sunt supra rationem, & intellectum*. Quarto, nullus intellectus creatus potest cognoscere futurũ contingens, dependens à voluntate diuina: talitèr autẽ se habet corpus Christi in Eucharistia, pendens à voluntate diuina. Quinto si posset videre naturalitèr misteria gratiæ, posset naturalitèr beatificari, prob. quia posset videre actum beatificum alterius Beati, ac per consequens eius obiectum, & ita naturalitèr beatificari. Sexto, sequeretur fidem non esse necessariam, prob. quia possent naturalitèr cognosci misteria Fidei.

7 His tamen non obstantibus, est sententia Scoti opposita in 4. d. 10. q. 8. docentis, posse intellectum angelicum

ex sui

ex sui natura, cognoscere misteria gratiæ, iam posita in actu. Sequuntur Bassol. Tatar. ibid. Angl. Aret. OKam in 4. q. 5. art. 3. Henric. in sum. q. 2. Gabr. in Can. q. 43. Aegid. theor. 19. &c. hanc eludituꝛ Bañes dicens, solus Scotus tenet oppositum. Præcipuè autem id probat de Sacramento Eucharistiæ.

Angelus cognoscere potest misteria gratiæ posita in actu.

Declaratur.

8 Vt vero Scoti mens plenius percipiatur, distinguenda, & notanda sūt, quæ in hoc Sacramento continentur, ea enim sunt plura: & Primo est ibi Vnio hypostatica Verbi cum carne, & sanguine Christi, Secundo, transubstantiatio panis, & vini in Corpus, & Sanguinem Christi; Tertio, collatio gratiæ, quæ fit digne suscipiētibus hoc Sacramentum Quarto, desitio panis, & vini, facta iam consecratione. Quinto, præsentia Corporis Christi: & Sexto, conseruatio accidentium sine subiecto.

9 Notandum insuper Scotum nō loqui de misterio Incarnationis, non enim includitur in sua assertione, quæ est de misterijs alijs gratię, hoc est contra Vasquez, contra Angles, paucosq; de qua rē infra.

10 At item aduertimus communē distinctionem *supernaturalis*, aliqua namque dicūtur supernaturalia quoad substantiam, aliqua quoad modum: Prima sunt misterium Trinitatis, Incarnationis, Iustificationis, Glorificationis, Prædestinationis, Reprobationis, Præscientiæ, & huius generis: sunt insuper ea omnia, quæ relationem, & dependentiam habent ad liberum decretum voluntatis diuinæ, nullo habito respectu ad creatam voluntatem, nisi tamen, vt inde motam speciali illustratione: & consequentèr hinc veniunt opera meritoria, siue quæcunq; alia, procedentia ex infuso gratiæ, & motione Spiritus sancti, & similia: hæc de primo genere supernaturalis. Secūda sunt, resurrectio mortui, illuminatio cæci; erectio, seu directio claudi, & similium. Differentia autē inter illa, & illa, à plerisq; assignatur, quia prima sunt supernaturalia, nō solum, quia ab Agēte sūt supernaturali, & supernaturali modo, sed ēt, quia sunt talia in sua entitate, nempè, sunt in sua substantia, supernaturalia. Secunda vero sunt quo ad modum, non quoad entitatē supernaturalia, ratio, quia licet Lazarus fuerit supernaturalitèr, siue supernaturali modo resuscitatus, seu reuocatus ad vitam, tamen inde naturalitèr viuebat: ita de cæco, quāuis supernaturali modo visum receperit, inde tamen naturalitèr viuebat: sic de claudo &c.

Non potest cognoscere misteriū Incarnationis.

11 Rursus aduertit idē Scotus tum in 1. q. Prol. tum in 4. d. 43. quæst. 4. tum d. 10. q. 8. lit. G. naturale, & supernaturale distingui in ordine ad Agens, etenim, si Agens sit supernaturale, effectus erit appellandus supernaturalis: si Agens erit naturale, effectus erit naturalis: & consimilitèr potentia receptiua talis effectus, erit naturalis, si recipiat ab Agente naturali: supernaturalis, si recipiat à supernaturali: Et hinc adæquatè, & præcisè, desumit Scotus supernalitatem, nempè ab Agente supernaturali; vnde non vult, vt supernaturalitas insit effectui ipsi intrinsecè in se, sed solummodo in ordine ad Agens. Probat autē ex Aug. 3. de Trin. c. 9. dicēte, *Habitudo ad aliud, & aliud Agens, non necessario cōcludit, aliquid esse aliud, & aliud in se*. Doctrina hæc Scoti, est fundamentū suæ opinionis: & aduersatur oppositæ sententiæ sectatoribus, quatenus volunt, dari rem, quæ sit in sua entitate formalitèr supernaturalis, loquendo de rē creata: quod si verum esset, vtique eorum argumenta forent insolubilia. loquitur autem in subiecta materia de Eucharistia, deq; misterijs cæteris creatis, non habētibus pro termino Deum, neq. ordinatis ad finem supernaturalem, vt mox dicemus.

Supernaturale multiplex.

Naturale et supernaturale penes quid sint distinguūtur.

12 Ex quis autem sic loquitur Scotus, vt naturale, & supernaturale consideret ex parte Agentis naturalis, vel supernaturalis, non inde ad eius mentē, negandum est, reperiri quoque entia, quæ sint suaptè natura, etiā quoad entitatem, & substantiā, supernaturalia: quapropter, in doctrina etiā Scoti admittenda necessario est distinctio, supernaturalis quoad substantiam, & quoad modum. Supernaturale quo ad modum iam remanet explicatum: supernaturale autem quoad substantiam, sic explicandum est ad mentem Scoti. Omnis entitas habens pro termino, siue pro obiecto Deum, præcipuè

Supernaturale quoad substantiā, & quoad modum admittendū etiā in sententia Scoti.

patè sub ratione supernaturalis, omnis illa est supernaturalis quoad substantiam, intrinsecè, & formalitèr, atque entitatiuè: & nulla talis entitas est intelligibilis naturalitèr. Elicitur expressè è Scoto in quotlib. 14. lit. GG. sic loquente, *Entitas limitata, quæ est essentialitèr ad alterum illimitatum, non est naturalitèr intelligibilis ab intellectu creato.* Exempla sunt, Mysterium Sanctissimæ Trinitatis, etenim terminus diuinarum productionum est quid illimitatum, & infinitum, terminus namq; generationis actiuæ est Verbum diuinū: terminusq; spirationis est Spiritus sanctus: quis autem naturalitèr attingere valet ad Trinitatem, vt ostendimus tom. 2. de Trinit. disput. 1. q. . 1. Item mysterium Incarnationis, etenim terminus dependentiæ Naturæ humanæ est diuinum Verbum. Insuper, Prædestinatio, Iustificatio, Glorificatio, lumen gloriæ, Visio beatifica, opera meritoria salutis æternæ, cunctaque alia procedentia ex instinctu gratiæ, & speciali motione Spiritus sancti, & alia huius generis, omnia quidem hæc sunt supernaturalia quoad substantiam, quibus addenda sunt virtutes Theologicæ, Fides, Spes, Charitas, in ordine ad salutem æternam &c. ex tradita autem doctrina Scoti posset definitio de supernaturalibus quoad substantiam deduci, dicēdo, supernaturale quoad substantiam est illud, quod, secundum entitatem in fieri, & secundum intelligibilitatē in facto esse, superat cognitionem naturalē & profectò ita est, quandoquidem in fieri, produci nequeunt, nisi à Deo: & iam facta, nequeunt cognosci naturalitèr ab intellectu creato.

Supernaturalis quoad substantiam definitio.

Quale obiectum supernaturalitèr cognoscibile.

13 Ex hinc deducitur corolarium, omnis entitas creata, non habens pro termino, siue pro obiecto Deum, attingibili per operationem gratificam, & meritoriam, siue glorificam, potest naturalitèr cognosci ab Angelo, ita Scotus.

14 Dum verò hæc, supernaturalia appellamus in substantia, non est sensus, quod danda veniat aliqua substantia, quæ formalitèr sit supernaturalis, non enim conceditur substantia creata supernaturalis, quamuis concedatur accidens creatum supernaturale, vt visio, beatifica, lumen gloriæ, & huius generis; ratio cur non detur substantia supernaturalis creata, ea est, quia si daretur, vtique esset actus purus, ens illimitatum, infinitum, independens, à se, vltimus finis, & huiusmodi, at hæc competunt soli Deo, ergo sola Deitas est substantia supernaturalis, creaturæ enim non competit esse actum purum vltimū finem &c. Dices, cur ergo datur accidēs supernaturale, multo enim rationabilius perfectio hæc communicari posset substātiæ, cum sit perfectior accidente: Respond. accidēti potius, quam substantiæ creatæ attribui, quoniam, cum supernaturale in substantia debeat esse actus purus, & vltimus finis, nequaquam suspicari posset, accidens, & si supernaturale, esse posse actū purum, etenim accidens de se est compossibile cum subiecto, ergo non est actus purus. item nec suspicari poterit, accidens esse vltimum finem, cum vltimus finis non sit accidens, sed substantia: nec suspicari poterit esse quid independens, siue à se cum accidens dependeat à subiecto, & egeat sustentari in subiecto: hæc, & similia non possunt suspicari de accidenti, quantumuis supernaturali, quæ tamen suspicari possent de substātia creata aliqua supernaturali. Imperfectiones namque accidentis non militant in substantia, sicque si daretur substantia creata supernaturalis, posset quis suspicari, ipsa esse Deum, & vltimū finem. Aliam trāsferimus ad Mater: de Visione beatifica. Ad propositum redeūdo, idem est supernaturale in substantia, ac in entitate.

Non datur substātia supernaturalis creata.

Cur non datur substantia supernaturalis creata, sed accidens supernaturale creatum.

15 Ex quo autem diximus, virtutes Theologicas, iustificationem, opera procedentia ex instinctu gratiæ, Visionem beatificam, lumen gloriæ, & similia, esse supernaturalia quoad substantiam, insurgit difficultas, quandoquidē Scot. fatetur, hæc posse naturalitèr cognosci ab Angelo, quomodo stat id, quod diximus. Responsio in promptu est, quia hæc considerare possumus, vel physicè quoad entitatem: vel moralitèr quoad specificationem: Primo modo loquitur Scotus, ratio, quia, vt diximus, ea sunt entia finita, & limitata, cadentia sub obiecto adæquato intellectus angelici,

Contradictio ex Scoto soluitur.

lici,

lecti, siue separati: at secundo modo, nequaquam, quia habent pro termino Deum. Vtrumq; expressit Scotus loc. cit. quodlibet. inquiens, *Ad secundum. Vel limitatum, & ad se, vel si etiam est limitatum, & ad alterum, est naturaliter obiectum intellectus creati: sed entitas limitata in se, quae est essentialiter ad alterum illimitatum, non est naturaliter intelligibilis ab intellectu creato.* Replicabit, posset hoc modo Angelus v.g. si esset viator, vel anima separata, intueri visionem beatificam alicuius Beati, & mediante ea, naturaliter beatificari. Responsio patebit ex solutione argumentorum principalium.

16 Ex quo tamen deduxit Scotus, solam illam entitatem non posse naturaliter cognosci, quae habet pro termino Verbum, vt Incarnatio, & Deum, vt Trinitas, aliaque recensita, sequitur vt ex opposito, omnis entitas neque pro termino habens Verbum per vnionem hypostaticam, neque Deum, sub rationibus recensitis, sit vtique naturaliter cognoscibilis ab Angelo, & ab intellectu separato.

17 Ex hoc autem fundamento, Scotus eneruat fundamenta Aduersariorũ; aiunt namque, quod est supernaturaliter factibile, non est, nisi supernaturaliter intelligibile. negat Scotus absolutè hanc propositionem. Verum, vt amplius pateat quanti sit roboris, percurramus eam, afferendis instantiis, vnde deducitur non esse simpliciter veram. Et quidem creatio, prout est eductio de nihilo, fit à solo Deo, solius namque Dei est creare, attamen plerique asserunt, Aristotelem cognouisse creationem, quod nos attigimus tom. 1. de Trinit. At sumamus exempla clariora. Angelus, & Animae nõ possunt, nisi supernaturaliter à Deo produci, nulla enim creatura creare eos potest, & nihilominus Angelus, Animas, Angelosq; cognoscit naturaliter, ipsaq; Anima Animas &c. Item visio beatifica non potest, nisi supernaturaliter produci, attamen ipsemet Caetanus respondẽdo ad Scotum, fatetur posse, vt diximus, quoad entitatem, naturaliter cognosci. Insuper Caeli, tales, quales, & quanti sunt, cum tot astris, ac influendi virtutibus, non possunt, nisi supernaturaliter produci, & nihilominus naturaliter intelligitur, imo sẽsibili, & oculari aspectu conspiciuntur ita de pluribus; facile n. est adinuenire exempla plura ad hoc.

Supernaturaliter factibile non est nisi supernaturaliter intelligibile, declaratur.

18 Fundamento hoc eodem eneruatur fundamentum aliud Thomistarum, est autẽ id, quod habet D. Thom. 1. par. q. 12. art. 4. vbi ait, *Obiectum naturaliter cognoscibile quiditatiuè, non debet excedere potentiam in modo essendi.* An autem sit verum, patere potest ex instantiis, relictis autem instantiis aliorum, sic arguitur, Deus, tanquam primum principium, & tanquam causa prima illius Mundi, seu tanquam Author Naturae, cognitus fuit naturaliter à Philosophis, ac praecipuè ab Aristotele, inquiente 12. Metaph. *Entia nolunt male disponi, vnus ergo Princeps.* at Deus superat naturam intellectus creati, ipse enim est infinitus, hic finitus &c. Item, Anima etiam cõiuncta, naturaliter intelligit Deum, ex creaturis colligẽdo cognitionem naturalem Dei. Rursus, potest naturalibus rationibus efficaciter demonstrari reperiri Deum, iuxta ea, quae diximus tom. 1. de Trinit. Praeterea Anima intelligit Angelum, at Angelus superat entitatem Animae, cum sit essentialiter, perfectior eo. Angelus inferior naturaliter intelligit Angelum superiorẽ, specificè distinctũ ab eo, & essentialiter perfectiorem eodem. Addunt alij, si lumen gloriae esset v.g. essentiale intellectui creato, atque eidem connaturale, vtique visio diuinae Essentiae esset illi connaturalis, quia sequeretur ad causam cõnaturalem, & nihilominus, etiam tunc Deus in essendo excederet potentiam intellectus creati. ex his, & consimilibus, non sequitur cõtra Scotum, obiectum superat in essendo naturam intellectus creati, ergo non potest naturaliter cognosci ab eo.

Obiectũ naturaliter cognoscibile non dẽt excedere potentiam in modo essendi, an verũ.

19 Ac denique, fundamentũ, quod assumunt, Intellectum angelicum non recepisse species misteriorum supernaturalium, & propterea, nõ posse ea naturaliter cognoscere, sicut nec aliundè ab obiectis talibus possunt species abstrahere: aiunt enim Thomistae, rerum omnium naturalium concreatas fuisse species Angelis, non tamen misteriorũ gratiae, & propterea nequisse Angelos miste-

misteria hæc naturaliter intuitiuè videre: quod si dixeris, intelligi tamen per species receptas à talibus mysterijs, respondet, carere intellectu agente, nec posse species à rebus acquirere: Fundamentum, inquam hoc, nec Scotus admittit, eo sensu, quo vidimus supra quæst. 4.

Supernaturalia non cognoscuntur naturaliter ab Angelo quæ sunt in Eucharistia.

20 His habitis, dicendum Primo, loquendo de tribus primis recensitis in misterio Eucharistiæ, ea non possunt naturaliter cognosci, nec ab Anima separata, nec ab Angelo, ea autẽ sunt, Vnio diuini Verbi cum carne, & sanguine Christi: transubstantiatio panis in Corpus, & Sanguinẽ Christi: & collatio gratiæ dignè sumentibus. Ratio petenda est ex suppositis, vnde breuiter, & efficaciter arguitur, omnis entitas habens pro termino, seu obiecto in ordine supernaturali, Deum, superat attingentiam naturalem creati intellectus: talia autem sunt ista tria; patet Primò, quia Vnio terminatur ad Verbum: Gratia habet pro vltimo fine supernaturalẽ beatifico Deũ, est enim gratia, & iustificatio medium ad salutẽ, & gloriam, cuius obiectum est Deus. Transubstantiatio item habet pro termino idem Verbum humanatum, quia Christus succedit loco panis, & vini: ergo iure merito, hæc nequeunt naturaliter intelligi: at in vlteriori probatione non est immorandum, cum assertio sit communis.

In Eucharistia quæ sunt naturaliter ab Angelo cognoscibilia.

21 Dicendum Secundo, loquendo de tribus subsequentibus, potest Angelus, naturali virtuti suæ relictus, naturaliter cognoscere quiditatiuè, seu intuitiuè illa omnia: ea autem sunt, existentia Christi: desitio panis, & vini: & accidentia remanẽtia, sine subiecto. est Scoti, & eorum, qui supra. Probanda autem sunt singula. Et Primo, omne ens creatum, non habens pro termino, seu obiecto Deum, vt explicatum est, potest naturaliter intelligi, etiã intuitiuè, ab Angelo: at existentia Corporis Christi in Eucharistia, est quid creatum, quia præsentialitas illa ad species, est quid creatum, ergo erit naturaliter intelligibilis ab intellectu angelico: Probatur antecedens, Ens namque creatum, non habens pro termino Deum, est obiectum naturaliter intelligibile ab intellectu creato?

22 Ratio hæc est vniuersalis ad omnia talia: in speciali tamen, descẽdendo ad subiectam materiã, sic arguitur, Anima Christi Domini cognoscit naturaliter se esse vbicunq; est: at est in Eucharistia, vna cũ corpore, ergo naturaliter cognoscit, ibi esse cum corpore, quod si potest præstare hoc Anima, inferioris naturæ ad Angelum amplius, nec minus, præstare poterit idem Angelus. Item existentia non est perfectius cognoscibile, quàm sit suũ existens: at Christus est cognoscibilis ab intellectu creato, secundum humanitatem, ergo non minus erit cognoscibilis existentia eius, seu præsentia in Sacramento Altaris. Insuper, si quid impediret Angelum à tali cognitione, præcisè esset modus ille sacramentalitèr existendi, at hoc nõ debet impedire, ergo: probat Scotus min. Modus accidẽtalis rei non impedit cognitionem rei, a sẽ, nisi in intellectu coniuncto, & alligato sensibus, solent namque plures accidentia, & modi essendi, impedire: at intellectus angelicus caret sensibus, ergo modus ille non potest impedire, quin videre valeat Corpus Christi. Confirmatur, *Sicut res se habet ad esse, sic ad cognosci, seu ad cognoscibilitatem* ex 2. Metaph. t. cap. 4. at substãtia est prior omni accidenti, omnique modo essendi, ergo Angelus, ordinatè intelligendo ea, quæ sunt in Christo in Sacramento, prius intelligit substantiã Christi, inde vero, modũ essendi ipsius Christi, vtputa, modum sacramentalitèr existendi. Item, si Angelus esset in puncto, posset vtique ab altero Angelo naturalitèr videri: ergo, dum Christus nõ est in Sacramento extensiuè, & dimensionalitèr, poterit ab Angelo videri. Confirmatur, modus existendi sacramentalitèr nõ addit corpori existenti in Altari, nisi esse sub accidentibus absconditum, & coopertũ, at hoc nõ impedit, quominus Angelus videat Corpus Christi: prob. autec. quia quod est in puncto nõ est ibi extensiuè, sicut punctus non est extensus; & sicut in puncto existens, est totus in toto, & totus in qualibet parte, vt ita dicam, puncti, sic Christus in Sacramento, est totus in tota, & totus in qualibet parte

hostiæ:

hostiæ: & probatur minor, substantia panis est cooperta accidentibus, loquendo extra Sacramentum, attamen non propter hoc impeditur Angelus à cognitione intuitiua substantiæ ipsius panis, accidentia namque impediunt visionem corpoream oculi nostri, atq; visionem intellectualē intellectus coniuncti pro statu isto: igitur nec modus iste accidentalis sacramentalis præpediet Angelum à naturali visione Corporis Christi. Hæc q; Corpus Christi.

Cognoscere pot desitionē panis

23 Modo probātur reliqua. Probatur autem cognoscere naturaliter desitionem panis. Virtus potens naturaliter cognoscere obiectū, dum est præsens intuitiuè, potest etiam cognoscere naturaliter eius absentiam ex 2. de anim. probatur, nam per visum cognoscimus lucem, & tenebras: at intellectus angelicus cognoscit naturaliter ante consecrationem, esse in hostia substantiam panis, ergo & post consecrationem cognoscet naturaliter desitionem panis. Confirmatur, quia neutrum transcendit naturalem intelligentiam Angeli, nec præsentia, nec absentia panis. Hinc vero sequuntur alia duo, vt cognoscat præsentiam Corporis, & existentiam accidentium sine subiecto: Probatur, cognoscit ibi esse accidentia, & cognoscit non esse ibi subiectum panis, ergo cognoscit accidentia existere sine subiecto. Item, cognoscit esse ibi Christi Corpus, vt remanet probatum, ergo à primo ad vltimum, cognoscit illa tria, vt promisimus.

24 Pro cōfirmatione tandem conclusionis in se, arguit denique Scotus, inquiens, Virtutes Theologicæ, vt Fides, Spes, Charitas, sunt in determinata specie qualitatis, & secundum multos Angelus habet naturaliter principia cognoscendi omnes species entium, ergo & habet naturaliter principia cognoscēdi omnes species entium, ergo & habet naturaliter principia cognoscendi istas virtutes.

25 Caetanus, vna cum cæteris, duas adhibet responsiones ad omnia prædicta. Prima est, falsum esse, quod omne ens creatum sit obiectū naturaliter attingibile ab Angelo: etenim, solummodo ens creatum naturalis ordinis est obiectum attingibile, non autem quod est ordinis supernaturalis: applicando autem, inquit existentiam Christi in Altari, esse ordinis supernaturalis. Secunda, non potest Angelus hæc, & similia naturaliter attingere, quoniā nec speciem desumere potest ex eis, nec species eorū habuit concreatas ab initio.

26 Responsiones istæ remanēt plenissimè euacuatæ ex fundamentis præiactis, iam enim ostensum fuit in quonam consistat naturalitas, & supernaturalitas cuiuscunque rei: Ostensum insuper remāsit, posse speciem à rebus accipere, ex q. 1. & 4. vnde his duobus fundamētis applicatis, euacuantur eius responsiones, ac cæterorum, quæ quidē clara sunt vt addiximus, itaut non sit opus ea amplius repetere.

27 Idem Caetanus, singulariter respondendo ad illud, quod Anima Christi Domini cognoscit naturaliter se, & suum Corpus esse in Altari, inquit, Animam Christi esse excipiendam ab hac regula, quoniam ad Animam Christi spectat id videre, atque naturaliter intueri modum essendi sacramentalem, sicut cogitationes proprias Angelus intelligit, & videt, quia spectant ad ipsum, attamen alter Angelus non ipsas videt: ita alteri quidē intellectui creato minimè notus est modus iste sacramentalis, est vero naturaliter notus Animæ Christi Domini. Respōsio hæc Caetani destruit totam positionē Thomistarum, fundamentum enim eorum hoc est, modum illum nullatenus posse ab intellectu quocunque creato naturaliter intueri, Caetanus autē illud destruit, quia concedit hoc Animæ Christi: hinc verò necessario deducitur, posse Angelū naturaliter intueri: prob. non est maior ratio de intellectu creato Christi, attēdo in naturalibus, quam de intellectu Angeli: at ille potest de se naturaliter, ergo potest & Angelus. Imo arguitur à fortiori, intellectus Angeli in naturalibus excedit (sistendo in pura natura) intellectum Animæ Christi, ergo si intellectus Animæ Christi videt, videbit multo perfectius Angelus. Insuper destruit Caetanus id, quod dixerat, modum hunc sacramentalem esse ordinis supernaturalis, probatur, modus iste (per eum) videtur naturali-

-ter ab Anima Christi, ergo continetur sub obiecto adæquato naturali intellectus creati, prob. conseq. alias si non cótineretur sub obiecto adæquato, intellectus creati, iam nō posset ab Anima naturaliter intueri: Ergo rursus, nedum Anima, sed quicunque intellectus siue angelicus, siue humanus separatus, & non impeditus, poterit naturaliter intueri existentiā Christi. Nec Caetanus fundamentū probabile habet, eximendi cæteros intellectus, dum concedit Animæ Christi posse naturaliter, modum tale videre. Videat Caetanus quanti valeāt suæ responsiones.

Vidēs rem, videt & modum eius.

28 Et confirmatur, videns rem, videt & modum rei, quomodo namque videre possum scripturā istam, nisi videam, & modum eius, modum characterum, apicum, & scriptionis? videndo quoque albedinē in pariete, video & modum extēsionis, atque figurationis eius in pariete: sicut videndo v.g. Angelus alium existentem in puncto, videt & modum suæ existentiæ, vtpotè non esse ibi extensę, diuisibiliter &c. ita à pari, videndo Angelus existentiā Christi ibi, videt quoque & modum sacramentalem, quo existit ibi. Hoc est directè contra eundem, ait enim, quod & si Angelus videat existentiam Christi in Sacramento, non tamen videt modum existendi ibi. Hæc ex Scoto, loquendo de intellectu angelico non impedito, nec humano coniuncto sensibus.

29 Dices, non sequitur necessario præsentia Christi ad species sacramentales, ex eo, quod desinit ibi esse panis: ergo necessario infertur, quod Angelus videat ibi Corpus Christi: Probatur antec. quia posset panis desinere esse, accidentia stare sine subiecto, & non fieri ibi præsens Corpus Christi, potest enim Deus facere hæc omnia. Respond. vtique Deus posset hæc omnia facere, attamen iam decreuit, ad desitionē panis, apponere ibi Corpus Christi, qua lege stāte, & posita in executione, bene Angelus cognoscit ibi existentiam Christi.

Intellectus coniunctus nō pōt videre existētiam Corporis Christi in Eucharistia intuitiuè.

30 Dicendum Secundo, loquendo de intellectu coniuncto, & alligato sensibus, nequaquam potest videre existētiam Christi intuitiuè in Sacramento Altaris. Est Scoti, & communis omnium. De facili autem suadetur, intellectus coniunctus pro statu isto, non mouetur, nisi ex sensibilibus, at per nihil sēsibile in Sacramento Altaris potest moueri intellectus talis ad cognoscendum Corpus Christi, ergo: probatur minor, species panis, & uini, eodem modo se habent in Sacramento post consecrationem, ac erant ante consecrationem, ratio, quia remanet idem color, idem sapor, idem odor, eadem magnitudo, quantitas, figura &c. at ante consecrationem accidentia hæc non ingerebant cognitionem Corporis Christi, ergo nec nunc post consecrationem.

Potest abstractiuè.

31 Dicendum Tertio, quod licet intellectus coniunctus non possit præsentiam Christi in Sacramēto cognoscere intuitiuè, potest tamen abstractiuè. Est eiusdem Scoti. Probatur, impossibile est cognosci aliquam complexionem, nisi præcognoscantur extrema complexionis: at quilibet intellectus creatus potest complexum hoc, Christus est in Eucharistia naturaliter intelligere, si ab aliquo ei proponatur, ergo intelligere naturaliter potest illud cognitione abstractiua.

Abstractiua præsupponi intuitiuam declaratur.

32 Dices, cognitio abstractiua præsupponit intuitiuam, at non habemus de Christo in Sacramēto cognitionem intuitiuam: ergo nec habere possumus abstractiuam. Respondet Scotus, quod D. Augustinus 8. de Trinit. cap. 4 & 5. docet, quomodo habeamus fidem de Christo, cum ipsum non viderimus: ait enim, quod hoc fit, mediātibus quibusdam cōceptibus communibus, abstractis à singularibus, quos deinde Christo tribuimus: v.g. video hominem alioqui peritum, & sapientem, conuocare discipulos plures, eosque docere, ac imbuere sapientia sua: cursu autem temporis, aliquem ipsorum, prodire Magistrum, vendere, tradereque, osculi proditorii signo, in manus inimicorū: à quibus inde flagellatus, spineisque coronis capiti impositis, fuerit tandem crucifixus &c. ex his, similibusque, quæ penès homines contingere solent, surgimus ad sic discurrendum de Christo &c. ita ad propositum, ex eo quod videmus aliquid esse in alio, vel tan-

Quō fidem habemus de Christo, cū eum non viderimus.

quam

quam contentum in continente: vel tanquam signum in signato, vel tecti in tegente, ex conceptibus communibus, surgimus ad, eo modo, quo possumus, abstractiuè concipiendum, Christum suo sibi modo conuenienti, esse in Eucharistia.

33 Dices tamen, si modus iste, sic abstractiuè cognoscendi, esset rationabilis, possemus vtique in multos incidere errores circa Christum, probatur, quia si cognitio abstractiua desumenda est penès conceptus communes, repertos in creaturis possemus attribuere ei, formam, v. g. & staturam giganteam: colores, alioqui ineptos, repertos in creaturis, & plura huiusmodi, reperta in creaturis, que tamen indigna forent attribui tanto Filio Dei, de quo Sponsa Cantic. 4. ait, *Dilectus meus candidus, & rubicundus, electus ex millibus*. Respondet Scotus, inquiens, *Nihil interest ad Fidem nostram, vtrum erremus in quibusdam conditionibus singularibus conceptis de Christo, quia Fides nostra nō respicit per se illas conditiones singulares proprias, sed aliquem hominem singularem, cuius enim notitia potest nobis in fieri ex notitia cuiuscunque singularis hominis*. hec Scotus sub lit. B. licet autem hec ita se habeant, nihilominus non sunt de Christi Corpore suspicanda absurda recensita, erat enim pulcherrimus omnium, iuxta recensitam frasim Sponsę, *Dilectus meus candidus, &c.*

An permissi possit aliquis error circa conditiones Corporis Christi.

34 Dicendum Quarto, Beatus non videt necessario Corpus Christi existentis in Eucharistia, per suum actum beatificum. Est Scoti sub lit. H. *Tertia conclusio*. Afferam tamen verba Scoti, vt constet, sic eius mentem esse explicandam, vt proposuimus, ait enim *Tertia Conclusio est, quod intellectus beatus nullo modo per actum beatificum videt Corpus Christi in Eucharistia*. Quęri autem posset à Scoto, vnde nam scis, Beatos non videre per actum beatificum Corpus Christi, an via, & cognitione naturali, an reuelatione? Igitur sensus suę propositionis erit, vt non videat necessario, si videt, sed per accidens, ratio huius est eadem, quam affert Scotus, probat ergo sic, si videret, idest necessario, & tanquam per se, atque essentialiter requisitam ad beatitudinē, videret quoque cętera Sacramenta, siue effectus cęterorum Sacramentorum, vt puta, Collationem gratię in Baptismo, Confessione, sic de singulis: at visio istorum non spectat per se, & essentialiter ad beatitudinem, ergo nec Sacramenti Eucharistię. Additq; Scotus, inquiēs, *Addo quod multo minus requiritur ad beatitudinem, quod Beatus videat existentiā Corporis Christi, in genere proprio, quia multò minus ad beatitudinem requiritur talis perfectior visionis, quam visionis in Verbo*. hec Scotus. Quod si vrgeas, Fidei succedit visio, respondet ibid. lit. O. ad vltim. argum. dicens, *Quod est verum, loquendo de obiecto principali Fidei, quod est Deus trinus, & vnus, sed non de omnibus aliis, respectu quorum est Fides, alioquin videret semper in Verbo Incarnationem, Natiuitatem, Passionem, &c. quę non sunt necessaria, vt videantur in verbo, nec in se, ad hoc, vt aliquis sit Beatus*. Hęc ibi. idemque habet in 3. d. 31. quęst. vnic. litera H.

Beatus per actum beatificū an videat corpus Christi in Eucharistia

Fidei succedit visio, declaratur.

35 Quę hucusque dicta sunt, locum habent, postquam misteria gratię sunt posita in actu: de his enim loquitur Scotus: non tamen antequam ponantur in actu: ratio, quia ea recondita sunt in Thesauro scientię Dei, & voluntatis diuinę; quid autem Deus sit facturus, quid volet, quid ve sit voliturus, quis potest scire? quis enim nouit sensum Domini? vnde cap. 9. dicitur, *Quis hominum scire poterit consiliū Dei, aut quis poterit cogitare quid velit Deus cogitationes enim mortalium timida, & incerta prouidentia vestra*.

ARTICVLVS II.

Vtrum cognoscere possit misterium Incarnationis naturaliter.

1 SVperest de misterio Incarnationis inquirere an possit quoque illud intuitiuè videre Angelus? Responsio vtique est negatiua: & est communis omnium. Est vero, & si nō in terminis, tamen in substantia, eiusdem Scoti, is namque quodlib. ett. sic ait, vt etiam retulimus, *Entitas limitata in se, quę est essentialiter ad alteram illimitatam, non est naturaliter intelligibilis*, hęc sub

Incarnationis misterium nequit Angelus cognoscere naturaliter.

"sub dupl. GG. Hinc autem ipse tacito negat posse Angelũ naturaliter attingere, quoniam inquirẽdo Scotus, qualenam obiectũ pōt naturaliter attingere Angelus, ait, illud, quod nõ habet pro termino aliquid illimitatum, ait enim ibidem, *Ens limitatum, & ad se, vel si etiã est limitatum, & ad alteram tamen limitatum, est naturale obiectum intellectus*, hęc Scotus, ergo hinc expresse deducitur, negare Scotum de misterio Incarnationis, quoniam terminus dependẽtiæ humanæ naturæ est quid illimitatũ: ac propterea fundamentum hoc supra præmisimus, vt excluderemus ab angelica naturali intuitione misterium Incarnationis. Hæc est vera, & germana mens Scoti: vnde errat Vasquez oppositum sentiens de Scoto, vna cum Hurt. Mendoz. de Incarnat. disp. 8.

2 Scio autem inter Scotistas non esse concordem sententiam circa hoc de mente Scoti, quandoquidem Angles disput. 3. quæst. 4. difficult. 2. & Aretin. in 4. d. 10. q. 8. aliũ, Scotum velle, quod Angelus posse Incarnationem quoq; cognoscere naturaliter. Rada 2. par. controu. 8. conclus. 5. ait, *posse ab Angelis cognosci naturaliter, per illationẽ euidentem*. Cum vero sit Rada optimus Scotista, confundus est, id asserere velle ad mentẽ Scoti, vt talis etiam sit mens Scoti. Accedit ad hos Vasquez 1. par. disput. 214. cap. 4. similiter loquens de Scoto, vt velit, posse cognoscere.

Scotistarũ sententia de Scoto.

Incarnatio non potest ab vlla creatura naturaliter cognosci.

3 Nos in primis dicimus, misteriũ hoc non posse à creatura vlla naturaliter cognosci. Ratio, quia non potest cognosci relatiò, nisi cognoscatur & terminus: nec cognosci potest dependentia, nisi cognoscatur & terminus dependentiæ: at Verbum, quod est terminus dependentiæ naturæ humanæ non potest naturaliter cognosci, ergo nec dependentia, & consequenter nec ipsum Incarnationis misterium. hæc est vera, & vrgentissima ratio. Probat Rada, si Angelus cognosceret intuitiuẽ Verbum in hoc misterio, tunc beatificaretur in eius visione, ergo non cognoscit hoc misterium, ne videndo Verbum, beatificetur. Probatio ista non viget, etenim si videret Verbum, non ideo sequeretur beatificatio, ratio, quoniam Verbum, seu obiectum beatificum, si vult, videtur, si non vult, non videtur, est namque speculum voluntarium, vnde posset Verbum non se manifestare sub ratione obiecti beatifici, sed sub alia ratione. Item, quamuis Christus fuerit ab instanti Incarnationis Beatus, tamen id, quod primũ cõcipimus in natura humana Christi est vnio ad Verbum, quæ quidem fuit fons inde gratiæ, & gloriæ, ex Scot. 3. d. 2. q. 2. ergo Angelus intuendo misterium hoc, haberet pro obiecto Verbum sub ratione subsistentificantis dependentiã naturæ humanæ, hoc namque est primum ibi, præcipuè in via Scoti non admittentis ibi aliquod medium. Probant alij non posse, quia cognosceret Angelus Trinitatem. Probatur, cognoscendo Verbum, cognosceret Filium: cognoscendo Filium, cognosceret & Patrem: cognoscẽdo Patrem, & Filium, cognosceret & Spiritum sanctum, tanquam terminũ amoris mutui inter Patrem, & Filium, sunt enim omnia hæc correlatiua, ergo cognosceret naturaliter Trinitatem. Sed nec probatio hæc vrgeret, quoniam cognosceret v. g. Verbum, nõ vt Verbum, nec vt Filium, sed vt personam vnam subsistentantem naturam, hoc enim exquiritur Primo in hoc misterio, persona subsistentificans Naturam.

4 Secundo dicimus, Scotum negare, posse cognosci naturaliter à quocunque intellectu creato. Hoc patet ex quodlibeto allato.

5 Tertio dicimus, posse Angelum cognoscere quidem illatiuè misterium hoc, nõ tamen per illationem euidentem, & necessariã. Prima pars est multorum, & Secunda est contra Radam. Vnde dico, posse fieri de hoc misterio illationem, attamen illationem sorte topicam, nõ demonstratiuam, nec euidentem. Probatur, videt v. g. Angelus Naturam hanc non dependere à proprio supposito, ergo videt dependere à supposito diuino? negatur consequens, quia posset per Dei potentiam vniri supposito alteri creato ex Scoto in 3. d. 1. q. 4. Item videt Angelus, non dependere nec à proprio, nec ab alieno supposito creato, ergo inferre deberet; depẽdere à supposito Verbi increato? qualis quæso est ista illatio?

Potest naturaliter cognosci per illationẽ topicam.

Vtrum

verum euidens, & manifesta. dicat, & referat qui talem dependentiam naturaliter videt; vnde negari posset consequentia, quia posset Deus naturam hanc conseruare absque omni supposito tum proprio, tum alieno creato, tum diuino, & increato, cōseruat enim accidentia in Altari sine subiecto, conseruare, & potest substantiam singularē absque omni supposito: hinc constat, illationem posse quidem fieri, at non esse euidentem. Rada vrget: Natura cōpleta nata est subsistere necessario, siue in proprio, siue in alieno supposito, ergo, dum videt non subsistere in supposito creato, subsistere cognoscet in supposito diuino. Item, misterium hoc, positum est in actu, ergo viribus naturę est cognoscibile, dum igitur cognoscit carere omni supposito creato, euidenter infert, substantificari supposito increato.

Naturę dependentia à supposito qualit. & euidentia.

Ad Primū & si ita competat naturæ, attento communi, & ordinario influxu, & concursu Dei, seu attenta lege communi, seu potētia ordinata Dei, tamen per potentiam absolutam posset naturam suspendere ab omni supposito: exemplum adest in accidentibus Altaris, quæ quidem de lege ordinaria postulāt dependentiam ab subiectum, & substantificationem ab eo, attamen de lege absoluta, in casu speciali, absoluuntur ab inhærentia actuali ad subiectum. Ad secundum negatur consequēs, quamuis enim sit positum in actu quia tamen habet pro termino ens illimitatum, vt loquitur Scotus, seu Verbum, quod non est naturaliter cognoscibile, hinc non potest euidenter inferri tale misterium, vnde sufficit, posse quidem aliquo modo topicè inferri, non tamen illatione euidenti, & necessaria: An vero possit naturaliter cognosci possibilitas huius misterij, videbitur in Tract. de Incarn.

Natura per Dei potentiam suspendi possit ab omni supposito.

6 Dices, Scotus contrarium asseruit, etenim exponens Ambrosium in cap. 1. Lucæ, dicentem, *Malignum Spiritum latuisse Incarnationis misterium*, ita ait ad quartum, *Si absolutè permittatur, quicunque Angelus malus sui potentia sua cognitiua naturali, potest intelligere quodcunque intelligibile causatum, & per consequens posset intelligere cogitationes cordium, & misteria gratiæ.* Et infra subdit, *Sic ergo supponitur, quod non permittatur videre misteria gratiæ.* Pergit inde, *Et sic exponenda est auctoritas Ambrosij de misterio Incarnationis, nō absolutè, quia quilibet Angelus malus posset videre, vel cognoscere integritatē Mariæ, tam in mente, quam in carne, sed non fuit permissus propter certas causas, ne impediretur redemptio, si enim cognouissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent*, idest, ait Scot. *nunquam eius redēmi eius morte procurassent.* Respondetur, quod Scotus non loquitur absolutè de substātia Incarnationis, siue de Incarnatione quoad substantiam, de hoc enim nunquam fuit eius mens, docere, quod Angeli siue boni, siue mali possint naturaliter habere cognitionem, vt vidimus, sed loquitur de misterio Incarnationis quoad circunstātias, inter quas aderat circunstantia integritatis, Beatissimæ Matris Virginis Mariæ, & loquendo de virginitate eius, bene poterat Angelus naturaliter cognoscere, Beatissimam Matrem esse Virginem, hoc enim nō superat captum, & intelligentiam Angeli: de hac ergo Scotus loquitur, quod suæ virtuti relictus poterat malus Angelus cognoscere, at Deus non permisit vt cognosceret, ne impedita fuisset redemptio, iuxta Paulum 1. Cor. 2. *Item vt partus celaretur Diabolo*, vt Martyr Ignatius ait; stat ergo mens Scoti, nequaquam cōcedere, quod Angeli intuitiuè possint videre misterium Incarnationis.

Diabolus an nouerit Incarnationis misteriū.

Partus Virginis quare celatus Diabolo.

7 Atque hinc vltimo cōcluditur, quod quamuis, quæ diximus de misterijs alijs, excepto Incarnationis, vera sint, tum de bonis, tum de malis Angelis quoad potentiam, & virtutem ea cognoscēdi, nihilominus idem Scotus limitat de facto ad solos bonos, de malis namque ait, vna cum Magistro, impediri à Deo, ob bonum finem, vt testabatur Paulus, Hieronymus, & Ignatius recensiti.

8 Dices, Dionysius de malis Angelis ait, quod *Eorum naturalia remanserunt integra.* ergo poterunt ipsi quoque. Resp. remanserunt quidem integra, at impedita: vnde remanserunt integra in actu primo, impedita in actu secundo.

AR-

ARTICVLVS III.

Soluuntur argumenta Articuli Primi.

1 His actis, soluenda remanent opposita initio allata. Et Primo ad rationem D. Thomæ, iam constat quid dicendum, ob instantias aduersus eam allatas, quæ sūt optimæ solutiones illius primæ rationis. Ad Secundam, iam patet ex quæst. anteced. negandum esse assumptum. Et ad Tertiam, loquitur Paulus ad sensum superius explicatum, de misterijs supernaturalibus quoad substantiam, vt Trinitatis, Incarnationis, &c. vel de intellectu coniuncto, ac dependente à sensibus. siue de malis Angelis impeditis à Deo: Verius est tamen, quod loquatur de intellectu coniuncto, seu de hominibus, quandoquidem exemplum affert nō de Angelis, sed de hominibus ergo nō loquitur de Angelis: quod si sermo sit generalis Angelos, hominesq; comprehendens, dicatur, vt diximus.

Misteria aliqua supernaturalia qualiter sūt supra naturam.

2 Ad argumēta Suarij, ad Primum dicimus, misteria hæc, de quibus Scotus loquitur, esse quidem supra naturā quoad effectiuitatem, nō autem quoad attingibilitatem: Constat Primū quia Eucharistia, & huius generis effectiuè non sunt, nisi à solo Deo, attamen possunt naturaliter attingi ab intellectu angelico. Ad Secundum negatur cōsequens, potest namque species, quas non habuit ab initio, recipere ab ipsismet obiectis, & ita cognoscere. Ad Tertium negatur antecedens: & ad probationem, species debent quidem esse eiusdem ordinis, siue proportionatæ cum obiectis in repræsentando, non tamen est necesse proportionari in attingendo, & illud sufficit. Item sufficit esse proportionatas in repræsentando, nō autem in essendo, cum species substantiæ proportionetur quidem in repræsentando, at non in essendo, cum species sit accidēs, non substantia, siue non est opus proportionari in efficiendo, quia ens creatum, licet non possit, nisi supernaturaliter poni in actu, nihilominus iam positum, causat naturaliter speciem sui, patet, quia accidentia supernaturali virtute stant absq; subiecto, attamen, etiam nunc, vt prius, causant cognitionem, & speciem coloris, quantitatis, odoris, saporis, &c. sic de corpore supernaturaliter posito in Eucharistia, videtur naturaliter à sua Anima, vt probauit Scotus, & concessit etiam Caietanus, sicque de Angelis. Ad Quartum, sermo hic est, non de specie sensibili ad oculum corporeum, quomodo dicebat OKam, quod Christus in Eucharistia emitteret species visibiles ad oculum, nisi Deus impediret, sed de specie intelligibili emissa ad intellectum: cum autem ait esse supernaturalem, ac proinde nō naturaliter intelligibilem, negatur consequens, est enim misterium hoc, supernaturale quoad causalitatem, non autem quoad attingibilitatem. Ad Quintum, non omne credibile, seu non omne, quod est obiectum Fidei est solum supernaturaliter attingibile, namq; vnitas Dei, & Deū esse, est obiectum Fidei, & tamen Aristoteles in ratione primi Motoris, & vltimū finis naturaliter ea cognouit, cum pluribus Philosophis; Ad propositum autem, Eucharistia est obiectum merè improportionatū intellectui alligato sensibus, & propterea est illi solummodo credibile, at modo iam explicato, existentia ibi Corporis Christi est ab Angelo naturaliter attingibilis. Ad Sextum negatur vt sup. consequēs. Et ad Septimum, concedimus hac ratione esse omnino supra naturam, quia nullius est Debitur Deus, atque sic misteria gratiæ, nulli sunt debita, si enim gratia est ex debito, siue ex meritis, iam nō est gratia, inquit Apost. at non propter hoc Angelus non potest plura eorum intuitiuè cognoscere.

Species debet esse proportionata obiectis declaratur.

Eucharistiæ misterium qualiter est supernaturale.

An omne credibile sit solum supernaturaliter cognoscibile.

3 Ad Vasquez, iam remanet explicatum, sub cognitione tali angelica non includi misterium Incarnationis.

4 Ad Molinam, ea, quæ affert, militant etiam, vt de Vasquez, de misterio Incarnationis, vt clarè ostendunt authoritates, quas affert: Quod si ad alia quoque misteria se extenderent, vel loquuntur de intellectu coniuncto: vel de misterijs, antequam ponantur in actu, vel aliter, vt supra, loquuntur autem Patres de misterio Incarnationis, at iam diximus illud Angelos ignorare. Scriptura item ista habet alias expositiones &c.

Factibile solum supernaturaliter, an sit cognoscibile naturaliter.

5 Ad rationes autem ex Scoto in oppositum, ad Primam negat consequentiam, non enim sequitur, est factibile supernaturale, seu nō est factibile, nisi supernaturaliter, ergo non est cognoscibile, nisi supernaturaliter: & cū dicitur, est ens supernaturale, ergo cognoscibile supernaturale: neg. conseq. nam supernaturale in antecedēti dicit ordinem ad causam supernaturalem; at in consequēti dicit ordinem ad intellectum: Item, quemadmodum factibile naturale, & cognoscibile, tum naturaliter, tum supernaturaliter, ita factibile supernaturale est cognoscibile, tum supernaturaliter, tum naturaliter.

Fidei cognitio an excellentior cognitione naturali.

6 Ad Secundum ait Scotus, *Propositio hac est falsa, quodcunque cognitū per fidem excellit quodcunq; cognoscibile naturaliter loquendo de intellectu abstracto, vera est tamen de intellectu coniuncto pro statu via: unde nobis est necessaria fides, nō autē illi intellectui abstracto, ratio, quia Angeli intuitiuè potuerunt naturaliter cognoscere Christū pati, & mori, sicut poterant naturaliter cognoscere ipsū viuere vita humana: nos autem de illa morte habemus cognitionem Fidei: illa autē cognitio intuitiua, multo perfectior est nostra ænigmatica: ita dico de existentia Corporis Christi in Eucharistia.* hæc Scotus. In terminis vero respondēdo ad maiorem, cognitio Fidei est quidē excellentior cognitione naturali, quia illa est firmior, certior, verior, quandoquidem Fidei non potest subesse falsum, at falsū subesse potest cognitioni naturali: itē cognitio Fidei est excellentior cognitione naturali, spectando intellectum coniunctum dependentē à sensibus, at nō est perfectior spectando intellectum abstractum, quoniā cognitio Fidei est obscura, & ænigmatica at cognitio intellectus abstracti est clara, & intuitiua.

7 Ad Tertium, responsio patet ex dictis, & ad aliud de eod. Damasc. dicēdum, quod loquitur de nobis.

8 Ad Quartum, patet ex dictis, loquitur enim Scotus de misterijs creatis, iam positis in actu, nō autem ante.

9 Ad Quintū negatur consequēs, quia actus ille beatificus, penès intellectum Angeli eum videntis, haberet rationem obiecti in sē, non rationem videndi obiectū, seu tendēdi in obiectum beatificum. Dices, actus ille beatificus dicit ordinem ad obiectum beatificū, ergo videns actum, videt & obiectum: Resp. 1. neg. conseq. Ratio, quia nō potest ordo ille ad obiectum, seu tendētia ad obiectū cognosci, nisi cognito obiecto, at intellectus, v. g. Viatoris, etiā abstractus, seu intellectus non Beatus, non videt obiectum beatificū, ergo nec videt ordinem, & tendentiam talis actus ad obiectum beatificū. Probatur, quia nō potest cognosci relatio sine termino, talis autem ordo, & tendētia est relatio. Resp. 2. ad hoc, vt fiat visio ab aliquo oculo, necesse est, vt species sit in illomet oculo, siue actus videndi informet eundem oculum, nō enim ego video per speciem visibilem, repertam in oculo Sortis, nec per actum videndi existentem in oculo Caij, sed per speciem & actum existentē in oculo meo, hinc ergo non sequitur, vt videns actū beatificum alterius, beatificetur, quia inhæret formaliter in intellectu eius, cū actus ille habeat rationem termini extra, non formę intra, forma enim denominat subiectum, in quo est, nō in quo non est. Resp. 3. actum illum dicere vtique ordinem ad obiectum beatificū, sed quatenus existit in intellectu vidētis per eum; nō tamen quatenus est terminus alterius intellectus.

10 Ad Sextū, Scotus ait, Fidem esse necessariā nobis dependentibus à sensibus, qui impediunt cognitionem talium veritatem: nō autem est necessaria Angeli intuitiuè videnti, non enim dependet à sensibus.

11 Dices, inde sequi, Aristotelē, sed quemcunque Philosophum alium, non potuisse naturaliter cognoscere, Deum esse, quia ex Scoto, terminus cognitionis est Deus; ipse autem ait, non posse naturaliter attingi ad id, cuius terminus est Deus. Respōsio liquet ex dictis, loquitur namq; Scotus de cognitione intuitiua, quam negat, non tamen de abstractiua, quam concedit.

Misteria supernaturalia quomodo sint improportionata intellectui.

12 Contra, inter potentiā, & obiectum reperiri debet proportio: at misteria gratiæ, & supernaturalia alia sūt improportionata intellectui creato: ergo. Resp. non proportionari effectiuē, siue in rōne principij productiui, cū à solo Deo fiant, proportionari tamen in ratione principij cognitiui, seu obiectiuo, vt diximus, & hoc abstractiuē.

QVAE-

QVÆSTIO XI.

Vtrum Angelis reuelatum fuerit misterium Incarnationis in via.

1 IN præcedenti quæst. art. 2. diximus, non potuisse Angelum naturaliter cognoscere misterium Incarnationis, nunc vero quærimus, an saltem illud cognouerit in via per fidem, ac reuelationem; & in Patria, per beatificam visionem.

2 Est sententia Magistri in 2. d. 11. qui de Angelis superioribus loquens, ait, ab initio recepisse per reuelationē, cognitionem misterij Incarnationis, licet non perfectē: perfectam tamen, cognitionem adeptos fuisse, completo iam misterio Incarnationis. De inferioribus vero Angelis inquit, nullam, antea habuisse, nisi peracto iam ipso misterio Incarnationis. Consētit Alensis par. 2. q. 26. mem. 1. Aymo super c. 3. ad Ephes. Xistus Senens. lib. 5. Bibliot. Annot. 199. loquuntur autem non de cognitione beatifica, sed de cognitione in via per reuelationem: ita quoque Gabr. in 2. d. 9. q. 2. art. 5. ex quibus aliqui aiunt, cognitionem recepisse non, quidem in instanti creationis, sed in, instanti confirmationis in gratia.

3 D. Thomas 1. par. q. 63. art. 5. inquit, Angelis quidē Beatis factam fuisse talem reuelationem: licet q. 46. art. 1. extendere videatur ad omnes, apertiùs vero in 2. d. 11. q. 1. art. 4.

4 Alij autem docēt, in vniuersum omnibus fuisse reuelatum, ita Lyran. super Isa. 6. Iacob de Valent. in Ps. 83. Catharin. opusc. de lapsu Angelorum, Carthus. ad loc. cit. Isaiæ. Viguer. in Instit. cap. 3. vers. 15. plures q; tum sententiarij cum Magistro ad locum citatū, tum cum D. Thoma ad 1. par. q. 63.

5 Nos duo præstabimus, Primum erit inquirere de cognitione per fidem, & Secundum, de cognitione in Verbo per visionem beatificam; sunt enim, membra distincta.

6 Circa Primum, imo etiam circa Secundum, adest sententia negatiua, nullo quidem pacto, nec per fidem, nec per visionem in Verbo cognouisse misterium ante sui adimpletionem: in, sententiā hanc descendit Chrisost. homil. 11. super Ephes. 3. ibiq; Oecumen. Theodor. Theoph. l. Cyrill. l. 2. in Ioan. cap. 3. Nissen. homil. 8. in Cant. ibique, Hieron. apertèq; Glosa ad 1. Timot. 3. Ambros. l. 1. de Instit. Virgin. cap. 5. Basil. Psalm. 23. Dion. de cœlest. Hierarc. cap. 7. ab ista vero generali assertione Bernardus excludit Gabrielē, inquiens, *Nulli Beatorum Spirituum, Deum, antequam Virgini, suum reuelasse consilium, excepto dumtaxat, Archangelo Gabriele.* Homil. 1. in *Missus est.*

7 Probant vero sententiam hanc, varijs Scripturæ locis: Et in primis ex testamento veteri; nam Psal. 23. habetur, quod ascendēte Christo Domino, & introeunte in gloriam, Angeli interrogauerunt, *Quis est iste Rex gloriæ?* Item Isa. 63. fit insuper interrogatio, *Quis est iste, qui venit de Edom, tinctis vestibus, &c.* Interrogatio autem supponit ignorantiam: ergo iam nesciebāt. Adsunt item & loca Pauli, is namque, Ephes. 3. ita loquitur, *Mihi autem omniū Sanctorum minimo data est gratia hæc in Gentibus Euangelizare inuestigabiles diuitias Christi, & illuminare omnes, quæ sit dispensatio Sacramenti absconditi à sæculis in Deo, qui omnia creauit, vt innotescat Principibus, & Potestatibus in cœlestibus per Ecclesiam sapientia Dei.* Hinc deducit Hieronymus, ac prædicti Patres, Angelos didicisse ex prædicatione Apostolorum: quod si Paulus appellat Incarnationem, *Sacramentum absconditum,* atque si sibi, inquit, collatā fuisse gratiam *Euangelizandi, vt innotescat Principibus, et Potestatibus in cœlestibus,* deducunt hinc Patres recensiti nusquā misterium hoc ipsos cognouisse ante, eius completionē. Item 1. Timoth. 3. sic scribit, *Magnum est pietatis Sacramentum, quod manifestum est in carne, iustificatum est in spiritu, apparuit Angelis &c.* Hæc quoad primam partem, spectādo Angelos secundum statū viæ.

8 Quoad Secundum vero, in ordine ad visionem beatificam, vt neque per eam viderint Incarnationem in Verbo, sic posset argumentari: Primo, Christus non est caput Angelorum, sed solius hominis, ergo non opus fuit ad beatificam Visionem videre Incarnationem. Antecedens est Chrisostomi homil. 1. ad Ephes. 1. atque Theophilacti: Driedonis tract. 2. de captiu. & redempt. c. 2. par. 3. art. 5. Scoti in 4. d. 49. q. 4. art. 2. & aliorum, vt in sequenti argumento. Secundo, Christus non meruit Angelis gratiam, & prædestinationem ad gloriam, ex Alensi 3. par. q. 13. art. 2. D. Bonau. in 3. d. 13. art. 2. q. 3. Et confirmatur, Christus meruit per passionem, & mortem, at non fuit incarnatũ Verbum, nec Christus fuit mortuus propter Angelos, sed *propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de Cœlis, & incarnatus est de Spiritu sancto, natus ex Maria Virgine, passus, mortuus, & sepultus est*, vt canit Ecclesia. Denique non redemit Angelos, *Nusquam enim Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ*, ex Paulo. Et confirmatur ratione, nam Visio Incarnationis non spectat per se ad obiectum beatificum ex Scot. in 4. d. 8. q. 10. ergo nec viderunt in Verbo.

probabilius est reuelatã fuisse.

9 Nihilominus Primo dicimus, valdè rationabilius est asserere, Angelis in via factam fuisse reuelationem Incarnationis, omnibus quidem, tum inferioribus, tum superioribus ab initio: Quale vero fuerit instans illud, vtrum creationis, an cõfirmationis in gratia; dicimus, potius fuisse ante confirmationem, alias, tenendo ipsam post initium cõfirmationis in gratia, sequeretur, nequaquã malis Angelis, vtpotè nõ confirmatis in gratia, factam fuisse talem reuelationem. Sententia hæc est communior, habetq; suos Authores, allatos supra.

Reuelatam ante confirmationẽ in gratia.

10 Probemus autem illam Primo, Angelis omnibus datum fuit præceptũ adorandi Christum Dominum, iuxta phrasim Pauli ad Hebr. 1. *Et adorent eũ omnes Angeli eius*. igitur collata iam fuit omnibus cognitio eiusdem Christi. Secundo Christus meruit Angelis, tum collationem gratiæ, & iustificationem, tum vero prædestinationem, vt docet Gregor. l. 1. Reg. cap. 2. inquiens, *Nullus hominum, aut Angelorum est sanctus, nisi per Christum*. Fulgentius l. 2. aduers. Trasimund. c. 2. inquiens, *Data est in homine, & Angelis gratia operata: in homine, vt resurgeret; in Angelo, ne caderet: in homine, vt sanaretur; in Angelo, vt non vulneraretur*. Accedit Apocalypsis 12. 14. *Ipsi quoque vicerunt in sanguine Agni*; ita de Angelis exponit Bernar. qui etiam serm. 17. & 22. in Cant. ait, *Christum redemisse Angelos, præseruando illos*: Hinc autem arguitur. Necesse est, vt cognitio habeatur eius, cuius causa creatura sit præseruata, iustificata, prædestinata, & glorificata, vel saltẽ gratificata. Dixi, *saltem gratificata*, propter Dæmones, qui licet gratiam non habuerint glorificationis, habuerunt tamen ipsam gratiam viæ ab initio cum cæteris receptam, dum fuerũt creati in gratia: ergo omnes Angeli, siue boni, siue mali cognitionem habere debuerant eius, per quem collata fuerit eis talis, talique gratia. Item habens cognitionem finis, habere quoque debet cognitionem mediorum ad finem: habuerunt autem Angeli omnes ab initio cognitionem finis, nempè Deum præparasse gloriam finalem perseuerantibus vsque ad finẽ, ergo & nouerunt Incarnationis misterium, quod est medium ad consequendum talem finem: Ratio hęc & si magis militet de Angelis bonis, vtpotè gloriam cõsequutis, tamen currit etiam pro singulis alijs, nam Deus, quantum est de se, neminem excludit à gloria, sed rebelles Angeli, ipsimet indignos se reddiderunt cœlesti gloria. Insuper probatur, Christus est caput etiam Angelorum: membris autem competit caput agnoscere, inde enim tot influxus vitæ, & virtutis fluit in ipsa membra. Antecedẽs est eorundẽ, vt citauimus: Confirmatur vero ex Paulo Ephes. 1. dicente de Christo, *Ipsum dedit Caput super omnem Ecclesiam*. Prius autem dixerat, *Constituens ad dexteram suam in cœlestibus, supra omnem Principatum, & Potestatem, & Virtutem, & Dominationẽ*. Inde tamen concludit, *Omnia subiecit sub pedibus eius*, & ipsum dedit Caput super omnem *Ecclesiam*. Idemque docet August. Concion. 3. in Psalm. 36.

atque Hilar. in Psalm. 139. Præterea Hebr. 1. *Omnes sunt administratorij Spiritus, in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis*. Hinc autẽ conficitur ratio, iam Angeli destinati sunt ad custodiam hominum, in ordine ad ipsorum salutem: at ipsorum salus procuranda venit per passionem, & mortem Christi, per frequentationẽ Sacramentorum, quæ sunt effectus passionis Christi, vtporè fluentium de latere Christi: ergo & hæc media nouint. Rursus de Christo Domino, deuicta iam trina tentatione, inquit Matt. 12. *Accesserunt Angeli, & ministrabant ei*: nouisse autem prius debuerũt quinam esset, cui debuissent ministrare. Item facta fuit Adæ reuelatio Incarnationis in via, ergo & Angelis: antecedens probatur Gen. 2. vbi excitatus iam è sopore illo, quẽ Deus in Adam immisit, (siue ex Extasi per excessum contẽplationis, vt exponit August. 9. super Gen. ad litt. c. fin.) dixit, *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea, propter hoc relinquet homo Patrem, & Matrem suã, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna*. ad quæ verba respiciens Paulus Ephes. 5. subdidit, *Sacramentum hoc magnum est, Ego autem dico in Christo, & in Ecclesia*. Ex his autem insinuatur, Adamum quasi prophetice, vt aiunt Hieron. ad Ephes. 5. August. 9. de Gen. ad lit. c. 19. Epiph. hæres. 48. Bern. serm. 6. verba illa dixisse, vtporè exponẽte Paulo, significantia desponsationem Christi cũ Ecclesia, seu vnionem Verbi cum humana Natura per Incarnationem: quam cognitionem per fidem habitam ab Adam in via huius mysterij insinuat quoq; D. Thom. 2. 2. q. 2. art. 7. Hæc probabiliorem reddunt istam opinionem. Et vltimo accedit Dionysius 4. de Cœlest. Hierarc. docens, quæ in hoc mundo reuelantur, ea fieri per ministeria, seu per reuelationem Angelorum, vnde iidem Angeli reuelauerunt Patribus, seu reuelatio Incarnationis facta Patribus, & Prophetis, facta fuit ministerio Angelorum: consequẽs autem est, vt & ipsi prius misterium hoc nouerint. Rursus si peccauerunt Angeli ex inuidia humanitatis assumptæ, ergo iam cognouerunt mysterium, ait enim Bern. *Vidit, & inuidit*. Demum, poterant legere Scripturas, & inde colligere mysteriũ Incarnationis.

Angeli beati cognouerunt Incarnationem, cognitione beatifica in Verbo.

11 Dicendum Secundo, Angelos Beatos cognouisse misterium hoc, visione beatifica in Verbo. ita D. Tho. in respons. ad 4. art. 1. q. 64. & adducitur August. 5. super Gen. ad lit. cap. 19. in eandemque sententiam faciliè descendunt Doctores citati pro assertione præcedenti: imo qui negant reuelationem in via, admittũt faciliùs in Patria, licet ex iis non omnes, nam qui negant à Christo rationem Capitis super Angelos, & qui negãt fuisse eis causam meritoriam iustificationis, & prædestinationis, negant vtroque modo factam reuelationẽ, tum in via, tum in Patria: Nos vero asserimus, vtroq; modo cognouisse, tum in via, tum in Patria, etiã antecedenter ad ipsius mysterij executionem: quæ assertio, vtrumque confirmata remanet authoritate, & rationibus.

An Sc con- sona Scoto.

12 Vnum vero superest circa hoc. Scotus namque, vt attigimus, docuit loco citato, cognitionem Sacramentorum nõ haberi in obiecto beatifico, quia non spectat ad beatitudinem: præcipuè autem in responsione ad argumenta pro opinione sic ait. *Et cum additur, Fides succedit visio, dico, quod hoc est verũ de principali obiecto Fidei, quod est Deus trinus, & vnus, sed non de omnibus aliis, alioquin oporteret Beatum videre in Verbo, gratiam fuisse collatam in Baptismo, Pœnitentia, & Confirmatione, videret etiam semper in Verbo Incarnationem, Passionem, Natiuitatem, &c.* est ergo Scotus, vt videtur, aduersarius huic conclusioni.

Cõciliantur, & aperiuntur verba Scoti.

13 Respondetur, Incarnationẽ considerari vel in se absolutè, vel quatenus est medium, & causa meritoria præseruationis Angelorum, atque eorundem iustificationis: primo modo habet locum discursus Scoti, secundo autem modo procedunt, quæ diximus; quo stante, necesse est sciri à iustificatis, & saluatis causam & medium iustificationis, & salutis: id vero vel implicitè, vt à simplicibus hominibus in Fide Ecclesiæ, & iuxta capacitatem eorũ, quousque possint attingere per magisterium sapientiorum eos imbuentiũ de mi-

de misterijs Fidei, ad profitẽda vel explicitè, vel implicitè ea, quæ possunt, & scire tenentur: Vel secundo explicitè, & hoc à sapientioribus, valentibus capere explicitè: Angeli autem erant ab initio sapiẽtissimi Theologi, ergo causã quoque, & medium Incarnationis explicitè nouerant suæ iustificationis. Discursus tamen ille supponit, Christum esse Caput Angelorum, atque promeruisse ipsis gratiam, prę seuerationem, iustificationem, & huiusmodi, quam rem attingimus infra disput. 9. quæst. 5.

Incarnatio cognita quo ad substantiam ab initio.

14 Dicendum Tertio, Misterium Incarnationis spectatũ quoad substantiam, omnes quidem ab initio cognouerunt: spectatum vero quoad plures eius circunstantias, cognouerunt inde in tempore, quando fuit adimpletum, ita D. Bernardus, ex quo D. Thomas, cæteriq; inde Scholastici. Conditiones autem misterij huius, & circunstantiæ spectabant ad tempus, quo incarnandũ erat Verbum, ad locum, ad modum, ad, qualem Matrem electurum erat, & alia huius generis: quoad substantiam quidem cognouerũt ab initio, siue in via, siue in Verbo, siue vtrobique, præter malos Angelos, qui cognouerũt solum in via: at circunstantias cognouerunt in tempore post, siue complete, vt post completionem misterij, & prædicationem Apostolicam; siue partim, & incomplete, vt ante eius completionem; ex scripturis namque, & reuelatione Prophetarum colligebant misterium ex parte, ante completionem, at dum intuebantur iam assumptam humanitatem, cum operatione misteriorũ, cæterorum, ac denique cum ascensu ad Cœlos, tunc cognoscebant complete, vtpote intuitiue, & in propria existentia, id, quod prius nouerant per fidem, & abstractiue: Sciebant quidem fore aliquam humanitatem assumendam hypostaticè: & aliquam mulierem esse sumendam in matrem, attamen ignorabant, qualisnam humanitas, an hæc, vel illa: & qualis mulier, an hæc, an alia foret assumenda.

Quid de circunstantijs.

De certitudine huius.

15 Dicendum Quarto, quãuis sententia hæc sit verisimilior, atque communior, tamen penès Patres certa non est, plures namque, vt vidimus, eam negant: & Scholastici negatiuam defendentes soluunt tum scripturas, tum rationes allatas: sicut ex opposito defendentes affirmatiuam, soluunt quoq; argumenta pugnantia.

16 Vt vero morem geramus vtriq; opinioni, in primis ad illud Psalmi, ait Theodoretus, non Angelorum esse interrogationem, sed phrasim Dauidis, per modum dialogi discurrentis de admirabili ascensu Saluatoris, nunc interrogando, *Quis est iste Rex gloriæ*, nunc respondendo, *Dominus virtutum ipse est Rex gloriæ*. Vel dicendum, quod si sit interrogatio Angelorum, veluti ignorantiam supponentium, id procedat non quoad substantiam, sed quoad circunstantias, etenim tot arcana inerant in admirabili ascensu Christi Domini, vt nõ omnia simul ab initio nouerint: Exemplo alicuius magni Principis, quem Ciuitas tota expectet ad videndum, iam namque reuelatum habent v. g. Ciues, Principis talis aduentum, & hoc sciunt: dum tamen in facti contingentia aduentat, magno stipatus nobiliũ comitatu, magna pompa, & splendore, miratur vnusquisque, quærens de eo, qui nam sit, verum nè ille, cuius aduentus fuerat reuelatus? vnde est, vt de quo ignorabãt, interrogent, alias enim, sciebant in substantia aduentũ Principis: ita intuentes splendorem, magnificentiam, pompam Filij Dei ascendentis, Angeli, interrogabãt, anne ille esset, de quo inerat, retro actis, seculis reuelatum? igitur de circunstantijs interrogant: vtrum nè, illa sit humanitas illa, quam fuerat assumpturum Verbum, sciebant namque fuisse assumpturum humanitatem, attamen, an hanc, vel illam ignorabant. Item, resp. quod est vox admirantis, maximã enim in admirationem, ac stuporem ierant, intuentes humanitatem illam tantopere magnificatam, exaltatam, beatificatam, Deificatam, &c. Demũ dicendum, esse solitam phrasim, veluti Oratoris magnificantis, solet enim qui rem aliquam magnificare intendit, interrogare, admirari, & obstupescere, vt exinde stupori, & admirationi, atque interrogationi satisfaciẽdo, pateat amplius excellentia, & virtus rei magnificatæ.

17 Illud autem Isaiæ suscipit expositiones plures, ait enim Lyranus, ea esse verba ipsiusmet Prophetæ, qui Christi passionem contemplans, tamq; diuinæ misericordię condescendentiam admiratus exclamarit, *Quis est iste, qui venit de Edom tinctis vestibus*. Athanas. lib de Salutar. Christi Aduent. applicat non ad Angelos bonos, sed ad malos; vnde loquitur ad mentem eorum, qui dixerunt misterium nõ fuisse fuisse reuelatum in via Angelis malis. Alij denique inquiunt, esse interrogationem factam ab ipsismet Iudæis &c. quod si ad Angelos quoque bonos verba hæc adaptemus, interrogatio ignorantiam supponit circunstantiarum, & de his interrogant, non autem de substantia Incarnationis.

18 Ad Paulum denique, eadem responsione occurritur, vt ex pędicatione sua, cæterorumq; Apostolorum innotescant circunstantiæ, non autem substantia Incarnationis: & hoc sufficit: quo etiam sensu loquutos fuisse Patres pro hac parte adductos, existimari potest.

Gabrielis Archangeli cognitio quanta de hoc misterio.

19 Præ cæteris vero eminere, siue excelluisse Gabrielem Archangelum, putandum est, in cognitione tanti misterij, ipse namque Nuntius fuit Incarnationis, modi Conceptionis Christi, nouitque in propria existentia intuitiuè quęnam foret Mater; insuper quod simul remaneret Mater, & Virgo: & si ex Bernardo, ipse fuit Custos Beatissimæ Virginis, (dicentibus alijs, fuisse Michaelẽ, de qua re infra) optimè noscere potuit præsentialitèr, & intuitiuè plurima, vtpotè quia in eadem Matris Virginis domo commorabatur ipse Christus, & veluti præsés ad ea, ad quę, vsque ad Crucem, præsens fuerat ipsa Mater Christi: hincque idem Bernardus dum cęteris cognitionem eius misterij in via negat, non tamen eam negat Gabrieli. Hæc de argum. primæ opinionis.

20 Accedẽdo vero ad capita secundæ opinionis, in primis, Doctores illi, qui aiunt, Verbum incarnatum fuisse solummodo præ viso Adæ peccato, inde inferunt, Christum esse Caput Hominum, veluti Redemptorem Hominum, non Angelorum, vt ex suis Authoribus retulimus. Item, neque meruisse Angelis gratiam, nec prędestinationem, deducit ex eodem principio, vnde Ambros. serm. 10. in Psal. 118. inter cætera sic habet, *Non lego, Angelos, sed homines Christo consepultos, & cum Christo resuscitatos*.

21 Ad illud Pauli, *Ipsũ dedit Caput. Adorent eum omnes Angeli eius* & Matt. *Ministrabant ei*. atque Apocal. *Vicerũt in sanguine Agni*. Respondẽt, Christum esse Caput Angelorum quantũ ad influentiam gaudij, seũ gloriæ accidentalis, non essentialis. Item est Caput, ratione imperij, quod habet super eos: Insuper Caput, quia ipsemet Christus iudicabit nedum homines, sed & Angelos etiam. Capute quoque ratione influentiæ specialium reuelationum, seũ illuminationis. Caput quidẽ, quia sicut cætera membra debẽt ministrare Capiti, veluti nobiliori, ita Angeli inseruire debebãt & ministrare ipsi Christo, vt loquitur Matthęus: & quẽadmodum membra cuncta reuerentur quodãmodo caput, vtpotè prinç paliũs, & dignius, ita dictũ fuit Angelis, *Et adorent eum omnes Angeli eius*. Et denique ad illud, *Vicerunt in sanguine Agni*, Victoria hæc fuerit quoad reparationem ruinæ Angelorum, quoad erectionem hominum ad replendas Sedes Angelorum ruentium. Has, & consimiles explicationes tradũt Chrisost. Theophilact. Anselm. Beda in 1. ad Ephes. & cõfirmat Augustinus: de quo tamen in materia de Incarnat. & etiam hic infra d. 9. quæst. 6.

Christus qualiter Caput Angelorum.

Victoria Angelorũ quæ.

22 Ad illud, *Omnes sunt administratorij Spiritus propter eos &c.* Relicta pro nunc, responsione, quod loquatur de Angelis omnibus, qui quidem omnes mittuntur siue ad intra, siue ad extra, vt loquuntur Theologi, de quo in propria materia: quod *mittere*, siue mitti idem est ac ministrare; specialitèr tamen ordinando hæc ad verba subsequentia, *propter eos, qui hæreditatem capiant salutis*. ex quibus datur intelligi, fieri mentionem de Angelis Custodibus: Ad hoc dicendum non obstare contra propositum, nam cognitionem quidem habere cęperunt ex tempore custodiæ, dum ipsosmet homines custoditos videbant frequentare Sacramenta,

menta, recolere passionem Christi, & his similia: accedente etiam prædicatione Apostolica, & doctrina Ecclesiæ, declaratione Conciliorum, & huiusmodi: attamen ex sententia ista, eam non habuerunt ab initio creationis.

23 Ad illud Adæ, sunt qui negẽt dixisse illud quasi prophetice in ordine ad Incarnationis cognitionem: vnde aiunt, Paulum quidem cognouisse misterium hoc, reconditum in verbis illis, non Adam: vnde non sine causa ait, *Ego autem dico &c.* quasi dicat, mihi quidem reuelatum est misterium hoc. tradit Molina quæst. 57. disput. 2. in fine.

24 Ad illud Dionysii: multa quidem reuelata sunt ministerio Angelorum, at non omnia: tunc vero ministerium aduenit Angelorum, quando Angeli personam Dei sustinent, seu repræsentant: supposito namque Deum non apparuisse in propria Natura, sed per Angelos: de quo tom. 2. de Trinit. tunc quidem fierent ministerio Angelorum, lex namque per Angelos data recensetur à Paulo Hebr. 2. *Qui per Angelos factus est sermo*, ad Galat. 3. de lege dicitur, *ministrata per Angelos*, & Act. 7. Cum Dominus dicatur apparuisse Moysi de medio rubi, ait tamen Stephanus, *Apparuit illi Angelus in igne flammæ rubi*: in hoc quidem genere Deus reuelare solet per Angelos: Cæterum in reuelatione interna mentis, facilius id accidit immediatè per Deũ, vtpotè reuelante per se Deo, & illuminante mentes hominum, nam circa illuminationem insensibilem fiendam mentaliter ab Angelo, oriri solent difficultates plurimæ, an possit, & quomodo possit quid agere in mentes hominum, de qua re in materia de loquutione, & illuminatione, duplicem ergo distinguendo illuminationem, externam, & internam: de externa iam conceditur factas aliquando fuisse per Angelos repræsentantes personam Dei: de interna vero, facilius est dicere eã haberi solere immediatè à Deo, ob difficultates factas de Angelo: quamuis & possit etiam ipse Deus per Angelos easdẽ internas illuminationes demandare. Respondetur insuper, non negari, Angelos nouisse misteriũ quando reuelabant Prophetis, sed Authores hi negant nouisse ab initio.

25 Ad illud de inuidia, iam visum fuit, multos negare, Angelos peccasse sic, seu primum peccatum eorum fuisse hoc, vnde & negant propositam fuisse humanitatem adorandam, tunc, sed postea in tempore, & in tempore adorandam, vt supra vidimus, vbi Carthusianus aiebat, *Nihil esse in re, hac temere asserendum*.

26 Et ad illud de scripturis, totum conceditur, tunc potuisse exinde cognoscere, negant tamen cognouisse ab initio non enim scripturæ fuerũt ab initio creationis Angelorum.

27 Ita per singula respondent Authores oppositæ sententiæ.

28 Nos affirmatiuam de cognitione, tum per fidem in via, tum per visionem beatificam in patria, sententiã asserimus, quam rationibus, & authoritatibus confirmauimus.

QVÆSTIO XII.

Vtrum Angeli in via cognouerint per Fidem Mysterium Trinitatis.

1 ALex. Alens. 3. par. q. 68. m. 8. art. 2. docuit, in Angelis in via non fuisse fidem primæ veritatis, sed quandam scientiam, licet imperfectam; id vero explicat, dicendo, posse poni tres gradus ex parte potentiæ intellectiuæ, sicut ex parte sensitiuæ; exemplo de dulci, quod quidem percipi potest, per auditum, per visum, & per gustum: circa Primum est fides: circa Secundum est cognitio speculatiua: circa Tertium adest cognitio

gnitio practica & perfecta: ita de Deo, Primo percipitur per auditum, & est fides: Secundo per quandam speculationem, & est per visum: Tertio per gustum, & tūc perfectè percipitur: Prima cognitio nō est ponenda in Angelis ante confirmationem, sed in Angelis malis, quia Dæmones dicuntur habere fidem informem: Vltima ponitur in Patria; media vero in Angelis in via.

Angeli in via habuerunt fidem Trinitatis.

2 Ex Hugone idem Alexāder colligit, quod dixerit, vltra cognitionem naturalem, habuisse quoque oculum contemplatione Dei apertum. D. Bonauent. 3. d. 23. art. 2. q. 3. ait, quod licet Angeli in via habuerint cognitionem Trinitatis, illa tamen non merebatur dici fides, sed potius cognitio contemplationis, propter absentiam ænigmatis: remansisse vero inde sub ratione fidei in Dæmonibus, propter superuenientiam ænigmatis. Durand. in 3. d. 23. q. 9. & Gabr. q. 1. negant habuisse fidem: Tataret. in 2. d. 7. quæst. vnic. §. *Sed hic restat*, licet dubius videatur, nihilominus magis consensit cum recensitis: & denique Vulpes disput. 19. art. 3. apertè fidem in eis negat de articulis spectantibus ad Essentiam diuinam, & Trinitatem, licet de plerisque alijs concedat: Innititur super Scoto docente, habuisse speciem abstractiuè, & distinctè repræsentantem Essentiam diuinam. His adde Paludan. eād. d. q. 4. negā fidem in primo Angelo, apponens autem in inferioribus quia ille habuit reuelationē immediatè à Deo, & non illi, sed mediante Angelo superiori. Palac. 3. d. 23 disp. 9. Perier. art. p. 3.

3 Cæterum nos dicimus Angelos in via habuisse fidem infusam Trinitatis: de mysterio Incarnationis, iam visum fuit supra, & de cæteris sparsim in hoc Tract. est communis cum D. Tho. 2. 2. q. 1. art. 1. & q. 2. art. 7. & 8. Scotus etiam minimè vnquam hoc negauit, imo concessit, præcipuè in 3. d. 23. q. vnic. vt etiam ibi aduertit Aretinus: quod si quandoque negauerit fidem de articulis, loquitur de illis, quos Angeli naturaliter poterant cognoscere, nec spectabant ad eorum salutem, vt in 2. d. 10. q. 8. ad 2. & 3. Prob. breuitèr Angeli fuerunt creati in gratia: vel sic Angeli in via habuerūt gratiam, ergo & fidem. Prob. conseq. initium gratiæ, & iustificationis est fides, ergo &c. Item non infunditur habitus Spei, & & Charitatis, atque gratiæ absque habitu fidei, ergo insuper Apost. Rom. 13. ait: *Nunc autem manent Fides, Spes, Charitas*, en quomodo ad virtutes infusas præcedit infusio fidei: & deniq; Hebr. 11. *Accedentem ad Deum, oportet credere, quia est &c.* loca plura omitto.

4 Dices Scotus admittit in Angelis speciem intelligibilem distinctè repræsentantem Trinitatem, in 2. d. 3. q. 9. at distincta cognitio non stat cum fide: ergo: hoc est argumentum Vulpis. Resp. admittit speciem solum de Essentia diuina, nō de Trinitate, vt patet sub lit. E. & clarius sub N. Dices, ergo saltem de Essentia non habuit fidem, stante specie repræsentātē. Resp. si cognouit per speciē, habuit tūc fidem in actu primo vel si credidit in actu secūdo, habuit tūc speciē in actu primo: vide Scot. in 3. d. 25. ad Arg. Dices, in actu primo forē frustraneā. Nego, quia deseruissent ad perfectionē intellectus: sicut ponētes fidei habitū in Beatis nō apponunt ad actū credendi, cum clarè videāt, sed ad perfectionem intellectus.

5 Arguit autem Durand. fides est de non apparentibus, at mysteria supernaturalia erant euidentia Angelis. Prob. sciebat, quod Deus erat, qui reuelabat, ergo non habebat fidem. Secundo actus fidei generatur per imperium voluntatis, at Angelus tenebatur credere non ex imperio voluntatis; sed quia sciebat, quod Deus erat, qui reuelabat mysteria. Tertio Angelus habuit euidentiam reuelationis, ergo non habuit fidem de reuelatis. Respond. ad Primum, fuisse euidentia in attestante, non autem in se ipsis, & ob id erat necessaria fides. Ad Secundum, quia mysteria in se sunt ineuidentia, hinc accedit imperium voluntatis, licet ratione euidentiæ attestantis, cogeretur intellectus assentiri. Ad Tertium negatur conseq. aliud enim est reuelatio, aliud, obiectum reuelationis: illa potest esse clara, hoc obscurum, vt si quis reuelet hic adesse thesaurum, ergo euidentiam haberem de Reuelante, sed non de thesauro,

quia

quia esset oculus: ita Angeli euidentiam habuerunt de reuelante, sed non de reuelato.

6 Petes, quid dicendum de Durando? Respondet Bannes esse sententiam temerariam: & inclinat Valent. at oppositum habet Turian. de fide, disput. 43. dub. 2. Et ad locum secundum Pauli, ait, loqui de hominibus.

QVÆSTIO XIII.

Vtrum in intellectu angelico sint habitus naturales acquisiti.

1 CAietanus 1.2.q.50.artic.6.& q.54.art.4. ait in intellectu angelico non reperiri habitus alios acquisitos, nisi species intelligibiles, & has, addit, non distingui ab habitibus. Dicit insuper non reperiri habitibus vllos in Angelis; ratio autem eius afferetur infra. est enim eadem, quæ Scoti. Primæ parti consensit Valentia 1.2.disp.3.q.2.punct.3.

2 Bannes 1.par.q.58.art.1.ponit in Angelis habitus acquisitos, præcipuè habitum fidei, & opinionis acquisitæ, vtpote, circa incuidentia, & circa secreta cordis. Sequitur sententiam in hac secunda parte Suarez lib.2.de Angel. cap.38. aliisque in locis ab ipso citatis, & Salas 1.2.tom.1.disp.2.sect.5.

3 Ferrariens. l.1.contra Gent.c.56. nil videtur determinare: est enim anceps, vtrum habitus in Angelis sit quid distinctum ab eius intellectu, vel sit idem cum lumine naturali intellectus.

4 Absolutè tamen habitus admittit Medina 1.2.q.54.art.4.& q.51.art.1. cui adhæret Molina q.58.art.1.& aliqui alii ex recentioribus.

Disquiritur mens Scoti. 5 Scotus tamen in 2.d.3.quæst.10. §. *Ad secundum dico*: negat absolutè in Angelis habitus acquisitos. Consensit Durand.in 3.d.23.q.1. Mayron.in 1.d.33.q.1.art.5. Caiet.vbi sup. idemque Suarez ex parte obiecti euidentis, loco citato de Angelis, quamuis 3.par.t.1.disput.29.sect.1. absolutè dicat nõ dari in ipsis alios habitus, quam species intelligibiles. Malonius in 2.d.3.disp.12. atque Vasq.1.par.t.2.disp.219.cap.2.& disp.43.cap.7.& 1.2.disp.78.cap.3.& 4. Valentia recensitus, quatenus inquit, reperiri quidem habitus in Angelis, inde tamen explicando quidnam intelligat per habitus, ait esse species, rationemque subiungens, inquit, *Illa autem species habitus quidam sunt*: quo fit, vt absolutè neget habitus in rigore habitus, sed admittat habitus lato nomine, & extensò, sumpto habitu pro specie intelligibili: & denique D.Thom. est eiusdem sententiæ cum Scoto, quia nullum alium habitum admittit in Angelis, nisi species: in 1.2.q.50.art.6. sumpto habitu largo modo: talisque est communis ferè expositio Thomistarũ; expressiùs autem id ad mentẽ D.Thomæ explicat Vasquez, inquiens, *Postremò idem D. Thom. concedit in Angelis esse habitus intellectuales: explicans autem quinam sint huiusmodi habitus, inquit, esse species intelligibiles: & sanet communiter Thomistæ eo loco species intelligibiles Angelorum appellari habitus: neque vllum alium habitũ admittunt &c.* licet in hoc, de communi explicatione Thomistarum, non amplectatur Salas.

6 Specialiùs tamen discurrendum est de sensu Scoti, qui licet videatur apertè docere hanc sententiam, pati tamen potest aliquam difficultatem Scotista in eius explicatione.

7 Vt vero mens eius constare possit, afferamus eius textum: sic autem loquitur. *Ad secundum dico, quod Angelus non potest generare in se habitũ ex actibus, (habitum dico, qui sit alia res à specie) quia habitus non generatur in naturaliter inclinatis: sine in summo determinatis ad vnum, sicut non generatur in*

graui

grani per quotiescunque descendere, ratio descensus: nec generatur in violenter moto quotiescunque tale moueri, aliqua ratio, vel habitus, facilitans, vel habilitans ad talem motum violentum, sicut patet de lapide moto sursum: sed generatur in potentia de se indeterminata ad actum, per actum frequenter elicitum: non autem est imperfectionis aliquem intellectum creatum esse summe habilitatum ad intellectionem: quod si aliquis est talis, erit angelicus: & ita in illo, sicut in summe habilitato ad actum, nō poterit generari habilitas aliqua, quę dicatur habitus illo modo; aut si careat tali habitu, qui sit habilitas quædam ad considerandum hoc intelligibile, & intellectus eius erit capax, tunc dico, quod non est inconueniens, quod possit in se generare talem habitum. Hæc Scotus.

8 Ex loco hoc colligunt Scotistæ, Scotū negare absolutè habitū in Angelis; siquidem Angelus est de se summè habilitatus ad intelligendum, ergo nō indiget alio superaddito habitu magis habilitante; probatur consequēs, nam ad hoc ponitur habitus, vt mediante eo potentia promptè, expedite, atque faciliter operetur.

9 Verum adest eiusdem Scoti locus alter, in quo non ita absolutè determinat; est autem in 2.d. 9. q. 2. in fine, § *Ad quartum*, vbi sic habet. *Ad Quartum dico, quod habitus, vel non potest esse in intellectu angelico, accipiendo habitum pro illa qualitate consequente actum quæ distinguitur contra actum primum, per quem res est præsens sub ratione actu intelligibilis, & hoc si intellectus de se esset summè habilitatus, vel si ille intellectus est capax, & non esset talis habitus concreatus sibi: tunc concedo, quod posset generare in se talem habitum ex actibus.* hæc ibi.

10 Hic autem locus est diuersus à primo, & patet, quia in primo loquitur absolutè circa primum membrū, quod est, non esse in Angelo habitum, ait enim, *Dico, quod Angelus non potest in se generare habitum ex actibus.* Et infra subdit, *Non potest generari habilitas aliqua, quæ dicatur habitus.* In Secundo tamen loco loquitur expressè dubitatiuè, inquit enim, *Dico, quod habitus vel non potest esse in intellectu angelico:* Et infra. *Vel si ille intellectus est capax, tunc concedo, quod posset generare talem habitum ex actibus.* Atque hinc obijci posset, vel mutasse sententiam, vel non esse sibi prorsus constantem, vel esse problematicum.

11 Ita sanè videtur prima facie, Scoti mentem non esse certam, dum dubitatiuè in secundo, & assertiuè rem decidat in primo loco. Nihilominus assero, eodē prorsus modo loqui vtrobique: Et prob. Primo, quoniā licet in primo loquatur per verbū *Dico*, tamen ibi continetur, saltem implicitè alterū membrum disiunctionis, colligo hoc ex eo quod infra subdit, inquiens, *Aut si caret tali habitu, qui sit habilitas* ly *Aut* est correlatiuum, ergo refertur ad aliud *An* siue *Vel* quod si Scotus non expressè ibi hoc apponat, intelligitur tamen, & continetur implicitè, talis namque est natura correlatiuorum: igitur si in secundo loco loquitur sub disiunctione, loquitur etiam sub disiunctione in primo. Et probatur Secundo, nam in secundo loco, postquam dixerat, *Tunc concedo, quod posset generare talem habitum ex actibus.* inde tamen subdit, *Sicut dictum est dist. 3. huius secundi, ad simile argumentum de generatione habitus in intellectu angelico.* Quo fit, vt Scotus semetipsum amplius declarando in Secundo, notum faciat non aliter sentire in secundo loco, quam senserat in primo, ad illum namque primum locū se refert.

12 Atque hinc constat non esse sibi inconstantem, nec mutasse sententiam in secundo, dum quæ dicit in secundo, sunt prorsus eadem, quæ dixerat in primo: & sic patet responsio ad obiectionem factam de mutasse sententiam.

13 Superest tamē videre an sit problematicus: Pro parte quidem affirmatiua arguitur, quoniam vtitur loquendi modo dubitatiuo per *Aut*, in primo loco, siue per *Vel*, & *Vel* in secundo: Item loquitur per *Si* vtrobique dicendo, *si est capax*, & *si non haberet talem habilitatem*: ergo est problema penès eum.

14 Circa hoc est communis sententia, Scotum negare habitum acquisitū in Angelis: ita Scoti expositores, ita etiam externi; & quicunque quæstio-

nem

nem hanc agitant, Scotum asserere, velut absolutè negantem habitum acquisitum: nec tamen vidi, qui de eius mente dubitaret, aut haberet in oppositum.

15 Ego quidem non dubito hanc falsã Scoti mentem: Praecipuè autem id cõstat, quia in loco primo asserit Angelum non posse in se generare habitum, insuper addit, esse Angelum ex se summè habilitatum, ex his autē summè [illegible] absolutam eius sententiam. Pro fundamento ergo talis iudicij de Scoto, est ipsum absolutè dicere, Angelū esse ex se summè habilitatum; addidit autē hoc, seu ideo necessariò, vt non egeat habitu inclinante, sed [illegible], vel habilitante. Quod si tamen non esset verum, esse summè habilitatū, quid quaeso diceret Scotus, responderet vtique, posse tunc acquirere habitum habilitantē, vel ad mentem Henrici, dari in ipso habitus concreatos: Vtrumque docet Scotus, nec tamen hinc deducitur fuisse problematicum. Confirmo nam Scotus quaestionem bis decidit. Primo de facto. Secundo ad mentem dicentium nō esse sic ex se habilitatum: loquendo de facto, absolutè tenet esse summè habilitatum, proinde, non indigere habitu concreato, contra Henricum, nec acquisito contra alios. Loquendo vero ad mentem aliorum, siue de possibili, vel de impossibili respondet consequenter, negata naturali habilitatione, posse acquirere habitum, vel ibi non, posse acquirere habitum. Quod autem ad concreari habitum. Quod autem ad mentem aliorū sic loquatur, elicio, quia ibi mentionem facit de habitu concreato ad mentem Henrici, quasi diceret, dum Henricus ait, concreatos fuisse habitus, quid quaeso eueniret, si habitus tales concreatos non haberet, quidnam responderet Henricus? diceret Scotus, quod (tacito quidem) responderet Henricus quod posset acquirere habitum. Hanc existimo germanam eius mentem, vt ita loquatur ad mentem Henrici.

16 Et ex hoc satisfactum remanet ad obiectiones petitas per Aur. Pelb. &c. vt loquatur data hypothesi, quod non esset habilitatus de se, sed egeret habitu ex Henrico; ipse tamen de sui mente statuēt asserit eū ex sui natura summè habilitatum, & consequenter non egere illis habitu.

17 His habitis, dicendum est Primò, Angelum non indigere habitu acquisito ad promptè, faciliter, expeditèq; intelligendum. Probatur, Habitus ad hoc ponitur, vt per eum promptè, expeditè, & faciliter operemur: at Angelus est de se summè dispositus, atq; expeditissimus in intelligendo, ergo nō indiget tali habitu.

18 Dicendum Secundo, non implicare talem habitum in Angelo, non quidem quasi indigeat eo ad expeditè operandum, sed in ordine ad perfectionem sui intellectus: Probatur 1. Conformiter ex Scoto, [illegible] in 3. d. 23 q. 1. [illegible] sic scribit loquendo de habitibus Fidei, Spei, & de actibus videndi, & tenendi. Si [illegible] credens aliquis actus repugnantes nos, qui nunc habemus, vt [illegible] credere, & specialiter illi actus non habent propriè [illegible] ad habitū Fidei, & Spei, [illegible], quia Paulus in raptu [illegible] & tamen non erat [illegible] habens Fidem, [illegible] Fidei. Idem habet d. 24. q. 1. Idemque habet Dur. d. 23. q. 9. Gerson. tract. de vita spirit. [illegible] ergo licet [illegible] non vtatur habitum acquisito, nō tamen repugnabit talis habitus.

19 Dicendum Quarto, posse poni habitus acquisitos in Angelo, ad intensius, & perfectius, mediante eo intelligendum. Probatur ex eodē Scoto, qui in 3. d. 17. & 27 docet potentiā habituatam operari perfectius, atque intensius, potentia non habituata, ceteris paribus, nam, demus duos intellectus aequales in naturalibus, quorum tamen alter habeat habitū intelligendi & speculandi, alter nō, vtique prior operabitur perfectius, atque intensius: ita à pari, habitus acquisitus in Angelo prodesset ad intensius, perfectiusq; intelligendum. Confirmatur, nam haec praestat habitus, vt potē, dare vt expeditè, promptè, faciliter, suauiterq; ac delectabiliter, habēs eum, operetur, & vt mediante eo operetur quoque perfectius, & intensius: alterum vero illorū sepa-

[illegible]

Habitus nō implicat in Angelis.

Habitus naturam acquisitus ad [illegible] in Angelis.

separari potest ab altero: igitur si expedite operari non competit Angelo ab habitu, non tamen repugnabit ei, admittere tali habitu, operari perfectiùs, intensiusque.

Negantes habitum circa veritates naturales inevidentes.

20 Sunt qui habitum negant Angelo solummodo circa veritates naturales euidentes, cæterum apponunt in eo circa inevidentes, vt vidimus: Exépli gratia, de re aliqua longè distante à meo Angelo Custode, testentur decē homines ita se habere, at testentur è contrario decē alij, non ita se habere: qui tamen testes, cæteris paribus sint æquales, tum in numero, tum in conditionibus cæteris; tunc perplexus quidem esset Angelus in fidem præstando, non enim vni potius parti præstanda esset fides, quam alteri, supponendo testes se habere per omnia æquales in attestando &c. vt ea potius vni parti assentiatur Angelus, quam alteri, inquiūt actus plures credulitatis, & fidei debere elicere circa vnam partē, vt ex actibus talibus frequentatis, elicitus iam habitus, inclinet inde Angelum ad assentiendum expedite potius tali parti, quam alteri oppositæ, & ita admittunt habitum: ita Suarez, à quo Salas sup.

21 Vasquez nullo modo assentitur discursui, vnde ait in fine cap. 2. *Sed neque posteriori modo habitus necessarius, aut alicuius efficacitatis in Angelo esse potest, nempè ad facilitatem credendi fide naturali, aut opinandi circa ea, quæ natura vti cognoscere non potest, intellectus enim Angeli ex sē ita perspicax est, & ab omni impedimento liber, vt summa facilitate feratur circa id, quod credibile, aut opinabile sibi apparet, ergo nō indiget habitu acquisito, quo sibi facilitatem ad hanc cognitionem acquirat.* Verum Vasquez non respondet ad difficultatem propositam, aliud namque est quærere vtrum aliquid sit credibile, & opinabile simpliciter, & absolutè: & aliud, vtrum ex duabus opinionibus æquè probabilius per argumēta æqui ponderis, & per testes æquè idoneos, vtrum, inquam possit de sē solo, sine aliquo habitu magis in vnam, quam in alteram inclinante, credere, & sic pro parte vna magis, quā pro altera, opinari: Primum de sē facile est, at in Secundo stat difficultas; ratio autem dubitādi est prætacta, quia cæteris paribus, non est cur magis opinari debeat pro vna parte, quam pro altera, ergo indiget aliqua determinante.

22 Hinc Vulpes de Angel. disp. 13. art. 2. ait, in hoc casu voluntatē Angeli determinare intellectū Angeli ad vnā partem magis, quam ad alteram, & id sufficere absque habitu. Ingeniosa quidem responsio: Nihilominus quæro cur potius ad voluntatem recurrit, quam ad habitum, nam habitus æquè bene determinaret, seù inclinaret intellectum, vt voluntas, ergo nō est maior ratio vt admittatur voluntas, quam habitus. Item vbi Natura operatur, non est opus Arte, vt aiunt Physici,

Cum Natura mouet, nil mouere tu,

at ex frequentatis actibus Natura producit habitum inclinantem, quia habitus ex actibus generatur naturaliter, ergo non est opus arte, seu artificio voluntatis, vt inclinetur ad vnam partem magis, est enim natura habitus de se sufficiens ad inclinandum. Præterea vnde nam colligit eximius Scotista Imperium hoc volūtatis potius, quam acquisitionem habitus in casu nostro, an è Scoto, an vero, quia melius id præstabit voluntas, quam habitus: non primum, nam Scotus non affert casum nostrum de opinabilibus, & incertis, nulla enim mentionem facit de his, loquitur autem de euidētibus, & certis, & his denegat habitū: ergo recursus ad voluntatem non habet fundamentū in Scoto: nec Secundum, quandoquidem ita æquè bene sufficienter inclinat habitus, maximè si sit perfectus sicut inclinat, & imperat ipsa voluntas. ergo non videtur adesse ratio negandi habitum in incertis.

Vulpes eximius Scotista.

23 Et hinc Ego in casu isto non negarem alterutrum istorum, vel namq; apponendus esset habitus, vel imperiū voluntatis: & vtrumque existimo posse defendi. Nec dicas, habitum non esse ad mentem Scoti, iam enim dixi, Scotum nullam mentionem fecisse de inevidentibus, & incertis, propterea q; si casus propositus ei fuisset, habitum non negasset, negauit vero in ijs, quæ sunt euidentia, & certa.

24 *Dicendū Quinto*, non sūt admittēdi habitus naturales cōcreati in Angelo

Habitus naturales concreati Angelo.

gelo ab initio suę creationis. Ratio est illam, quia de sè sint summe dispositi ad intelligendum, ergo: & patet ex dictis. Conclusio est contra Henricum, quem tamen abundè confutauimus supra.

Angelus qualiter cognoscet absentia.

25 Obstatur aduersus dicta, plura sunt, quæ Angelus propter nimiam absentiam non potest cognoscere: ergo circa hæc stabit attestationi, & testimonio aliorum, & consequenter habebit fidem acquisitam, seu habitum opinatiuum, igitur nisi certo sciet, nec erit de sè summe dispositus ad sciendum. Respondet Vulpes, non oportere attestationi aliorum stare, seu probabiliter iudicare, quia nimia celeritate faciet se præsentem ibi, & præsentialiter certiorem se faciet de rebus absentibus. Sed contra hoc arguo, & suppono, Angelo meo Custodi hic Neapoli, & in hac Cellula mecum ex sua benignitate, & misericordia Dei commoranti, aliquem alterum Angelum eidem attestari, & loqui de plurimis, quæ in remotissimis ab hinc, mundi partibus fiunt, quid quæso Angelus Custos aget? an forte cò ibit, vt præsens videat, quæ absenti sūt attestata, an vero attestanti fidem præstabit? si primum agat, ergo dispensatione diuina, cū Deus mandauerit Custodibus Angelis non in absentia, sed in præsentia custodire, nec à custodia desistent præsentiali absque diuino nutu: quod si Deus nolit, vt custoditum relinquat, & eo vadat, vtique non per præsentiam ea sciet, sed per fidem credet, ergo datur fides, & opinio. Casus idem fit de quocunque alio nō Custode Angelo existēte in aliquo determinato loco, nolitq; Deus, discedere ipsū è tali loco, tunc absentibus omnino, & existentibus extra sphæram suæ actiuitatis, non habebit scientiam, sed fidem, & opinionē, stando attestationi aliorum. Vnde dico, quod in tali casu, stante tali impedimento eundi, non habebit nisi fidem, & opinionem.

In concursu plurium obiectorum quid faciet intellectus.

26 Arguitur, proponātur simul Angelo plura, & plura obiecta, præsertim disparata, absoluta, minimèq; inuicem subordinata, eueniet tunc, vt intellectus à tot obiectis distractus, non valeat ad hoc magis speculandum conuerti, quam ad aliud, ergo erit admittendus habitus. Resp. distinguendum est de obiectis, vel namque sunt æquè motiua intellectus, vel non æquè, sed vnum magis alio: secundo modo intelliget illud, quod erit magis motiuū, idq; prius cognoscet, quod fortius mouebit intellectum: Primo autem modo, tunc opus erit imperio voluntatis determinantis intellectū magis ad hoc, quam ad illud, & prius ad hoc, inde ad illud. Vel si habebit habitum acquisitum circa aliquod illorum æquè mouentium: habitus inclinabit potius, & prius ad hoc, quam ad illud.

27 Arguitur, datur in nobis habitus primorum principiorum, ergo & in Angelis. Item habitus primorū principiorū est cōcreatus intellectui nostro, ergo, & intellectui Angeli. Ad Primum negatur paritas, quia nos nō sumus æquè dispositi, vt Angelus, qui est de sè summè habilitatus ad intelligendum. Responsio hæc supponit, habitum primorum principiorum esse qualitatem distinctā ab intellectu, verū quia nō assentimur, sed dicimus esse eundem cum lumine naturali intellectus, ideo ad mentem Henrici currit argumentū, & ad mentem sustinentium distingui realitèr ab intellectu; vt Suar. t. 1. metaph. disp. 1. sect. 4. num. 15. Vasquez 1. 2. disp. 79. c. 3. Medin. q. 51. art. 1. & q. 53. art. 4. Ferrar. 2. contra Gent. cap. 79. Henric. quodl. 5. q. 18. Angest. in moral. cap. 18. 1. Buridan. 6. Ethic. q. 11. art. 3. Fonsec. 1. metaph. c. 1. q. 3. sect. atq; Mayron. in 3. d. 33. q. 1. art. 8. asserentes esse qualitatem distinctam realiter ab intellectu: cum tamen ex opposito sentiamus esse prorsus eundem intellectum, seu eandem facultatem naturalem intellectus, lumine naturali perfusi ad cognoscenda prima principia, quod etiam docuit Durand. in 2. d. 14. q. 1. num. 4. & in 3. d. 33. q. 1. num. 7. Valentia 1. 2. disp. 4. q. 3. punct. 1. Palacios in 3. d. 23. q. 1. Sotus q. 4. de iust. art. 1. concl. 2. quod etiam Almaynus colligit ex Scoto in 1. mor. cap. 17. idemque Almaynus tribuit D. Thomæ in 3. d. 23. art. 0, quod habet D. Thom. 1. 2. q. 49. art. 4. probabileque existimat idem Medin. q. 51. art. 1. aliiq; ex D. Thoma hoc trahunt 2. contra Gent. cap. 78. & denique Nominales, ac Richar. in 3. d. 23. art. 1. q. 2. an vero qualitas hæc ad mentem primorum, sit

Habitus primorum principiorum quid.

acquisita, an ab initio intellectui concreata, acquisitam esse tenet Suarez, & Vasquez supra. Rub. de Habit. tract. 2. q. 2. Fonsec. 9. met. c. 5. q. 2. Molin. 1 p. q. 58. art. 1. Henr. quodl. 5. q. 18. Cuius tamen oppositum, esse nempè innatum, aiunt Bannes 1. par. q. 1. art. 6. Medin. 1. 2. q. 54. art. 4. & q. 51. art. 1. & q. 53. art. 1. Conrad q. 94. art. 1. vna cum Henrico, qui ita consequenter diceret de intellectu humano, vt de angelico. Quidquid tamen sit de his, respondemus ad argum. quod habitus primorũ principiorum est idem cum intellectu humano, & angelico, vnde non eget Angelus habitu distincto, siue acquisito, siue concreato &c.

28 Obstatur ex Dion. cap. 7. Cœlest. Hierarc. dicente, *Angeli primæ Hierarchiæ nominantur calefacientes*. Indeque subdit, *Calefacientes quidem etiã Throni appellantur, & effusio sapientiæ, manifestatio Deiformis, ipsorum habituum*. ergo ex Dion. dantur habitus in Angelis; Resp. non loquitur de habitibus acquisitis, sed infusis, vt ostendunt nomina ipsa. *Calefacientes*, nempè *ardentes*, vt Seraphini charitate ardentes, item *Effusio sapientiæ*, quod est sapientia à Deo specialitèr illis collata, insuper, *Manifestatio Deiformis* hoc autem magis ostendit non esse ordinis naturalis, sed supernaturalis, vt *Deiformitas &c.*

29 Obstatur August. de diuinat. Dæmon. admittit in eis experientiã longa consuetudine acquisitam. Consuetudo autẽ est, vel habitus, vel instar habitus. Resp. admitti habitum ad sensum prædictum in quarta Conclusione.

QVÆSTIO XIV.

Vtrum Angeli sint natura hominibus præstantiores.

1 SEntijt Georgius Venetus in Harmon. T. 3. Cant. 3. cap. 2. Homines non solum gratia, verum & potentia, ac natura, Angelos superare; Ratio, quia Natura proportionatur gratiæ: at per gratiam homines quandoque superant Angelos, ergo & in natura. Insuper B. Amadeus reuel. 8. serm. 6. scribit, *Dæmones aliquos ita rudes esse, vt linguam ad loquendum mouere nesciant, & hos dici mutos. Alios non intelligere sermonem, & dici surdos*, ac deniq; concludit, *non esse omnes tam alti ingenij, vt homines putant*. His autẽ accedit Trithem. l. 8. q. 5. inquiens, *Inter Dæmones esse aliquos adeo hebetes, & vecordes, vt gladios metuant, & virgas*. Rationes Veneti afferentur in fine.

2 His prima facie superaddi posset confirmatio ex quibusdam verbis Augustini, nam lib. 83. qq. q. 54. inquit, *Nihil est melius rationali Anima, nisi Deus*. & lib. 3. de lib. arb. cap. 10. *Animas rationales*, ait, *superioribus potestatibus esse officio impares, natura vero pares*. ac demum lib. de Quant. An. c. 34. *Præsumendũ, nihil inter omnia, quæ creauit Deus, Deo esse propinquius*. Et inde infra, *Aliquid esse deterius anima Hominis, scilicet animam bruti; aliquid, vt Angelum; melius autẽ nihil*. atque l. 3. contra Maxim. cap. 25. *Maiores Angeli dici possunt homine, quia maiores sunt hominis corpore, maiores illis animæ*: at paulò post: *Natura vero humana, qualem naturam Christus humanæ mentis assumpsit, quæ nullo peccato potuit deprauari, solus maior est Deus*.

3 Verum si prædicti Authores ita sentiunt, vt loquuntur, profectò maximè vilificant naturam angelicam. Et inprimis Aristoteles Angelos appellauit Intelligentias, id vero à munere, & excellentia, qua pollent in intelligendo supra homines. Item appellauit Intelligentias, vtpotè, quarum munus sit speculari substantias abstractas: Hinc autem constat earum eminentia, supra homines, siquidem hæc inferiora, & concreta, siue sensata homines, vt plurimum intelligunt, de difficili autẽ & cum labore, imo sæpius cum errore, eleuantur ad speculandas substantias abstractas, earumque naturas, & proprieta- Angeli appellati Intelligentiæ.

prieta-

prietates inuentandas; proptereaque Metaphysica est tam excellens scientia inter naturales, vt quia speculetur abstracta, & remota à sensibus, homo vero sensibus inuolutus de facili deprimitur, ne tam cito eleuetur, iuxta sententiam Eccl. 14. *Corpus, quod corrumpitur aggrauat animam, & terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantē.*

Intellectus subordinatio ad sensus quare?

Accedit, quod homo subordinatur sensibus intelligēdo, *oportet enim phantasmata speculari*, & id contingit, vel rōne ordinis potentiarū, vel rōne status, vel ratione peccati, ex August. prima duo capita nō obstant angelicæ intelligentiæ. Dices obstare tertium Dæmonibus, nempè peccatum, at contra, quia Damascenus ait *In Dæmonibus naturalia remanserunt integra*. ergo nil obstat quominus, saltem perfectius, & expeditius quā homo viator, intelligant: Excipimus intellectum Animæ Christi, & Virginis: de Christo Augustinus recēsitus contra Maximinum clarè docet, dum ait, *Natura humana, qualem naturam Christus humanæ mentis assumpsit, quæ nullo pacto potuit deprauari, solus maior est Deus*. Et de Virgine idem est sentiendum, plura enim videt in Verbo, ac limpidius, quā Angeli: Nec insuper potest mens eius deprauari, eoq; magis, quo dicimus, etiam ipsam illuminare Angelos ex Scot. in disp. de illuminat. præcipuè autem Iob 40. 41. describit naturales Angelorum facultates, licet singulariter loquatur de malis, vt inde concludat, *Non est potestas, quæ comparetur ei &c.*

4 Veritas tam communis, & aperta est, Angelos natura, potestate, velocitate, intelligentia, cæterisque naturalibus facultatibus homines superare, vt nō sit necesse immorari in eius probatione, sufficiat autē locus Psal. 8. *Minuisti eum paulo minus ab Angelis*: sermo est de homine, igitur scriptura docet, esse à creatione ipsa minorem Angelis.

Angelorū præstātia super homines.

Dices, in Hebræo haberi *Elohim* quod *Deum* significat, igitur nō Angelis, sed solo Deo est homo minoratus. Resp. *Elohim* significare etiam solere Angelos, vt Psal. 96. *Adorate eum omnes Angeli eius*. Eamque lectionem de homine habet tum vulgata, tum septuaginta Interpretum. & Genebr. in Psalm. 8. adnotauit nō sine temeritate relinqui.

Elohim quid significat.

Dices, Apostolus Hebr. 2. verba illa adaptat ad Christum Dominum, inquiens, *Eum autem, qui modico, quàm Angeli, minoratus est, videmus Iesum, propter passionem mortis, gloria, & honore coronatum*. Resp. hoc non obstare, vt intelligi quoque possit locus ille Psalmi de tota specie humana, vnde amplectitur scriptura vtrumque sensū. Item Paulus singulariter explicat minorationem Christi ait namque minoratum fuisse ratione passionis, & mortis, *Minoratus est propter passionem mortis*. Fuit ergo duplici ratione minoratus, primo, ratione humanitatis, quatenus humanitas est, & secundo ratione passionis, & mortis: applicando autem ad homines, quacumq; illarum ratione minores facti sunt ipsis Angelis, tum ratione humanitatis, tum passionis, mortis, cæterorumq; accidentium materialium, à quibus tamen exempti sunt, vtpotè spirituales, ipsi Angeli. Denique si legendum esset *Minus sit paulo minus à Deo* quomodo verum erit, hominem fuisse factum paulo minorem Deo; cum tamen sit in infinitū minor Deo, & non parum, seu paulo minus?

5 Ad opposita autem respōdetur, & Primo ad Amad. & Trithem. sensū esse non de ipsis Angelis, quamuis malis, etenim scientissimi sunt ad formandum corpus, per quod loquantur, pluresque functiones efficiant: Nec insuper in ipsos cadere potest vel auditus, vel loquelæ vel huiusmodi passio, & defectus, cum sint spirituales, illa autem sunt passiones corporis: sed sensus est, vt soleant in corporibus obsessis causare passionem hanc, reddendo obsessos ipsos, mutos, surdos, sicut & lunaticos, diuersisque morbis laborantes: dicitur enim Marc. 16. *Domine attuli filiū meum habentem spiritum mutum*. Ita quoque in quibusdam causant hebetudinem mentis, terrorem, ac timorem, vt gladios, imo minora his formident.

Dæmonum aliqui qualiter muti, surdi, cæci, &c.

6 Ad Primum autem locum Augustini, vbi ait, *Nihil est melius Anima rationali, nisi Deus*, idem August lib. 1. retract. cap. 26. id retractauit, inquiens, *Magis dicere debui, omni creato spiritu melius*. per Animam ergo intelligit spiritum. Ad Secundum locum, cum ait,

ait, *esse natura pares*, sicut & ad Tertium, dum idem repetit, sufficit responsio Scoti, inquientis, *esse pares obiectiue*, non, quia ambo pro fine beatifico habent eundem Deum, nec obiectũ beatificum vnius est maius obiecto beatifico alterius: ita in 2.d.1.q.6.in fine. Dum vero subdit Aug. *Melius autem nihil*, fortasse loquebatur more platonicorum, existimantium, vt suo loco vidimus, Angelos esse natura corporeos, stante autem tali opinione, vtiq; rationalis Anima erit melior, & ipsamet nil melius, nisi Deus. Ad Vltimũ tamen locum, iam seipsum declarat, etenim humanitas nõ qua humanitas, sed qua talis humanitas, vtpotè assumpta à diuino Verbo, est cũctis Angelis maior.

7 Georgij Veneti fundamẽta erãt, cum ratione Christi Domini, siquidem Anima eius superat supremum quemque Angelorum. Secundo ex D. Tho. cæterisque, Deus gratiam, & dona elargitur iuxta rerum naturã: quod si gratiam maiorẽ Deus humanitati Christi contulit, quam Angelis, ergo natura humana erit præstantior. Tertio Luc. 22. *Maior est qui recumbit, quam qui administrat, sed omnes Angeli sunt administratorij spiritus* Hebr. 4. non solũ Dei, sed & hominum, Hebr. 1. dum custodiunt homines, ergo. Quarto, quod est vltimum in executione est primum in intentione, quia finis habet rationem optimi: at homo fuit vltimus ordine creationis, ergo perfectior quoque Angelis.

8 Ad Primum resp. id contingere non natura, sed gratia, vt sic enim per gratiam plerique homines præcellunt Angelos, non natura: eminet autem super omnes humanitas Christi, inde Beatissimæ Virginis, indeque ij, quos Deus super Angelos extulerit.

9 Ad Secundum, doctrina illa locum habet in Angelis, itaut gratiam eis contulerit Deus diuersam iuxta dignitatem Naturæ. Cæterum non habet locum in omnibus. Dices. Paulus ait, *Idoneos nos fecit ministros testamenti sui*. Hebr. 3. ergo contulit iuxta idoneitatem naturæ. Neg. conseq. quia idoneitas hæc non est à natura, sed ab ipsomet Deo, ideoq; dicit Apost. *Nos fecit*, nempè ipse Deus, non nos fecimus nos.

10 Ad Tertium id pendet ex diuina miseratione, ita disponente, vt Angeli custodiant homines &c.

11 Ad Quartum, non Angelorum, sed creaturarum corporalium est finis homo, *Cuncta enim nempè corporalia fecit Deus propter hominem*, licet finis hominis sit Deus, ideoque subdit *Hominem autem propter semetipsum*.

QVÆSTIO XV.

Vtrum Angelus diuersis cognitionibus intellgere possit simul plura per modum plurium.

1 IN Primis fuit sentẽtia Durand. in 2.d.3.q.8. opinantis, Angelũ simul actu intelligere omnia, tum quæ actu existũt in rerum natura, tum quæ à causis naturalibus in futurũ prodibunt: Ratio penès ipsum, quia dum sunt sibi præsentia vel in sè, vel in suis causis, id sufficit, vt valeat ea omnia simul cognoscere: sufficit autem propria præsentia in sè, vel in causis, absque recursu ad species repræsentantes, etenim negat illas.

2 Gregor. Arimin. in 2.d.11.q.1.asserit, Angelum posse plura simul, & per modum pluriũ, atque distinctè cognoscere: probat autem, Primo, non repugnat ex parte intellectus angelici, ergo potest: prob. anteced. nõ repugnat ex parte intellectus possibilis, quia de se est receptiuus, & capax infinitarum intellectionum: nõ ex parte intellectus agentis, quia cum nõ dependeat à corpore, non defatigatur in intelligendo ergo potest. Secũdo authoritate Aug.

super

super Gen. cap. 32. 34. vbi inquit, *Potentia spiritualis mentis angelicæ cuncta, quæ voluerit simul notitia facillimè apprehendit*.

3 D. Thom. 1. par. q. 58. art. 2. cū sequacibus, ait nō posse simul intelligere plura per modum plurium, benè tamen per modum vnius. Circa probationē primæ partis, quia in ea sita est controuersia, afferentur rationes, non tamen circa secundā, quia erit sententia communis. Probatur autem Primo, nullū corpus potest figurari pluribus figuris, ergo nullus intellectus poterit simul informari pluribus intellectionibus per modum plurium. Secundo, ad vnitatem motus requiritur vnitas termini, ergo ad vnitatem intellectionis requiritur vnitas obiecti: ergo non possunt plura simul intelligi, nisi habeãt rationem vnius intelligibilis. Tertio, idem subiectum nō potest plures formas recipere eiusdē rationis, ergo nec intellectus recipiet simul plures intellectiones. Quarto Arist. 2. Top. cap. 4. ait, *Contingit plura scire, cogitare autem non*. Cogitatio autem se habet loco intellectionis actualis, scientia verò habitualis, vnde docet Arist. posse quidē plura intelligi habitualiter, non tamen actualiter. Quinto, 4. Met. cap. 10. *Qui vnum non intelligit, nihil intelligit*: ergo quæcunq; cognosci habēt, non debent cognosci per modum plurium. Sexto, species vna vniuersalis est adæquata intellectui angelico, ergo dum Angelus operatur per illam, non potest simul aliam speciem habere, per quam hoc, & illud obiectum illarum specierum simul intelligat. Confirmatur, species vna, siue vniuersalis sit, siue particularis, est principium intellectionis adæquatę tum intensiuè, tum extensiuè intellectui, ergo vltra obiectum talis speciei non poterit plura simul intelligere. Confirmatur Secundo, Scotus ait, speciem sic adæquari intellectui, vt nequeat simul plura intelligere. Sextum, cum his duabus confirmationibus est Suarij l. 6. cap. 37.

Potest Angelus intelligere plura per species alterius ordinis.

4 In hac re, vnum est ab omnibus concessum, posse Angelum simul intelligere plura, vt plura, dummodo ea repræsententur per species diuersi ordinis, vtputa per species acquisitas, & infusas, quæ sic sunt alterius ordinis. Res autem probatione non indiget, & clara est, etenim Angelus intelligit semetipsum, per se, & aliud creatum per speciem acquisitam: qui etiam tunc simul intelligit Deum repræsentatum sibi immediatè per Essentiam diuinam in visione beatifica, tanquam per speciem alterius ordinis: dixi tanquam *per speciem* non autē quod videat Beatus Essentiam mediante specie, sed immediatè sine specie, vt in materia de Visione beatifica. & tom. 2. de Trinit. lib. 2. disp. 5. quæst. 10. Doctrinam hanc tradunt Scot. in materia de intellectu Animę Christi in 3. d. 14. q. 2. art. 3. & in 2. d. 5. q. 2. qui licet non tradat eam in terminis, tacito tamen cōsensit, & præcipuè in 4. dist. 49. loquendo de Beatis quæst. 7. qui, vna cum visione diuinæ Essentię, possunt habere cognitionē de naturalibus, & circa ea discurrere &c. est etiam D. Thom. quodlib. 9. q. 4. art. 7. atque omnium.

5 Duas autē partes continet quæsitum, vna an id facere possit mediantibus pluribus, atque distinctis cognitionibus: altera, vtrum plura intelligere possit per vnicam intellectionem.

6 His actis, Primo dicimus, posse Angelū intelligere simul plura per modum vnius. Prob. simul intelliguntur duo correlatiua, at per modum mutuæ correspondentiæ. Simul intelliguntur linea, corpus, & superficies, quatenus vnum continuum constituunt: Simul etiam partes omnes, quatenus vnum totum componunt. Item ea ratione possunt plura per modum vnius intelligi, qua potest intelligi vnum: at potest Angelus intelligere vnum, ergo & multa per modum vnius: antec. patet, etenim plura per modum vnius, non sunt plura, sed vnum, vnitas namque dat specificationem, & plura per modum vnius, vt vnius, in sensu composito, reddunt vnum. Insuper scientia habita de aliqua quiditate à posteriori, & à priori nō est plures, sed vna. Prob. nam vtraque via demonstrandi tendit ad eandem quiditatem scibilem, & ad eandem scientiam constantem ex varijs medijs, ergo habētur plura, nempè demonstratio à priori, & à posteriori, per modum vnius, nempè scientiæ, &

Intelligere potest simul plura per modum vnius.

quidi-

unitatis. Dices, scientias istas esse plures, quia media demonstrandi sunt plura. Resp. esse plures partiales, & inadæquatas adæquatè tamen, & totaliter esse vnam: vide Scot. in 1. dist. 3. quæst. [illegible] Rursus per eandem speciem potest repræsentari magis, & minus vniuersale: species quoque alicuius singularis potest simul repræsentare singularitatē, proprietates, ac naturam communem, vt habet Scot. in 2. d. 3. q. 1. ergo potest Angelus plura intelligere per modum vnius: ita quoque habet D. Thom. 1. par. q. 58 art. 2. denique ex relatiuis apertè colligitur, quia cognito vno eorum cognoscitur & reliquum simul; nam, sicut res se habet ad esse, sic ad cognosci: Relatiua, & correlatiua sunt simul, ergo & simul cognoscuntur: dempto priori, & posteriori origine.

Intelligere plura simul imperfectè. 7 Secundo dicimus, potest simul intelligere plura, vt plura per species alterius ordinis. Hoc patet ex suppositis ultimo.

8 Tertio dicimus, potest intelligere simul plura, vt plura, cognitionibus tamen imperfectis & indistinctis. Prima pars probatur, nisi posset hoc, sequeretur nihil simul posse intelligere, vltra semetipsum, sed necessarium esset desistere à cognitione sui, quandocunq; voluerit intelligere quid aliud: probo occupatur Angelus in continua cognitione sui ipsius, ergo non posset simul cognoscere quid aliud, quod est falsum. Confirmatur ex sententia dicentium non posse cessare à cognitione sui, de qua nos supra suo loco. Item ad principale. Visus videt simul plura obiecta disparata per distinctas visiones, vt in charta nigredinem, & albedinem papyri. Respondet Ferrar. non videre hæc duo, nisi per eandem speciem: sed contra, quia res differentes specie non possunt videri per eandem speciē, nulla namque species naturaliter repræsentat albedinem, & nigredinē, alias repræsentaret simul contraria: item auditus simul percipit plures sonos: Tactus sentit simul quantitatem, duritiem, asperitatem, caliditatem, & huiusmodi: Hæc autem omnia per modum pluriū, atque diuersis sensationibus: quod per modum plurium patet, dum namque auditus audit simul sonitum tympani, fistulæ, organorum, tubarum, aliorumque musicalium instrumentorū profectò nullum hæc ordinem habent inter sē, idemque de quantitate, calore, asperitate, deque obiectis visibilibus, vt lapide, calamo, ligno, speculo, brutis, hominibus, quæ nullam habeant habitudinem inuicē in repræsentando. Quod autem diuersis intellectionibus, & sensationibus probo. nam actus distinguuntur ex obiectis: obiecta recensita sunt plura, distincta, disparata, nullumq. ordinem dicunt inter sē, ergo operationes quoque erunt distinctæ: item operationes specificantur ex obiectis, igitur quot, & qualia sunt obiecta, tot, ac tales erūt intellectiones, & sensationes.

9 Secunda autem pars, quæ erat, cognitiones tales non fore adeo perfectas, & distinctas, de facili probatur, est namque intellectus Angeli finitus, ac limitatus, ergo minus poterit ad multa, quam ad vnum: & minus ad plura, quā ad pauciora. Hoc enī facit [illegible] Pluribus intentus, minor est ad singula [illegible] apertè quoque tradidit à Scoto vtraq; pars, licet secunda magis explicitè, quā prima, in 2. d. 3. q. 2. § Respondeo primo, & in 3. d. 14. q. 2. art. 3. inquiens, [illegible] tio circa plura obiecta est minus perfecta, idemq; applicat ad intellectū etiā Animæ Christi, negās posse videre infinita simul, negans; consequenter posse videre, ita perfectè plura, sicut pauciora quamuis est de sē [illegible] vt infra, ac præcipuè ita discurrit in fine § [illegible] sub lit. N. & idipsū prosequitur sub lit. O. in Secundo autē loc. cit. sub lit. D. sic loquitur ad præsentem materiam, Plures intellectiones distinctæ simul non possunt esse in intellectu. loquitur autem de Angelo.

Intelligit plura Angelus simul quam homo. 10 Verum quia dignificāda est natura quantum potest, verum intellectus Angeli determinetur ita v. g. ad duo, vt ea non possit distinctè intelligere, tunc parem faceremus Angelū homini, nec namque homo potest duo simul distinctè intelligere, vt igitur quid amplius tribuamus intellectui angelico, necesse est dicere, posse plura distinctè intelligere, ad quæ nō possit homo: quot vero sint illa, ipse Angelus nouit, de intellectu

tellectu etiam creato Animæ Christi, dum iuxta Artic. Parisiensem, Anima Christi est nobilior Anima Iudæ, secundumq; Expositores, sit nedum in gratuitis nobilior, & in accidentalibus naturalibus, verum etiam in substantialibus, vt sunt ij, qui sustinēt Animas esse quoque substantialiter inæquales, inter quos Cauellus in Anim. disput. 1. sect. 10. num. 4. & antiquitus Henric. quodl. 4. q. 15. sequitur, data hac sententia, posse plura, & distinctè simul intelligere, quæ tamen non possit Iudę Anima, vel alterius Hominis, licet nō possit intelligere infinita, vt ibi latè Scotus: quòd vero fiat ea, ipse non credit, nisi tamen dicat quis cum Cauello, negandum esse articulum illum Parisiensem, ea ratione, quam substantia non suscipit magis, & minus &c. Hæc autem currunt, spectando intellectum creatū Christi de sé solo, & ex propria natura, cæterum quid possit inde quatenus eleuatus, Beatus, & adiutus, id concernit materiam Incarnationis, & Visionis beatificæ. Addimus tamen, quod vbi cōtingit Angelum intelligere confuse, vtique magis confuse intelliget homo, quam Angelus; & vnus homo, vnusq; Angelus magis, vel minus altero homine, & Angelo, iuxta perfectionem naturæ.

Anima Christi nobilior Anima Iudæ.

Minus confuse intelligeret Angelus, quam homo.

11 Ex his soluuntur obiecta. Ad illud Durandi, eatenus repugnat simul actu intelligere omnia, quatenus est potentia limitata, & finita, non valens simul ad omnia, sed successiuè, & seorsim, dummodo non trascēdant suas vires naturales.

12 Ad illud Ariminēsis, repugnat ex parte intellectus, nō quatenus actiuus, vel receptiuus, sed quatenus limitatus, & finitus. Cum autem ait, intellectum Angeli non defatigari, quia caret corpore, concedimus non defatigari, attamen non concedimus posse omnia; talis autem impotentia non prouenit ex defatigatione, vel lassitudine, sed ex finitudine, & limitatione virtutis, quæ tanta est, quin possit se extendere ad plura.

Impotentia intelligendi plura in Angelo vnde.

13 Ad August. non est mens eius, vt sonant verba de rigore sermonis, nō enim docet, vere simul posse intelligere cuncta, sed per ly *simul* indicat velocitatem, altitudinem, excellentiam, & subtilitatem intellectus angelici, sicut non cogatur insumere in intelligendo tantam moram, & tempus, quantam nos, & propter hanc expeditionem in intelligendo, appellantur, per antonomasiam, *Intelligentiæ*, & *Mentes*.

Simul quandoque indicat velocitatem.

13 Ad rationes denique Thomistarum respondendo, ad Primam negatur paritas, quia quantitas, seu forma corporea occupat locum, ideo subiectum aliam quantitatem nō potest simul suscipere, ne detur penetratio dimensionum, intellectiones autē, quia sunt spirituales, non occupantes locum, possunt simul in eodem intellectu recipi.

14 Ad Secundum, nil concludit, nō enim dicimus illa plura intelligi per vnicam intellectionem, sed vnicuique termino, siue obiecto, correspondere suam propriam intellectionem, eo modo, quo motus ad suum terminum, & plures motus ad plures terminos: at de hoc in seq. quæst. Item in eodem simul possunt esse plures motus, vt motus localis, & augmentationis, alterationis, &c. imo planetæ mouentur simul contrariis motibus.

15 Ad Tertium, verum de formis vltimatis, & adæquatis, non autem sūt tales intellectiones hæ plures.

16 Ad Quartum, Aristoteles loquitur de cognitione distincta, quam non contingit simul de pluribus haberi. Itē loquitur de nobis, non de Angelis.

17 Ad Quintum, eiusdem Aristotelis sensus est, quod nequaquam possunt plures inuicem vel colloqui, vel disputare, nisi prius conueniant in aliquo vno, nempè, oportet eos conuenire in terminis, in vocibus, in loquela, in subiecto, de quo colloqui habeant, quomodo namque disputare poterimus, & disquirere vtrum homo sit animal rationale, nisi prius communiter conueniamus, & concordemus in concedendo, & acceptando terminos, & principia prima, vtpotè, dari animal, dari rationale, quo supposito, inde bene incipere poterit disputatio, contra namque negantes terminos, & prima principia non est disputandum.

18 Ad argumenta Suarij, in Primo supponit dari species illas inditas sic repræsentantes, de quibus tamen diximus

mus non dari et ipse ponit, de quo in præsenti disput. Et ad Secundum, sicut etiam ad Primum, nequaquam siue species, siue actus ille vnicus, sunt adæquati, nec intensiuè, nec extensiuè: Ad illud de Scoto, loquitur de adæquatione in ordine ad cognitionem distinctā, vt sic enim species, & vnica intellectio distincta est adæquata, attamen sunt inadæquata quoad confusam.

Accidentia duo eiusdē rationis an simul.

19 Dices, accidentia plura eiusdem rationis non possunt esse simul in eodē subiecto, ergo nec plures cognitiones simul. Ad hoc alias responsū, nil enim vetat posse esse simul, alias Beatus non intelligeret simul obiectum beatificū, & res in proprio genere: ergo non repugnat ex natura rei. At qualisnam erit sensus illius vulgatę propositionis? Respond. intelligi de accidētibus, siue de speciebus adæquatis, ratio, quia si vna est adæquata, cur est, vt recurrendum sit ad aliam adæquatam: Item si admitterentur simul ambæ adæquatæ nil vetaret recipi in subiecto quidem spirituali, qualis est Anima, vetat autē recipi in subiecto materiali, nam si paries hic recepit v. g. totam albedinem adæquatam suam capacitatem, non vtique recipere posset aliam, iam enim subiectum reperiretur præoccupatum à forma materiali, & extensa, & adæquata intensiuè, & extensiuè: at non militat in subiecto spirituali, si namque vna species, vnicaq; intellectio esset Animæ adæquata intensiuè, taliter, vt ea mediante valeat adæquatè intelligere, nil prohiberet, recipi posse aliam, ratio, quia subiectum non est materiale, nec forma est materialis, vt impediat ingressum alterius, & sit etiam ratio intelligendi rursus idemmet obiectum, ergo ex parte subiecti, & ex parte formæ, vt sic, nō implicat: licet dicendum aliundè sit, adeo implicare, quia illa secunda species, siue intellectio esset superuacanea, & superflua, dum prima adæquata sufficeret. Item axioma intelligitur de speciebus, intellectionibus, siue accidentibus tendentibus ad idem prorsus obiectū, si enim vna species, siue cognitio adæquatur de vnico obiecto, frustra erunt aliæ superadditæ, at quando erunt de diuersis obiectis, nec implicabit esse simul, nec erūt frustraneæ, vt in casu nostro, dicimus namque Angelum posse habere plures intellectiones simul, at illæ non erunt eiusdē rōnis, quia vna v. g. erit de seipso, altera de ligno, altera de lapide, &c. Bassol. glossat illud axioma de accidētibus respectiuis, vt plura respectiua nō possint esse in eodē subiecto, concedit tamē de absolutis: at vero de absolutis non est absolutè, & simpliciter concedendum, sed eo modo, quod diximus: de respectiuis autem nō video, cur negandum sit, nisi ad sensum explicitum, nam in eodē Domino reperiantur plures dominationes, seu relationes ad seruos: igitur de vtrisque est sic sentiendum, vt diximus. Adde axioma illud considerandū esse, sub quanam ratione accidentia illa duo sint eiusdem rationis, si namque sint eiusdem rationis formaliter, & obiectiuè, vtique non poterunt esse ex ratione allata, nūc namque Dominus hic habet relationem ad hunc seruum, quot autem, quæso, sunt relationes istæ nunc? vna quidem, at cur non duæ? Respondebis, & benè, quia sufficit pro nūc illa vna, recedente autem illa, aduenit altera: Si vero sint quidem eiusdem rationis formaliter, at non obiectiuè, non implicat simul multiplicari, & ita euenit de eodē Domino, qui cū habeat plures seruos, subiectabit in se plures relationes simul ad seruos plures, ratio pluriū accidentium desumitur ex pluralitate seruorū: Sicque putamus declarandū esse illud axioma. Addunt aliqui formas eiusdē rationis tūc non posse esse simul, quando inuicem repugnant: Verum expositio est superuacanea, nam nedum de formis, & accidentibus eiusdem rationis, quando incōpossibiles sunt, vt duæ quantitates impedientes se simul ne detur penetratio, id verum erit, sed etiā de quibuscunq; alijs alterius rationis, vt de albedine, & nigredine: at axioma non haberet quid singulare, si hāc exceptionem reciperet, verū quia loquitur de formis eiusdem rationis, hinc aliundè est glossandum.



QVÆ-

QVÆSTIO XVI.

Vtrum Angelus vnica intellectione possit simul plura intelligere.

1 EXplicata iam Prima Parte, accedimus ad Secundam, quæ est vtrum per vnicam intellectionem possit cognoscere plura.

Plura per modū vnius potest simul intelligere.

2 Ad quod Primo dicendum vt supra, quod plura per modum vnius potest intelligere: probatur eadem ratione, qua prima concl. præced. quæst. quia plura per modum vnius, non sunt plura, sed vnū: ergo idem est per vnicam intellectionem cognoscere vnum, ac plura per modum vnius. Item simul intelliguntur linea, superficies, & corpus quatenus constituunt continuum, simulq; partes, quatenus constituūt totum: ac, vt sic, habēt rationem vnius, ergo per vnicam intellectionem possunt cognosci.

Plura per modum pluriū vnico actu nequit intelligere.

3 Dicendum Secundo, non potest plura per modū plurium, seu tanquam disparata, nullumq; ordinem dicentia inter se, vnica intellectione cognoscere. Probatur, si posset plura, ergo & omnia, ergo & infinita, non enim est maior ratio de vno, quam de duobus, pluribus, omnibus, & infinitis: id autē est solius Dei. Item repugnat ratione finitatis, & limitationis, e cuius opposito competit vnico actu simul omnia, & infinita, cognoscere soli Deo, vt ostendit Scot. in 1. d. 2. q. 2.

Subordinata an possit vnica intellectione intelligere.

4 De rebus tamen subordinatis, ac dicentibus ordinē inter se, connexionem, & subordinationem, est dubium. Thomistæ affirmant vt supra, vnde aiunt eodem actu intelligi media, & finem, principia, & conclusionem, nec non in papyro nigredinem characterū, & albedinem eiusdē papyri, ac huiusmodi.

5 Verum dicimus, quod loquendo de cognitione confusa, poterit habere locum eorum sententia: Prob. In Principijs continentur virtualiter conclusiones, & in medijs continetur virtualiter finis extra: ergo cognoscendo principia, & media, cognoscitur conclusio, & finis. Item causa continet virtualiter suos effectus, ergo cognita causa, cognoscuntur effectus eadem precisa cognitione: at cognitio de obiecto virtuali, seu potentiali est confusa, & imperfecta, ergo & hæc erit imperfecta. Prob. min. nam sicut res se habet ad esse, ita ad cognosci: at esse effectuū in causa; finis in medijs; & conclusionis in principijs, est esse imperfectū, est namque esse intra causas suas, estque esse non actuale, sed potentiale, ergo cognitio subsequens erit quoque confusa, & imperfecta.

6 Loquendo tamen de cognitione distincta, negamus, vnde dicimus nō posse plura inuicē subordinata, cognosci vnica cognitione distinctē. Probatur ratione mox tacta; finis in medijs: effectus intra causas: & conclusio in principijs non habent esse distinctum, & seorsim, atque diuisim, ergo nec distinctim cognoscuntur. Patet, ad cognitionem distinctam pluriū non esse opus illa fore ab inuicem diuisa, & separata, vt patet in materia, & forma; subiecto, & accidentibus: partibus, & toto, ideoque ex capite seorsim, & diuisim, argumentum hoc non concludit: cogit tamen ex eo, quod nō habēt esse, perfectū vt sic, ergo, vt sic, non cognoscuntur perfectē. Item nō habent esse explicitum, ergo eorum cognitio nec erit explicita: non explicita, ergo implicita, quod si implicita igitur imperfecta, & confusa. Insuper, nec diuersis quidem, pluribusq; actibus potest distinctē cognosci causa cum suis effectibus, quatenus in ea virtualiter, & potentialiter continentur, vt constat, quia non habent esse adhuc perfectum, & explicitum, ergo minus perfectē cognosci poterunt per vnicum actum.

7 Exemplo Ferrarien. ac ceterorū est, hæc vis cognosci simul, quia per vnicā repræsentātur. At contra, nigredo, characterū, & albedo papyri, in eadē papyro, sunt vtique ita diuersa, vt sint omnino opposita, & contraria, qualia sunt nigredo, & albedo, quorsum ergo pote-

tur per vnam, eandemque speciem repræsentari simul, ita vt vnico actu simul intelligantur. Ita de cæteris, lignũ, lapis, homo, dulce, amarũ, calor, frigus, & huiusmodi, omnia quidem hæc sunt inuicem essentialiter distincta, ergo vnumquodq; ipsorum habebit singulare repræsentatiuum, taliter, vt repræsentatiuum vnius non possit esse alterius. Dices, media repræsentãt finem: principia conclusiones: & causa suos effectus, quia continentur in ipsis, ergo dabitur species vnica repræsentãs plura. Respond. Primo variari suppositionem, nam aliud est loqui de disparatis, aliud de subordinatis: illud omnino negatur, hoc conceditur, vnde verum erit assumptũ, attamen, (& est secunda responsio) repræsentatio illa est valde imperfecta, taliter enim repræsentat causa effectum, principia conclusiones, & media finem, qualiter continent, at continent imperfectè, in potentia, in virtute, implicitè, non in actu, non explicitè, ergo sic imperfectè cognoscuntur.

8 An vero aliundè possit id euenire, vtpotè per potentiam diuinam, vnico actu simul intelligi plura, & omnia, concedit Scotus in 3. d. 14. quæst. 2. loquens de Anima Christi: qua etiam ratione dicendum foret de quocunque alio intellectu, ac proinde de angelico.

QVÆSTIO XVII.

Vtrum intellectus angelicus sit compositiuus, & diuisiuus.

1 DIuus Thomas 1. par. q. 58. art. 4 negat, intellectum angelicũ intelligere componendo, & diuidendo; fundamentum præcipuum est, quia si homo intelligendo componit, & diuidit, id prouenit ex debilitate luminis intellectualis ipsius hominis, vnde est, vt non valeat simul intelligere principia, & conclusionem: prædicatum, & subiectum, & quidquid in eo continetur: Angelus autẽ id potest, quia lumen intellectuale ipsius est perfectum, etenim *est speculum purum, & clarissimum*, vt ait Dionys. de Diuin. Nomin. cap. 4. ob quod compositionem, & diuisionem, sicut & ratiocinationem syllogismorũ intelligit simpliciter, & mobilia immobiliter, & materialia immaterialiter. Hinc Thomistæ eandem conclusionẽ amplectuntur: & sequitur Durand in 2. d. 3. Aegyd. q. 2. art. 3. pluresque.

2 Videamus vero quid Vasquez, Molina, & Suarez ad hæc addant. In primis autem Vasq. 1. par. disp. 223. c. 1. & 2. hæc habet. Ea, quæ sola ratione distinguũtur, intelligi ab Angelo absq; compositione, & diuisione; ratio, quia ibi non distinguuntur plures conceptus, vnde est, vt simplici intuitu ea cognoscantur. Item, ea omnia, quæ alicui conueniũt, tanquam proprietates, aut vt communia accidentia, etiam si rè distinguantur, cognosci ab Angelo absque vlla compositione, ratio, quia hæc omnia cognoscit non per plures species, nec per plures conceptus formales, sed per vnicam speciẽ, vnicumque conceptũ: pergit tamen, inquiens, *Bene video hoc nõ satis demonstrari posse, quia non est manifestum, Angelum per vnum simplicem conceptum cognoscere plura.* Rursus inde ait, *Postremo mihi difficile apparet, Angelum sine compositione omnia, quæ de re aliqua possũt enunciari, siue naturalia, siue supernaturalia, siue intrinseca, siue extrinseca*; ibique non consensit Gaetano dicenti, supernaturalia cognosci ab Angelo per modum rerum naturalium, & ita in illis non esse compositionem. Denique capitulum illud primum concludit, inquiens, difficile sibi videri quomodo extrinseca, quæ diuersa, & contraria sunt, siue etiam negationem, intelligere posse absque compositione, ratio,

quia

quia ea solummodo absque compositione intelligit, quæ vnico actu, & per vnicam speciem repræsentantem intelligi[illegible] diuersa, & extrinseca atque aliena à subiecto, imo contraria non potest per vnicam speciem cognoscere, alias daretur vna species repræsentatiua omnium. In Capite autem secundo, loquens de diuisione, ita initio scribit, postquam retulit sententiam Thomistarũ, nec intelligere diuidendo, inquit enim, *Quæ quidem sententia mihi semper difficilis visa est.* In fine vero eiusdem capitis, difficultatibus pressus ita concludit, *Supersedere conuenies iudicaui*. Hæc Vasquez.

3 Molina eadem quæst. 58. artic. 4. In primis dicit, quod quando extrema repræsentantur per diuersas species, nõ possunt intelligi absq; compositione. Item nec ipsa negatio & affirmatio, intelligi valent absq; diuisione: exemplum primi, Hominem esse lapidem: secundi, non esse lapidem. Rursus subdit, loquendo de cognitione abstractiua, necesse esse, Angelum intelligere componendo, & diuidendo: adducitq; Caietanum, dicentem non videri hanc sententiam sibi improbabilẽ, licet oppositam existimet esse D. Thomę consonantiorem; secus de intuitiua.

4 Denique Suarez lib. 2. cap. 32. num. 7. Primo inquit, esto, quod Angelus cognoscat plura per plures species, non propter hoc componit, habendo namque speciem, & actum substantiæ alterius Angeli; & habendo insuper speciem, & actum cognitiuum amoris illius, non propter hoc sequitur compositio, vt dicat, Angelus est amans, sed vnumquodque cognoscit seorsim per propriam speciem, absq; vnione. Pergit autem inde dicens, *Vnde quia talis species repræsentat illum amorẽ, vt inhærentem voluntati, per illam etiam speciẽ, & vnum simpliciter actum videt Angelus actũ alterius, ideõ videt Angelum amantem: vnde fit, vt actus Angeli per hanc speciem amoris elicitus, non componatur cum alio elicito per speciẽ substantiæ Angeli, quia non attingit illam substantiam, vt repræsentatam directẽ per propriã speciem sui, sed vt repræsentatam oblique per speciem actus amoris.* Et infra, *per illũ actũ amoris intuebitur Angelũ amantẽ*:

inde; concludit, *Non habere inter se compositionem*. Addit inde, cum cæteris, negationes quoque cognoscere per eundem actum absque compositione, seu diuisione: licet id nõ existimet verum de omnibus negationibus, quia non sufficit intellectus angelicus per vnum actum, nec per plures (licet duos concedat) differentias rerum omnium intelligere. Insuper, *Quæ* cognoscit intuitiuẽ, non cognoscit componendo; idem quoque habuit Mol. Præterea quæ non cognoscit euidenter, probabile est, ea cognoscere componendo: hoc idem dixit Mol. de cognitione abstractiua: Item futura contingentia & actus internos, qui ea nota sibi adhuc non sunt, cognoscit necessario componendo. Insuper supernaturalia non adhuc reuelata nõ potest, nisi componendo, & diuidendo indagare, nõ enim ea videt, ergo coniecturando aliundẽ, euenit, vt componat: hoc idem habet Vasq. Confirmatur, cum namque proponitur obiectum supernaturale, credibile, prius quidẽ apprehenditur ab Angelo, quã credatur, siue prius tempore, siue natura, illa autem apprehensio fieri non potest absq; actuali compositione: cum namque proponitur, Deus est trinus, & vnus, antequam assensum præbeat, necesse est apprehendere terminos, eosq; simul comparare, ergo inde compositio.

5 Sensum istorum singulariter retuli, vt appareat, quantum constantes sint in sententia Diui Thomæ.

6 Cæterum circa impugnationes ipsorum, eædem, quas afferemus aduersus alios, militabunt contra illos.

7 Circa Suariũ tamen licebit aliqualiter immorari. Et quidem, dum ait, Angelum videntem amorem inhærentem alteri Angelo, non componere, seu non intelligere componendo: profecto id non asserit ex solo capite communi Thomistarum, quod v. g. vtrumque, tum substantia Angeli, tum amor repræsentetur per eandem speciem, & cognoscatur per eundẽ actũ, sed aliundẽ etiã, inquit enim, substantiam Angeli repræsentari oblique per speciem actus amoris. At quonam pacto amor repræsentare poterit Angelũ, nisi videatur inhærere ipsi Angelo? in-

hæren-

hærentia autem est compositio, quia ergo videbit componendo amorem cum Angelo amante: Item, aut videt amorem illum inhærere substantiæ Angeli, aut videt non inhærere, si Primum, ergo componendo videbit: si Secundum, ergo videbit diuidendo. Insuper cognoscit amorē inhærere huic v. g. supposito, & non alteri hinc vero differentiam admittet inter hoc suppositum, & illud alterum, quia illi amor inhæret, & nō alteri: at admittens differentiam inter aliqua duo, debet cognoscere vtrumque extremū, alias non posset talem differentiam apponere: admittendo autem differentiam necesse est faciat compositionem, & diuisionē, vtpotè, compositionem, intelligendo amorem componi, seu vniri cum illo: diuisionem, dum videt amorem separari ab isto, ergo componit, & diuidit. Item quid est, amorem repræsentare oblique amantem? aut namque repræsentat quatenus inhæret, aut quatenus est separatus: Si Primum, ergo cognoscit componendo, videt namque amorem inhærere: Non Secundum, quia vt sic, nullatenus cognosceretur: Præterea propositio contingens non cognoscitur vt vera, vel falsa, nisi videatur vnio, vel separatio extremorum; non enim cogimur assentiri propositioni huic, Sortes currit, nisi videamus eum currere: nec huic Plato non currit, nisi videamus eum quiescere, & cessare à motu, quo fit, vt necessario sit facienda compositio, vel diuisio cursus à Platone, & Sorte: igitur hinc sequitur, vt dum propositio ista, Angelus amat se, est contingens, non valeat alter Angelus cognoscere ipsam esse veram, nisi copulet prædicatum cum subiecto: vel si copulationem negabit, intelliget nō esse veram per diuisionem. Denique cū species amoris, & Angeli, sint omnino disparatæ, nullam habentes necessariam connexionem inter se, vnde est, vt per amorem cognoscatur etiam substantia Angeli? Respondet, ex ratione, qua inhæret: hinc arguo, igitur cognoscit totum hoc, componendo amorem cū Angelo: inhærere enim subiecto, est componi cum eo.

Propositio contingens non cognoscitur certo, nisi cognita vnione terminorum.

8 Contrarium hinc absolutè dicimus Primò, quæcunque sola ratione distinguuntur, ea intelliguntur vnico actu, & absque compositione, & diuisione. In hoc Vasquez consentit nobiscum: De facili probatur, actus distinguuntur per obiecta: at talia obiecta distinguuntur sola ratione, ergo actus ea intelligendi non erunt distincti, nec plures, sed vnus, siue eodem vnico actu ambo intelliguntur: exemplum, quando idem prædicatur de se ipso, vt Ego sum Ego, tunc prædicatum, & subiectū cognoscentur vnico conceptu, eoque simplici, nec tamen compositiuo, nec diuisiuo. Dices, prædicatum componitur cū subiecto, igitur cognitio erit quoque compositiua. Resp. compositionem hanc non esse Physicam, sed Logicam, seu intentionalem: nō physicam, quia termini à parte rei non distinguuntur, sed intentionalem, & logicam, quia est ens rationis, ideoq; compositio, seu diuisio vt dicendo *prædicatum non est subiectum logice*, non erit realis, sed intentionalis.

Quæ sola ratione distin[guuntur] [illegible] vnico a[ctu] [illegible]

Quæ sola ratione distinctas

9 Dicendum secundo, quæcunq; per conceptus inadæquatos distinguuntur, ea intelliguntur componendo, & diuidendo. Assertionem oppositam huic docet Vulpes disp. 13. art. 6. nu. 4. inquiens non cognoscere per iudiciū compositiuum, aut diuisiuum, probat, quia compositio supponit distinctionē à parte rei: at quæ per cōceptus inadæquatos distinguuntur, non distinguuntur à parte rei, ergo nec cognoscuntur componendo, aut diuidendo: Pace tamen tanti Viri, non sequor ideoq; assero adhuc intelligere componendo. Probatur autem apertè in doctrina Scoti, vbi datur distinctio formalis, quæ etiā est à parte rei, ex natura rei ad itentum formalitatum: hinc arguitur, Paternitas in diuinis nō est Essentia: Essentia non est Pater: Essentia non est Relatio: Voluntas fœcunda non est intellectus, siue memoria fœcunda: & huiusmodi: sicut etiam in naturalibus, Rationalitas non est risibilitas &c. at cognoscit hæc Angelus, ergo diuidendo cognoscit: Distinguuntur vero omnia hæc per solos conceptus inadæquatos, etenim cum non distinguuntur realiter, sed solum formaliter, vtiq; distinguentur per conceptus inadæquatos. Itē id asserere esset contra Thomistas,

Quæ per conceptus inadæquatos distinguuntur, cognoscuntur componendo &c.

ipsi

ipsi namque sunt, qui hæc omnia intel-
ligunt, (demendo tamen passiones, &
potentias, quas aiunt distingui realiter
in naturalibus à subiecto) vnico sim-
plicique conceptu, eo quod nullam di-
stinctionem admittūt inter ea in diui-
nis, nisi rationis; at quia admittimus
nos formalem, hinc verius existimo, ac
conformiùs Scoto, intelligi diuidendo.
Verum est tamen, quod diuisio hæc nō
est physica, sed præcisiua, vnde erit po-
tius appellāda abstractio, & abstractio
quidem præcisiua, non diuisiua.

Per conceptus adæquatos diuisa componendo cognoscuntur.

10 Dicendum Tertio, quæcunque
per conceptus adæquatos distinguun-
tur, ea concipit Angelus componen-
do, & diuidendo. Prob. vnaquæque
res alteri comparata, vel est illi vnita,
vel separata ab ea: si vnita, ergo con-
cipitur componendo: si separata, ergo
concipitur diuidendo. Item, sicut res
se habēt ad esse, ita ad cognosci, at om-
nis res vel est alteri vnita, vel separata,
ergo vel componēdo cognoscitur, vel
diuidendo, compositio enim, & diuisio
stant in vniendo, & separando tum in
esse, tum in concipi. Rursus dum ter-
mini sunt inuicem copulati, vel diuisi,
aut Angelus cognoscit eo modo, quo
sunt, aut non: Dabis Primum, igitur
componēdo, & diuidendo cognoscet: c
aliter composita non cognoscet vt si-
mul posita: & diuisa non cognoscet,
vt diuisa: Si dederis Secundum, ergo
fallitur, ex August. lib. 83. qq. q. 35. Præ-
terea, dum aiunt, actu simplici cogno-
sci compositionem, argno cōtra, quæ-
ro autem, actu illo simplici aut cogno-
scitur prædicatum, & subiectum qua-
tenus sunt inuicem copulata, compo-
sita, & vnita, aut abstrahitur à tali cō-
positione, & concipiūtur seorsim, atq;
vnumquodque ipsorum de se solo sin-
gulariter: Si des Primū, ergo actu sim-
plici, seū simplici apprehensione, non
possunt sic concipi, patet, nam simpli-
ci operatione intellectus non intelli-
guntur, nisi termini simplices, incom-
positi, & inconnexi, vt Petrus de se, la-
pis de se: igitur dum concipiūtur ter-
mini, quatenus simul positi, seū com-
positi, oportet vt intellectus cōponen-
do vnum cum altero intelligat, & ita
intelligit Petrum currere, componēdo:
Petrum non esse lapidem, diuidēdo: Si
des Secundum, aut abstractio fiet ne-
gando, aut in sua natura sistendo. Si
des Primum, ergo intelliget diuidēdo:
Si Secundum, tunc vtique cessabit ta-
lium terminorum compositio, & diui-
sio, dum concipiuntur seorsim, atque
separatim, & incōnexè. Insuper quo-
nam pacto, actu vnico, vnicaue specie
repræsentante poterunt concipi oppo-
sita, dulce, amarum: album, & nigrum:
sursum, & deorsum, & huius generis,
si namque ideo Angelus non compo-
nit, quia vnico actu, & specie, vna re-
præsentante, hæc omnia cognoscit, se-
quitur speciem albedinis repræsentare
cæteros quoscunque colores, etiam ni-
gredinem, atque eodem actu, quo co-
gnoscit albedinem, cognoscere etiam
colores alios vsque ad oppositam ni-
gredinem: sicque de dulcedine, vt actu,
quo dulce intelligit, intelligat sapores
intermedios, asperum, acetosum, insul-
sum, seculentum, amarum, & similia:
sistendo, sursum cognoscat eodē actu,
eademque specie repræsentante simul
dextrum, sinistrum, ante, retro, atque
deorsum, quæ sunt differentiæ loci. Vl-
terius non possunt cognosci negatio-
nes omnes prædicabiles de aliquo per
eundem actum, ergo componendo co-
gnoscet: anteced. prob. intelligit An-
gelus hominem, quis autem dixerit eo-
dem actu cognoscere nō esse Leonem,
Vrsum, Elephantem, Hircum, vermem,
discurrēdo singulariter per omnes spe-
cies animalium, & indiuidua eorum:
atque non esse plantam rosæ, lilij, sicq;
de cæteris vegetabilibus non esse Cæ-
los, Stellas, discurrendo per infinita si-
gillatim, vtrum ne intelliget hæc sine
diuisione? nequaquam, sicut enim nō
potest vnico intuitu, quod est solius
Dei, omnia, quorum negatio competit
homini, inspicere, ita necesse erit in
sua cognitione multiplici, & per mul-
tiplices species, diuidere. Item cōtin-
gentia, quæ nec sūt intrinseca Angelo,
nec necessario competūt illi, quæ nam
ratio postulat, vt eodē intuitu cogno-
scat, & absque compositione? quod
namq; Thomistæ aiunt, ea, quæ neces-
sariam habēt inuicem connexionem,
vt subiectū, passiones, & proprietates,
vnica specie repræsentātur, atque vni-
co intuitu cognoscūtur, & consequen-
ter

ter sine compositione, quia composi- [illegible] poscit pluralitatem actuum: hæc quidem apparentiam quandam præ sé ferunt, at ea, quæ nullam habent huius modi connexionem, quonam pacto repræsentabuntur mediante vnica specie, & cognoscuntur vnico actu, vt deduximus quæst. antecced. licet nec illa admittamus vnico actu cognosci, diximus namque ibi media, & finem Principia, & Conclusiones, subiectum, & passiones, & similia pluribus cōceptionibus intelligi, quia actus distinguuntur, & multiplicātur ex obiectis, at hæc sunt plura, non enim medium est finis nec principiū est Conclusio: nec subiectum est passio, saltem formalititer, ergo, dum nō concipiuntur vnico actu, sed pluribus, consequens est, Angelum ea intelligere componēdo, & diuidendo. Dixi non posse cognosci negationes omnes vnico actu, essent enim infinitæ; omnes, inquam, nam vt ad cognitionem positiuam alicuius cognoscatur simul vna, vel duę, vel paucę negationes, conceditur à plerisque, vt Vasq. Suar. verum ægrè ferent hoc etiā Scotistæ: vnde multiplicandi quoque erunt actus pro paucis negationibus.

11 Ex dictis remanent soluta quæcunq; obstare poterūt: Arguunt enim, intelligit per vnicam speciem subiectum, & prędicatum, ergo non componit. Secundo, intelligit per vnicum actum, ergo nec componit, prob. conseq. quia ad compositionem requiruntur plures actus. Tertio, aliqua sunt essentialiter subordinata, & inuicē connexa, vt medium ad finem: principia ad Conclusiones, ergo vnico actu concipiuntur, & vnica specie repræsentabuntur, ergo non componet. Quarto, eodem actu cognoscit subiectum, prædicatum, & negationes omnes competentes subiecto, ergo nō diuidit. Quinto, Dion. sup. appellat Angelum *Speculum purum, & clarissimum*, ergo vnico actu simplici videt, & cōsequenter nec diuidit, nec componit.

12 Omnia soluta remanent ex dictis: Ad Primum negatum fuit antecedens, vt etiam in quæst. præced. Ad Secundum, negatū quoque hic, & ibi, remansit antecedens. Ad Tertium negatum insuper fuit vtrumque consequens. Ad Quartum, quidquid alicui, negatum quoq; fuit de negationibus, sicut de prædicato positiuo, & subiecto. Ad Quintum, puritas, & claritas non cōsistit in eo, vt vnico actu intelligat, nec componat, nec diuidat, sed in fugando tenebras ignorantiæ, quibus intellectus humanus inuoluitur: Item consistit in claritate scientiæ suæ, etenim scire humanū est sæpè inuolucris difficultatū, & dubiorum circundatū.

QVÆSTIO XVIII.

Vtrum in Angelis reperiatur discursus?

1 DIuus Tho. 1. p. q. 58. ar. 3. atq; Alensis par. 2. q. 20. mem. 5. docet, Angelum nō discurrere. Recentiores autem aliqui sententiam hanc limitant, ait enim Vasq. disp. 222. posse quidem discurrere in obiectis supernaturalibus, nō tamen in naturalibus. Molina q. 58. art. 3. & 4. discursum admittit in vtrisque, sed per accidens, vtpura in cognitione abstractiua, cūm creaturis intelligit Deum: quæ si ipsi obiicerentur, posse tunc eodem actu habere cognitionem vtramque intuitiuam creaturæ, & abstractiuam Creatoris, negat id fieri posse, vt cognitio eadem, etiam diuersorum, sit intuitiua, & abstractiua. Suarez lib. 2. cap. 33. ait, tum in materia supernaturali, tum in omnibus, quæ nō euidenter, sed solummodo coniecturaliter, & probabiliter, iudicat, discurrere. Addit; idem Vasq. num. 7. esse in eo discursum, cū eo primo vtitur.

2 Probatur autē absoluta sententia Thomistarum: Primo, Angeli appellantur intellectuales, homines vero appel-

appellantur rationales: at ideo appellantur homines rationales, quia intelligunt ratiocinando, & discurrẽdo, ergo ideo Angeli appellantur intellectuales, quia simplici iudicio iudicant, non discurrẽdo. Secundo Corpora cælestia habuerunt ab initio perfectiones suas absq; motu, corpora autẽ inferiora adipiscuntur eas cũ motu: ergo Angelus intelligit sine discursu, homo cum discursu. Tertio, ideo homo discurrit, quia cognoscendo principia, non statim cognoscit in ipsis cõclusiones virtualiter contentas: at Angelus cognoscit statim cognitis principijs omnia in ipsis contẽta, igitur hinc nõ discurrit. Quarto ex Dion. cap. 7. de diuin. Nom. *Angeli non congregant diuinam cognitionem à sermonibus diffusis, neque ab aliquo communi ad illa specialia simul aguntur.* Hæc sunt argumenta Diui Thomæ.

3 Accedunt argumenta aliorum, vnde Primo arguunt præcipuè Recentiores, Angelus vnico actu intelligit principia, & conclusiones, ergo non discurrit. Secundo, per vnam, eandemque speciem repræsentantur Angelo plura, etiam vt plura, ergo non discurrit: probatur vtrumque consequẽs primi, & secundi argumẽti. nam ad discursum requiritur multiplicitas actuũ cognoscendi, & multiplicitas specierum in repræsentando: at hæc Angelo necessaria non sunt. Tertio, cognitio intuitiua non eget discursu, ergo, saltem in cognitione intuitiua non discurrit: prob. anteced. per cognitionem intuitiuam videt Angelus clarissimè rem, & sicuti est in sè ipsa, ergo non oportet, vt cognitionem aliundè exquirat per discursum. Quarto, in discursu fit progressio ab ignotis ad ignota. at in Angelis nõ datur hæc imperfectio ignorantiæ, quia per speciem repræsentantem simul cognoscit omnia absque progressione discursus.

Angeli discurrunt.

4 Oppositam tamen sententiam statuimus, & dicimus, Angelum verè discurrere, licet non cum tanta imperfectione, cum quanta discurrunt homines. ita Scot. in probl. q. 4. & 5. lateral. in princ. & in 2. d. 1. q. vlt. & d. 7. q. vni. §. *Contra conclus.* OKam. in 2. q. 16. Gregor. 2. d. 7. q. 5. art. 2. Gabr. d. 7. q. 2. art. 3. Vasquez, Molina, & Suarez ex parte, vt vidimus.

Discursus requisita.

5 Oportet autem prius examinare naturam discursus, vt inde pateat, quo fieri poterit, veritas quæstionis. Ad discursum in primis interuenit ordo secundum priùs, & posteriùs. Secundo causalitas, vt dum de vno fit progressio in aliud, illud causet cognitionem sui, & illius: & Tertio multiplicitas actuũ intelligendi. De singulis est discurrendum.

Ordo in discursu naturæ, non temporis.

6 Loquendo de Primo, est absolutè necessarius ordo prioris, & posterioris, ita namque se habet discursus intellectualis, sicut corporalis in hoc: at terminus à quo *motus corporalis, est prior termino ad quem*, ergo illud à quo incipit intellectus discurrere, erit prius illo quod terminabit eius discursum. Hoc conceditur communiter: sola tamen lis oritur, verum prioritas illa sit naturæ, & ea sufficiat, an requiratur prioritas, & successiuitas tẽporis. Suarez asserit D. Thomam, Capreol. & Maiorem, prout existimantes requiri temporis successiuitates: Verba autem Diui Thomæ 1. par. q. 14. art. 7. hæc sũt, *Qui à principijs ad conclusionem procedit, non simul vtrumque considerat, sed ex notis ad ignota procedit.* At quia non explicat Sanctus Doctor, quanta debeat esse illa negatio simultaneitatis, siue successiuitas, non cogit, vt trahamus eum in hanc sententiam. Veritas tamen hæc est, non requiri successiuitatem temporis, sed sufficere ordinem naturæ, vt clarè docet Scotus vbi supra, & est communis. Loquendo de Secundo, quod est causalitas, vtique necessaria est: docet id in primis Arist. 2. post. *Scire est rem per causam cognoscere, & quoniam illius est causa &c.* En aperta causalitas ex Aristot. Item, nequaquam vel cõclusionis, vel proprietatum, passionum, vel cæterorum consequentium effectuum, discursum scientificum habere possemus, nisi ea dependere videremus à suis principijs, & causis, prob. alias non esset scire, ablata namque causa, siue ignorata, nemo dicitur more aristotelico scire. itaque necessario requiritur causalitas. Loquendo denique de tertio, requiritur

necessario multiplicatio actuum, alias ergo fieri posset discursus: patet, discurrere est de vno in alterum currere, siue motu physico corporis, siue metaphorico intellectus: at de vno obiecto in aliud ire, nō potest fieri sine multiplicatione actuum, saltem loquendo de intellectione perfecta, & distincta, iuxta dicta superioribus quæstionibus, non posse eodem actu plura simul distinctè intelligi: ergo ad discursum requiritur multiplicatio actuum. Suarez sæpè inculcat, Scotum frustra laborare in his, cum tamen ipse gratis oppositum afferat, nec fundet: imo, vel inuitus inde, accedit in multis ad Scotum, & fatetur cum eo discursum in Angelis.

Ordo naturæ non necessario causat discursū.

7 Exquirendum esset, quænam istarum conditionum sit absolutè essentialis discursui: Dicimus autem Primo, ex ordine prioris, & posterioris natura, non elicitur semper, & necessario discursus, prob. Deus, qui vnico intuitu intelligit omnia, prioritate tamen naturæ prius intelligit se ad intra, & inde creaturas ad extra: attamen non inde sequitur, vt discurrat: de prioritate ista agit Scot. in 2.d.1.q.1.& sæpè in primo, dum constituit duos ordines naturæ, vnum ad intra, alterum ad extra &c.

Causalitas non necessario infert discursum.

8 Dicimus Secundo, nec ex causalitate elicitur necessario discursus, prob. Essentia diuina, licet non sit causa, essendo in rigore nominis, vt tradidimus tract. 2. de Trinit. lib. 3. quæst. 8. disp. 1. nihilominus est radix, & fundamentum modorum intrinsecorum, attributorum, & diuinarum Relationum ad intra, inde enim emanant omnia; quia ipsa, teste Damascen. est *Pelagus omnium perfectionum*, & nihilominus Deus intuendo hæc omnia, quatenus emanant ab eadem Essentia, non discurrit. ergo causalitas conclusionis à principiis, siue cæterarum passionum à subiectis, vel effectuum à causa, non infert necessario discursum.

Actuū pluralitas essentialis discursui.

9 Dicimus Tertio, essentialiter requiri ad discursum pluralitatem actuū. Probatur Primo à sufficienti partium enumeratione, non infert discursum prioritas: non causalitas: ergo inferet multiplicatio actuum. Dices, Scotus fundat discursum super prius, & posterius, vnde infert, Angelum discurrere. Resp. fundare quidē, sed non adæquatè, & præcisè; etenim requiritur quidem ordo, at non sufficit, vt diximus. Resp. Secundo, mentem Scoti fuisse soluere obiectionem, quæ fiebat, dicēdo, ad discursū requiritur successiuitas temporis, at Angelus intelligit statim &c. occurrit autem Scot. loquēs, sufficere ordinē naturæ; ergo nō loquebatur absolutè, & præcisè. Ad principale autē respondendo, requiritur multiplicatio actuū, etenim vnico actu intelligitur principia, & altero conclusiones, sicq; discurritur: Et ob id Deus nō discurrit, siquidem licet intelligat vnum post aliud, & vnū per aliud, vt dixi, quia tamē vnico actu infinito videt oia, hinc nō discurrit. Hoc non percipit Suarez, dum iterum eodem num. 5. frustra ait Scotum laborare &c. cum ipse frustra insudet, nec apparenter quidem, vel verisimilitudinariè saltem, oppositum probet.

Ignorantia an necessaria discursui.

10 Inquirere denique opus esset, verum ad discursū requiratur ignorantia: Affirmāt aliqui, quia discurrere est procedere à notis ad ignota; ideoq; ait Damasc. 2. de fid. c. 22. *Christum Dominum nō habuisse opus consultatione.* Resp. verùm non est necessaria ignorantia, quod & patet experientia Cytharedi, qui cū alioqui perfectissimus sit in arte pulsandi, nihilominus ad sui placitum sæpè pulsat, pulsatio vero non fit absq; discursu, tum mentis, tum ictuum, tum manuum. Bene tamen potest locum habere in primo discursu, vt cū primo incipimus discurrere, perfectus quidem Cytharedus non discurrit ex præcedēte ignorantia, quia tunc perfectus est: at initio, dum tyronis erat, & rudis, vtiq; discurrebat, quatenus procedendo, & pulsando cum errore, & ignauia.

11 His actis, probanda remaneret statuta assertio, Angelos non carere discursu, imo, iuxta sententiam aliquorū, etiam Thomistarum, non posse nō discurrere, at quidquid sit de his, remaneret quidem probanda nostra cōclusio, nisi tamen, vel ex dictis aperta remaneret, vel probata. Probationes autem eius sunt euersiones fundamentorum Thomistarum: Et in primis probatur, Angelus non potest vnico, ac simplici

nō cognoscere principia, & cōclusiones, [illegible] subiectum, & passiones siue internas, siue externas, ergo [illegible]. Antecedens probatū remansit ex professo præcedentib. disputationib. qq. & hoc principiū est euersiū fundamētū eorum, dicentium non discurrere, quia simplici intuitu videt omnia, quod nullatenus hucusque probare potuerunt.

12 Dices, Scotus supra aiebat, posse eodē actu intelligere plura, saltem confusè, & indistinctè, quod etiam nos statuimus: ergo tunc intelligendo plura non discurret. Respōdeo cum quærimus an intelligere possit plura absq; discursu, loquimur de cognitione distincta, & vt sic, sicut nō potest cognoscere, ita nec potest non discurrere: at loquendo de confusa, conceditur, intelligere plura absq; discursu: nec Scotista existimet hoc aduersari Scoto, infertur enim necessario, dato, quod vnico actu plura confusè cognoscat.

13 Item ad principale, Angelus circa supernaturalia, quæ non à priori, nō intuitiuè videt, sed per coniecturas iudicat, necessario discurrit. Prob. ait Apost. *Inuisibilia Dei à creatura mundi, per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur*. Indagare autem Creatorem ex creaturis, aliaq; id genus, non fit absq; discursu. Confirm, quia Vasq. Mol. & Suar. solummodo in cognitione visuali, seu intuitiua negant discursū, ergo in cognitione coniecturali admittere coguntur discursū. Posse autem vel coniecturis Angelum, vltra omnes, docet quoq; D. Tho. 1. par. q. 57 art. 3. dicens, posse futura contingentia non per certitudinem, sed per coniecturas; & 3. p. q. 44. art. 1. loquēs de Dæmonibus circa cognitionem Christi, loquit, *Videntes Christum esurire post ieiunium, estimauerunt, eum non esse filium Dei*, atq; Beda Luc. 4. loquens de ijsdem, ait, *Magis habuisse suspicionem, quam certitudinem*, Insuper actus internos, atque secreta cordis non videt intuitiuè, nisi coniecturalitèr, ergo discurrit: Fundatur autem assumptum, præcipuè in sententia ipsorum, negantiū posse naturalitèr cognoscere secreta cordis. Circa vero futura naturalia arguit præsertim Arim. si mundus in suo motu cœlesti duraret in æternū, euenirent infinitæ Eclypsationes Lunæ, at illas non posset videre actu, nec simul cognoscere, modo [illegible] cognosceret vnam, modo aliā, modo discurreret per vnū tempus, modo per decem modo per mille annos: constat hoc, cū virtus intellectus eius sit finita, ergo discurreret: loquendo autem circulationes infinitas, quia Cœli motus cessabit, eodem modo arguitur de Eclypsibus variorū temporum futurorū, vt non potest simul centum, vel mille, vel omnes, vsque ad diem iudicii, ergo prob. conseq. cognitio futurarū eclypsium non est intuitiua, sed abstractiua, at in abstractiua discurrūt, ex sententia saltem Recentiorū, Thomistarū, ergo. Præterea, omnis cognitio mediata est discursiua: datur autē in Angelis cognitio talis, ergo: antecedēs patet, habet enim omnes conditiones discursus per talem namq; cognitionem mediatam cognoscitur *hoc per hoc*, nēpe finis per media, & conclusio per principia: cognoscitur *hoc post hoc*, vt finis post media, & conclusio post principia, ac demiq; diuersis actibus. Minor patet, & ab ijsdē conceditur in cognitione abstractiua. In intuitiua tamē habet specialem difficultatem, nihilominus, etiā Intuitiua cognitio est discursiua, ergo vndequaq; discurrit. Prob. antec. intuitiua cognitio huius aqua est calida, habetur per media, vtpote per calorē, per ignem &c. qui sūt causa calefactionis, ergo discurrit: intuitiua huius, homo est risibilis, habetur per medium, quod est rationale, quia est causa eius, ergo est discursiua. Respōdet Vasq. esse quidem propositionem illam mediatā, attamen nō respectu intellectus angelici, mediatā in se, non tamen in intellectu Angeli. Vasq. in primis nouus est in aduentione huius distinctionis, mediata in sē, vel in intellectu, sicq; ipse gloriatur eam adinuenisse: additq; meditationem reperiri solum in intellectu cognoscente per aliēnos cōceptus, vt fatimus nosmet nullo fundamēto eam ex parte Angeli probat: Item sicut res se habet ad esse, ita ad cognosci, sed à parte rei datur propositio mediata, ergo etiam à parte intellectus. Cōfirmatur, quem ordinēm, & causalitatem habent partes propositionis, & syllogismi inter sē, talē habere debent in ordine ad

 intel-

intellectũ: at principia, & propositiones continẽt ordinem, & causalitatem cognitionis ex sè, ergo talem ordinẽ, & causalitatem continebũt in ordine ad quemcunq; intellectum creatũ. Denique sequeretur, penès intellectũ Angeli, omnes propositiones esse immediatas, nullã immediatam: noua sunt hæc, nec fundata. Suarez ait, hãc nempè, aqua est calida, cognoscit sine discursu, quod si dicas, Ignis est causa caliditatis, ergo cognoscendo effectũ vt à causa procedentẽ, discurrit: Respondet, nõ cognoscere, vt à causa emanantem, sed cognitio terminabitur ad effectum in sè. Sed cõtra arguitur, aut cognoscit aquæ calorẽ deriuare ab igne, & sub hac ratione, aut nõ cognoscit vt sic: de Secundo non contendimus, & non erit verè non cognoscere, vt deriuantem ab igne, alias ignoraret, verum calor aquæ illius prodiret ab igne; & nullum est impedimentũ, vt ita cognoscat, si namque id cognoscimus, magis Angelus: itaque cognoscit in sensu reduplicatiuo prodire, & produci ab igne: ergo cognoscit eam vt promanantẽ ab igne, sub hac reduplicatione, & consequenter cognoscit, vt mediatam, & ita discurret.

14 Rursus ad intentum, non potest per vnicam speciẽ cognoscere plura, ergo discurrit. Assumptum probatum fuit sup. in Disp. præced. hoc fundamentum destruit fundamentũ ipsorum, in eo enim etiã fundantur, vt cognoscendo mediante vnica specie plura, nõ discurrat: quod etiam confutauimus hic quæstionib. præced. Dices, Beati eadẽ simplici visione videre obiectum beatificum, & creaturas in eo, ac proinde nõ discurrere: est euasio Suarij, in quo refellit Scotum, asserentem discurrere, quia in obiecto videt Beatus causã primario, & effectũ secundario per ipsam causam, iuxta quem sensũ, etiam Deus discurreret, quia videt se primario, & per se ipsum, tanquã per causam, videt effectus, quos facere potest, hæc ille: At Suarez supponit pro certo id, quod sub Iudice est, etenim an Beatus vnico, vel pluribus actibus videat Verbũ, & creaturas in Verbo, nõ est vna omnium sententia, aliis affirmantibus, negantibus alijs: quidquid tamen sit, de Scoto habemus duo. Primum est, posse duplici actu videri Deum, & creaturas à Beatis, ita in 3. d. 14. q. 2. lit. M. Secundum est, posse videri mediante vnica numero visione: ita eodẽ loco, cui fauet D. Bonau. in 2. d. 4. art. 3. q. 1. 2. aliiq; vt tradidimus in propria quæst. in materia de Beatifica Visione: at hinc ex secũda positione nõ sequitur discursus.

15 Dices Aug. 15. de Trin. cap. 15. & 41. sic scribit, *Fortassè non erunt ibi volubiles nostræ cogitationes, ab alijs in alia euntes, atq; redeuntes, sed scientiam nostram vnico intuitu videbimus.* Ad hęc autem ait Scot. 3. quæst. Prol. lit. B. Aug. loquutionẽ non esse certam, sed conditionatam, & dubiam: ideoq; Aug. ait *fortasse* ex qua loquendi phrasi nõ colligitur ita esse absolutè, sed fortasse ita esse; qui autẽ ita loquitur, nil de certo cõcludit. Insuper ait, quod, dato, talem fuisse absolutè Augustini sententiã, loquitur, inquit Scot. de obiecto beatifico præcisè, in sè spectato. Dices, Scotus idẽ docet, Beatos discurrere, ex visione Dei primo, & causaliter creaturarũ, vt bis Suar. inculcat, vnde intendit inferre contra eum, non discurrere, quia vnico simplicissimo actu vtrumq; intuentur: Responsio iam est allata, vnde, tenendo per vnicũ actum intelligere ea, non vtiq; discurrent, at tenendo, pluribus actibus cognosci, vtiq; discurrere. Alteram intelligentiã Augustini tradidimus tom. 1. de Trinit. disput. 1. quæst. 2. num. 12. Beati an discurrant.

16 Superest obiecta soluere. Ad Primum, negamus illam esse rationẽ differentiæ, penès discurrere, & non discurrere, sed ideo Angeli appellantur intellectuales, & non rationales, quia non sunt animalia, etenim differentia specifica animalis est rationalitas, cũ autẽ Angelo non competat genus animal, nec etiam competet rationale: at quia homini competit genus animal, meritò eidem competet & differẽtia rationalis. Differentias cæteras alibi. Angelus cur non rationalis.

17 Ad Secundum negatur paritas; corpora namque cœlestia non habent organa, quibus perfectiones suas adipiscantur, ideo supplet Deus, conferendo illas absq; motu, loquimur de nãlibus: Angelus vero habet intellectũ, per quẽ, mediante motu discursiuo intelligat.

18 Ad

18 Ad Tertium negata remansit minor: sufficit autem inde inferre nõ insumere in discurrẽdo, tantam moram, quantam Angelus.

19 Ad Quartum, loquitur Dion. de supernaturalibus, quorum cognitionẽ à Deo adeptus fuit, non ex creaturis, illa namque per fidem, siuè à Deo immediatè habentur: & loquitur de cognitione perfecta, multorumq; habemus ex creaturis cognitionem, at imperfectam, ex Paulo, *Inuisibilia Dei à creatura mundi &c.*

20 Ad Primum aliorum, negatumque & improbatum fuit antecedens.

21 Ad Secundum negatum, & improbatum remansit assumptum.

22 Ad Tertium negatum fuit antecedens: additumq; fuit, non tantam moram insumi in cognitione intuitiua, quantam in abstractiua.

23 Ad Quartum, licet perfectissimè nouerit principia, & conclusiones, tamen aliundè discurrit, nõ ex ignorãtia, sed ex actuũ cognoscẽdi multiplicatione, vt diximus de perfecto Cythæredo.

QVÆSTIO XIX.

Vtrum in Angelis reperiatur cognitio matutina, & vespertina.

Dies creationis qualiter exponantur ab August.

1 Dies, creationis Orbis Aug. lib. 4. sup. Gen. ad lit. c. 22. & lib. 11. de Ciuit. Dei c. 7. singulari, aliter, quam cæteri, modo exponit: ait enim consistere in cognitione angelica: Verũ quia dies constat ex mane, & *vespere*, hinc ibi quoq; vtrũq; ostẽdit reperiri: Ait vero, quod videndo creaturas primæ diei in Verbo: tũc factum est *mane*, videndo tamen easdẽ inde in genere proprio, factum est *vespere*: at quia ex *mane*, & *vespere* fit dies, hinc primo factum est *mane*, & *vespere* dies vnus, prout loquitur Scriptura Gen. 1. ex visione autem creaturarũ sic habita consurgebat in laudem Dei, sicque *Factum est mane, & vespere dies primus*. In super, cum dixit Deus *fiat lux*, tunc Angelus cognouit se in Verbo, quatenus habuit ab initio speciem abstractiuè repræsentantẽ Essentiam diuinam continentẽ omnia: quando vero subiunxit Moyses, *& facta est lux*, tũc vidit se in genere proprio, & consurgendo in laudem Dei, factus est dies primus. Eundem ordinem suxtexit Augustinus circa opera cæterorũ dierum, itaut consimilitèr agente Angelo, factus sit inde subsequenter dies secundus, inde tertius, quartus, vsq; ad vltimum: ita autẽ scribit. *Cum sancti Angeli semper videant faciem Dei, Verboq; eius vnigenito, sicut Patri æqualis est, perfruantur, in ipso Verbo Dei prius nouerunt creaturam vniuersam.* Indeq; post. *Tunc nox ad diem pertinet, non dies ad noctem, cũ sublimes sancti Angeli illud, quod creaturarum in ipso Creatore nouerunt, referunt in ipsius honorem, & amorẽ, in quo æternas rationes contemplantur, eaque concordissima contemplatione sunt vnus dies, quem fecit Dominus, cui coniungetur Ecclesia, ex hac peregrinatione liberata, vt & nos exultemus, & lætemur in eo.* Ex his autẽ Primo colligitur, creationis dies, penès Augustinum fuisse spirituales, mentales, seu metaphoricos, non autem physicos, ac materiales, eo modo, quo cæteri eos formant, & quo enumerant: at de hoc egimus in materia de operibus sex dierum: Secundum est, dari duplicẽ cognitionem, in Angelis, vnam matutinam, & alteram vespertinam, de quibus tamen breuitèr agendum.

Matutina cognitio quidnam vespertina quid.

2 Matutinam communitèr appellant cognitionem creaturarum, quam Angeli habuerũt in via in Verbo, mediante specie intelligibili abstractiuè repræsentante Verbum, siue Essentiam diuinam continentẽ omnes creaturas: Vespertinam vocant cognitionem earundẽ in se ipsis, siue in genere proprio.

Vtraque duplex est.

3 Verum est tamen, quod adhuc vtraq; distinguẽda venit, in naturalem, & supernaturalem: Matutina naturalis est cognitio, quam ab initio habuerũt

Angeli

Angeli de Deo: hoc autem per ipsam substantiam angelicā, siue supernaturalem speciē, inquiūt Thomistæ, Scotistæ vero mediante specie Essentiam diuinam abstractiuè repræsentantem: Matutina supernaturalis est cognitio beatifica, qua Angelus clarè, & distinctè cognoscit obiectum beatificum. Vespertina naturalis est cognitio rerum in genere proprio, habita per species infusas ab initio: Supernaturalis autē est cognitio beatifica, quatenus secundario terminata ad creaturas repræsētatas Beatis ab ipsamet Essentia diuina.

Meridiana cognitio quid.

4 Aliundè tamen additur membrū alterum ad duplicem istam cognitionem: ita ut sit triplex: *Matutina*, Meridiana, & Vespertina. De prima, & tertia iam constat. Meridiana autem est cognitio beatifica Essentiæ diuinæ in seipsa. Quare vero Meridiana, cæteræq; sic appellentur, vltra dicta, perpendenda sunt, quæ accidunt in partibus diei: diuiditur namq; dies in tres partes, Mane, Meridiem, & Vesperas: est autē differentia inter partes istas, namque Mane est quidem pars lucida diei; sicut & Vesperum est quoque pars lucida ipsius diei, nihilominus Meridies est pars omnibus istis lucidior, eoque magis, quo vel nihil nubilum, aut caliginosum inter Solem, & Orizonta interponitur, vel quo idem Sol accedit magis ad proprium Zenith: tunc vero appellatur Meridies, idest *Medius dies*. At quia in hisce diebus materialibus interuenit ferè semper, siue vapor, siue fumus, siue exhalationes, siue nubilum aliquid; hinc ad dies illos Augustini, consistentes in cognitione angelica, redeuntes, dicimus, cognitionem beatificam diuinæ Essentiæ esse vero meridianam, quia vndequaque clarissimā: Ait autem Eccl. 14. de Essentia beatifica, *Speculum sine macula, & candor lucis æternæ*: Sol insuper diuinitatis perpendiculariter, nempè radio recto irradiat, & illuminat mentes Beatorum, absque interpositione caliginis vllius, vel nubili, ratio, quia inquit Ioan. Apocal. 16 *Lucerna eius est Agnus*. Imo antecedenter dixerat, *Ciuitas illa non eget Sole*, non inquā, Sole hoc planetario, & materiali, adest enim ibi Diuinitas, adest Trinitas, adest Deus, qui *habitat lucem inaccessibilem*. Et hinc fit, vt clarissimè Deum intueantur, vnde ait Io. Ep. 1. 3. *Videbimus eum, sicuti est.*

5 Applicādo tandem dicimus, cognitionem quidem creaturarum siue matutinam, siue vespertinam in Angelis fuisse quidem perfectam, at cognitionem meridianam de diuina Essentia in ratione obiecti beatifici, esse longè perfectiorem: Dices, posse Angelū de creatura aliqua habere cognitionē, vt centum, vt puta de homine, & de Essentia beatifica, vt quinquaginta: tunc perfectior cognitio matutina, & vespertina, quam meridiana. Resp. excellentiam cognitionis in præsēti materia perpēdi ex natura, & perfectione obiecti: at quia creatura, licet, perfectissimè videatur, nihilominus est varijs admixta imperfectionibus, Essentia tamen diuina est vndequaque tersissimum, & limpidissimum *Speculum, sine macula, & candor lucis æternæ*, hinc desumitur excellētia cognitionis meridianæ supra matutinam, & vespertinam. Resp. 2. quod diuersitas graduū visionis reddit, quantum est de sè, visionem nobiliorē, at hoc intelligitur, *cæteris paribus*, nempè vbi obiecta sunt paria, siue eiusdem excellentiæ, vt cognoscēs hominem *vt centum*, nobiliùs cognoscit, quam cognoscens *vt quinquaginta*: at cognoscens hominem *vt quinquaginta*, & formicā *vt centum* perfectius cognoscet hominem, quam formicam, non ratione cognitionis, sed obiecti: ita videns Essentiam vt viginti, perfectiùs videt, quam videns eandem, vt decem, perfectione se tenēte ex parte visionis, non obiecti: at videns hominem vt triginta, & Essentiam vt decem, ratione quidem actus videndi erit perfectior visio hominis, at ratione ipsius rei visæ, qualis est Essentia, est omnino perfectior. Resp. absolutè visionem Essentiæ diuinæ esse perfectiorem, iuxta proportionem arithmeticam, cum sit nobilius obiectum, at secundum proportionem geometricā perfectior erit cognitio de homine, quia plus cognoscet de homine: Exemplo oculi Aquilæ ad Solem, & Hominis ad lucernam.

6 Dices ad principale intentum, quatuor sunt partes diei, Mane, Meridies, Vesperum, & Nox: attamen non

connu-

Non est in diebus Angelo.

connumeratur nox in angelica hac ephymera cognitione, cur autem id, cum nō sit completa allusio cognitionis ad diem. Respōdet Vulpes disp. 13. art. 9. num. 5. aliter applicādo, itaut matutina sit in Verbo abstractiuē cognita: meridiana in Angelis bonis, in Verbo clare viso: vespertina intuitiua in propria existentia: & nocturna per species impressas. Placet mihi ingeniosa supputatio: Attamen addo, non oportere, dies illos angelicos adamussim correspondisse diebus nostris materialibus, ac propterea nō opus fuisse admittere ibi noctem, siue cognitionē nocturnam. Secundo dico, in Angelis in via non fuisse tenebras, siue noctem ignorantiæ prauę dispositionis, ac propterea non fieri mentionem de cognitione nocturna.

Cognitio nocturna an in Angelis.

QVÆSTIO XX.

Vtrum in intellectu angelico possit esse falsitas.

1 PLura, occasione hac, possunt coniecti simul, puta, an intellectu angelico possit esse inconsideratio, ignorantia, error, deceptio, & falsitas: At quia de primis egimus disp. 10. q. 10. 12. 13. ideo hic de vltimo restat agendum. Debet vero quæstio diuidi in Angelos, spectata angelica natura, secundum se; & in Angelos bonos, ac malos, & iuxta singula est respondendum.

Angeli in naturalibus non possunt decipi.

2 Loquendo de Primo, dicimus, Angelum, spectata sua pura natura, nō posse circa obiecta naturalia decipi, aut falli. Prob. ex Dionys. quia Angeli habent lumina splendidissima. Item sunt sapientissimi in Physicis, Mathematicis, cæterisq; artibus tum liberalibus, tum mechanicis: de quo Scot. in 2. d. 14. q. 3. habuerūt insuper ab initio inditas species omnium quidditatum ex D. Thom. & Scoto: Intelligentia est plena formis, inquit Auth. lib. de caus. hinc vero arguitur, cognoscens rem in suo proprio, & quidditatiuo cōceptu, eo modo, quo est, nō fallitur. at sic cognoscit Angelus naturalia, ergo non est in eius intellectu falsitas. Assertio tamen procedit, cæteris paribus, dummodo obiectum sit debitè præsens, nec vllum adsit impedimentum &c. circa hoc conueniunt omnes, cum D. Thom. 1. par. quæst. 58. art. 5. assertio militat, in quocunque statu Angeli considerentur.

3 Dicendum Secundo, circa contingentia atque libera, præcipueq; circa internas animi conceptiones, circa futura, atque circa ea, quæ ab alterius pendent volūtate, potest falli; Prob. secreta cordis soli Deo nota sunt cognitione à priori, & infallibili; cæterum Angelus à posteriori ea deducit, & ex coniecturis, at hæ sunt, siue esse solent æquiuocæ, & ambiguæ, ergo talibus ambiguis medijs innixus, poterit errare. Idem militat pro decretis voluntatis alterius nescit enim certo, quid v. g. Sortes sit crastina facturus: & simile esse iudicium de cæteris contingentibus &c. vnde si de his certò iudicet, poterit falli; sicut poterit quoque non falli, attamen quia media, vt coiecturæ, sunt fallibiles, & volūtas est mobilis, & variabilis de proposito in propositum, hinc certo, & determinatè iudicādo de his, posset falli. Assertio locum habet in quocunque statu angelico.

Angelus circa contingētia pōt falli.

4 Dicendum Tertio Angelos Beatos, sicut & quoscunq; Beatos, nō posse decipi, & falli, vnde non poterit in eorum intellectu reperiri falsitas, est cōmunis: & de facili constat, quia status ille est status summæ veritatis, vnde intellectus beatifici ornamentum singulare erit veritas, ergo procul falsitas. Item status ille est status summæ bonitas, at bonitas excludit malitiam: ergo procul inde malitia penes voluntatē: igitur erit procul falsitas ob statum summæ veritatis in ordine ad intellectum. Dices, potest quoq; Beatus decipi

Angelus beatus non potest falli.

cipi

decipi circa contingentia, circa futura, circa secreta cordis, & huiusmodi, ergo poterit ipse falli.

Beatus quomodo iudicabit de contingentibus

5 Resp. circa hæc, Beatum nunquam proferre iudicium determinatè, & certo, sed solummodo coniecturalitèr, & cõditionatè, siue topicè, ac probabilitèr: atque sequi non falli: item tale erit iudicium, quales erunt coniecturæ: at quia scit coniecturas esse fallibiles, hinc nõ iudicat certo, & determinatè; Non quidem sancti Angeli, & Beati cæteri, omnia sciunt, vt patet de Dan. 10. hinc de talibus non ferunt iudiciũ certo, sed probabilitèr, secus de Angelis malis, vt mox dicam. Item Resp. quod tunc non ferent iudicium, sed iudiciũ suspendent quousq; veritas aliundè innotescat: Et hæc melior responsio, de quo Nos in mat. de Beat.

In Angelis malis contingit falsitas, & error declar.

6 Dicendum Quarto, in Angelis malis cõtingere falsitatem: Sap. 2. *Excæcauit eos malitia eorum*, quæ sentẽtia communis est hominibus, & Angelis reprobis. Assertio tamen nõ intelligitur circa naturalia, quæ ex Dionys. in Dæmonibus remanserunt integra, ac propterea nec falli possunt in his, cæteris quidem paribus, vt in prima assertione: sed intelligitur de contingentibus, de secretis, de futuris, & huius generis, & in his quidem sæpè falluntur. Probationes sunt eædem, quæ in assertione secunda.

6 Vulpes disp. 13. art. vlt. nu. 4. ait, semper falli; ratio, quia semper male volunt, ergo semper falso intelligunt. Pace tamen tanti Magistri, non assentior, Primo, quia id videtur deduci ex principio Thomistarum, asserentium nõ posse voluntatem peccare, nisi præcesserit error in intellectu, quod Scotus improbat in 2. d. 7. q. 1. ad prim. & Nos in disp. 10. q. 12. n. 10. idem autem videtur inde deduci, ait enim, *semper male volunt, ergo semper male intelligunt*. Igitur, quia semper male intelligunt, hinc semper male volunt, taliter enim resoluitur ille syllogismus. Item perditissimi quique Dæmones absque falsitate, & errore norunt, hominẽ esse animal rationale: esse quatuor Elemẽta: naturam cuiuscunq; rei esse ad hoc inclinatã, & ad illud; videt Cælos moueri, tot effectus prodire, sortem viuere, Caium interire, ipsosque damnatos pœnis ignis torqueri, hæc & plura norunt, at quis diceret circa hæc falli, & decipi, igitur Dæmon decipitur circa suam propriam pœnam, posset namq; dici, quod dum Dæmon suam cogitat gehennam se detrusum esse in inferis, ac pœnam peccati luere, posse dici, quod ipse non vere, & vera hæc considerat, sed fallitur considerando sic esse, linquo plura: Quod ergo fallantur, & sæpè concedimus, quod autem semper negamus.

Boni, & mali Angeli iudicãt circa contingẽtia

7 Et hinc differentiã admittimus inter Angelos beatos, & damnatos circa contingentia, nam illi nõ falluntur, nec quidem semel, ratio fuit allata, quia non ferunt de ijs iudicium certo, & determinatè, seu definitè, sed coniecturalitèr iudicant, conditionatè, & probabilitèr; damnati autem iudiciũ ferre solent præcipitanter, certo, & definitè, cum tamen ex coniecturis non possit elici iudiciũ firmũ: id vero procedit ex prædominio passionum, iræ, odij, & huius generis, quo exardescunt contra Deum, & homines, *Superbia eorum, qui te oderunt ascendit semper*. Psalm. 52.

8 Quod autem difficultatem aliqualem ingerit in hac quæst. est rationem reddere, cur nõ possit circa naturalia errare: D. Thomas ait prouenire, quia Angelus nõ intelligit componendo, aut diuidẽdo, sed vnica, ac simplici cognitione eum intelligere. Verum, in simplici quoque apprehensione reperiri veritatem, & falsitatem vidimus tom. 1. Trin. De supposito autem huius rationis visum est per plures quæst. anteced.

9 An vero possit voluntas Angeli, modo aliquo excæcare proprium intellectum, vt intelligendo erret, & inueniatur in eo falsitas: solutio patet ex ijs, quæ diximus quærendo, vtrum peccare potuerit Angelus ex inconsideratione verius finem, explicando illud, *Excæcauit eos malitia eorum*.

10 An vero obtenebratus remanserit Angeli mali intellectus: & an potuerit in eo esse error, & incõsideratio, habebitur infra disp. 10. q. 10. 12. 13.

Finis Septimæ Disputationis.

DISPV-

DISPVTATIO VIII.

De Voluntate Angelica.

QVAESTIO VNICA.

Vtrum in Voluntate Angelica reperiantur habitus morales naturales acquisiti.



1 Egat Durandus in Angelorũ voluntate habitus acquiri posse morales; ita in 3. d. 23. quęst. 1. & Conimbricens. in Ethic. disput. 7. quæst. 5. atque hoc ipsum docent omnes, quotquot negant posse Angelos acquirere absolutè habitus. Suaderi autem potest Primo, virtus est circa ardua, *Tendit in ardua virtus* ait Ouidius lib. de pont. at nihil arduum, vel difficile est Angelo. Secundo, virtus attenditur circa moderationem, & frænationem passionum appetitus sensitiui, ac caret Angelus sensibus. Tertio, & est explicatio secundi, non sentit Angelus molestias carnis, gulæ, nec pericula humana, nec incursum mortis, nec huiusmodi, vt pugnare habeat aduersus passiones istas, ad instar hominum, & ex frequentatione actuum pugnandi, acquirere sibi habitus, virtutis, temperantiæ, continentiæ, fortitudinis, abstinentiæ, sobrietatis, &c. Quarto; Angeli naturalitèr amant Deum, & absque vlla difficultate. Quinto Arist. 10. Ethic. cap. 8. inquit, *Inconueniens est, laudare Deus ex operatione virtutum.* Sexto, habitus ponitur vbi voluntas est indeterminata, & indifferẽs, sed ad bonum morale est voluntas Angeli maximè inclinata.

2 Oppositũ docet Scot. in 3. d. 33. quæst. vnic. § *Ad primum concedi potest.* Sequitur Maiorin. 3. d. 33. quæst. 3. defensi. Molin. quæst. 58. art. 1. Tanner. eadem quæst. licet de Angelis malis absolutè concedat, non de bonis. Suarez variè loquitur 1. 2. tom. 2. disput. 2. sect. 5. & 2. tract. 11. quæst. 56. Azor. lib. 3. c. 25. q. 4. Aretin. Mayron. ad locum Scoti, atque Suar. lib. 3. cap. vlt. & inclinat Medin quæst. 50. art. 6.

3 Probat Suarez, licet Angeli voluntas sit prompta, & expedita ad operandum, nihilominus per habitum poterit magis inclinari, & fieri propensior; eo magis, quo munus habitus tale est, vt faciat promptè, & expeditè operari. Rationem hanc non probant Scotistæ, cum Scoto in 2. d. 3. quæst. 10. § *Ad secundam prima opin.* etenim in summe determinatis, & perfectè à natura habilitatis non est necessarius habitus; vnde Scotus concludit, non sub ratione magis, magisque inclinandi poni posse habitum in Angelis, sed ratione intentionis actus, vt actus prodeat perfectior, & intentior, de qua re nos egimus supra.

4 Ergo probatur aliundè, & Primo probat Angel. in moral. cap. 5. §. 1. dub. 1. inquiens, licet voluntas sit satis inclinata ad naturalem dilectionem Dei, tamen potest magis, & magis inclinari, ergo est constituendus in ea habitus ad talem maiorem dilectionem. Nihilominus assumptum negaretur à docentibus, ad bonum in communi esse satis inclinatam voluntatem, magisque id dicerent de summo bono, quod est Deus. Verum difficultas oritur, quia vnumquodque est magis inclinatum ad amandum seipsum, quam quodcunque aliud, ergo diligendo illud plus, quam seipsum, opus difficile aggreditur, & arduum, igitur poterit illud esse materia acqui-

rendæ virtutis. Dices, est magis inclinatus ad diligendum Deum, quam seipsum, Angelus occurrit, quod licet ita sit, tamen voluntas libera est, & potest vel non amare, vel plus, minusq; diligere, ad hæc autem facienda generabitur habitus.

5 Probatur autem aliunde, Angeli sunt ministri Dei, siue ad intra, siue ad extra, iuxta phrasim Pauli Hebr. 4. *Omnes sunt administratorij spiritus.* quid autem vetat, vt ex tali ministerio productus sit in eis habitus seruitutis, subiectionis, & obedientiæ? Item sunt pij, & liberales erga nos, tot beneficia tum animæ, tum corporis exhibendo, inuigilando in custodiam nostram, procurando salutem, orando, precesque nostras Deo præsentando, pluraque præstando pro nobis: ex actibus autem his omnibusq; consimilibus generatis, frequentatis, procul dubio produci poterit habitus pietatis, liberalitatis, custodiæ, dilectionisque hominum in ordine ad Deum. Virtus iustitiæ exerceri potest circa ea, quæ non repugnant, potest namque iniustè offensum vel hominem, vel Angelum, ab iniustitia vindicare: Potest, tanquam v.g. arbiter constitutus, pro singulis, vel contra, iudicium ferre, & sententiam dicere. Posset nimium amorem sui frænare: nimiam curiositatem &c.

6 Confirmatur ex malis Angelis; de Lucifero dicitur Apocal. 7. *Ille homicida fuit ab initio.* Quod si ab initio ruinam machinari cœpit hominum, ex multiplicatione vtique tot actuum vsque nunc deductorum, intensissimus vtique habitus in eo productus fuit ad hæc patranda. Mendax fuit ab initio, mendacia tot spargens in terrestri Paradiso primis nostris Parentibus: at ex mendacijs inde toties hucusque repetitis mendacissimus habitus in eo creuit. Superbiuit ab initio, at inquit Psalm. quod *Superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper*: ergo ex frequentato hucusque ascensu tum superbiæ, tum odij productus fuit habitus inclinans ad intensius superbiendum, & odiendum.

7 Tannerius in malis Angelis concedit habitus, non tamen in bonis, quia boni sunt propensi, & expeditissimi, atque inclinati &c. At duobus conuincitur: Primo, oppositorum est idem iudicium, & opposita habent fieri circa idem: ergo si Angelus est capax habitus praui, erit quoque capax boni: & ita Angelus bonus erit capax habitus boni, sicut malus mali. Secundo, quia etsi Angeli sint expeditissimi, habitus tamen non admittimus in eis ad inclinandum, sed ad intensius, & perfectius agendum, ex propria quæst.

8 Scotus duplici via progreditur in quæstione illa: Et Primo ait, *Si Angelus esset creatus in puris naturalibus, & non haberet in voluntate virtutes morales, possent generari in eo ex multis rectis electionibus: non quidem circa passiones in appetitu sensitiuo sibi inexistentes, nec etiam, quæ inferuntur, vel fuerunt, vel possunt inesse, sed solum circa tales passiones in vniuersali per intellectum ostensas: qua ostensione posita, & dictato quid esset eligendum, si possibile esset eas haberi ab eis, voluntas eius consona tali dictamini, ex multis electionibus posset habere habitum moralem rectum.* hæc Scotus. Infra autem subdit: *Nam voluntas Angeli potest velle mihi bonum temperantiæ, in quantum est tale bonum; quod velle est proprius actus temperantiæ: igitur ex habitu temperantiæ potest illud velle, sicut argutum est: & ita erit in eo temperantia, & non in parte sensitiua, igitur in alia.* Hæc ille.

Generatio habitus moralis in Angelo, ex Scoto.

9 Ex his autem deducitur, quod licet materiam talem non experiatur in se Angelus, dum namque caret sensu, caret temperantia, & frænatione tentationis sensus, in his namque non indiguit temperari, & frænari in bello illo Lucifer, sed temperari, & frænari indiguit in tentamentis superbiæ, prælationis, & ambitionis; potest tamen Angelus, considerando illa in se, & in vniuersali, producere electiones plures bonas, indeque generare habitum rectum: siue ea per simplicem complacentiam consideret, siue sub conditione, puta si disciplinatio, & voluntaria maceratio carnis posset sibi competere; quæ tamen cum non competant ob carentiam sensus, non

Habitus generatio ex sola consideratione, & complacentia.

impli-

impleat complacere sibi in eis, & ex multiplicata consideratione, generari in eorum voluntate habitum, & virtutem moralem pœnitentiæ, alioqui, ex genere suo, corporalis, licet non ex parte Angeli, qui est spiritualis.

10 Quod vero in se ipso materiam talem experiri non valeat, ob carentiam sensus, non impeditur generatio talis habitus: patet etenim Religiosus nil possidet in particulari; & ideo, cum nullius rei sit Dominus, nec minimum quidem obolum possit pauperibus impertiri absque licentia Abbatis; præcipueque Religiosos ex Ordine Minorum nil possidens proprij, nec in communi, nec in particulari: Demus tamen, Religiosum talem, impotentem vndequaque reddi ad eleemosinam elargiendam, tum ex denegato consensu Abbatis, tum omni penitus deficiente materia, siue commoditate: velit tamen inde, quantum est de sè, sæpequè cogitet, iterumque recogitet de eleemosina danda, voluntasque sibi quam maximè in eo complaceant, tunc tot repetitis actibus complacendi, & volendi, generabitur in eo habitus eleemosinarij.

Qualiscunque cōsideratio producit habitum.

11 Obstat Medina, inquiens, Pater intemperatus, & Mater impudica desiderant filiis temperantiam, & pudicitiam, attamen ex desiderijs his, licet sæpè repetitis, nec Pater temperantiæ, nec Mater, pudicitiæ, in seipsis habitum generant. Fallitur tamen Medina circa Scotum, etenim non ex omni actu generari, ait Scotus habitum, sed ex consideratione efficaci, quod si sit desiderium inefficax: non generabit: si namque Pater intemperatus efficacitèr studeret temperantiæ, & toto conatu eam desideraret, amaret, vtique generaret habitum; ita & impudica Mater, si toto conatu desideraret eam filiæ, generaret in sè habitum pudicitiæ, at quia dum Pater temperantiam desiderat filio, ipse intemperatè viuit: & dum Mater pudicitiam appetit filiæ, ipsa nedum ab impudicitijs vacat, hinc est, vt desideriū tale sit inefficax omnino, & nec filiæ, nec sibi quærere potens erit pudicitiam.

Generationē habitus negat Scot.

12 Scotus idem aliter respondet ad quæstionē, negādo in Angelis virtutes morales, tum ratione appetitus sensitiui, quo carent, ac propterea negando in eis arduum, & difficile, quod interuenit in acquisitione virtutis; tum quia eorum voluntas absque difficultate tendat in bonum morale, debitè circumstantionatum. Tum denique, quia est perfecta, & inclinata ad bonum de sè.

Scotus problematicus.

13 Hinc Primo deducitur Scotum esse problematicum: & Secundo, falli Medinam, existimantem, Scotum esse vni prorsus sententiæ additum.

14 Ad argum. ad Primum, Secundum, & Tertium, quamuis non sentiant difficultatem ex parte sensus, quo carent, possent tamen aliundè experiri, vt diximus de nimio amore sui: de nimia curiositate, quæ non ita facilitèr frænantur, præcipuè amor propriæ existimationis. Ad Quartum patet ex Angelo. Ad Quintum, per Deos intelligit Angelos. Intendebat autem Arist. dicere operationem angelicam esse suum esse, itaut nullam poneret in eis operationem accidentalem, sed essentia Angeli sit sua intellectio, & volitio: Vel secundum Henric. ideo sic dixit, quia existimauit, Angelos esse naturalitèr beatos. De appellatione vero Angelorum ex Philosophis, etiā sub nomine Dei, habebitur infra tum de eorum nominibus, tum de Dæmonibus.

Arist. Angelos quādoque appellat Deos.

Sententia propria.

15 Ego tandem liberiùs in sententiam affirmatiuam adducor, ex eo præcipuè, quod dum Angeli erant in via, propositum fuit decretum Sanctissimæ Trinitatis, quo Verbum humanam, non angelicam assumeret naturam: quo decreto Angelis manifestato, continuo *Factum est prælium magnum in Cœlo*, vnde Lucifer *vidit, & inuidit*, ait Bernard. in eo autem casu præbita fuit Angelis occasio merendi, ardua namque res est, & difficilis, humiliari inferiori sè: eo magis, quo impositum fuit eis præceptum adorandi humanitatem coniunctā Verbo, *Et adorent eum omnes Angeli eius*: eo autem casu arduitas, & difficultas non oriebatur ex sensu, qui non, erat, sed aliundè, ex naturali inclinatione ad pro-

Difficultas virtutis acquirēdæ vnde?

Qq 2 priam

priam exaltationem propriæ naturæ, excellentioris supra humanam; cum ergo potuit velle, contra naturalem inclinationem, inferiori naturæ humiliari, & subijci, profectò obiectum arduum, & difficile sibi fuit propositum: adeoque difficile, vt Lucifer, cum satellitibus rebellando, *Traxerit cauda sua tertiam partem Stellarum*. Aprimo igitur ad vltimum difficultas virtutis non ex solo sensu dependet, sed & aliundè, vt diximus, ergo poterit & aliundè habitus generari.

16 Ad ea autem, quæ Scotus habet pro parte altera, iam responsum remanet ad id de difficultate, quæ poterit euenire aliundè, quam ex passione appetitus sensitiui. Ad illud de perfecta, est quidem angelica voluntas perfecta in naturalibus, loquendo de bonis, & malis: est etiam aliundè beatificè perfecta, loquendo de bonis: attamen nulla est summè, & vndequaque perfecta, talis enim est sola voluntas Dei, quæ est per essentiam, summè bona.

17 Dices, Angeli boni, nullam experiuntur difficultatem erga bonum, cum sint confirmati in summo bono: carent etiam sensu, ergo nequeunt omnino generare habitum virtutis moralis: Concesso antecedenti, negatur conseq. nam ipsamet frequentatio actuum de se ipsa generat habitum: ergo hæc sufficeret, si cætera cessarent.

Finis Octaua Disputationis.



DISPV-

DISPVTATIO IX.

De Gratia Angelorum.

QVÆSTIO I.

Vtrum omnes Angeli tum boni, tum mali, creati fuerint in gratia habituali iustificante.

1 PRæsens quæstio duplicem continet sensum; Primus est, vtrum Angeli initio suæ creationis fuerint creati in gratia: Alter est, vtrū Angeli omnes, siue boni, siue mali, gratiam sanctificantē aliquādo habuerint, ita vt ipsemet Lucifer cum satellitibus, antequam peccauerint, gratiam iustificantem habuerint.

2 De secūdo quæstionis sensu vrgetur magis proposita quæstio, atq; maius negotium facessit inuestigare secundum punctum, quam primum; siquidem parum refert, vtrum gratiam habuerint *Angeli* omnes, an *aliquanto* pauci, cum tamen magis referat, maioremq; habeat rationem dubitādi perquirere, vtrum Angeli mali nunquam gratiam Dei habuerint, an verò aliquando habuerint, & eam perdiderint.

3 Suaderi potest nō omnes Angelos gratiā Dei fuisse consecutos, sed solummodo bonos, malos autē nequaquā: Probatur autem Primo: magis necesse erat gratia primo nostro Parēti Adæ, quàm Angelo; sed Adam ab initio nō fuit in gratia creatus, ergo nec omnes Angeli, tum boni, tum mali, antecedēs probatur, primus noster Parens maioribus stimulis vrgebatur, grauioribus tentationibus subjiciebatur, atque ipsius spiritus maiori corporis mole cōprimebatur, quandoquidē *Corpus, quod corrumpitur, aggrauat animā*, ergo maiori diuinæ gratiæ auxilio eum muniri decens erat, immo necesse; sed nequaquam his auxilijs munitus fuit ab initio, ergo nec hoc dicendum de Angelo, qui nec tantis tentamētis angebatur, nec vlla corporis mole grauabatur.

4 Secundo si habuisset Lucifer cū sequacibus suis gratiam Dei aliquando sanctificantem, vtique nunquam in superbiam cordis sui fuisset elatus, cùm tamen constet, sicut & infra constabit, amplius, in elationem superbiæ ipsum incidisse; probatur sequela; cognouisset quidē Lucifer gratiam Dei gratuito ab ipso Deo recepisse & nulla coactum fuisse Deum necessitate ad gratiam sibi iustificantem impertiendam; nouisset etiā sine Dei gratia nihil posse prorsus naturales vires liberi arbitrij creati, siue humani, siue angelici in ordine ad ea, quæ ad æternam spectant salutem: penetrasset insuper acumine mentis suæ absq; Dei gratia, fore creaturam damnandam, & destinandam ad inferos; nec posse sine ea meritum vllum habere: sine ius ad gloriam æternam; quod si hæc, & similia nouit Angelus, nequaquam vtique ausus fuisset dicere, *In Cœlum ascendam super astra Cœli exaltabo solium meum, & ero similis Altissimo*. Confirmatur, quia hæc, & similia, licet naturæ viribus indagare nequiuisset, nihilominus ea noscere potuisset optimè, diuino gratiæ Dei lumine illustratus, vnde concluditur, quod si gratiam aliquando habuit non ita facillimè concedendū erit, diuinæ gratiæ obsistisse, ita vt in superbiam elatus, ausus dicere fuisset *Ero similis Altissimo*.

5 Tertio Angeli, siue intellectus Angelicus, siue etiam & angelica voluntas in operationibus suis præcipuè immanentibus, vt intelligendi, & volendi, sunt prorsus immutabiles, & inuariabiles, siue inuertibiles, ergo si Lucifer, & sequaces fuerunt aliquando in

gratia Dei, & in amore Dei, diligendo Deum, & obsequendo Deo, sequitur vtique, vt nusquam à tali operatione exciderint, sed semper in eodem Dei amore cõtinuauerint, vnde fit, vt nusquam dici posset de Lucifero ipsum cecidisse ab operatione tali, siue à dilectione Dei, sicut ex opposito Ezechiel cap. 28. de eo dicit; *Quomodo cecidisti Lucifer, qui mane oriebaris*. Confirmatur, ideò namque Angeli boni immutabiles, & inuertibiles perstiterunt in amore Dei, quoniam habuerunt aliquando gratiam Dei, ergo si gratiam eandem habuisset Lucifer, vtique ipse, & sequaces perstitissent in gratia, & amore Dei.

6 Quarto, si gratiam habuere ab initio Angeli omnes tum boni, tum mali, sequeretur gratiam Dei non esse esse donum superadditum naturæ, neq; donum supernaturale, sed esset prorsus donum cõnaturale, dicere autem hoc, est heresis Pelagiana, ergo non habuere gratiam ab initio; sequela probatur, quoniam *id connaturale est naturæ, quod oritur vna cum ipsa natura*, igitur si ab initio habuere omnes Angeli, sequitur gratiam esse donum naturale, siue donum connatum cum ipsa natura.

7 Accedit testimonium Ioannis Papæ, quod relatum habetur in cap. *Visis* 16. quæst. 1. vbi Ioannes sic ait, *Dolet Diabolus, & erubescit charitatem, quam in Cœlo nequit habere, & quam in terris homines solent obtinere*. Testimonium apertè insinuat malos Angelos nõ habuisse in Cœlo amorem Dei, nec charitatem, nec per consequens gratiã Dei, etenim gratia, & charitas sunt idẽ, & vnum. Confirmari hoc potest ex Aug. qui exponens illud Genesis, *Fiat lux*, & *diuisit lucem à tenebris*, per tenebras quidem Angelos malos intelligit, vtpotè carentes lumine gratiæ: per lucem verò Angelos bonos indicat, ita vt boni Angeli semper lumine gratiæ illustrati extiterint, mali verò semper in tenebris absque lumine gratiæ.

8 Auctores eorum, quæ hucusque dicta sunt, recenseri solent Rupertus Abbas in lib. 1. super Gen. cap. 14. Hugo de S. Victor. lib. 1. de sacram. par. 5. cap. 19. Magister sent. in 2. dist. 1. Riccard. Marsil. Argentin. Bassol. ibidem, atque etiam D. Bonau. ibidem dist. 4. & plures alij ex Scholasticis antiquioribus.

9 Quid in hac quæst. sit tenendũ, dicimus Primo, Nihil de hoc haberi certo, & infallibiliter. Ratio, quia nihil hucusque determinatum reperitur in Concilijs, vndè est, vt Scholastici in varia abierint, & modo vnam, modo alteram partem desensauerint. Et hinc deducimus capita, quæ contrariũ probant, non esse tantæ efficaciæ, vt omnino conuincãt, quandoquidem capita, præcipuè scripturarum, possint trahi in alium sensum, licet probabilissimè adducantur in partem affirmantẽ fuisse creatos in gratia, vt dicemus. Nil certum in re hac.

10 Primus autem locus sit Isa. 14. vbi habetur: *Quomodo cecidisti Lucifer, qui mane oriebaris*. Quo in loco videtur Lucifer cecidisse à Dei gratia, ipsam amittendo, quam priùs acquisierat. Verum locus iste non cogit, etenim de Rege Babilonico exponi etiã solet, vndè est, vt non magis de Lucifero intelligendus veniat, quam de aliquo alio: Item casus ille Luciferi non est necesse, vt fuerit casus moralis, nempè, cadendo à diuina gratia, sed exponi posset, fuisse casum localem, nempè ipsum cecidisse è Cœlo Empyreo, in quo conditus fuit: siue dici posset, fuisse casum de loco ad locum, non autem de gratia ad peccatum: siue casum materialem, non spiritualem. Luciferi casus qualis, ex aliquib.

11 Secũdus locus est penès Ezech. 28. vbi dicitur, *Tu signaculum similitudinis plenus sapientia, & decore in delicijs Paradisi fuisti, posui te in monte sancto, perfectus fuisti in vijs tuis à die conditionis tuæ*: hæc quidem videntur de Lucifero concludere, quapropter ipse fuit aliquando in gratia. Verum nec iste locus cogit, & Primo quidem exponi solet de Rege Tiri. Secundo dici posset eatenus in delicijs Paradisi fuisse ipsum Luciferum, (dato, quod locus iste de Lucifero exponatur,) quatenus fuit ipse cum cæteris Angelis beatus beatitudine naturali, prout infra ex D. August. atque ex Scot. habebimus. Vel Tertio exponunt aliqui istum locum de donis naturalibus, siue de naturali excellentia ipsius Luciferi supra cæteros Angelos, & Antisiodorensi, atqui Paradisi deliciæ quales fuerint in Lucifero.

ex

ac Scholasticis plurimis, Vel Quarto, si de gratia exponatur, vtique non de gratia iustificante, sed de gratis gratia datis exponi valeat, ita vt merito dicat Propheta de eo, *Omnis lapis pretiosus operimentum tuum*, cuasiones istæ, atque consimiles, facillimè admittuntur, & aliæ huius generis facilius inueniri possunt à sectatoribus huius sententiæ.

12 Tertius locus est Ioan. 8. vbi de Diabolo Christus dixit, *Ille in veritate non stetit*, ergo habuit, siue veritatem, quæ connotat habitum cæterarum virtutum, siue gratiam Dei iustificantem, nec etiam hic locus vrget, etenim pro veritate nõ necessariò intelligitur habitus reliquarum virtutũ, sed habitus quidam intellectualis, qui consistit in abnegatione mendacij, & falsitatis, ita vt idem sit veritas hoc in loco, ac veracitas in dicendo, ac loquendo: ita Irenæus lib. 5. contra hæres. cap. 22. & Epiphan. hæres. 38.

13 Vltimus locus, vt cætera omittam, est penes Iudam Apostolum in sua Canonica, vbi ait, *Angelos, qui non seruauerunt suum Principatum, sed dereliquerunt suum domicilium*, & cætera: vnde colligitur malos Angelos iam habuisse aliquando domicilium gratiæ Dei, siue dignitatẽ adoptionis in gratiam, & amicitiam Dei, quam tamen inde amiserint per suam superbiam, Cæterum nec locus iste plus vrget, quam cæteri recensiti, & quidem exponunt de dignitate Angelorum, non gratuita, siue supernaturali, sed solummodo de dignitate, & eminentia naturali, ita vt in naturalibus Lucifer cum plerisque alijs principatũ obtinuerit, & eminentiam supra cæteros cunctos; vel etiam dicendum est, eatenus dereliquisse proprium domicilium, quatenus in superbiam elati, deiecti postmodum fuerint in profundum abyssi, quod quidem ipsis Dominus præparauerat pro domicilio.

Adam in gratia creatus ex Conc. Trid.

14 Vrgent alij ex eo quod accidit primis nostris Parentibus ad probandum consimiliter Angelos omnes etiã malos, gratiam habuisse ante peccatũ, siquidem primus parens Adam creatus fuit in gratia iustificante, ergo etiam & Angeli, non est maior ratio de vno, quam de alio, antecedẽs patet ex Concilio Tridentino sess. 5. in Decreto de peccato originali canon. 1. vbi sic habetur: *Si quis dixerit, Adam per peccatum non amisisse gratiam, & sanctitatem, in qua constitutus fuerat, anathema sit*; ex hoc loco colligunt plerique, fuisse Adam in gratia verò creatum. Verum ponderatio ista non recipitur à Vasq. mox citando, & quidẽ non dicit Concilium, Adam fuisse *conditum* in gratia, sed ait fuisse *constitutum* in gratia, quã per peccatum amiserat: Vbi notandum est differentiã esse inter *conditum esse in gratia*, & *constitutum in gratia*, siquidem conditum in gratia, idem est, ac ab initio creatũ esse in gratia; constitutum verò in gratia idẽ importat, ac habuisse gratiam aliquando post suam creationem, nõ autem initio suæ creationis, ex quo sequitur, vt Concilium non intendat in hoc loco determinare Adam conditum, vel creatum esse in gratia, sed solummodo decretare intendit perdidisse Adam sanctitatem, & gratiam, quam aliquando habuit, & in qua aliquando fuerat constitutus, prout etiam hoc ipsum aduertit nouissimè Vasquez 1. par. disput. 227. cap. 3. & hinc animaduertẽdum est Vulpes in 2. disp. 10. art. 3. nu. 4. vbi referens verba Concilij, aliter à Concilio loquitur, scribit enim Concilium dicere; *Si quis dixerit, Adam non amisisse gratiam, & sanctitatem, in qua conditus fuerat* &c. hoc verò non dixit Concilium, non enim ait, *in qua conditus fuerat*, sed ait, *in qua constitutus fuerat*, valdè tamen differunt *condere* & *constituere*. De quo tamen dicemus infra quæst. 4. Verum nihilominus est, quod iterum sermonẽ instituens de eodem Adã in 1. tom. disput. 10. art. 1. idem Concilium citauit in proprijs verbis, vt nos retulimus.

15 Quæ vsque modo diximus, licet efficacia non sint ad probandum, malos Angelos habuisse aliquando gratiã iustificantẽ, nihilominus dicimus Primo quod sint valdè probabilia, præcipuè quia loca Scripturarum recensita ita sæpissimè à Patribus, & Scholasticis recẽseri solent ad probandum omnes Angelos tàm bonos, tàm malos habuisse gratiam Dei iustificantem: ex Patribus autem ita loquitur Hieron. in

Iob 4.

Probabiliter deducitur pars affirmatiua.

Iob 4. expendens illud, in *Angelis suis reperit prauitatē*, inquit enim, *quodammodo sanctus Angelus fuit, & in veritate non stetit*, loquitur vero de Diabolo. & super Oseæ 3. loquens de hominibus lapsis ait, *Pristinam gratiam perdiderunt, sicut Dæmones, qui lapsi de propria dignitate eiecti sunt*, & Isid. lib. 1. de summo bono c. 10. inquit, *Præuaricatorem Angelum etiam sanctitate ancissa, vinacem naturæ Angelicæ sensus retinuisse*. Vniuersim autem recensita loca scripturarum ad Angelos quoque applicant Tertull. lib. 2 contra Marcion cap. 10. Isid. cit. Gregor. homil. 30. in Euang. Nicr. Damasc. pluresque.

16 Et quidem sententia hęc probabilis videtur Scoto dist. 5. quæst. 1. qui licet in hac re dubius sit, nihilominus magis inclinat ad partem affirmatiuā, quam ad partem negatiuam; sententiam etiam istam tuetur D. Tho. 1. par. q. 62. ar. 3 & eam multo magis amplexantur illi, qui docent, Angelos omnes non solum habuisse gratiam aliquando, verum etiam creatos fuisse in gratia ab initio suæ creationis, siue conditionis. Confirmatur ex D. August. qui licet aliquando de re hac nihil determinauerit, vt habetur lib. 11. super Genes. ad literam à cap. 14. vsq. ad 16. nihilominus lib. 11. de Ciu. Dei cap. 9. & cap. 11. assertiuè docet, omnes fuisse creatos in gratia; sententia autē hæc, quæ tantopere est probabilis, multo magis confirmabitur ex conclusione sequenti.

Probabile est omnes creatos in gratia.

17 Dicimus Secundo. Probabile est omnes Angelos gratiam accepisse iustificantem in principio suę creationis; Conclusio ista, tanquam probabilis ponitur à Scoto, qui licet, vt dixi, de hac re nihil determinet, nihilominus ad istam magis perpendit, & hoc idem amplexantur Scotistæ ferè communiter; quæ etiam communis est penès Thomistas, atque sic hodie defenditur in scholis.

18 Suaderi autem potest breuiter penès eundem Scotum, Primo, quia non prius Deus discreuit inter Angelos bonos, & malos, quam ipsimet Angeli discreuerint inter semetipsos, igitur omnes vel fuerunt simul in gratia, vel omnes simul absque gratia, Secundum non est valdè probabile, etenim creaturam adeò excellentem extitisse aliquando sine excellentia gratiæ non videtur admodum congruere operi diuini artificij adeò excellentis, vt in naturalibus emineat cæteris corporeis operibus, ergo dandum est primum, & ita fuerunt creati in gratia.

Status in puris naturalibus non datur de facto, sed dari posset.

19 Secundo probatur, non datur de facto status medius inter peccatum, & gratiā, ergo Angeli omnes vel ab initio fuerunt in peccato, vel in gratia, nō videtur rationabile primū, vt diximus, ergo concedi debet secundum. Confirmatur, quia licet de potentia Dei absoluta possit natura aliqua constitui, & conseruari in puris naturalibus, abstrahendo à peccato, & gratia, prout in Tractatu de Gratia explicuimus, & prout habet Scot. in 4. dist. 1. q. 6. lit. B. nihilominus de facto non ita accidit, igitur de facto dicendum est Angelos fuisse creatos in gratia.

Adam creatum in gratia, probabile est ex Concil.

20 Tertio probabile est primum parentem Adam fuisse creatum in gratia, prout præsertim recentiores eliciūt ex cit. loc. Conc. Trident. ergo probabile etiam erit Angelos fuisse creatos in gratia. Antecedens habebitur infra propria quæst.

21 Vltimo accedit authoritas Aug. 12. de Ciu. Dei cap. 9. dicentis, *In Angelis erat Deus condens simul naturam, & largiens gratiam*. Nec valet interpretatio Bassoli dicentis loqui August. de gratia gratis data, etenim idem Aug. fuit aliquando dubius de gratia Angelorum, nusquam verò dubius fuit de gratijs gratis datis Angelorum, optima namque norat August. Angelos in naturalibus, siue in gratijs gratis datis superexcellere cunctos, igitur dubius aliquando fuit de gratia iustificante Angelorum; verum quia postmodum dubietate remota, vt mox dicam, asseruit inde Angelos fuisse creatos in gratia, hinc est, vt dicamus loqui August. de gratia iustificante Angelos ipsos dicendo, quòd ab initio erat in Angelis Deus *simul condens naturam, & largiens gratiam*. Additq. D. Thom. 1. par. q. 62. art. 3. non solum recepisse gratiam iustificantem, verum etiam in via in primo instanti creationis sanctos fuisse, loquitur autem D. Thom. de sanctitate

vix,

viæ, quam inde Angeli mali amiserunt, sicut & plerique homines iusti, & sancti existentes cadere solent à iustitia, & sanctitate, ac peccare, & damnari, &c. Sanctos etiam appellant eos in via Hieron. & Isidor. cit. quod vero August. loquatur de gratia iustificante contra [illegible] probatur ex lib. 12. de Ciu. Dei cap. 9. vbi sic scribit. *Bonam voluntatem quis fecerat, nisi ille, qui eos cum bona voluntate, idest cum amore casto, quo illi adhærerent, creauit simul in eis condens naturam, & largiens gratiam, vnde sine bona voluntate, hoc est Dei amore nunquam sanctos Angelos fuisse, credendum est*; Hæc de Angelis bonis. De malis autem in specie subdit. *Cum boni creati essent, mali sunt*; & infra. *Aut minorem acceperunt diuini amoris gratiam, quam illi, qui in eadem perstiterunt, &c.* pondera ly. *diuini amoris gratiam*, & habebis gratiam iustificantem; & hoc, ait asserentes omni dubietate ablata, cōcludimus igitur probabile esse omnes Angelos etiam malos habuisse, antequam exciderint gratiam, atque eosdem Angelos fuisse ab initio creatos in gratia, & hæc est communis sententia.

22 Super est autem, vt argumenta pugnantia in oppositum soluamus, & primo ad primum dicimus primum Parentem Adam fuisse creatū in gratia, vt diximus, & ita pariformiter probabilissimum remanere, quod Angeli fuerint conditi in gratia.

23 Ad Secundum negatur consequentia, etenim de hominibus experientia id docet, vt sæpissimè à gratia Dei per peccatum decidat, siue superbiendo, siue ambiendo, siue furādo, & similia; prout etiam de primis nostris Parentibus, patet ex Trid. Conc. allato gratiam amisisse per peccatū, totamque posteritatem humanam contaminasse. Nec obstat id quod dicitur ibidem, quod cognouisset Angelus gratiæ Dei necessitatem, & similia, quandoquidē hæc etiam cognoscit homo supernaturali lumine superfusus, & nihilominus sæpissimè ruit in peccatum.

Voluntas humanā resistere valet gratiæ Dei.

24 Ad Tertium respondemus tunc voluntatem creatam reddi immutabilem, & inuertibilem ab amore, & gratia Dei, cum constituitur in termino suæ viæ, quandiu autem reperitur in via ante terminum, semper sunt mutabiles, variabiles, & versabiles, ita vt pro suo libito possit semper resistere gratiæ Dei, & ita Angelus quandiu fuit in via, resistere potuit, sicut de facto restitit Angelus malus; ex cuius opposito, boni Angeli constituti in termino, atque in diuina gratia confirmati, non amplius diuinæ gratiæ obicē ponere possunt, neque excidere ab ea, sed de hoc magis infra.

25 Respondemus ad Quartū, quod aliquod esse connaturale alicui, dupliciter cōtingit, vel quidem quia est alicui congenitum à natura in eodem instanti, in quo res incipit habere esse, vel secundo quatenus est eidem liberè, & gratuitò condonatum ab Agente extrinseco in eodem instanti, in quo res incipit esse; loquēdo de primo modo, connaturalia dicuntur ea omnia, quæ nobiscum congenita sunt à natura; ea autem sunt ordinis naturalis, siue ordinis inferioris, quatenus sunt bona naturalia, siue facultates naturales consequentes naturam à principio intrinseco emanantes ipsius naturæ. Secundo verò modo se habere potest omne id, quod misericorditer, & gratuito concedi potest à Dei beneficio in instanti creationis alicuius naturæ, & ita siue gratia concessa Adæ à principio suæ creationis, siue gratia concessa Angelis in principio suæ conditionis poterit appellari connaturalis naturæ, quatenus concreata simul fuit cum ipsa angelica natura; hoc autem dicere, non est error Pelagii, tunc autē error esset, si talis gratia prodiret ab intrinseca facultate, & merito solius naturæ, vt in Tractatu de Gratia habebimus: nunc verò gratia Angeli nō proficiscitur ab angelica natura, sed misericorditer habetur ab ipso Deo, qui secundum Aug. erat *simul largiens gratiam, & condens naturam*.

Connaturale dicitur dupliciter.

26 Ad testimonium Ioannis Papæ respondetur, Ioannem loqui de charitate consummata, & perfecta, siue de charitate termini, non autem de charitate imperfecta, siue viæ; & quidem mali Angeli habuerunt charitatem in via, nihilominus charitas illa nō perseuerauit cum ipsis vsque ad terminū viæ, quibus etiam accidit, vt charitas

eadem amissa ab Angelis malis non fuerint inde vltro recuperata à malis Angelis.

27 Dices Gregor. lib. 22. moral. c. 18. exponens illud Ezech. *Omnis lapis pretiosus operimentum tuum*, inquit, *lapis iste*, nempè Angelus, *habuit foramina perforata, & ideo per peccatum superbiæ, auro charitatis impleri non potuerunt*, igitur charitatem non habuit, & consequenter nec gratiam, cum idem sit charitas, & gratia. Respondetur ad Gregor. eodemmodo, quo responsum est ad testimonium Ioannis, vnde est, vt Gregor. etiam loquatur de charitate perfecta, & consummata, non autem de charitate viæ. Vel Secūdo dicimus eundem Gregor. ibidem apertè asseruisse Angelos, etiam malos, fuisse creatos in gratia. Vel Tertio, loquitur de gratia consummata, & hanc non habuit, quia decidit à gratia, nec fuit cōfirmatus in ea: ac propterea Gregor. vtitur exemplo foraminis perforati, vt sicut aqua non potest contineri in vase perforato, ita nec gratia in Lucifero, dum eam amisit.

28 Ad illud Aug. respondetur Primò expositionem illam August. esse misticam, siue allegoricam. Respondetur Secundo ipsum eundem August. ex supra dictis, docuisse tamen Angelos fuisse creatos in gratia.

29 Obstari autem potest contra conclusionem secundā probando Angelos gratiam, quam habuerint, non accepisse ab initio suæ creationis; & quidem Ioan. 8. dicitur; *Ille homicida fuit ab initio*, nempè Diabolus, & prima Ioan. 3. *Ab initio Diabolus peccat*, igitur non fuerunt saltem Angeli mali ab initio creati in gratia, & ex hoc vltrò deducitur, neque Angelos bonos habuisse gratiam ab initio; probatur, quia Deus non prius diuisit, siuè non prius discreuit inter Angelos bonos, & malos, quam Angeli boni, & mali seipsos ab inuicem discreuerint; vnde aiebat Scot. quod vel omnes in gratia creati fuerint, vel omnes sine gratia; sed mali Angeli ex scripturis recensitis ab initio peccauerunt, ergo non habuerunt gratiā ab initio; quod si mali Angeli gratiam nō acceperint ab initio, dicendum quoque erit, neque Angelos bonos gratiam habuisse à principio.

30 Respondetur, initium, & principium in hisce scripturæ locis non sumi mathematicè, seù indiuisibiliter, non enim importat punctum, siue instans indiuisibile, mathematicè loquendo, siue physicè; sed importat moram quandam necessariò compertam inter creationem angelicam, & peccatum Angeli, quæ duo adeò breuissimo spatio completa fuerūt, vt propter breuitatem talis spatij videantur hæc duo omnino simul esse, & vnum, alterum non antecessisse, & peccatū simul fuisse cum creatione naturæ, ita namq; accidit in moralibus, vt illa, quę festinato fiunt, non intercedēte magna temporis mora, dicantur, politicè loquendo, subitò fuisse, statimq; facta extitisse, atque simul, semperq; coniuncta fuisse: Cæterum interuenit omninò mora aliqua, & si breuissima, ita vt vnū sit altero prius, & alterū posterius physicè, & mathematicè spectatum, ita applicandum ad Angelos malos, de quibus certum est creationem naturæ ordine debuisse antecedere, indè verò secutum fuisse peccatum, quia prius est esse rei, quam operatio ipsius rei; verum quia inter esse Diaboli, & peccatum Diaboli non intercessit magna mora, vt suo loco dicetur, hinc est vt propter celeritatem operādi, siue peccandi, videantur hæc duo simul fuisse ab initio, nempè esse Diaboli, & peccatum Diaboli, & talis est sensus Ioannis, talisque est expositio August. atque Scholasticorum communiter, ita vt ly *ab initio* idem sit, ac paulò *post initium*, nec tamen mirum, si Diabolus idem vocetur *homicida ab initio* id est paulò *post initium*, quoniam ipse etiam Diabolus fuit, qui ab initio ferè creationis mundi, Cain ad fraternum instigauit homicidium, hoc namque fratricidium, licet à Cain fuerit perpetratum, nihilominus instigante Diabolo fuit actitatum. Vel dicendum, quod Serpēs ab initio causa fuit, vt Adam cum tota humana posteritate in mortem incurrerit, persuadendo namque esum pomi, quodammodo totam naturæ massam Serpens ipse interfecit, sicut verè ex peccato primorum Parentum accidit,

Initium, & Principium, qualiter in scripturis.

dit, vt moriantur in dies, sicuti experientia docet: ingestio autem Serpentis facta fuit paulo post Parentum initium.

31 Obstatur etiam contra conclusionem eandem, quandoquidem esse præcedit ad operari, siue operari præsupponit esse, ergo non potuerunt ab initio Angeli boni exercere actum amoris Dei, & consequenter non fuerunt ab initio in gratia, & charitate Dei.

32 Respondetur, quod operari præsupponit esse saltem in ordine naturæ, & ista præsuppositio sufficit, vnde euenit, vt in eodem instanti temporis possit res habere esse, & operari, & hæc duo, licet sint in eodem instanti temporis, non tamen erunt simul in eodē instanti naturæ, & ita Angelus in primo instanti naturæ accepit esse simpliciter, in secundo vero instanti naturæ potuit operari. sed de hoc magis infra suo loco.

Operari pręsupponit esse, declar.

QVÆSTIO II.

Vtrum Angeli gratiam receperint iuxta propriam dispositionem.

1 ANgelos gratiā recepisse iuxta propriam dispositionem negant Vgo Victor in summa tract.2. cap.7. Alens. part.2. q.19. m.2. art.3. Henric.quodl.8.q.10 Sot. lib.2. de grat c.5. Capreol. in 2.d.1.q.1. ad 1. atque Molina q.62. art.3. probatur autem Primo, Christus Dominus gratiā accepit ab instāti conceptionis absq; prævia dispositione, ergo & Angeli. Secundo, perfectiùs est operari cum habitu, quam sine habitu. ergo habuerunt potius ab initio habitum gratie sanctificantis, mediante qua inde operati fuerint, quam per propriam dispositionē dispositi fuerint ad illam. Tertio, ab initio Deus Mundū creauit perfectum, vtpotè arbores, vna cum folijs, floribus, & fructibus, ex probabili multorum sententia super Examer. ergo & cōsimiliter Angelos creasse existimandus est, vna cum gratiæ floribus, & fructibus, absque prævia dispositione.

2 Oppositum sensit Caietan. 1. p. q.24. art.3. Ferrar.3. contra Gent. c.110 Valent. q.13. p.1. Malon in 2.c.4. disp.3. Suar.l.5. c.8. & Vasq. d.228. c.1. aientes se ad gratiam disposuisse. Fundamenta sunt. Primo, excellentiùs est gratiam consequi per proprium conatum, & laborem quam sine labore, & sine virtutis impendio: igitur laudabiliores existimabuntur Angeli, dicendo, gratiam adeptos fuisse propria industria, & dispositione. Item nulla forma inducitur in subiectum absque prævia dispositione, ita euenit in physicis, & naturalibus, ergo ita quoque euenit in Angelis: consequens sequitur, quia non est maior ratio in physicis, quam in politicis in naturalibus, quam in moralibus. Insuper Conc Trid. sess.6. in decret. de iustific. docet, adultis gratiā iustificationis conferri iuxta propriam vniuscuiusque dispositionem: at non est existimandum, aliter collatam fuisse Angelis gratiam iustificantem, quam hominibus, ergo.

Angelus se disposuit ad gratiam habitualem.

3 Capreolus differentiam assignat inter hominem & Angelum; etenim in homine peccatore præcessit peccatum, ideo opus est, vt per contritionē se disponat ad gratiam, quod tamen peccatum non præfuit in Angelo. Verum, gratis id ait, nec enim aliter sufficienter probat: Et conuincitur, quandoquidem per accidens est, vt ad infusionem gratiæ præcedat peccatum, at quod forma non inducatur, nisi prævia dispositione, hoc est per sè, talem enim ordinem requirit ipsa natura, talemq; ordinem seruat Author naturæ vt plurimum, nisi tamen velit in eo dispensare, at quod dispensatum fuerit à tali ordine in Angelis, quis vidit? res namque abscondita est, in dubijs vero non

est recedendum ab vsitato cursu naturæ.

4 Vulpes disp. 20. art. 5. consensit cum Capreolo, dispositionem præire debere in homine peccatore, non in Angelo: locaq; adducenda, militare, inquit, in homine, non in Angelo. Qui insuper affert locum Scoti, dicentis meritum antecedere præmium tempore: ergo non potuit in eodem instanti se præparare ad gratiam, & habere eam. In primis Scotus non profert axioma illud, tanquam vniuersale, & vniuersaliter verum, sed in subiecta materia, de qua agebat, vtpote contra Asserentes meritum, & terminum viæ posse esse simul, hoc quidem impugnat, & patet, quia in termino vitæ, non adest meritum amplius, via namque, & terminus repugnant, & *cessante motu fit quies*, prout in propria quæst. vidimus: nihilominus abstrahendo à termino vitæ, & viæ, potest in eodem instanti temporis haberi meritum, & gratia, præcedente illo, & subsequente illa ordine naturæ. Scotus insuper 2. d. 1. q. 1. alibiq; docet, in eodem instanti, posse simul, cum ordine naturæ, haberi plures operationes, ergo non implicat talis dispositio.

Meritum, & præmium an simul.

5 Accedit Thren. vlt. *Conuertimini ad me, et conuertentur ad vos*: Non est autem sufficiens euasio, eiusdem Vulp. vt hæc, & similia dicantur de solo homine, & non etiam de Angelo. Vltimo, talis est ordo, & progressus naturæ, vt procedatur ab imperfecto ad perfectum Angelus autem de communi iure, non est exemptus à lege naturæ, & gratiæ, nisi dispensetur, at non constat de dispensatione: progressus per viam dispositionis ad formā est progressus ab imperfecto meriti ad perfectum gratiæ. Item D. Thom. 1. par. q. 95. art. 1. ad 5. asserit, Adam, qui secundum ipsum fuit creatus in gratia, se disposuisse ad illā; ergo & Angelus.

6 Sed queritur, actus, v. g. dilectionis Dei, quo Angelus dispositus fuit in primo instanti, vtrum promanauerit à gratia habituali, an ab actuali: Sunt qui dicūt, promanasse ab habituali: nec inconueniēs putant, quandoquidē actus ille in genere quidem causæ materialis antecedit gratiam, dum ad illam disponit: in genere tamen efficientis subsequitur, quoniam est effectus productus à gratia. Verum non placet, nam verè essentialiter est prior actus ille, quam gratia, vereq; habet esse antequā gratia, quomodo ergo producetur inde à gratia? Dices, Materia prima in genere causæ materialis præcedit formā, quia forma educitur de potentia materiæ: attamen subsequitur materia formam sibi esse informato, & perfecto, siue in genere causæ formalis, ergo pariter hic: Respond. paritatem nō currere, quia materia non accipit à forma esse simpliciter, sed secundum quid, verè enim habet actum entitatiuū ante formam: at in casu nostro actio illa dispositiua verè, & simpliciter reciperet esse à gratia habituali, veluti, effectus eius, quod tamen implicat, nec est necesse, quia iam dispositio illa est in esse vero, & reali ante gratiam habitualem: non ergo esse poterit à gratia habituali: Igitur dicendū promanare à gratia actuali, quæ est excitans ad amorem Dei: itaut hanc primo, prioritate naturæ, receperint Angeli, cui inde subsequentibus instantibus naturæ cooperantes, se disposuerunt ad gratiam habitualem iustificantem, collatam ordine naturæ, singula autem hæc, & omnia facta fuerint in vnico instanti temporis: inde vero subsequentibus motulis per operationes alias meruerint gloriam &c.

Dispositio ad gratiam an promanet à gratia habituali.

7 Hinc ad Primum dicimus, Christum Dominum fuisse excellentiori modo ordinatum ad gratiam, & ad gloriā; etenim ratione vnionis hypostaticæ debebatur sibi summa gratia, cæteraq; dona, virtutes, ac gloria. Item gratia, quam ab initio habuit, non fuit imperfecta, & diminuta, sed sūma, & consummata, quam habuit excellentiori modo, quam homines, & Angeli, qui præuijs dispositionibus eam acquirūt. Denique à primo instanti vidit gloriam Dei, fuitq; beatus.

Christus an acquisierit gratiā præuijs dispositionibus.

8 Ad Secundum, currit antecedēs ibi, vbi necessarius est, & vbi iuxta debitum naturæ ordinem, collocandus est talis habitus: at hic, nobilius est, & melius, seruato ordine naturæ recensito, promereri, & operari absque habitu, sufficiente sola motione auxilij

Habitus ad quid.

caci-

excitantis actualis: Habitus autem nō requiritur ad operandem simpliciter, sed aliundè, ergo poterant sine eo se disponere.

Terra statim produxit plantas, flores, fructus simul.

9 Ad Tertium, ad id suppleuit omnipotentia Dei, non enim terra poterat de se statim, ac simul sic plātas producere: at potuit Angelos præuia motione auxilii excitantis, se disponere, non ergo, opus ad id tunc fuit gratia habituali, nisi ad alia opera subsequentia.

Deliberatio an requirat tempus.

10 Dices, ad præstanda hæc requiri deliberationem, deliberatio autem requirit tempus, quomodo ergo poterant hæc fieri in vnico instanti. Responsio patet: etenim in vnico tēporis instanti, includente plura instantia naturę, fieri potuisse omnia ista: vt etiam amplius patuit, loquendo de Moquli Angelorum.

Operari qualiter præsupponit esse.

11 Alexandri fundamentum erat, quod in primo instanti non potuerint operari: At hoc non recipitur, si quæ tamen esset ratio probans, ea esset, quoniam esse præcedit operari, at in primo instanti acceperunt esse, ergo non poterant se disponere. Respondetur autem, esse quidē præsupponi ordine, & signo naturæ ad operari, non autem tempore: Angeli enim sunt expeditissimi in suis operationibus, ergo eo instanti temporis, quo acceperant esse, potuerunt, & simul operari.

Libera operatio an potuerit esse in primo instanti.


12 Hugo, & Henricus negant potuisse disponi, quia, aiunt, Angelos in primo instanti nō potuisse liberè operari: dispositio autem meritoria debet esse libera. Assumptum confirmatur ex D. Thom. qui putant, Angelum in primo instanti non posse peccare ob defectum libertatis; nihilominus nec hoc obstat, creati namque fuerunt Angeli cum plenitudine liberi arbitrii, & ob hoc, in quocunque instanti, poterant liberè operari: Diuus autē Thomas si negat, potuisse in primo instanti peccare, id non ait prouenire ex defectu libertatis, sed aliundè, etenim quæst. 63 art. 5. ad 3. docet, in primo instanti potuisse mereri, meritum vero non potest esse absque plena libertate, & deliberatione: quod, de merito hoc dicit, pariter diceret de peccato, cum oppositorum sit idem iudicium.

13 Verum, quia oppositam negatiuam multi tenent, vt vidimus, ideo qui eam sustinere voluerit, poterit sic ad argumenta partis affirmatiuæ respondere: Vnde ad primum respond. quod licet sit excellentiùs ex parte creaturæ consequi per proprium laborem, tamen est gratiosiùs ex parte Creatoris, eam conferre absque præuio labore; quoniam tunc ostenderet Deus maiores diuitias gratiæ suæ, quando gratis, & misericorditer gratiam conferret, & nō ex creaturæ labore: esset ergo opus gratiosius, & misericordiosius.

14 Ad secundum respond. Verum de Agente naturali, quia non valet formam omnino inducere absque præuia dispositione. Valet etiā de Agente limitato, & finito, cuius virtus nō valet agere absq; præuia dispositione: Deus autem est Agens liberum, & infinitæ virtutis, & hinc fit, vt possit supplere vicem dispositionis, & agere absque ea, quidquid enim potest causa prima cum secunda, potest se ipsa sola.

15 Ad Tertium respondetur iuxta tradita à Capreolo, & Vulpes.

16 Hic vero aduertendum, quod qui sustinent Angelos esse creatos in gratia, non possunt dicere, eam recepisse per propriam dispositionem, nam creatio est de nihilo, ergo nec vlla præcedit dispositio: at negantes, possunt cōcedere se disposuisse, & id, præuia gratia excitante.



QVAE.

QVÆSTIO III.

Vtrum gratiam Angeli receperint iuxta quantitatem naturalium.

1 ANgelos gratiam recepisse, iuxta quantitatem suorum naturaliũ, seù iuxta dignitatem naturæ, docet Magister in 2. d. 3. ac inde D. Thom. 1. par. quęst. 62. art. 6. quos sequũtur communiter recentiores. Probationes autem D. Thomæ hæ sunt, Prima angelicam naturam Deus ordinauit ad gratiam, ergo nobiliorem naturam, siue speciem angelicam, ordinauit ad maiorem gratiam: igitur contulit eis gratiam, iuxta quantitatẽ, & dignitatem naturæ: Secundo, quo natura est perfectior, eo feruentiùs, & perfectiùs operatur, igitur danda erit ei gratia maior ad hoc, vt perfectiùs operetur: ergo nobiliori Angelo in natura, collata fuit maior, & excellentior gratia.

2 Verum, rationes has nõ conuincere, apertè patet, & ad Primã respondetur nõ concludere, siquidem humana natura Christi Domini, & Beatissima Virgo, vtpotè in naturalibus, inferiores Angelis receperunt tamen gratiam maiorem quibuscunque Angelis, & creaturis omnibus: imo plures Animæ, vltra Christi, & Virginis, Angelis plurimis sunt gloriosiores, iuxta illud, *Multis passeribus meliores estis vos*. Ad Secundam quoque respond. Agens naturale esse illud, quod quantum est de se, si non impediatur, agit toto conatu, quia agit necessario necessitate naturæ, & in potestate eius, nec est actio, nec modus agendi: Agens vero liberũ habet in sua potestate, & actionem, & modum agendi, vnde potest intensè, & remissè agere, imo agere, & non agere, vt placet: & iam ita accidit, vt plures ex superioribus, ac nobilioribus Angelis, vna cum nobilissimo Lucifero, remissius egerint, adeoq; lente, & remissè, vt inde in deterius abeuntes, rebelles facti fuerint gratiæ, ipsamque amittentes, detrusi fuerint in igne Inferni: Rationes ergo allatæ non sunt demonstratiuæ, sicut nec veluti demonstratiuas attulit D. Thom. inde autem hoc elicitur, quoniam quæstionẽ decidendo, innititur solummodo coniecturis, vtpotè exemplo lapidum, Artificis &c. ac proinde pro quæstione ista nil certi habemus quamuis Vasquez dicat, se non inuenisse, qui sentiat oppositum.

Agens naturale, & liberum quid sit.

3 Atque ita nos etiam cum Mag. & D. Thom. asserimus, fuisse gratiam collatam, iuxta dignitatem naturæ. In hoc tamen erit cautè, & moderatè loquendum, itaut nullũ admittatur meritum, debitum, seù causa in natura, alias esset error Pelagij: quo fit, vt Deus gratuito, & liberè sic egerit, distribuẽdo thesauros gratiæ suæ, prout voluit, nobiliori quidem Angelo maiora, inferiori autem minora conferendo diuitiarum suarum dona, & incrementa: & sicut nobiliori contulit nobiliora, ita ignobiliori poterat conferre nobiliora, & nobiliori minora, at vero egit iuxta id, quod expedientiùs videbatur sapientiæ suæ: Omnis ergo ratio, & causa talis distributionis ponatur ex parte Dei, de quo ait Paul. Roman. 10. *Hæc autem omnia operatur vnus, idemq; spiritus diuidens singulis, prout vult.* vnde *diuisiones gratiarum sunt*: ex parte autem naturæ nullum admittatur meritum, debitũ, aut causa, vel huiusmodi, se habuit namque tunc cuiusque natura, solummodo *materialiter*, & ad summum, *occasionaliter*, ad id sine præiudicio gratiæ, quæ in tantum est gratia, in quantum confertur gratis, sine causa, merito, & debito. ex eodẽ Apost. *Si gratia ex meritis, iam non est gratia: materia, ergo*, & *occasio* abstrahant omnino à ratione *causæ*, & *meriti*, ac *debiti*: quod si scrupulus vrgeat de *materia*, & *occasione* deleatur vtrumque, ne vel pectus, alioqui de gratia benemeritum, stimulis angatur, neue, in nomine etiã, aut in tantillo, gratiæ detrahatur: nititur tamen Suarez scrupulos istos euellere. l. 5. cap. 10. num. 8. & 9.

Angelis gratia initio collata iuxta dignitatẽ naturæ explicatur.

4 Sententiam istam sic explicatã confir-

confirmant Damascen. lib. 2. fid. Orth. cap. 3. inquiens: *Per Verbum omnes Angeli creati sunt, ac per Spiritus sancti sanctificationem omnes perfectionis numeros acceperunt, ita tamen, vt pro sua quisque dignitate, & classe, luminis, gratiaeq. participes essent.* atq; Basil. de Spirit. sanct. cap. 16. *Cæterum virtutes non suapte natura sanctæ sunt, sed iuxta proportionem, qua se inuicem superant, à Spiritu habent sanctificationis mensuram.* Congruentiæ autem, vltra allatas à D. Tho. trahi solent à lapidibus, qui quo sunt pretiosiores, eo locis aptantur eminentioribus, ac dignioribus, siue anulis nectuntur, auro, gemmisq; onustioribus à floribus, vtpotè iam ex arboribus collectis, qui, veluti candidiores, siue rubicundiores, siue vario etiam colorum genere perspicui, odore quoq; fragrantiores, super altare Domini ad Ecclesias asportantur: siue, reddendo singula singulis, nobiliora nobilioribus coaptentur generibus, ita namque in poli-

Ex lapidibus aliqui bene fortunati.

tica seruatur hominum: Et de lapidibus quidem iam dixit Aristot. 2. phys. t. c. 59. esse inter eos, *lapides quosdam bene fortunatos*, vtpotè, quia loco aptentur, aut ædificio præstantiori: Ciuitas autem illa cœlestis Hierosolyma, *quæ construitur in Cœlis, viuis ex lapidibus* taliter ædificata est, *vt suis coaptetur locis per manum Artificis*: Quod vero lapides aliqui sint bene fortunati ex Philos. id prouenit à mera electione Artificis, inquit Scot. in 1. d. 41. quæst. vnic. §. *Ostitendo ista* versus finem: ergo à primo ad vltimum ex libero beneplacito Dei prouenit, vt gratiā distribuerit Angelis iuxta dignitatem naturæ, non autem ex merito naturæ.

5 Obstari potest quærendo, cur nō ita egerit Deus cū hominibus, vt nobiliori indiuiduo maiora præbeat incrementa gratiæ, & virtutū, sicut egit in Angelis, vel stabit aliundè æqualitas, vt dum cum hominibus hoc non egit, nec egisse dicatur cum Angelis. Dicerent Aduersarij id prouenisse, quia in hominibus non reperitur diuersitas specifica, sicut in omnibus Angelis: At Primo gratis dicitur, ait enim Scotus sub eadem specie contineri plura indiuidua angelica. Item sequeretur conclusionem limitari solum ad diuersitatem specificam, & non extendi ad numericam, si namque sub eadem specie angelica, vt supponimus, indiuiduum vnum est altero nobilius in naturalibus, vt contingit in hominibus, quorū vnus altero habet nobiliorē indolem, dispositionem à natura, sicque de huiusmodi singulis, cur conclusio nō militabit quoq; in illis, vt nobiliori dentur dona gratiæ nobiliora? At responsio erit, cur Deus ita cum Angelis egerit, & non cum hominibus, responsio, inquam D. Pauli, Rom 5. *O altitudo diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei; quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius*. Et 1. Cor. 12. *Quis enim te discernit?* vtique Deus.

6 Dices, si quo nobilior erat natura, eo nobiliora accepit incrementa gratiæ, ergo Lucifer supponendo fuisse supremum omnium, recepit vberiorem gratiæ iustificantis collationem, maiusq; incrementum: at vt *quid perditio hæc*, etenim excidere habuerat à tanta gratia. Resp. concedēdo sequelam: & ad id de perditione, bene sciuit Deus exinde quidnā esset acturus, etenim etiā de malo elicit bonum, ex ruina namque Luciferi bene sciuit Deus deducere bona: & ad illud de excidere, nil interest, nam hominibus quoque reprobis cōfert auxilia siue gratiæ Deus, de cuius tamen Christo Filio dicitur, *Butyrum, & mel comedet, vt sciat reprobare malum, & eligere bonum.* Isa. 7.

7 Petes, si gratia collata fuit iuxta dignitatem, & quantitatem naturaliū, quomodo verū erit quod præced. quæst. diximus collatam fuisse iuxta quantitatem dispositionis, itaut ad eam se disposuerint. Respondēt aliqui in quæst. præced. sermonem fuisse de gratia habituali, hic vero de actuali: ibi de gratia iustificante, hic autē de præueniente, seù excitante: Ad illam præcedunt dispositiones, mediante gratia excitante, & vocāte ad conuersionem: ad excitantem vero non præcedit, nisi gratuita voluntas Dei, ex sē excitans ad conuersionem: hanc vero distribuit Deus Angelis difformiter, iuxta quanquantitatem naturalium; à primo autem ad vltimum, gratia iustificationis fuit collata, iuxta quantitatem præuiæ dispositionis: gratia vero excitās, præueniens,

ueniens; siue operans, iuxta quantitatem suorum naturalium, quod si tamen hoc de gratia excitante non placet, vt patuit supra quæst. 1. huius Disput. hinc dicendum erit, vtramque gratiam etiã habitualẽ iustificantẽ, recepisse, iuxta quantitatem suorum naturalium, quia in gratia habituali iustificante creati fuerit, ex 1. quæst. Dices, si in gratia iustificante creati fuerunt, non ergo gratiam receperunt ex præuia dispositione. Prob. quia creatio nullam prærequirit dispositionem, cum sit de nihilo: Responsionem quærere supra quæst. 2. huius Disputationis in fine.

QVÆSTIO IV.

De confirmatione sanctorum Angelorum in gratia.

1 Sicut mali Angeli non cooperantes diuinæ gratiæ, ipsam denique perpetuo amiserunt; ita boni perseuerantes in ea, finaliter confirmationem in gratia receperunt: ita Damascenus lib. 2. de fid. cap. 3. inquiens, *Sunt quidem illi natura sua comparati, vt ad malum ægre moueri, non tamen omnino non moueri possint: nunc vero ex iam conditione, vt ne vix quidem moueri, atque in flecti queãt: quod tamen non eorum naturã, sed gratiæ; eaque qua Deo vnico bono adhærent, constantiæ tribuendum est.* Loquitur vero sãctus Doctor de duplici statu Angelorum, ante quidem quam gratiam confirmationis acceperint, & tunc poterant inflecti: postquam vero confirmati fuerunt, nequaquam inflecti & peccare potuerũt, nec possunt. Prosper lib. 1. de vita contempl. cap. 3. *Voluntatis sanctorum Angelorum fuit, quod malis sponte cadentibus, ipsi in sua dignitate manserunt: & diuino, iustoque iudicio actum est, vt quæ fuit tunc Deo suo manendi voluntas, fieret permanendi voluntaria, felixq; necessitas. Et ideo, quia nec peccauerunt vnquã, nec peccare iam possunt, illius contemplatiuæ vitæ semel facti participes, inexplebiliter Auctorem beatitudinis suæ conspiciunt, ac merito suæ stabilitatis in æternũ felices effecti, de sua permansione securi sunt.* Anselmus de casu Diab. cap. 24. *Sicut malus Angelus redire nõ potest, quia sola mala voluntas abest; ita bonus abire non potest, quia sola bona voluntas permansit.* ac denique, vt plura linquam, August. de correc. & grat. cap. 11. *Sanctos Angelos per liberum arbitrium stetisse, & huius mansionis debitam mercedem recepisse: tantam scilicet plenitudinem beatitudinis, qua illis certissimũ sit, semper in illa esse mansuros.* & 22. de Ciu. cap. 1. *De sua permansione certitudinem, tanquam suæ perseuerantiæ præmium acceperunt.* ita cæteri Patres, Scholastici &c.

2 Ex his elicitur, Angelos sanctos esse prorsus impeccabiles, tum ratione confirmationis in gratia post moras illas, tum ratione supernaturalis beatitudinis, quam possident, sunt namque Beati impeccabiles. Plura in materia de Beatitudine, quærendo etiam causã impeccabilitatis.

3 Hæc dicta sunt propter hæreticos impiè in hoc etiam sentientes de sanctis Angelis. Et quidem referente Feuardent. in sua Tautomach. lib. 9. cap. 19. Caluinus talia euomuit de Angelis, inquiens, *Licet nobis abali etiam ipsis Angelis ad propugnandum veritatẽ.* Hoc præiacto subdit, *Angeli non possũt satisfacere iustitiæ Dei.* Prosequitur insuper, inquiens, *Si Deus summo iure cũ Angelis agat, inueniet quod in eis desideret: non exstabit in ipsis constans, & perpetua firmitas, sed vana, debilisque creatura deprehendentur. Angeli ipsi Deo satisfacere nequeunt: Deus non reperit solidam veritatem in Angelis suis, sed stultitiam, & vanitatem. Est in ipsis vanitas, & inconstantia.* Quod vero de sanctis Angelis loquatur, ipsemet seipsum declarat, subijciẽs, *Angeli, qui faciem eius intuentur, non ad eam perfectionem peruenerunt* Hæreticorũ blasphemia de Angelis.

perue-

perseuerauit, vt nihil in eis desideretur, si Deus stricto iure cum illis ageret: Deus peruanciam, stultitiam, & vanitatem extare in Angelis, hoc est, contagionem, & labē peccati. Adijcit ampliora, inquiēs, *Angelos cælestes turpitudine liberari à humanarum posse corrumpi, ac deprauari.* Item addit, *Obedientiam, quam præstant Deo non esse tam perfectam, quin veniā indigeat.*

4 Vltra Caluinum accedit Petrus Vermilius non dissimilia effutiens, scribit autē, *Non sunt prorsus omni affectionum genere spoliandi Angeli.* Inquitur autem de passionibus prauis, vt mox constabit; subdit namque, *Credamus Scripturis, quæ testantur sanctos Angelos huiusmodi affectibus laborare: sed quomodo intelligemus eos subiectos esse vanitati? facile &c.* Accedit insuper Lambertus Danæus subijciens, *Angeli sancti ne coram Deo quidē puri sunt, ideo alienā commendatione egent.* En quanta de sanctis Angelis impij proloquuntur hæretici.

Hæretici inconstantes. 5 Verum quia hæreticorū inconstantia frequens, & nota est, hinc ipsimet calamum acuunt aduersus seipsos, vnde de contradictione primo arguuntur ab eodem Feuard. Et quidem idem Caluinus ita alibi scribit serm. 16. in Iob. *Cultus ille, quem Angeli exhibent Deo, perfectus est ab omni parte, quatenus perfectio in creaturam cadere potest: ideoque, cum in precibus rogamus Deum fiat voluntas tua sicut in Cælo, & in terra, protestamur nullam esse in Angelorum obedientia contradictionem, sed Deum in eis tam pacifice dominari, vt per omnia, voluntatem eius exequantur.* Item sup. cap. 2. Ep. ad Coloss. *Inter Deum, & Angelos nulla est defectio: nullum peccatum, ideoque nullum diuortium.* Insuper *Angeli confirmati fuerunt in gratia. Non est autem de nihilo ad perpetuam cum Deo pacem obtinendam, habere firmum, & tranquillum iustitia statum, nec amplius lapsum aliquem, aut defectionem formidare.* Et cap. 17. in Matth. *Angeli nunquam à Deo alienati sunt, vt reconciliatore opus habeant.* Ecce contradictio maxima in Caluino, etenim modo ait, modo negat, destruens, quæ dixerat in contumeliam Sanctorum Angelorum: in quo tamen sensu ex recensitis perstiterit, ipse viderit, immanissimus hostis Ecclesiæ.

6 Idemque Lambertus contradictionis quoque, vt Caluinus, arguitur, siquidem in cap. 25. & 57. in Enchyr. August. ita loquitur, *Sunt filij hominis, non Angeli, peccatores.* Item, *Boni Angeli in eo statu permanserunt, in quo creati sunt: qui, cum sit beatus, & felix, beati, & felices sunt illi: Nunc autem incommutabiliter in eo statu beati sunt.* Et in explicat. Orat. Dom. cap. 15. *Beati Angeli, & Sancti dicuntur Deum perfectissimè prædicare, illique parere: Et certè idem Angeli dicuntur semper videre faciem Patris cælestis, quoniam semper, & in omnibus, sunt Deo morigeri, imo obsequentissimi.* Denique Orat. Dominic. cap. 15. *Libentissimè Deo parent Angeli sancti, non obmurmurantes, non tergiuersantes. Citissimè, seu celerrimè, non perfunctoriè; denique fidelissimè &c.* Hæc autem valde aduersa sunt primis, vt dicere possimus, *Et inimici nostri sunt iudices.*

7 Cum autem res de fide sit, docent omnes Patres, & Scholastici, impeccabiles omnino esse, vt decet Beatos Comprehensores: Efficax vero argumentū desumitur ex Oratione Dominica, docente nos Christo Domino, orare, ac dicere, *Fiat voluntas tua tua sicut in Cœlo, & in terra.* Quando autem Dominus hæc docuit, in Cœlo soli Angeli cum Deo erant, nondum enim aperta erat Paradisi ianua per Ascensionem pro hominibus: igitur, dum docuit nos orare, vt fiat Dei voluntas ab hominibus in terra sicut fiebat in Cœlo, vtique Angeli existentes in Cœlo, eandem Dei voluntatem adimplebant: Angeli quoque Custodes degentes in terris, faciebant quoque Dei voluntatem, sicut & faciunt, quoniam adhuc extra Cœlum, *Semper vident faciem Patris mei, qui est in Cælis,* inquiebat Christus. Et modo etiā oramus fieri à nobis voluntatem Patris, in terris, sicut fit à Sanctis, beatisque Angelis in Cœlo. Item Psalm. 102. dicitur, *Benedicite Domino omnes Angeli eius, potentes virtute, facientes verbum illius. Ministri eius, qui faci-* Angeli boni impeccabiles.

tis voluntatem eius; Obstari posset ex Genes. 7. *Videntes Filij Dei, filias hominum quod essent pulchræ acceperunt sibi in vxores*. at de hoc actum fuit supra.

8 Obstatur Iob 4. *In Angelis suis reperit prauitatem*. Respond. loquitur de Angelis malis, vt Hieronym. Beda, cæterique Patres ibi: Et 2. Petr. 2. Io. 8. ac Epist. Iudæ 5.

QVÆSTIO V.

Vtrum sicut Angeli, ita & primi Parentes creati fuerint in gratia.

1 ARgumentum vnum ex supra allatis, tangẽs gratiam primorum Parentum, ansam præbet quærendi, vtrum ipsi insuper, sicut & Angeli, creati fuerint in gratia: Ex quo apparebit, an argumentum ex Parentibus deductum ad confirmandum, Angelos fuisse creatos in gratia, fuerit sufficiens.

2 Pro parte autẽ negatiua arguitur, Primo authoritate Magistri in 2. d. 24. dicentis. Poterat homo per auxilium gratiæ creationis resistere malo, non autem perficere bonum: quod si non poterat perficere bonum, signũ est nõ habuisse initio gratiã. Confirmat id Aug. inquiẽs, in suæ creationis primordio habuit vnde posset stare, nõ tñ vnde posset proficere In Enchyr. penes eundẽ. Item Cyprian. Epi. 74. ad Pomp. de Ada ait. *Ante enim Deus illũ plasmauit, & tunc insufflauit in faciem eius flatum vitæ; neq; enim potest accipi spiritus, nisi prius fuerit qui accipiat*. Loquitur autem de spiritu non vitæ, seu animæ, sed de spiritu gratiæ. Augustinus idem 2. de Gen. contra Manich. *Tunc spiritualis effectus est, cum in Paradiso, hoc est in beata vita constitutus, præceptum etiam perfectionis accepit, vt verbo Dei consummaretur*. Ex quo colligitur, antequam in Paradisum translatus fuerit, minimè recepisse gratiam iustificantem. Et lib. de Correct. & Grat. *Sic Deus ordinauit Angelorum, & hominum vitam, vt prius in eis ostenderet, quid liberum corum arbitriũ posset, deinde quid suæ gratiæ beneficium præstaret*. Hinc vero arguitur, vnde Naturæ præcedit ordinẽ gratiæ, vt constat: ergo non fuit iustificatus in instanti creationis. Secundo adultus nõ iustificatur nisi per proprios præcedentes actus contritionis, amoris, & huiusmodi: hos autem actus nequierat habere Adam, (iam in ætate perfecta creatus) nequierat, inquam, habere in primo instanti creationis. Tertio, extra Paradisum fuit conditus, ergo gratiam, non nisi post in Paradisũ introductionem, fuit cõsequutus: prob. conseq. extra Paradisum operatus fuit in eo Deus ordinem Naturæ, creando: ergo in Paradiso operatus inde fuit ordinem gratiæ, iustificando.

3 Hinc D. Bonau. in 2. d. 29. art. 2. q. 2. duplicem distinguit ordinem in statu Innocentiæ, seu duo tempora: Primum quidem fuit, inquit, tempus naturalium, in quo habuit sola naturalia: Secundum vero, in quo habuit gratuita, & hoc fuit tempus gratiæ. Insuper subdit, ita conuenire ordini Sapientiæ, Bonitatis, & Iustitiæ Dei. Sapientiæ quidem ita primo conueniebat, etenim sicut esse gratuitum est alterius generis ab esse naturæ, ita distinctis quoq; temporibus collata fuerint: & quemadmodũ Elementa prius creata fuerunt, & distincta, inde vero ornata, ita in homine contigerit, qui est minor Mundus. Ordini item bonitatis diuinæ sic congruit, quandoquidem gratia tunc conferenda est, quando redditur vtilior, & fructuosior: tanto autem redditur vtilior, quanto Deo gratiosiores existimus: at tunc id fit, quãdo cognoscimus illud esse donum Dei gratuito collatum: vnde fit, vt non initio collata fuerit gratia, sed inde post, cum Adam id recognouerit: denique ordo iusti-

iustitia id postulabat; etenim Deus dispositionē requirit in eo, qui recepturus est gratiam, vt in adulto: sine in illo adiuuante, vt contingit in paruulo: ergo dilata fuit gratiæ collatio, quousque se disposuerit, vt verificaretur dictum Augustini, *Qui creauit te sine te, non iustificat te sine te*. Huius ergo opinionis est Bonau. negantis fuisse in gratia creatum. Item Mag. d. 24. Alens. p. 2. q. 91. mem. 1. art. 1. Marsil in 2. q. 16. art. 6. qui et negant, Angelos in gratia creatos. Palud. in 4. d. 27. q. 4. art. 4. & qui nullatenus gratiam habuisse ante peccatum.

Adam ante peccatū habuit gratiā.

4 Dicendum autē Primo, Adam ante peccatum habuisse gratiam iustificantem. Est communis sententia, quam nec negat idē Bonau. qui quæst. præced. expresse id affirmat contra negantes. idem docet ibidē Mag. idemque Alens. mem. 2. art. 1. multoque amplius eam docent qui tenent, creatum fuisse in gratia. Probatur autē, Luc. 10. ex verbis illis, Expoliauerunt &c. vbi Glos. *Expoliauerunt gratuitis, & vulnerauerunt in naturalibus*. ergo nedum habuit naturalia, sed & gratuita: id vero antequam expoliatus fuerit, nempè antequam peccauerit; etenim si expoliatus remansit gratuitis per peccatū, igitur iam prius habebat gratuita: sunt qui respondēt penès eundem Bonau. per gratuita intelligi non gratiam iustificantem, sed gratias gratis datas. At confutatur primo Eccles. 7. *Deus creauit hominem, & secundum se vestiuit illū virtute. Disciplina intellectus impleuit illos: creauit illos scientiam spiritus: Addidit illis disciplinam, & legem vitæ hæreditauit illos: testamentum æternum constituit cum illis &c.* Hæc omnia indicant vere gratiam iustificantē. Item Concil. Arausic. 2. cap. 19. inquit, *Natura humana, etiam si in illa integritate in qua est condita, permaneret, nullo modo seipsam Creatore suo non adiuuante seruaret*. Concil. Trident. sess. 5. can. 1. *Si quis non confitetur, primum hominem Adam; cum mandatum Dei in Paradiso fuisset transgressus, statim sanctitatem, & iustitiam, in qua constitutus fuerat, amisisse, anathema sit*. Item sess. 6. cap. 7. habetur, Adam sua inobediētia, iustitiam sibi, & nobis perdidisse: Anast. Syna. lib. 10. in Exam. Adam ante peccatum fuisse *vestitum ... lucidam &c.* Ambros. lib. 6. Exam. cap. 7. *Illi enim bene pictus est, qui est splendor gloriæ, & paterna imago substantiæ: secundum hanc imaginem, quæ refulget, pictura pretiosa est Adam ante peccatum*. Cyprian. lib. de Bon. pat. *Adam contra cæleste præceptum cibi letalis impatiens, in mortem ruit, nec acceptam diuinitus gratiam, patientia custode seruauit*. Chrisost. homil. 16. in Gen. habuisse Adam *angeli cum quendā statum*, & mira gloria fuisse amictum, atq; in summo fuisse honore, & nihil minus prope modum habuisse ab Angelis; at Angeli fuerūt in gratia ante lapsum, ergo & ipse. August. 14. de Ciu. c. 12. *Viuebat itaq; homo secundum Deum in Paradiso et corporali, & spirituali*. Ambr. l. de Parad. cap. 13. *Ante peccatum nudi erant, sed non sine virtutum integumentis*. & lib. 4. Epist. 30. *Adam ante peccatum nudus erat: sed nudum se nesciebat, quia erat indutus virtutibus*. Bern. *Cum videret Diabolus Adā charitate circumdatum, omnique virtute vestitum, inuidit insatiabilis homicida*. Rursus Gen. 1. *Faciamus hominem ad imaginem, et similitudinem nostram*. Imago quidem in naturalibus cōsistitur, similitudo autem in gratuitis, ex Theologis. ergo habuit gratiam iustificantem, ante peccatum, etenim sermo est de factione, siue creatione. Non desūt qui penès eundem Bonau. respondeant intelligi habitualiter, non actualiter, vt sensus sit, factum fuisse habilem ad recipiendam inde gratiam post conuersionem à peccato: at gratis hæc dicuntur, quoniā simul ambo de Adā refert scriptura, tum imaginem, tum similitudinem: quod si illa fuit in eo actualiter, ergo & ista.

5 Dicendum Secundo, primi nostri Parentes fuerunt creati in gratia. Est communis. ita D. Thom. 1. p. q. 95. art. 1. Albert. in 2. d. 24. art. 1. à qua sententia non abhorret Scotus, tacito enim illā præsupponit in 2. d. 20. q. vn. licet Suarez lib. 3. sex dierum cap. 17. num. 5. trahat ipsum in sententiam negantem. Hoc autem in re circa Scotum, dum penès ipsum res saltem dubia est, id dici posse, idipsum sentire de Adā, ac de Angelis: sicut vero

Scoti sentētia de gratia Adæ.

de Angelis modo ait, modo negat, in gratia creatos, sive saltem problematicus est, ita & de Ada: attamen apertius loquitur de Angelis clarissimè disputãs de eorum gratia: cum tamen quid de Ada senserit difficile sit investigare, vnde non mirum si trahatur à plerisque vel in affirmantem, vel negantem sententiam. Quicquid tamen sit de eius mente, Principale intentum probatur coniecturis: quę autem sunt. Angeli creati fuerunt in gratia, ergo & Adam. Antecedens supponitur ex quæst. præced. & consequẽs suadetur, dum enim Psalmus ait, hominẽ paulominùs minoratum fuisse Angelis, ergo excellentiam quoque habuit collationis gratię ab initio, vna cum Angelis: minoratio namque non fuerit in gratiæ collatione, sed in alijs, puta, corporis mole, quæ tantopere post peccatũ aggrauat animam, corruptibilitate, passibilitate & huiusmodi. item, nullum fuit impedimentum concreandi sibi gratiam ergo &c. Antecedens probat ex doctrina Augustini tradita de Angelis, inquiẽtis, *Erat Deus cum Angelis simul condens naturam, & largiens gratiam*. Insuper concreatę cum eo fuerunt virtutes morales, item Fides in ipsum Deum, atque Spes, cur non etiã Charitas, & gratiam. Confirmatur, concreatæ sibi fuerunt gratiæ gratis datæ, ergo & gratia nobilior quæ est gratia iustificans. Præterea arbores creatæ fuerunt in esse completo, & perfecto, vna cum folijs, ac fructibus prout etiã de Eua constat, quod vidit pomum, tulit, & comedit: prout etiam plures testantur.

Adã in gratia creatus.

6 Accedunt etiam Conc. Trident. relatum: De cuius tamen loquẽdi modo vidimus quæst. antẽced. ponderando verbũ *Constitutus &c.* item Arausicanum recensitum, inquiens, *Natura humana, etiam si in illa integritate, in qua est condita, permaneret*. Differt verumque Concilium in modo loquendi, etenim Tridentinũ vtitur verbo *Constitutus*, & Arausicanum verbo *Conditus*: etenim *Condere* quandoque idem significat, ac *producere*, seu facere, vt Virgil. 1. Ecl. *Pallas, quas condidit arces ipsa colat*, & Senec. cap. 5. de Cons. ad Elb. *Conditi sumus bona conditione*: idest, geniti, & producti bona conditione. & Liuius lib. 34. *Condere vrbes atque Ecclesia in quadã Collectia, Cuius & sapientia conditi sumus, & prouidentia gubernamur*. Cõstituere autẽ quandoque denotat *Ponere*, vt Cic. pro lege Man. *Operis ne constitueborum*. & Quint. l. 7. cap. 5. *Summam litis in re aliqua constituere*. Rursus Eccles. 7. *Fecit Deus hominem rectum*. Hieronymus autẽ ibidem exponit *Rectum*, nempe *Bonum*. & August. 14. de Ciuit. cap. 11. *Rectum*, idest, *Bonæ voluntatis*. subditque, *Bona voluntas est opus Dei, cum illa quippè ab illo factus est Homo*. Item ibid. *Viuebat Homo secundum Deum in Paradiso, & corporali, & spirituali*. Rectitudo insuper in Scriptura hoc sonat, vt Psalm. 32. *Exultate iusti in Domino: rectos decet collaudatio*. Cant. 1. *Recti diligunt te*. Fertur etiam diuina protectio in rectos, signum autem est, rectitudinem talem iudicare sanctitatem, iustificationem, vt Iob 4. *Quando recti deleti sunt*. Psalm. 7. *Saluos facit rectos corde*. Accedit Damasc. lib. 2. de fid. c. 12. *Creauit Deus hominem innocentem, rectum, probum, omni virtutum genere ornatum*. Cyrill. li. 1. de adorat. in Spirit. sanct. *Impressa in illo est diuina imago naturæ, inspirato Spiritu sancto*. Idemque August. Enchyr. cap. 104. *Deus primum hominem in ea salute, in qua conditus erat, custodire voluisset &c.* Pro salute autem, vtraque penitus intelligenda venit, Corporis, & Animæ: illius, præseruãdo à corruptione, & mortalitate per donum Iustitiæ originalis: & illius, saluando animam per gratiam iustificantẽ. Denique firmum est argumentum deductum ex creatione, dum formatus fuit Homo ad imaginem, & similitudinem Dei, etenim si formatus fuit ad similitudinem Trinitatis, ergo fuit ab initio in gratia conditus: consequens commune est Patribus, & Scholasticis quoniam fundamentum similitudinis est gratia, vnde *Imago in naturalibus, similitudo in gratuitis*.

Concilii loquendi quid denotat.

Condere quid significet.

7 Ad opposita autem respõdetur, & Primo quoad Magistrum si sic sensit, aliter tamen colligitur ex scripturis, Patribus, & Concilijs. Ad Cyprian. sufficit præcedentia ordinis naturæ, & de hac loquitur, nõ ergo requiritur necessa-

cessaria praecedentia temporis. Ad August. in Enchyr. non negat gratiam, sed docet, non habuisse per naturam, vnde potuisset proficere, etenim necessaria erat gratia. Ad id cötra Manichaeum negat gratiam ante ingressum, sed intendit dicere, non habuisse tanta incrementa gratiae, & donorum, quanta habuit iam ingressus in Paradisum. Ad illud de Corr. & Grat. loquitur de gratia vltimata, & finali, ad quam praexigitur praeparatio liberi arbitrij, sine de confirmatione in gratia: quemadmodum ipsemet in lib. de quaest. noui, & veter. Testam. ait, Adam nō habuisse Spiritum sanctum, à principio putamus fuisse ab initio in gratia confirmatum, poterat enim eam perdere, sicut & amisit.

8 Ad rationes, ad Primam iam responsum, sufficere praecedentiam ordinis Naturae, qui ordo sufficiens est distinguere inter naturam, & gratiam: sicque gratia fundamentū reperit, cui innitatur, & subiectum cui conferatur, quod requirebat Cyprianus.

Dispositiones praecedētes ad quid gratiam requirantur.

9 Ad Secundam, actus praecedentes requiruntur in iustificatione fienda à culpa antecedenti, tunc enim praerequiritur dispositio, dolor, contritio, & huiusmodi, ex Tridēt. & hoc in adultis: in pueris vero protestatio Fidei per Parentes, & caetera penes Ecclesiā: Adam vero adhuc non peccauerat, sed absque peccato fuit conditus. Ad minorem vero, dum dicitur, non potuisse habere huiusmodi actus in primo instanti creationis: vnde nam promanat impotentia haec? non quidem ex parte Adae, siquidem creatus fuit perfectae aetatis, vna cum plenitudine liberi arbitrij: Nec etiam ex parte instantis, siquidem instans illud fuit temporis: in eodem vero instanti temporis, dum plura insunt instantia Naturae, posse actus plures haberi diximus, & dicemus infra: ergo falsa minor. At dices, si potuit habere, ergo habuit, ergo tempus praecessit in eos eliciēdo, & ita nō creatus in gratia. Resp. quod quemadmodum Angelos ita creauit cū gratia, sic quoque Adam creauit in gratia: eoque magis resplenduit in ambobus sua diuina gratia, quo gratius, & liberalius id egit, nulla praeuia dispositione, nullis praeuijs meritis: ita namque Augustinus. *Erat Deus condens naturā, & largiens gratiam.* Confirmatur responsio ad maiorem, quoniam decens est, vt Deus plus exigat ab eo, qui peccauit, quā ab innocente: Adultus peccat, ergo disponi debet ad gratiam recipiendam: Adam vero adhuc nō peccauerat, ergo Deus misericorditer cōtulit ei sine dispositione gratiam.

10 Dices, magis distat natura à gratia, quam gratia à gloria: at gloria nō datur simul cum gratia; haec namque pertinet ad statum viae, illa ad statum Patriae, ergo nec cū Natura, ergo non recepit gratiam in creatione; sed post. Resp. Primo, inde deduci, nullatenus stare posse gratiam cum ipsa Natura in statu viae. Resp. Secundo, quod sicut gloria aliquando fuerit simul cum gratia, vt in Christo Domino, qui & plenus erat gratia in via, & simul erat Cōprehensor, ac Beatus, ita potuit gratia conferri simul cum Natura. Item de pluribus, qui viderint diuinam Essentiam in via, per modum transeuntis, cū quibus erat & gratia: Christus autem per modum permanentis in anima.

Gratia, & Natura qua tenus distēt inuicem.

11 Obstatur, Aug. lib. de quaest. vet. & nou. Testam. q. 123. ait, quod Adam non habuit Spiritum sanctum: at quicunque habet gratiam, habet quoque Spiritum sanctum, & non habēdo Spiritum sanctum non fuit creatus in gratia. Respondet D. Thom. 1. par. q. 95. art. 1. ad 2. non negasse Augustinum fuisse Spiritum sanctum in Adam sicut & in alijs iustis; sed non quod fuerit in eo, quemadmodum reperitur nunc in ipsis fidelibus, qui admittuntur ad perceptionem haereditatis aeternae, statim post mortem. Vltra vero haec, addit Beccan. in sum. cap. 3. q. 1. num. 3. Authorem quaestionum illarum non fuisse Augustinum; imo nec Catholicum: probat, nam q. 2. scribit, Deum creasse Mundum propter praesumptionē Diaboli: & q. 21. Mulierem nō fuisse creatam ad imaginem Dei. & q. 109. Melchisedech fuisse Spiritum sanctū: quod etiam commemorat D. Hieron. Epist. ad Euagr. monens, Authorem dicentē, Melchisedech esse Spiritum sanctum, fuisse hominem imperitum scientia, & sermone.

Liber Vet. & Noui Testam. an Diui August.

12 Di-

12 Dices, 1. Cor. 15. haberi, Primũ hominem factum fuisse in animam viuentem: Secundum vero in Spiritum viuificantem. ergo Christus, nõ Adam, ab initio fuit in gratia. Resp. non loqui intendit de anima Adæ Apostolus, vt ait D. Thom. sed comparat corpus Adæ ad Corpus Christi: etenim Adam in sua creatione accepit corpus animale, quod quidem indigebat cibo, & potu, cæterisque in præsenti vita necessariis; Christus verò post resurrectionem accepit Corpus gloriosum, & quasi spirituale, siquidẽ, licet fuerit verè Corpus, non tamen subiectum erat vlli necessitati corporali: ita quoque Aug. Ambr. Chrisost. &c.

Vulnera Adæ.

13 Obstatur, Adam habendo gratiam, habuisset quoque virtutes cæteras gratiam concomitantes: at nec habuit Iustitiam, quoniam contra præceptum egit: nec Prudentiam, quia imprudenter se habuit non obtemperando Domino: nec Temperantiam, dum cibum vetitum gulosè cõcupiuit. Nec denique fortitudinem, dum miserabiliter cecidit. Resp. habuisse quidem antequã peccasset, postea vero incurrit in vulnera his opposita: Ignorantiam, Malitiam, Infirmitatem, & Concupiscentiam.

14 Denique, sequeretur, gratiam fuisse Adæ connaturalem, non ergo supernaturalem. Responsio alias sæpè occurrit, fuisse connaturalem, veluti connatam, seù comproductam cum ipsa Natura; quæ namque cum Natura simul, etiam ab extrinseco, & supernaturali efficiente producuntur, ea dicuntur sic connaturalia, vtpote cum Natura connata, seù concreata: hoc tamen nõ impedit quin sit supernaturale, dum à solo supernaturali Agente comproducitur: non tamen fuit connaturalis, tanquam fluens, & promanans à Natura, & cum Natura. Connaturale quid dicatur.

QVÆSTIO VI.

Vtrum gratiam acceperint Angeli ex meritis Christi.

1 OBiter, & compendiosè quæstionem hanc hic resoluimus, etenim ex professo examinandam transmittimus ad mat. Incarnat. agendo de merito Christi. Pro parte autẽ negatiua sic arguitur; Primo si gratiam acceperunt ex meritis Christi, ergo & gloriam: at id falsũ, ergo probatur falsitas, quia sequeretur, Angelos sanctos nõ fuisse beatificatos, & glorificatos ante Aduentum Christi. prob. Homines nõn introierũt in gloriam Patriæ ante Aduentum, mortem, & Ascensionem Christi, quoniam per Christi merita saluandi erant; etenim Ianua adhuc erat clausa; at fuerũt Angeli sancti glorificati post paucas illas morulas ante aduentum, & ingressum Christi, ergo non habuerunt gratiam ex meritis Christi. Secundo Christus non est Caput Angelorum, ergo non influxit gratiam in Angelos: Prob. anteced. Christus est Caput Ecclesiæ, quæ est Congregatio fidelium, ambulantium per fidem: Angeli autem non per fidem ambulant, sed per speciem, videntes Deum. Confirmatur, Caput, & Membra esse debent homogenea: Christus autem, & Angeli sunt alterius Naturæ. Tertiò, August. tract. 23. & 19. in Ioann. *Sicut Verbum viuificat Animas, ita Verbum caro factum viuificat Corpora*: carent vero Angeli corpore, & anima, ergo non fuerunt viuificati per gratiam Verbi. Quarto, Verbum non fuit incarnatum propter Angelos, vt patet ex Symb. Nicęn. *Propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de Cœlis &c.* & Paul. Hebr. 2. *Nusquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ.* non ergo gratiam influxit in Angelos, dum non venit propter Angelos. Quinto Ambros. serm. 10. in Psalm. 118. *Non lego Angelos, sed homines Christo consepultos, & cum Christo resuscitatos.* Sexto Hebr. 2. *Qui sanctificat,*

dolat, & sanctificantur; ex vno omnes, propter quam causam non confunditur eos fratres vocare. Et rursus, *Quia pueri cõmunicauerunt carni, & sanguini, & ipse similiter participauit eisdẽ.* Angeli autẽ cum sint spiritus, non participauerunt de carne & sanguine: neque etiam appellantur fratres Christi, sed soli homines, propterea; subdit, *Nusquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ.* Item Matth. 18. habetur parabola de Pastore, qui reliquit 99. in deserto, vt quæreret vnam Ouem perditã: illi autem sunt Angeli, hæc vero species humana; vnde arguitur, Verbum incarnatum fuit propter redemptionem hominum, non Angelorum, ergo gratiam non influxit in Angelos. Item Incarnatio fuit præfinita post peccatum, vt redimeret à peccato per mortem: Angeli sancti nec peccauerunt, nec Christus mortuus est pro eis, ergo nec gratiam habuerũt per Christum. Ita aiunt quotquot sustinent Verbum non fuisse incarnatum, si Adam non peccasset. Item D.Bonauent. in 3.d.13. q.3. art.2. Alen.par.3. q.12. memb.2. art.3. Dur. Gabr. Maior, Almayn. plures in 3.d.13. & quotquot negant, Christum, eorum esse Caput.

Gratiã Angeli receperunt p Christum, declaratur.

2 Ex opposito dicimus, Gratiam Angelos possedisse per Christum. Limitatur vero assertio, vt abstrahat ab ijs, quæ pendent à passione, & morte Christi Domini, & à peccato, atque à redemptione, vt vocãt, subleuatiuam, sed curatiuam. Docent eam Albert. in 3. d.13. art.2. Cathar. lib.2. de Exim. Christ.præd. Galatin. l.3. de Arcan. c.4. Iac. de Valent. in Psal. 102. Arbor. lib.3. Theosoph. cap.4. Flauius lib. de Regn. Chr. atque Scotus, & Scotistæ. Fundamentum autẽ principale est, Verbum incarnatum fuisse, etiam si homo non peccasset: Item Incarnatio fuit primo definita in carne impassibili, & immortali, quoniam præfinita fuit ante peccatũ ex Scotum, inde vero, præuiso peccato, præfinita fuit in carne mortali. Insuper in illo priori venisset vt Glorificator Christus Dominus, non vt Redemptor per Crucem, & mortem. Ac denique Christi operationes acceptæ fuerunt æterno Patri, & acceptarẽ tanquam meritoriæ, etiam præscindendo à passione: itaue, diligendo Matrem, Apostolos, cæteraque in Verbo, acceptari potuerint vt eius meritoria ad gratiam &c. ita Scotus in 3. d.19. q.1. &

3 In eadem sententia videtur esse D.Thom. in Ioan. 1. vbi habet. *De plenitudine eius omnes accepimus, omnes quidem Apostoli, Patriarchæ, Prophetæ, & iusti, qui fuerunt, & erunt, & etiam omnes Angeli.* Item Fulgent. lib.2. ad Trasim. cap.3. *Vna est in vtroque,* nempe Angelo, & homine, *Gratia operata: in hoc, vt surgeret; in illo ne caderet: in illo ne vulneraretur, in isto, vt sanetur; ab hoc infirmitatem repulit; illum infirmari non sinit; illius ergo, illius medicina.* Hinc vero apertissimè duo ostenduntur, Primum, gratiam Angelorum fuisse à Christo: Secundum, gratiam illam non fuisse redemptionis, vt in nobis, sed præseruationis ne corruissent. Bernard. serm. 17. & 22. in Cant. docet, *Christum redemisse Angelos, præseruando illos* iuxta illud Apoc. 16. *Ipsi quoque vicerunt in sanguine Agni.* Greg. lib. 1. Reg. cap. 2. *Nullus hominum, aut Angelorum est sanctus, nisi per Christum.* Ad hæc, & Patres alios respondent, loqui de Christo secundum diuinitatem: At contra, quis namque dubitat, neminẽ fore sanctum absque gratia Dei: non enim hoc est in controuersia penes Catholicos: igitur dum quæstio erat de Christo, quatenus Capite, & quatenus per eius merita sanctificandi sint Angeli, Gregorius, vt sic quæstionem decidit, inquiẽs *Nullus hominum,* & *Angelorum est sanctus, nisi per Christum.* Item habuerunt in via fidem Christi, Proposita eis fuit adoratio Humanitatis assumptæ. Eandem fidem habuit Adam in statu Innocentiæ; gratiamq; ex Christi præuisis meritis accepit. Insuper, omne, quod est tale per participationem reducitur ad id, quod est per se: Christo autem competit gratia per se, Angelis per participationem, ergo à meritis Christi eam participãt. Denique, in omni genere datur vnum, quod est metrum, & mensura omnium contentorum sub tali genere, & quod sit causa cæterorum eo modo, quo potest. Christus autem in genere gratiæ est omnium supremus, ergo ipse influit per sua merita in omnes. Confirmatur.

tur, cedit hoc in maiorem laudem, & honorē, Christi Domini, ergo est concedendum, eo magis, quo talis honor, & laus valde rationabiliter ei datur: vnde liquet quam bene affectus fuerit de eodem Christo Scotus, inquit enim, licet in alia materia, *In laudando Christum malo excedere, quam à laude eius deficere, si forte per ignorantiam contingeret errare*. Probationes alias, cum replicis, & impugnationibus, afferemus in mater. Incarn.

4 Ad Primum in oppositū, dicendum, ideo homines expectasse Christi aduentum, & ascensionem, vt ingrederentur in Cœlum, quoniam ipsi peccauerunt, & peccando, Ianuam Cœli clauserunt, ergo præcedere habebat Christus per ascensionē aperiens: Angeli vero sancti nunquam peccauerunt, ergo nunquam fuit eis Cœlum clausū, ideoque etiam ante Aduentum Christi gloriam adepti fuerunt, at non sine meritis præuisis Christi.

5 Ad Secundum, negatur antecedens, & probationes soluentur ibi.

6 Ad Patres, Primo dicendū, quod etsi aliqui ita senserint, sunt tamen & alij sentientes oppositum. Resp. Secundo loqui de meritis Christi dependenter à passione, ideoq; Chrisost. aiebat, *Non lege Angelos Christo consepultos*. & propterea diuinitati gratiam Angelorum attribuebant, inde euenire, quia non ex Christi passione, & morte. Responsiones plures ibi.

7 Ad rationes autem Christi merita considerantur, vel vt pœnalia sunt, velut abstrahunt: Primo modo solis hominibus profuerunt, & prosunt, ac proderunt: Secundo autem Angelis; ideoq; *propter nos homines passus, & sepultus est &c.* Cætera ibi.

QVÆSTIO VII.

Quale, & quantum fuerit tempus viæ, siue morularum Angelorum.

Tēpus viæ Angelorū appellatur morulam.

1 AGendum sequitur de tempore, & spatio, quo consummata fuerit tota via Angelorum; quod quidem sub proprijs terminis proponendo, quærimus, quot, & quales fuerint morulæ Angelorum, ita namq; statum viæ Angelorum Theologi appellant, nempè sub ratione morulæ Angelorum, & quidem, adeò breuis fuit via Angelorum, vt meritò ipsius viæ, instātia soleant appellari, siue morulæ Angelorum; breuitas namque talis viæ maximè patet ex eo, quod nō quidē in stantia viæ appellātur à Theologis, lato nomine, *Mora*, sed communi vocabulo diminutiuo cōmuniter vocantur *morulæ* ipsorum Angelorum: de his morulis quærimus, quę nam fuerint, & quot fuerint, & quidnam in decursu earundem morularum fuerit in bonis, atque malis Angelis operatum, siue tum ab Angelis, tum ab ipso Deo effectum, atque vltimato completum.

Mora, & Morula nominatur.

2 Penès Scotum d. 5. in responsione ad primam quæstionem plures referūtur ordines morularum, siue plures modi ordinandi, & distinguendi ipsas morulas Angelorum. Primus autē modus est D. Thomæ 1. par. q. 63. art. 5. qui totū cursum viæ Angelorum duabus morulis compleuit, altera quidem, qua erant in via, & altera, qua fuerunt in termino, ita vt in prima morula omnes Angeli fuerunt creati in gratia, & in eodem primo instāti omnes meruerunt: In Secunda autem morula, siue in secundo instanti, boni meruerunt, & premiati sūt, mali autem demeruerunt, & damnati sunt; tota igitur via Angelorum duobus instantibus concluditur iuxta hunc primum modum.

Modus assignandi morulas D. Th.

3 Alter modus est, ita vt tota via Angelorum cōpleta fuerit tribus morulis, siue tribus instantibus; in Prima quidem morula, omnes fuerunt in suis naturalibus, in Secunda mali in peccato,

Modus Magistri.

rati, & iusti in merito; in Tertia denique boni fuerunt in gratia simul, & in pręmio, mali autem in damnatione, & pœna, quæ videtur, ait Scot. fuisse sententia Magistri.

Tertius modus.

5 Modus alter est, tres insuper distinguendi morulas, in prima omnes fuerunt in puris naturalibus: in secunda boni in gratia, & in merito, mali autem in demerito, & in tertia boni, & mali fuerint in termino.

Quartus modus.

6 Alter modus est, vt omnes in prima morula fuerint creati in gratia, & meruerint, in secunda autem boni steterunt in merito, & mali ceciderunt à gratia; in tertia & boni, & mali fuerunt in termino.

Quintus modus.

7 Insuper modus alter est ponendi quatuor morulas, ita vt omnes in prima morula fuerint in puris naturalibus: in secunda, mali peccauerunt, & boni persliterunt. in tertia bonis apposita sit gratia, & meruerunt. & in quarta denique boni præmiati sunt, mali autem damnati.

Sextus modus.

8 Alter denique explanandi modus est, vt quatuor esse morulas admittendo, in prima omnes fuerunt in puris naturalibus, in secunda omnes fuerint in gratia; in tertia boni steterunt in gratia, & meruerunt; in quarta denique boni, & mali fuerũt in termino. Hi sunt modi plures, & varij ordinandi, ac multiplicandi morulas Angelorum: quod si recentiores alio forsasse ordine enarrant, nihilominus ad modos illos recensitos reducũtur omnes.

9 Quid autem faciendum sit, & quid tenendum inter tot morularum Angelorum varios recensitos ordines, vtique id ex Scoto ipso eliciemus, ipse namque ordinatissimè quæstionem istam exagitat, cuius ordini insistendo asseremus ordinatè ea, quæ ipse asserit.

10 Equidẽ primo loco Scotus ipse examinat primum modum ex recensitis morulis, qui modus cũ minimè sibi placet, relinquitur, & impugnatur ab eo; & quidem non placet Scoto totam viam Angelorum potuisse claudi duabus illis morulis, siuè instantibus, ita vt in secũda morula meruerint, & præmiati fuerint simul, atque in eadem secunda morula simul demeruerint, & damnati fuerint mali Angeli: hoc verò impossibile est, inquit Scot. atque inde ostendit, falsum esse, quod merentes vsq; ad nunc pręmiationis in illo nunc præmiati sunt: Probatur in illo nunc præmiationis, Angeli sunt in termino, & non in via, ergo in illo instanti pręmiationis non possunt mereri, nec demereri. Probat, quia in instanti præmiationis nõ potest impediri ipsa præmiatio meriti, etenim iustus meretur, ait Scot. vt infallibiliter in vltimo instanti suę vię sibi reddatur pręmium; meretur etiam, vt non possit ponere obicem demeriti pro vltimo instanti præmiationis, ergo à primo ad vltimũ morula, siue instans præmiationis non poterit esse tẽpus demerendi. Confirm. in secunda morula, quę est instans præmiationis, & terminus viæ, Angeli boni, siue mali sunt totaliter in termino per te, quoniã præmiati sunt, & damnati, ergo non sunt in via, ergo consequenter boni non potuerunt amplius promereri, & mali non potuerunt amplius demereri, ista namque duo, terminus, & via, nõ se simul compatiuntur, igitur tempus merendi, & demerendi, erit solummodo tempus viæ, ergo à primo ad vltimum, nõ possunt Angeli in vltima morulâ esse in termino damnationis, & præmiationis, atque esse simul in via merẽdi gloriam, & merendi damnationem. Item, ergo instans præmiationis non est instans termini: vel igitur instans termini erit etiam instans viæ: vel insuper, status meriti, & beatitudinis acquirendæ atq; status demeriti, & finalis damnationis stabant simul.

Iustus qui meretur in vltimo instanti suę vię.

11 Confirmatur etiam ex eo, quod accidit in hominibus, de quibus ita scribit Scotus: *Homo per totum tempus viæ existens in merito, non potest demereri in instanti suæ mortis, nec ponere obicem, quin præmietur, meruit enim, vt tunc detur sibi impeccabilitas, ne tunc posset ponere obicem: & ideo de merentibus per totam moram viæ non potest dici, quod ille in instanti remunerationis ponat obicem, & ille non, hoc enim videtur ponere, quod instans præmij non sit terminus, sed quod tunc sit in via*, ergo à pari, Angeli siue boni, siue mali, impeccabilitatem,

Bonis, & malis in vltimo instanti confertur impeccabilitas, & vltima damnatio, redditur singulis.

siue obstinationem in malo meruerũt pro vltimo instanti suæ viæ, ita vt prorsus implicet, simul statum merendi, & demerendi ipsorũ vna cum statu termini eorundem Angelorum.

12 Accedit ratio altera ex eodem Scoto, quandoquidem voluntas non simul vult mutabiliter, & immutabiliter, ita vt non possit velle oppositum, quando autẽ præmiatur voluntas, tunc vult immutabiliter, quatenus est efficiens actum; quando autem meretur, vult mutabiliter, ergo in eodem instãti vltimo non potest reperiri ratio termini, & viæ. Probatur sequela, quia ratione termini se haberet voluntas, siue bona siue mala, immutabilis & fixa, siue in bono siue in malo; ratione autem viæ se haberet mutabiliter, & flexibiliter, siue à bono, siue à malo, quandoquidem aliquis est in via, semper mutari potest, siue conuerti, & diuerti à malo in bonum, & à bono in malum.

Voluntas nõ vult simul mutabiliter & immutabiliter.

13 Caietanus ad argumenta hæc Scoti respondendo ait, posse vnumquemque etiam in vltimo instanti suæ viæ mutabiliter se habere, conuerti à bono, & à malo, atque mutari de bono in malum, & de malo in bonum, prout voluerit, & placuerit. Verum sententia hæc falsissima est, & contra communem, est enim, inquit Racundã cautẽ legẽdus Caietanus in hoc loco, doctrina namque hæc Caietani falsissima est, & fugiẽda omninò; Et quidem pugnat contra rationem philosophicam, & theologicam. Loquendo de primo apertũ est in physica, quod terminus ad quem est extra motum, ergo terminus viæ est extra viam, ergo à primo ad vltimum in termino viæ non potest haberi motus meriti, & conuersionis. Item terminus motus est immobilis, patet quia si terminus motus esset mobilis, ergo non posset terminare motum; & sequeretur, terminum talem mobilem debere moueri ad alium terminum, de hoc autem termino, iterum quærimus, vtrum sit mobilis, vel immobilis; si Secundum dederis, ergo habemus intentũ, quod terminus motus est immobilis, & per consequens in ipso termino motus nõ potest mobile moueri, nec mereri; si dederis Primũ, ergo dabimus processum in infinitum in terminis mobilibus, omnis namque mobilis terminus deberet ad alium terminum moueri, & ita omnes termini erunt in infinitum mobiles, & à primo ad vltimũ nullus motus posset vltimato immobiliter terminari.

Caetan. eius õ confutatur.

Terminus motus est immobilis.

14 Ratio theologica ea est, siquidẽ fides, & visio, spes, & tentio simul pugnant in eodem subiecto, & in eodem instanti, ergo si in termino viæ posset Angelus conuerti, & mereri, vtique haberet de Deo simul fidem, & visionem, spem, & tentionem, etenim per fidem crederet obscurè esse Deum, quæ fides sibi competeret ea ratione, qua posset mereri; & per visionem haberet clarã intelligentiam Dei, ea ratione, qua esset in termino Beatus. Item per spem haberet Deum in spe possidendum, per tentionem verò haberet eundem Deum in actuali, beatifica possessione, hæc vero simul pugnant. Item sequeretur esse Angelum simul viatorem, atque beatum, ea namque ratione qua esset in termino vtique esset beatus, & ea ratione qua in eodem termino mereretur, esset simul viator. Eximitur vero Christus.

15 Effugium afferri solet ab eodem, prius natura habere rationem meriti, & posterius natura rationem termini; cum vero dicitur meritum debere præcedere tempore. Resp. verum esse de merito viæ, non autem de merito termini, quoniam in termino sufficit, vt meritum præcedat natura, non tempore.

16 Sed falsissima sunt hæc omnia de merito termini, tum quia sequuntur absurda recensita, quoniam in eodem instanti temporis esset Angelus simul viator, & cõprehensor; haberet simul fidem, & visionẽ de Deo; spem & tentionem, vt diximus. Item improbatur, tum etiam quoniam in vnico instanti tẽporis habetur vnica operatio, meritũ ante, & operationes Angeli ex dictis Caietani oporteret, vt multiplicarentur ad multiplicationem instantiũ naturæ, ita vt in vnico instanti temporis posset habere Angelus plures, & distinctas operationes, & merita, quæ omnia vtrum vera sint, an falsa apparebit infra. Denique ex eo confutatur, tum ipsius,

Via, & terminus repugnant excepto Christo.

ipsius, tum Thomistarum intentum, ex eo, inquam, quod Deus clarè visus ex sententia Thomistarum necessitat voluntatem Beati ad fruendum, ita vt nō possit Beatus se auertere à fruitione Dei, quod si ita est in sententia ipsorū, quomodo verū esse poterit in vltimo instanti, siue in termino posse Angelū mereri, & demereri. Sequeretur namque posse Angelum existentem in termino semetipsum auertere ab amore Dei, quod vtique fieri non potest: etenim vt aiebat Scotus, Prædestinatus meretur vt in vltimo instanti suæ viæ conferatur sibi impeccabilitas vnde redderetur prorsus immobilis ab amore Dei: sicut ex opposito de reprobato, & præscito: circa quæ omnia verissima est sententia Ecclesiastici supra recensita, *Vbicumque ceciderit lignum, ibi erit siue ad Austrum, siue ad Aquilonem*; nempè ibi permanens erit creatura, atque omnino immobilis, siue quidem in gratia compleatur suę vię terminus, siue in peccato: sicq; immutabilis erit in termino, siue à gratia, siue ab obstinatione. Idemq; Scotus in 4. d. 21. q. 1. lit. G. idem concludit de remissione venialis post mortem, inquiens, *Dare meritum de congruo, vel de condigno post mortem, non videtur doctrinæ theologicæ consonum*.

17 Dices, ex dictis videtur etiam insurgi posse contra Scotum, etenim Scot. in aliqua ratione supra recensita docet, creaturam in termino se habere immobiliter, atque inuertibiliter ab ipso Deo, dum tamen Scot. ipse in 4. d. 49. de Beatis loquens, docet, Beatum se habere vertibiliter, & mutabiliter, quoniam non necessariò fruitur ipso Deo, quod præcipuè inculcat Vasquez 1. par. disp. 224. cap. 4. verum non percipit Vasquez vel naturam ipsam beatitudinis, vel ipsam mentem Scoti; & quidem Deus per dona gratiæ, & gloriæ suæ non destruit naturam, sed perficit, & conseruat; cum verò libertas sit de essentia naturæ rationalis, qua libertate destructa, destruitur rationalis natura, sequitur, vt ipsamet beatitudo non destruat naturam nostræ libertatis, quo enim modo in essentiali libertate liber perseuerat beatus, ac viator, & si necessitas interueniat, ea est specificationis, non exercitij, quæ quidem necessitas non destruit essentialē Beati libertatem, de qua re agi solet in materia beatitudinis: & Nos infra agendo de Visione beatifica Angelorum.

In Beato simul libertas cum necessitate.

Deus non destruit libertatem Beati, sed conseruat, & perficit.

18 Quo ad Scotū, iam Scotus ipse Beatos docet se habere in beatitudine mobiliter, & immobiliter, flexibiliter, & inflexibiliter reddendo singula singulis, etenim loquēdo de potētia remota, siue loquēdo de natura volūtatis, quantum ex parte sua, vtiq; Beatus se hēt flexibiliter, & mobiliter, potestq; se auertere ab obiecto beatitudinis, quia remanet essentialis libertas in Beato: loquendo autem de potentia proxima se habet immobiliter necessario, & inflexibiliter; Ratio est, quia Deus non concurrit in oppositum, impedit namque Deus Beatorum potentiam, siue voluntatem, qua mediante, inquit Scotus, possent ab obiecto beatitudinis se auertere, & peccare, id tamen nunquā eueniet, quoniam Deus impedit non præstando concursum ad actum oppositum, siue non concurrēdo cum ipsa in auersione à beatitudine, quomodo autē necessitas hæc vocari soleat, siue exercitij, siue specificationis habebitur ibi: ex dictis ergo patet nullam in Scoto reperiri contradictionē, vt malè sentiebat Vasquez.

Contradictio Scoti iniusta à Vasquez, conciliatur.

Beatus qualiter impeccabilis.

19 Ex his infertur vnum corollariū, id autem est, quod meritum, duratione, & tempore antecedit præmium; hoc totum probatum remanet ex dictis, atque est communis, & recepta sententia Theologorum, præcipuè Scoti in ista d. 5. vide Molin. 1. par. q. 62. art. 4. licet oppositæ sententiæ sint Albertus 2. par. tract. 4. q. 19. D. Thom. quodl. 9. art. 8. & in 2. d. 5. q. 2. art. 2. D. Bonau. Riccard. Marsil. & Aegid. in prædicta d. 5. asserentes sufficere vt meritum solummodo prioritate naturæ antecedat præmium, atque probant hoc ipsum, quoniam operans per charitatem meritoriè, meretur in eodem instanti temporis augmentum, charitas namque augetur in eodem instanti temporis, in quo habetur meritum talis augmenti charitatis, igitur sufficit vt ordine causalitatis, & naturæ, meritum antecedat præmium. solutio habebitur in obijciendis infra.

Meritum antecedit tēpore, & natura, præmium.

20 Cæterum opposita sententia est verissima, Primo, quia status meriti, & præmij de lege ordinaria sunt incompossibiles in eodem instanti temporis, nisi fiat dispensatio à Deo, ergo alterū debet esse altero prius tempore. Secundo, quoniam fides, & visio, spes, & tentio sunt incompossibiles simul pro eodem tempore, vt est supra probatum, ergo debent se præcedere tempore; quandiu vero Angelus erat in via, habebat fidem & spem, nō ergo habebat simul visionē obiecti beatifici, & tentionē. Et Tertio accedit ratio altera, siquidē gratia perfecta, & imperfecta, siue gratia viæ, & gratia consummata, siue gratia termini sunt incompossibiles, sed merito viæ correspondet gratia imperfecta, siue gratia viæ; præmio autem respōdet gratia consūmata, siue gratia perfecta, siue gratia termini, ergo illæ duæ gratiæ meriti, & præmij, non possunt esse simul tempore. Ratio hæc est D. Thom. quam etsi Scotus impugnet loc. cit. tanquam inefficacem, & minime demonstratiuam, nihilominus ipsā attulimus, vt demonstremus, etiam D. Thomam esse huius opinionis. Quarto, & Vltimo, vrget ratio eiusdem Scoti supra recensita, quandoquidem voluntas eodem actu, eodemq; instanti, atque in eodem prorsus statu, non se habet simul mutabiliter, & immutabiliter, sed ratione meriti in via se habet mutabiliter, potens deficere à merito; ratione autem termini, siue præmij, se habet immutabiliter, necessario applicata suo termino, siue obiecto finali, ergo alterum illorum necesse est, vt præcedat alterum tempore: igitur concludimus à primo ad vltimum, quod meritum Angelorū duratione, & tempore præcessit præmiū ipsorum. Hanc eandem sententiā docuit D. Thom. 1. par. q. 62. art. 4. licet aliter scribat in sententijs, & quodlibetis, vnde mutauit sententiam in summa; D. quoq; Bonau. hanc eandem sententiam sustinet, licet oppositam existimet probabilem.

21 Nos vero, duo dicimus mediando inter sententias, quod spectādo meritum, & præmiū secundum se, & simpliciter, possunt esse simul in eodem instanti temporis cum sola præcedentia naturæ: at ratione adiuncti, nempè ratione status viæ, & termini, non possunt, ideoque erit in eis ordo temporis.

22 Confutatio iam primo modo enarrandi, & ordinandi morulas Angelorum, sese offerunt discutiendi modi alij penès eundem Scotum supra recensiti, & quidem Scot. ait displicere sibi modos aliquos inter medios recensitos, ea solummodo ratione quia constituunt Angelos siue bonos, siue malos omninò inæquales tempore suæ viæ, dum bonis Angelis gratiam collatam asserunt fuisse, quam tamen negāt collatam malis in ipsa via, hoc quidē probabile non est, inquit Scot. quia teste Augustino, Deus nō discreuit inter Angelos, priusquā Angeli semetipsos discreuerint inter se ipsos, vnde infert Scot. Angelos omnes siue bonos, siue malos, vel omnes in gratia creatos fuisse, vel omnes in puris naturalibus, igitur non est asserendum, inquit, ipsorum aliquos gratiam recepisse ab initio, & aliquos minimè.

23 Hoc dicendi modo etiā ab ipso Scoto iam cōfutato, accedit Scot. ipse ad vltimos recēsitos modos, hij autem duo sunt, alter quidē, in quo tres constituuntur morulæ, & alter in quo quatuor; vterque autem modus probabilis est, inquit Scot. Et quidem loquendo de Primo, in prima morula omnes fuere creati in gratia; in Secunda, boni meruerunt, & mali demeruerunt; in Tertia denique omnes fuere in termino, siue damnationis, siue præmij. loquendo itidem de secundo, in prima morula omnes fuerunt creati in puris naturalibus; in secunda omnes gratiā Dei acceperūt, in tertia boni meruerunt, & mali demeruerunt; in quarta denique boni, & mali præmiati sunt, & puniti, iuxta eorū merita, & demerita. Modi hij vltimo recensiti complete, & ordinatè explicant initium, & viam, & terminum ipsorum omniū Angelorum, ita vt nihil amplius supersit dicendum; ex quo fugienda sunt inutilia, atque multiplicia verba, & inutiles nugæ ipsius Vasquez hoc in loco, præcipuè inutiliter vagantis, atque frustra tempus, & operam perdentis in subtiliori inquisitione morularū Angelorum.

24 His actis discutiendum amplius est,

Morulæ an correspondeant tempori nostro, siue instantibus eius.

est, autem quærendum, vtrum morulæ istæ instantaneæ fuerint, an successiuæ, siue vtrum correspondere possint tempori nostro, siue saltem instantibus temporis nostri. Circa hoc quæsitum est opinio D. Thom. morulas illas esse diuersa instantia temporis discreti, vtrum vero id contra possit, non est præsentis negotij, etenim supra fuit suo loco discussum. Quærimus autem solummodo vtrum morulæ illæ correspondere possint tempori nostro, siue instantibus aliquibus temporis nostri communis.

Morula prima fuit instantanea.

25 Ad hoc quæsitum ab eodem Scoto sub litt. H. art. 2. ita est respondendum sustinendo præcipuè, tres fuisse morulas Angelorum, vt paulò supra, & quidem loquendo de prima morula dicendum est, ipsam coextitisse vnico instanti temporis nostri. Probatur in prima morula fuerint Angeli creati, ergo prima morula fuit instantanea, & coexistit vnico instanti temporis nostri. Consequens probatur, quoniam Angelica creatio facta fuit in instanti, ergo prima morula correspondebat vnico instanti temporis nostri.

Morula secunda fuit successiua.

26 Circa secundam morulam controuersia est, vtrum fuerit instantanea, vel successiua, nihilominus & philosophicè, & theologicè loquendo asserendum est fuisse successiuam; philosophicè quidem hoc constat, quoniam Philosophi docent post instans indiuisibile debere sequi tempus successiuum, & diuisibile, non enim instans est immediatum instanti, vt patet ex Physicis, ergo supposito theologicè, quod prima morula coextitit instanti indiuisibili temporis nostri, sequitur philosophicè, vt secunda morula inceperit in tempore immediatè sequenti successiuo, & continuo ad illud instans. Theologicè etiam hoc probatur, inquit Scot. art 2. morulam istam secundam fuisse successiuam, atque diuisibilem. Primo, quoniam mali Angeli peccauerũt pluribus peccatis diuersæ speciei. Item Secundo, quia non habuerunt simul omnes actus illos peccaminosos, igitur habuerunt illos, vnum post alium, duratione, & tempore. Tertio, quandoquidem bonis Angelis pro magno merito adscribitur, quod vicerint prælium tentationis, iuxta Apocal 12. *Factum est prælium magnum &c.* si namque in vnico solummodo completa fuit instanti tota pugna Angelorum, non vtique habuissent boni Angeli tam excellentia merita de pugna, & tentationibus, quæ quidem tentationes, dum plurimæ, & acerrimæ fuerint, vtique tempus, & successiua mora interuenit, vt tum varia tentationum genera proponerentur, tum etiam excellentissima victoria à Sanctis Angelis in illo acerrimo conflictu reportaretur. Concluditur ergo tanquam probabilissimum secundam morulam viæ Angelorum coextitisse tempori cõtinuo, & successiuo propter rationes iam dictas.

An Angelus in secunda morula potuerit peccare in instanti.

27 Penes eundem Scotum ibidem refertur aliquorum opinio sententiũ, non potuisse Angelos peccare in instanti, ea ratione quia peccatum ipsorum, immo subiectum peccans, sunt prorsus indiuisibilia, vnde fit, vt hoc dato sequeretur maiorem virtutem, quam virtutem angelicam debere, & posse agere in minori mensura, quam sit mensura instantis.

28 Probant autem, quoniam si virtus aliqua creata agit in instanti, ergo maior virtus deberet agere in minori mensura, quam sit mensura instantis; sed maior mensura, quam sit mensura instantis non datur, ergo Angelus in secunda mora necessariò peccauit in tempore, ita vt non potuerit peccare in instanti.

29 Alij ex opposito asserunt necessariò Angelum in secũda morula peccasse solummodo in instanti, quoniam inter priuatiua opposita, transeundo ab opposito ad oppositum non datur medium, & quandocunque subiectum est indiuisibile, & forma ad quam mutatur est etiam indiuisibilis, tunc necesse est, vt transitus de opposito in oppositum fiat in mensura indiuisibili, Angelus autem est subiectum indiuisibile, & peccatum etiam est forma indiuisibilis, ergo transeundo à gratia ad peccatum, necessariò fieri debet in instanti indiuisibili, & ita concludi videtur secundam istam morulam esse omninò indiuisibilem, nullo autem modo successiuam, & diuisibilem.

30 Ad

30 Ad hæc duo respondet Scot. & Primo ad primum, quod licet verum sit secundam morulam esse successiuã, non tamen necessariò cõcluditur, Angelum non potuisse peccare in instanti. Ad obiectionem autem respondetur, tunc veram esse propositionem illam philosophicam, quando mensura vtriusq; agentis est diuisibilis, si namque virtus aliqua potest hoc agere spatio vnius horæ, vtique virtus maior poterit hoc ipsum agere spatio minori, nempè in medietate ipsius horæ, & sic de singulis, mensura autem instantis nõ est mensura diuisibilis, est namque instans indiuisibile, igitur non sequitur quod si virtus aliqua potest in instanti agere, virtus maior possit in minus, quam in instanti operari, licet igitur verum sit, peccata Angeli mensura diuisibili, & cõtinua comprehensa fuisse in secunda morula, & coextitisse tempori diuisibili, nihilominus nõ implicat potuisse Angelum peccare in instanti.

Stante mensura diuisibili, poterit virtus maior mouere in minori mensura: non si mensura fuerit indiuisibilis.

31 Ad Secundũ respondetur, quod licet subiectum & forma sit diuisibile, nihilominus, pro libito, & pro sua voluntate potest Angelus liberè semetipsum transferre ad formam indiuisibilem tempore continuo, atque etiam diuisibili, exemplum affert ibi Scot. de Beatissima Virgine, de qua inquit, quod anima Beatissimæ Virginis potuisset esse in peccato præcisè per instans, & postea in tempore sequenti fieri mundam per sanctitatem, & gratiam, de qua re Scot. ipse transmittit ad tertium scot. d. 3. quæst. 1. vbi rem hanc agitat, à primo autem ad vltimũ in potestate agentis liberi est formam introducere tempore sequenti continuo, & ita potuit per instans se habere Angelus &c. cuius sententiæ fuit Gregor. de Arim. in 3. d. 3.

32 Superest vltima morula, quid autem sit dicendum de ea, non est necesse immorari, etenim ipsa quoque censendum est, vt primam esse instantaneam, ita namque philosophicè discurrendo est sentiendum, prob. quia sicut post instans sequitur tempus, ita etiam post tempus subsequitur instans, sed secunda morula fuit temporanea, & successiua coexistendo tempori nostro, igitur completa iam secunda morula successiua, sequitur vt tertia incipiat in instanti; philosophia hæc optima est, & communis. Nihilominus aduertendum, quod circa tertiam morulam dupliciter est loquendum, vel namque sumitur tertia morula pro primo esse beatitudinis angelicæ, siue pro primo esse damnationis angelicæ, & tunc quidem initiũ eius fuit in instanti, quia post tempus datur instans; vel secundò sumitur morula hæc pro tota coexistẽtia angelicæ beatitudinis, siue damnationis sub totali æternitate, & sub coexistentia temporis nostri vsque ad diem iudicij, & tunc quidem est asserendum morulam hanc non esse indiuisibilem, nec instantaneam, sed esse talem, ac tantam, quanta est duratio æternitatis, etenim punitio, & beatificatio angelica, æterna erit, & in æternum durabit in sæculum sæculi, & tanta erit morula hæc vltima Angelorum.

Morula tertia fuit instantanea.

Declaratio durationis tertiæ morulæ.

33 Pro complemẽto addimus breuiter, cursum, viam, atque Angelorum pugnam non multo tempore perdurasse, etenim D. Bernardus in serm. 1. de Aduentu, loquens de casu Diaboli inquit, quod *Diabolus in momento cecidit, & in ictu oculi*, nempè parum durauit in Empyreo, & Glosa super primum caput Geneseos super verba illa *Diuisit lucem à tenebris*, ait, *Dæmones prima die creationis Orbis cecidisse*. Cyprianus autẽ lib. de ieiunio, Chrisostomus homil. 22. in Genesim, & Isidorus lib. 1. de summo bono cap. 12. inquiunt, cecidisse Diabolum antequam primi Parentes peccarent, siue antequam crearetur Adam & Eua; itaque ceciderunt Dæmones ante diem sextum, quando creatus fuit Adam & Eua. Et illud denique certissimum est, iam Angelos cecidisse ante peccatum Adæ, etenim Diabolus in figura Serpentis tentauit parentes ipsos ad peccandum: dum namque tentauit, & tentauit ad malũ, ergo erat Angelus malus, non enim munus id cõpetit Angelis bonis. Dum quoque formam assumpsit Serpentis, vt sua calliditate deciperet Parentes primos, profectò ostẽditur fuisse Angelum pessimũ, atque antecedenter peccasse ad peccatum Parentum.

Angelici conflictus mora non fuit magna.

34 Quanta vero fuit mora illa, seu quan-

quantum durauerit tempus conflictus, Deus quidem, ipsique Angeli optimè norunt; cæterum describunt consummatam fuisse pugnã morula temporis.

35 Obijcies contra dicta circa corrolarium deductũ ex confutatione opinionis D. Thomæ, dum asserebamus, meritum debere duratione, & tẽpore antecedere premiũ. Obijcitur sic operans per charitatem meretur in eodem instanti augmentum charitatis, ergo sufficit ex natura solummodo meritum antecedat præmium.

Maior improportio inter meritum & præmium, quam inter charitatem & augmentum eius pro eodem instanti.

36 Respondetur concesso antecedenti, negatur consequens. Ratio est, quia maior improportio reperitur inter meritum, & præmium pro eodẽ instanti, quam inter operationẽ meritoriam, & augmentũ charitatis, & meriti: etenim non repugnãt operatio per charitatem, & augmentum charitatis pro eodẽ instanti, sicut ex opposito repugnant pro eodẽ instanti meritum, & præmium, ratione status diuersi, vt supra diximus, hinc est, vt in vltimo instanti possit homo conuerti, & recipere gratiam, atq; augmentũ sanctitatis, & iustificationis, cæterum nõ recipiet præmium beatitudinis in eodem instanti intrinseco suæ viæ, sed in primo nõ esse vitæ tempore post mortem, hæc omnia patent ex dictis. Resp. 2. aliud est, mereri præmium, aliud est præmiari: de primo conceditur, de secundo negant Scotistæ: plura infra disp. 19. q. 1.

Præmium non recipitur in instanti intrinseco meriti, & viæ, sed in primo nõ esse viæ.

37 Dices Scot. docet in quæst. seq. Angelus in primo instanti suæ creationis potuisse esse beatos, & miseros, siue damnatos, ergo in primo instãti potest simul haberi præmium & meritũ, siue beatitudinis, siue damnationis. ita d. 5. q. 2. & Nos disput. seq.

38 Resp. 1. Scot. loqui de Deo secundum se, qui potest vtiq; ex plenitudine misericordiæ suæ Angelos creare Beatos in primo instanti suæ creationis absq; meritis ipsorũ Angelorum; sicut etiã de potentia absoluta posset facere de vnoquoq; homine, creando hominẽ in beatitudine absq; præuijs meritis, licet de facto tum Angelis, tum hominibus gloriam non conferat sine præuijs meritis. Loquendo etiã de plenitudine potentiæ suæ, potuit ipse Deus Angelos ab initio creare miseros miseria pœnæ,

Angeli ab initio potuissent creari miseri, & beati, miseria pœnæ, abstrahendo ab ordine ad culpam.

inquit Scot. quæ nihilominus miseria nullũ præsupponat antecedens demeritum. est .n. Deus tanquam Naturæ Author, & Dominus, potentissimus, creaturas suas [illegible] ab initio cõstituere in pœna, licet pœna illa nullum diceret ordinẽ ad culpam. Hæc quidẽ omnia, & similia in primo instanti potuissent habere Angeli, & nihilominus nullũ præcessisset antecedens meritũ ad hæc, siue demeritũ, loquendo deniq; de miseria culpæ atq; damnationis subsequẽtis ad culpam, potuerunt Angeli in primo instanti esse miseri miseria culpæ, quoniã potuerũt in primo instanti peccare, nihilominus pœna, & damnatio nõ fuisset collata ipsis in eodẽ instanti demeriti, siue peccati, quia simul fuissent in via, & in termino. sed collata fuisset in termino viæ, quo fit, nõ fuisse simul pœnam, & demeritũ; sicut & si boni Angeli meruissent in primo instãti beatitudinem, nequaquã in eodem instanti collata fuisset beatitudo, sed in termino viæ. Confirmãtur omnia, quia via, & terminus non sunt simul; motus, & quies nec sint simul; nec simul sint causa, & effectus; meritũ autem, & demeritum est via, motus, quidam meritoria, siue causa meritoria; & demeritoria pœnæ, & gloriæ.

Præmiũ, & pœna non fuit collata in eodẽ instanti meriti, & demeriti, sed post.

39 Obijcitur, potuit status viæ expleri per vnicũ solum actum angelicũ meritorium, ergo secũda morula nõ erat diuisibilis. Confirm. quia Angelus nõ discurrit, sed simul intelligit præmissas, & conclusionẽ. Resp. cõtra [illegible] ... negando antec. & patet, quia cõuersio Angeli debebat fieri, tum per actum intellectus, tum voluntatis, credendo, sperando, amando, resistẽdo pugnando, &c. hæc autem fieri nequeunt vnico actu. Ad confirmationẽ negatur assumpt. [illegible] ita est, etenim oportuit, vt prius propositum fuerit obiectũ pugnæ, & consequenter, prius intellectũ, & cognitũ: inde vero sequuti fuerint affectus, siue despectus, amor sui, vel Dei in cõflictu, vna cum iuramentis, & irritamentis, illatis præcipuè à Lucifero Angelis ipsis, vt potius sequerentur partes, quã Dei &c. at hæc, & huiusmodi postulant plures operationes, & actus.

Pugna angelica nõ fuit cõpleta vnico actu, sed pluribus.

Finis Nona Disputationis.

DISPV-

DISPVTATIO X.

De peccatis Angelorum malorum.

QVÆSTIO I.

Vtrum Angeli potuerint peccare in primo instanti suæ creationis.

Status quæstionis.

1  Quæstio ista sub alijs verbis moueri solet à Scotistis, nẽpè vtrum Angeli potuerint in primo instãti esse miseri, miseria pœna, & miseria culpę quod idem est, ac quęrere vtrum potuerint ab initio Angeli peccare in primo instanti eorum creationis.

2 De possibili quæstio ista agitatur non autem de facto, ratio est, quia est communis Theologorum sententia, Angelos non peccasse ab initio, etenim, vel omnes in gratia fuerint creati, vel omnes in puris naturalibus, solummodo Manichæus se opponit dicendo, Angelum ab initio fuisse malũ, siue à principio suæ creationis malum extitisse, cuius tamen malitia non tam redundabat in ipsum Angelum, quam in Deum auctorẽ Angeli, aiebat namque Manichæus repertũ Deum malũ, qui auctor esset mali, & qui creaturas ab initio cõdideret malas, ita vt etiam per naturam, creaturæ tales ab initio essent malæ; contra quam impietatem determinatio extat Innocentij III. in cap. *firmiter*, *de sũma Trinitate, & fide catholica*, & Conc. Bracarense primum cap. 7. contra quam etiã sæpissimè inuehitur D. Augustinus, omnia namque opera Dei bona sunt, prout in decursu sex dierum sępè commemorat, Moyses inquiens, *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valdè bona*.

Manichæi impietas dicentis Deum malum Authorem Angelorum malorum, & tam sui mali ex sui natura.

3 Proximè accedit ad hunc errorem Aug. Eugulinus lib. 8. de Perhenni philosophia cap. 38. inquiens, malos Angelus peccasse ab initio; hoc quidẽ error est, & penè inauditum in Theologia, etenim D. Thomas maximum errorẽ esse hoc asserit, & D. Bonauent. inquit, accedere ad hæresim: licet autem prædictus Eugulinus non asserat cum Manichæis fuisse Angelos de sui natura malos, nihilominus cõtra communem sensum Theologorum docet, malos Angelos peccasse ab initio, siue ab initio fuisse malos; Ex qua sententia, vt notat S. Aug. non necessario incidunt in errorem Manichæi, qui conueniunt in hunc loquendi modum, siquidem Manichæus natura existimat Angelos esse malos; Eugulinus verò malitia, seù propriæ voluntatis præsumptione.

Eugulini sententia.

An conueniat cũ Manichæo.

4 Facile est hoc totum probare ex scripturis Isaię 14. *Quomodo cecidisti Lucifer, qui mane oriebaris*, ex quo datur intelligi, Angelos, antequã ceciderint fuisse bonos, & Ezech. 28. *In delitijs Paradisi fuisti*; ac Ioannis 8. *In veritate non stetit*, quæ loca & similia, quæ licet alium sensum possint habere, de quibus aliquando egimus in superioribus, nihilominus communiter exponi solẽt de Angelis. Apertior autem est locus Iudæ in sua canonica dicentis, *Angelos autem, qui non seruauerunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium &c.* ex quo loco apertiùs constat ipsos nõ fuisse ab initio malos. Solummodo obstare posset Ioannis 8. Vbi Christus ait, *Ille homicida fuit ab initio*, ergo malus Angelus peccauit ab initio. Verum responsio, & interpretatio habita fuit etiam in superioribus, vt ly *ab initio*, non sumatur physicè, & mathematicè pro instanti indiuisibili, & primario creationes angelicæ, sed idẽ

Ab Isaia q̃d denotet.

sit

sit ab initio, ac paulò post initium; Ita etiam consuetudo obtinere solet, vt ab initio huius loci, hoc ita semper fuerit v. g. quod ab initio ita fuit, licet non fuerit ita verè, & realitèr ab initio, est namque modus loquendi vsitatus in politicis; siue denique, ideo ab initio Diabolus homicida dicitur, quia ipse primus author fuit casus, & peccati nostrorum Parentum, ex quo tota humana species morti subiacuit; ipse etiā tentator causa fuit homicidij, siue fratricidij Abelis perpetrati à Caim in mundi initio, nempè, ferè, vel quasi ab initio, nō tamen *mathematicè* ab initio.

5 His prælibatis accedēdo ad principale intentum, & quærendo de possibili, vtrum potuerint Angeli ab initio esse miseri, miseria culpæ, siue peccare ab initio, est sententia negatiua D. Thomæ 1. par. q. 63. art. 5. Alberti in 2. d. 3. Alensis 2. par. q. 25. memb. 1. ar. 2. D. Bonau. Riccard. Durand. in 2. dist. 5. Henric. quodl. 8. q. 10. & sequacium Thomistarum asserentium non potuisse Angelos peccare ab initio in primo instanti suæ creationis. Rationes quibus hæc opinio innititur, afferuntur præcipuè à Scoto d. 5. q. 2. quæ etiam ab eodem Scoto ibidem dissoluuntur, & eliminantur, verum quia hæ, quas Scotus affert rationes pro Thomistis, validiores sunt, & fortiores, ideo ipsas nos etiam afferemus, & ordinatè dissoluemus, atque ijs contenti erimus, cæteræ namque reduci possunt ad istas.

6 Prima ratio est hæc, omnis operatio incipiens cum esse rei, est effectiuè à producente ipsam rem in esse suo, & tribuitur eidem efficienti, tanquam causæ, tum operationis, tum etiam ipsius esse rei, ergo primum peccatum Angeli perpetratum est in primo instanti creationis Angeli erit ab ipso Deo, & tribuitur ipsimet Deo, tanquā Auctori, & causæ primariæ, tum peccati Angeli, tum etiam esse ipsius Angeli, sed Deus non est auctor peccati, ergo à primo ad vltimum, prima operatio Angeli in primo instanti non potuit esse peccatum. Confirmatur totus discursus duplici exemplo naturali. Primum est, quia motus grauium, & leuiū est à generante, siuè producente, in eo namque instanti, in quo grauia, & leuia producuntur in esse suo, in eodem etiam instāti motum, quem experiuntur, siue quem experiri possunt, necesse est dicere promanare à generante, & producente. Secundum sit de tibia, siue pede claudicante, quandoquidem talis claudicatio tibiæ, à natura insita tibiæ tribuenda est ipsimet producenti, siue generanti sic tortuosè, ac claudicantèr tibiam, igitur peccatum primum incipiens cum angelica natura redundabit omninò in Auctorem angelicæ naturæ, is autem est Deus, à quo longè est omne peccatum, ergo diceretur peccati talis Auctor esse Deus, hoc verò est blasphemum ergo &c.

7 Ratio hæc penès Scotum nullius est momenti, ideoque sicut Scotus ipse sigillatim rationes proponit, ita ordinatim confutat; & quidem circa rationem hanc, primo ait ex D. Augustini sententia 11. de Ciuit. Dei cap. 13. quod *Qui dicunt Angelos ab initio fuisse malos, non sentiant cum Manichæis, qui probant vnum Deum malum, qui esset causa omnis mali*. Hac August. sententia habita, sequitur, inquit Scotus, quod licet Angelus ab initio fuisse malus, nō tamen propter hoc, ipsius malitia redundasset in Deum, non enim Deus fuisset malus nec auctor mali, ergo angelica malitia solummodò tribueretur Angelo, & non Deo.

8 Insuper dedit Scot. defectum causæ secundæ non esse tribuendum causæ primæ; non enim causa prima peccaminosa est, nec defectuosa, siue in moralibus, siue in naturalibus simus, sed tribuendus erit omninò defectus, & malitia ipsi causæ secundæ, & hinc est, vt claudicatio tibiæ siue defectus cæteri ipsius naturæ, sicut etiam, & monstra ipsa, quæ sæpè accidūt in natura, vtique ipsi causæ particulari secundæ tribuendum est totum, siue propter excessum, siue propter defectum materiæ, & seminis, vndecunq; id fuerit, igitur nō erit hoc tribuendum ipsi Deo; ita pariformiter de Angelo vnde fit vt defectus, & malitia ipsius Angelo quidem tribuetur nonque Deo.

9 Accedit etiam, & confutatio altera ex eodem Scoto: quoniam si prima operatio Angeli peccaminosa tribuitur Deo, ergo, & cæteræ peccami-

nofe operationes fiende in tempore
fequenti tribuentur eidem Deo; Pro-
batur confequens, quia voluntas fem-
per æqualiter caufatur à Deo, non folū
quantū ad conferuari, fed etiam quan-
tum ad caufari, fiue creari, imò crea-
tio, & conferuatio funt prorfus idem,
vt probat Scotus in eodem fecundo
dift. 2. q. 2. quod fi in hoc tempore v.g.
dum voluntas creata cōferuatur à Deo
idem eft, ac creari, fiue conferuari à
Deo, fequitur, quod fi in hoc tempore
voluntas peccat, vtique peccatum re-
dundabit in Deum, fequela patet, quo-
niam idem eft in hoc tempore volun-
tatē conferuari à Deo, ac creari à Deo,
ergo fi in hoc tempore peccat, vtique
peccatū redundabit in Deum, fed hoc
falfiffimum eft, ergo neque etiam erit
afferendum, quod fi in primo inftanti
peccaret Angelus, peccatum redunda-
ret in Deum.

10 Secunda ratio principalis, An-
gelus in primo inftanti non poteft ha-
bere velle à fe, fed illud primum velle
erit ab alio, ergo Angelus in primo in-
ftanti non potuit peccare: patet con-
fequens. quia nemo peccat per malam
voluntatem alterius, fiue per malum
velle alterius, & probatur anteced. au-
ctoritate Anfelmi de cafu Diaboli cap.
23. vbi ait, *Si Angelus habuit primum*
velle à fe, aut illud habuit volens, aut no-
lens, fi volens, ergo volitione antecedenti,
ergo illud primum velle peccaminofū
nō fuit primum, & per confequens nō
eft verum, quod in illo primo velle po-
tuit peccare: Si volens, ergo volitione
antecedenti habuit illud nolens, quo-
niam non poffumus nolle fine anterio-
ri velle, ergo à primo ad vltimum non
erit hoc velle primum peccatum An-
geli, & confequenter nō potuit in pri-
mo inftanti habere malum velle.

11 Refunditur, ratio ifta nullius eft
roboris, & quidem primo fequitur ex
ea dari proceffum in infinitum in ipfis
velle, & probatur, primū velle, vel ha-
bet à fe, vel ab alio; fi à fe, ergo habe-
tur intentum, quod potuerit habere
primum malum velle; fi ab alio, tunc
infuper quæritur, vel habetur per pri-
mum velle, vel per anterius velle, fi da-
bis primum, ergo habemus intentum,
quod dabitur primum velle; fi dederis
fecundum, tunc quæro de illo velle, aut
nunquam erit primū velle, aut anterius
velle, fi dabis primum, erit idem, vt fu-
pra; fi dabis fecundum, igitur habebi-
tur per anterius velle, & hoc per aliud
velle antecedēs in infinitū, igitur con-
cluditur dandum effe primum velle.
Item cum etiam quæritur, verum
velle illud habeatur volitione antece-
denti? Refpondendum eft negatiuè,
quoniā fi ad hoc velle præcederet aliud
velle, iam illud velle, non effet primum
velle.

12 Dices, voluntas volens vult, er- Volitas in
go vult mediante volitione antecedē- media voli-
ti. Refpondetur, quod voluntas vult tione velit.
primo volens actu primo, & ita volens
vult, non quidem volitione in actu fe-
cundo antecedēte aliam volitionem,
quæ effet omninò prima in actu elici-
to, fed volens vult folummodo in actu
primo, quia fufficit, vt in primo figno
naturæ voluntas habeat potentiā vo-
litiuam in actu primo, inde vero erit in
actum fecundum, & actus ille eliciens,
qui vocatur actus fecūdus, erit volitio
omninò prima, & talis erit ordo actus
primi ad actum fecundum, ipfa volun-
tate primo fic volēte: & hoc modo da-
bitur volitio, quæ erit omnino prima.

13 Ad Anfelmum duplici via oc-
currit Scotus, & primo inquit, Anfel-
mum fingere, Angelum quendam ex
Effentia, & Natura quadam nuda, fine
potentia volitiua, quam Anfelmus ipfe
vocauit *Inftrumentum*; hoc autē fup-
pofito, fequitur vtiq; Angelum caren-
tem potentia volitiua, non poffe ha-
bere à fe primum velle. Ratio eft, quia
actus fecundus reduci debet ad actum
primum, fiue ad potentiam volitiuam;
ergo actum fecundum volitionis non
poteft à fe habere, fed expectaret ab
alio. Secundo fubdit idem Scot. quod
dato, prædictum Angelum habere po-
tentiam volitiuam, nihilominus fi fin-
geremus eundem Angelum carere af-
fectione commodi, vel incommodi, iu-
fti, vel iniufti, tunc quidem primā vo-
litionem nō poffet habere à fe, fed ha-
beret ab altero, etenim ablata à volun
tate affectione, & defiderio circa omne
quodcumque obiectum, affectione in-
quam fiue commodi, fiue incommodi;
fiue iufti, fiue iniufti, nullo inde infur-
gerer

geret desiderium, nullus amor, nullum odium *Amor meus*, inquit August. *est pondus meum, illo feror, quocunque feror*, ergo ablata omni passione ab anima, nullam haberet volitionem ipsa anima, siue nolitionem.

14 Tertia ratio, si Angelus peccat in primo instanti, ergo nō peccat; Probatur consequēs, si peccauit in primo instanti, ergo non potuit non peccare, ergo necessario peccauit; Probatur consequens, quia si potuit non peccare, aut potentia ante actum, aut potentia simul cum actu; non primum, quia ante primum instans non fuit in Angelo potentia antecedens suam creationem, ergo nō potentia ante actum, neque secundum, quia in eo instanti, in quo peccauit non potuit non peccare.

In instanti quo Angelus operatur, potest nō operari.

15 Respondet Scot. Angelum liberè peccare, & potuisse non peccare, alias tolleretur liberi arbitrij libertas, quæ in eo cōsistit, vt in eodem instanti in quo quis operatur, posse non operari; itaq; liberè peccauit, seu liberè potuit peccare, cum verò quæris, verum potentia ante actum, vel simul cum actu. Respondetur, potentiam etiam esse priorem actu, & non esse simul cū actu, loquendo de primo, erit prior solummodo prioritate naturæ, quia causa est prior natura suo effectu, & hoc sufficit, loquendo autem de secundo, erunt simul simultate temporis, & durationis potentia, & actus, ita vt simul sint in eodem instanti durationis, etenim supra est habitum in prioritate naturæ Angelum intelligi habere esse, & in secundo instanti naturæ posse exire in actum secundum, siue posse operari, hæc autem duo includuntur in vno instanti temporis, & hoc sufficit.

16 Quarta ratio, Angelus in primo instanti nō potuit habere deliberationem, ergo non potuit peccare, quia ad peccandum requiritur multorum præconceptio, cognitio, & intellectio, Angelus vero in primo instanti non potuit distinctè intelligere ea omnia, quę requiruntur ad deliberationem.

Voluntas vt vt velit, an requirat per cognitionē plurium.

17 Respōdet Scot. quod volūtas ad hoc, vt velit, nō requirit intellectionē multorum, & plurium necessario, etenim sufficit intellectio vna cōpleta, distincta, & perfecta, nempè obiecti illius circa quod contingat deliberatio, & quidem intellectus creatus non potest simul plura distinctè intelligere, etenim, nisi illa plura intelligantur per modum vnius, non poterunt simul distinctè concipi, & cognosci; cæterum licet contingat discurrere circa intellectionem plurium, ex quo habeatur inde amplior atque longior deliberatio, nihilominus in vnico instanti temporis potest sufficere intellectui, vt intelligat solùmmodo id, circa quod voluntas possit deliberare, atque plenissimè aduertere quid circa tale obiectum agendū sit, vel non agendum, ita vt possit eadē volūtas ex plenitudine deliberationis, & ex perfectione suæ libertatis agere, sicut libuerit siue bene, siue male, siue merendo siue denique peccando.

18 Quinta ratio, motus naturalis voluntatis Angeli fuit rectissimus ergo in primo instanti non potuit peccare: Confirmant Aduersarij, quia voluntas vt natura non peccat sed peccat, vt libera est, seu, vt voluntas est, sed in primo instanti cōcipitur voluntas, vt natura est, ergo in primo instanti non potuit peccare.

Volūtas recta, adhuc libera est ad pecc.

19 Respōdet Scot. quod adhuc voluntas peccaminosa est, & libera ad peccandum, & si rectissima sit alioquin de; Ratio est, quia quandiu voluntas non est confirmata in gratia, semper potest peccare, igitur cum rectitudine naturæ, stare potest obliquitas voluntatis. Ad confirmationem dicimus, falsam esse distinctionem voluntatis in naturam, & liberam, etenim Voluntas vt natura est, non operatur, & sub hac ratione omninò pugnat cum libertate, de qua re agit Scotus in 2. dist. 10. quæst. vnic. & Nos tr. 2. de Spirit. sanct.

Volūtas, vt natura, rejicitur.

20 Sexta ratio, in habitu concreato cum intellectu angelico relucebant ab initio solummodo quidditates rerū in abstracto, atq; in vniuersali, sed peccatum non contingit, nisi circa obiectum repræsentatum in particulari, siue in concreto, & in speciali, ergo non poterat ab initio peccare. Nec ratio illa valet, & quidem potuit ab initio Angelus semetipsum intelligere in speciali, singulariter, & concretiuè consideratum: vnde fit, vt consequenter ad talem de se cognitionē in speciali, po-

tuisset accedere inordinatus amor sui, ac cæterorũ in ordine ad seipsum inordinatè amando, sicut non decebat; & ita à primo ad vltimum, peccare. Ad illud vero de habitu, & de relucentia quidditatum in tali habitu, quomodo verum sit, respondebitur infra in quæst. propria de hoc.

21 Septima ratio, nullus peccat, nisi sit debitor Iustitiæ, sed Angelus in primo instanti non erat Iustitiæ debitor, ergo peccare non poterat. Probatur minor auctoritate Anselmi lib. de casu Diaboli cap. 12. & 14. negantis Angelum fuisse debitorem Iustitiæ.

22 Verum, nec ratio ista vrget etenim loquendo de iustitia infusa, vtique Angelus recepit ab initio infusam iustitiam dum fuit creatus in gratia; recepit etiam rectitudinem naturalem, dum fuit creatus à Deo bonus, & rectus, vtraque rectitudine, & bonitate, tum infusa per gratiam, tum vero naturali, rectitudine naturæ; Hanc vero

Nullus peccat, nisi sit debitor iustitiæ, decl.

rectitudinẽ debebat in semetipso Angelus conseruare, habuit namque intellectum, & voluntatem, qua mediante poterat, & debebat vtramque iustitiam manu tenere, & conseruare quod si Anselmus in oppositum loquatur, dicendum est, ipsum negasse inquit Scot. Angelum recepisse ab initio iustitiam infusam, & gratiam: Verum quia oppositum diximus, ideo debitor fuit iustitiæ, & rectitudinis, quam ab initio receperat, propter cuius ammissionẽ, dicendum est quod peccauit. Addit Scot. non ideo aliquem non esse debitorem iustitiæ, siue infusæ, siue acquisitæ, quia ipsam deperderet, vel nusquã acceperit; Etenim Saracenus, & Infidelis, neque peccaret, neque debitor esset iustitiæ, quoniam nusquam iustitiam & charitatem accepit dum semper vixit in infidelitate; & peccator christianus, siue fidelis, neque debitor esset iustitiæ, quoniam per peccatum mortale ipsam deperdit, verũ hæc non eximunt, siue fidelem, siue infidelem peccatorem à redditione iustitiæ, omnes namque tenentur, iuxta legem viuere, & contra legem viuẽdo, rei sunt, & debitores iustitiæ. Qui namque recepit, debet conseruare; & qui eam perdidit, veluti debitor non restituendo, punietur, prout contingit in politica humana: & qui, culpa sua, non recipit, viuendo obstinatus in infidelitate, adhuc debitor erit, & luet pœnas, quia Deus quantum est ex se, vult omnes saluos fieri, & sanctas inspirationes immittit, atque Prædicatores, & Ministros conuersionis.

23 Octaua ratio, non possunt esse simul duæ mutationes, quarum terminus ad quem vnius, est terminus à quo alterius, ergo creatio, & peccatum nõ possunt esse simul. Probatur, quia creatio est terminus ad quem, & peccatum est terminus à quo; igitur istæ duæ mutationes non sunt simul. Occurritur ad hoc, falsam esse maiorem propositionem, præcipuè in subiecto, & passionibus, inter quæ intercedit solummodo ordo naturæ, & sunt simul in eodem instanti temporis, vt e. g. in primo instanti habetur mutatio terminata ad productionem subiecti, & in secundo instanti naturæ habetur mutatio terminata ad productionem passionis pullulantis ab eodem subiecto, vt patet de rationali, & de risibilitate &c. quæ tamen mutationes sunt in eodẽ instanti temporis. Affert etiam exemplũ aliud Scot. de lumine Solis recepto in Luna, & ab eadem Luna diffuso in intermedias partes aeris, quæ duæ mutationes sunt ambæ in eodem instanti temporis; Ita pariformiter in eodem instanti tẽporis poterit esse mutatio terminata ad creationem Angeli, & mutatio alia terminabilis ad peccatum ipsius Angeli, inter quas sufficit, vt intercedat solummodo ordo naturæ. Dices quomodo vere poterit mutari Angelus à non peccato ad peccatũ, dicta enim mutatio requirit, vt subiectũ mutabile fuerit sub priuatione formæ tẽpore antecedenti; in casu autem nostro ad peccatum Angeli præcessisset creatio Angeli, & priuatio ipsius peccati solummodo ordo naturæ, nõ temporis.

Mutationes quarum termini ad quem, est terminus ad quem alterius, an simul.

24 Respondet Scot. veram esse philosophiam, ideoque in casu isto peccatum Angeli non debere vocari veram mutationem, quia inter peccatum, & priuationem eius non intercessit tempus, sed vocandam esse passionem de genere passionis, quoniam Angelus recepit

Mutatio postulat subiectum mutari à priuatione ad formã. declar.

cepit in semetipso affectionem hanc commodi contra rectam rationē, quæ vocatur passio de genere passionis.

25 *Nono*, argui potest, si potuit Angelus in primo instanti peccare ergo maior virtus, quam virtus angelica peccare potuit in minori, quàm in instanti, sive in minori mensura, quàm sit mensura instantis; Probatur, quia omni virtute minori agenti in aliqua mensura potest, virtus maior agere in mēsura minori; ita enim arguit Arist. 6. Physic. tex. comment. 19. verum ratio hæc adducta fuit, & soluta in quæstione præcedenti, valet namque propositio illa aristotelica, vbi mensura est diuisibilis, non autem vbi est prorsus instantanea, & diuisibilis, vt in casu nostro.

A posse ad esse à propositio ad actu & à negatione actus ad negationem potentiæ non valeat.

26 Decimo arguitur, si potuerunt Angeli ab initio peccare, ergo aliqui verè peccauerunt, at nō legitur quenquam peccasse in primo instanti, ergo signum est non potuisse peccare; Probatur consequentia, quia si fuit possibile, ergo aliquando id accidit. At nec ratio hæc vrget, non enim sequitur necessariò, vt id, quod est possibile, ponatur semper in esse, sufficit namque non esse impossibile: & ita possibile quidem fuit quod, verò possibilitas talis non fuerit posita in esse, nō propter hoc negatur potuisse poni in esse: Itē non valet inferre à negatione actus ad negationem potentiæ, nunc enim non curro, qui tamen potentiam habeo ad cursum. Valet verò semper in diuinis ad inferendum à potentia ad actum affirmatiuè, vt Deus potest esse trinus, & vnus; ergo, de facto est: valet etiam negatiuè, vt Personæ diuinæ non sunt plus, quam tres, ergo nec possunt esse plus quam tres.

Potuerunt Angeli ab initio peccare.

27 His actis, atque Aduersariorum rationibus retusis, & dissolutis, nihil aliud agendum est, nisi concludendū, Angelos potuisse ab initio peccare, atque semetipsos inordinatè amare contra rationem rectam, & contra legem Dei, siue committere pēccatum illud, quę inde postea successiuè commiserūt, de quibus infra, ita Sent. d. 5. q. 2. Gabriel, Maior, Ariminensis, atque recentiores communiter in 1. par. q. 63. verum Molina, Vasquez, Valentia, Suarez l. 7. cap. 20. non oportet autem rationes multiplicare ad conclusionem hanc firmandā, etenim ex dictis, sine ex confutatione opinionis contrariæ, optimè remanet confirmata, & fundata.

28 Nihilominus addit Scot. idem, hæc breuiter, & primo, Habebat Angelus ab initio potentiam volitiuam perfectam, quæ tamen non erat magis determinata ad operationem rectam, quam peccaminosam, ergo sicut poterat bene velle, ita poterat, & male.

29 Secundo, nō erat eadem potentia angelica magis determinata ad peccandum in secundo instanti, quam in primo, ergo poterat etiam peccare in primo; antecedens patet, quia Angelus est essentialiter liber, ergo est liber in quocunque instanti, siue secundo, siue primo.

30 Tertio, poterat in primo instanti mereri, ergo poterat in eodē instanti demereri, non enim est maior ratio de vno, quam de altero, & opposita habēt fieri circa idem &c.

31 Adde, ex similibus de homine, & quidem, si homo crearetur cum perfecto vsu rationis, posset tunc peccare: Item puer, elucescēte vsu rationis, potest tunc peccare: cur ergo non potuit Angelus? Verum rationes illæ attendendæ sunt, cæteris paribus, sensus autem est, vt homo, & puer callentes vsu rationis, possint quidem in illo primo instanti peccare, dum tamen possint plenè, & perfectè deliberare, ac perfectè discurrere circa materiā peccati; nam licet incipiat vsus rationis elucescere, requiritur tamen perfecta, & completa aduertentia, & deliberatio, hæc autem in puero paulatim, & successione acquiritur: in hoc tamen excellet Angelus, tum quia est expeditissimus in suis operationibus, tum quoniam nō grauatur sensibus, & mole corporis vt homo: puer ergo tunc posset peccare, nisi aliundè impediretur; ergo à primo ad vltimam, nulla est implicantia ex parte instantis primi in quocunque, siue homine, siue Angelo.

32 Dices, non potest creatura agere in instanti, ergo nec Angelus peccare in instanti. Respond. falsam esse antecedens, quia generatio, & corruptio

prio fiunt in instanti loquendo per se, semotis dispositionibus, quæ fiunt in tempore. Item intellectio, & volitio fiunt in instāti, semoto, tamen recursu ad phantasmatū speculationē &c. siue semoto ordine ad sensus, quæ fiunt in tēpore, ita Angelus intelligere potuit, & velle bene, & male in instanti.

Angeli qua liter ab initio boni.

33 Dices, ex Concilio Bracarensi, & Lateranensi cōstat, Angelos ab initio fuisse bonos; & Origenes homil. 1. in Ezechielem docet, Angelos fuisse à Deo creatos bonos, ergo non potuerunt ab initio peccare, siue esse mali; Respondetur, hoc totum statui contra Manichæos, qui asserebāt reperiri Deū malum, qui creaturas aliquas ab initio suæ creationis faceret malas, quæ ex propria sui natura essēt malæ; hoc vero hæresis est, ideoq; definitū fuit, Angelos non fuisse ex sui natura malos; at non propter hoc prohibetur dicere, potuisse Angelos propria voluntate, & malitia semetipsos facere malos, contra legem Dei peccare, & propria voluntate fieri prauos: Vnde, licet ab initio fuerint in gratia, inde tamen Lucifer, & sequaces peccauerunt excidentes è gratia. Origenes idem docet, ab initio fuisse bonos per gratiam, potuisse tamen peccando, amittere eam: quod si Angeli essent boni per essentiam, tunc nec ab initio, nec vnquam potuissent peccare, qualis est Deus.

Actionē incipientē cū Natura, refundi ad Auctorem Naturæ, an verum.

34 Vltimū, quod fundamentū erat Thomistarum est, falsum esse, primariam actionem, incipientem cum ipsa Natura, debere refundi in Auctorem Naturæ, & exemplum in principio adductum de motu grauium, & leuium nullius est valoris, etenim grauia, & leuia mouentur à principio intrinseco, à propria grauitate, & leuitate, siue à propria forma prædominante; quod si ita est, vt verum supponimus in philosophia, consequens est, vt dicamus, talem motum tribui verè formaliter, subiectiuè, & originatiuè ipsis grauibus, & leuibus; Recurrere autem ad efficientia extrinseca productiua ipsorum grauium, & leuium, est recurrere ad causas valdè remotas, imo absentes, quandoque, imo ad causas etiam, quæ fortasse non sunt, etenim potest esse, vt talia efficientia destructa sint; pariformiter de Angelo asserendū est, motus tales peccaminosos ab ipsomet Angelo formaliter, & originatiuè prodire, atque ipsismet Angelis imputari, & tribui, non autem Deo Auctori Angelorum, qui est auctor solummodo boni, non autem peccati, & mali.

35 Suarez num. 47. inquit, non recedendo à communi sententia, sed illam leniendo, & piè explicando, *Duo mihi dicenda videntur &c.* Primo autē ait, non esse impossibile, absolutè loquendo, Angelū peccare in primo instanti creationis in sensu diuiso, Deo non impediente. & secundo, quod, loquendo secundum leges diuinæ prouidentiæ, non potuisset peccare Hoc autem fundat super diuina bonitate, non permittēte tunc cadere, sed potius angelicam naturam, veluti pannis infantiæ inuolutam, protegente, nè caderet. Hoc quidem totum docuit prius Scotus; loquitur namque Scotus de possibili, non de facto; non enim asseruit peccasse ab initio, sed potuisse peccare: Vndè Suarez apertè incidit in sententiam Scoti, licet in apparentia morem gerere videatur Thomistis. De facto nō peccauerit ab initio, licet potuerit

---

QVÆSTIO II.

Vtrum primum peccatum Angeli fuerit superbia, vel luxuria spiritualis?

1 VIso iam, potuisse peccare Angelos, immo, de facto, postmodum peccasse; videndū est consequenter, atque ordinatè, inter cætera peccata Angelica, quodnam fuerit primū, vtrum verè fuerit superbia, an vero inordinatus amor sui, quē Scotistæ appellant *luxuriam spiritualē.*

Qua

Quare prima per discursum comperta, videlicet inde, quæ etiam peccata subsequenter commiserint idem Angeli post peccatum primum. Nè autē per ambigua incedamus, explanandi sunt aliqui termini quæstionis propositæ, his namque explanatis, ac dilucidatis, difficile non erit quæstionem totam enodare.

Luxuria propriè, & sic sumpta.

2 Primus terminus sit, quem iam proposuimus, nempè *luxuria spiritualis*; & quidem apertè constat, luxuriam propriè, & rigorosè sumptam reperiri solummodo in cibis, potibus, ac venereis, vt de se patet; continet namque speciale peccati genus ex septem capitalibus, quod appellatur *luxuria*, quod quidem communiter est inconcessum apud omnes, nihilominus translatiuè, & metaphoricè loquendo, siue impropriè sermonem agendo de luxuria, nulla est implicantia, ut ad cætera genera peccatorum transferri possit, siue simus in corporibus, siue in spiritibus; siue denique de animantibus, & viuentibus loquamur; siue etiam de non viuentibus: & hinc fit, vt ita generaliter loquendo, *luxuria sit luxuriantis, & vacillantis, superflua, atque immoderata se habentis* in vnaquaque genere operationū. est namque luxuria sic contemplata, & accepta, *immoderata, inordinata, & inconueniens, atque superflua affectio, siue complacentia in genere cuiusque operationis*, explicatio hæc fuit etiam optimè percepta, atque sic intellecta, & concessa etiam à Suarez lib.7.cap.10. licet nonnullis aliquibus expositoribus D. Thomæ minimè placeat, at quidem sine ratione, vt patebit.

Quidnam vtraque.

Luxuriātur quoque insensibilia, & dicuntur.

3 In cuius confirmationem primo loco afferimus D. Aug. qui lib. 2. confessionum cap.6. ita ait, *luxuria, satietas, & abundantia cupit vocari*, ecce quomodo superabundantia cuiuscunq; rei non immeritò gaudet hoc nomine luxuriæ. Et etiam Ambr. scribendo de viduis hoc ipsum adaptat sarmentis, & vitibus, inquit enim, *Vitem facilius constringe, quam premere, vt transferentem luxuriam reprimat, & ad difformitatem castigatam falce soluitur; parentem quandam putarum castitatem docens, etiam in vitibus experiendam*. Hæc Ambr. vbi etiam castitatem, cum luxuriam oppositam reperit sanctus Doctor, etiam suo modo, in vitibus; Ouidius quoque in prima Epistolarum, ipsimet terræ idem significatum accommodat, quatenus frigio sanguine madefacta siue ad plenū satiata dicitur quodammodo luxuriare ait namque

Luxuriat Frigio sanguine pinguis humus.

Et Virgilius Aeneidorum primo hoc ipsū ipsi regali adoptat palatio inquit namque

At domus interior regali splendida luxu.

Luxuria an in Angelis.

4 Quod si hæc, animæ expertibus, & insensatis rebus tribui solent, mirum non erit, vt pariformiter, maiori cum ratione, tribui etiā, & adaptari possint rebus animatis, ita quod, quandocunq; ipse viuēs, (siue homo sit, siue Angelus) vel superfluè, vel immoderatè, siue inordinatè, sibimet in operatione aliqua complacuerit, vtique dicendum sit de ipso, hac ratione in luxuriam incidere, siue ita luxuriari; vnde commune erit cæteris quibuscunque operationibus, in quibus superfluitas appareat, siue inordinatus amor, eas luxuriosas appellare; hæc vero ad spiritualia viuentia transferenda, vt sunt ipsi Angeli, meritò dicere possumus, in ipsis quoque sic luxuriæ peccatum reperiri, sed non quidem carnalis, sunt enim Angeli entia spiritualia, de quibus vidimus supra in propria quæstione, ad ipsos adaptari nō posse caput illud Genesis 6; *Videntes filij Dei, siue Angeli Dei filias hominum, quod essent pulchræ acceperunt sibi in vxores*; igitur semouendo ab Angelis luxuriæ carnalis vocabulum sic rigorosè conceptum, restat, vt in ipsis quoque locum habere posse largo nomine ipsa sumpta luxuria, quando namque semetipsos inordinatè amarunt, & minus quam decens erat, quam maximè contra rectam rationem, complacendo de sua propria excellentia, vtique talis amor inordinatus ipsorum appellari potuit luxuria; sicut namque carnalis homo, sic amando seipsum, verè luxuriatur, inseruiendo venereis, ita Angelus inordinatè amando semetipsū, dicitur metaphoricè ipsemet quodāmodo luxuriari; verum quia spiritualis est, & incorporeus ipse Angelus, hinc est, vt sūpta paritate ab amore inordinato sui,

dicatur

dicatur ipse quoque quodammodo luxuriari; at quia corporeus non est, sed spiritualis, hinc luxuria eius, non carnalis appellatur à Scoto, sed spiritualis.

5 Secundus explicandus terminus est nomen superbiæ; propositum in quæstione ab initio. Et quidem superbia dupliciter sumitur, vel rigorosè, & propriè, siue adæquatè, vel sumitur secundo largè, impropriè, & inadæquatè: Primo modo loquendo, *idem est superbia, ac inordinatus amor propriæ excellentiæ super alios*, & quidem idem appetit superbus, nempè alijs præire, & præcellere; quod profectò elicitur ex verbo ipso superbire, cuius ethymologia, eadem est, ac *super alios ire*, & ita de Lucifero Isaias loquitur, Ezech. 28. *Qui dicebat in corde tuo in Cœlum conscendam super astra Cœli exaltabo solium meum, similis ero Altissimo*; de qua re August. 14. de Ciuit. Dei, ait, *Quid est superbia nisi peruersa celsitudinis appetitus*. Secundo modo idem est sic largè sumpta superbia, ac *inordinatus amor sui, siue immoderata complacẽtia propriæ virtutis, & excellentiæ*. Differentia inter vtrumque modum sumendi superbiam, ea est, vt primo modo sumpta, dicat respectum ad alios; Secundo autem modo dicat respectum solummodo ad semetipsum, excludendo respectum ad alios; etenim superbus in rigore is est, qui vltra legis debitũ exoptat præcellere alijs, & ita respectum dicit propriæ excellentiæ super alios. Secundo autem modo nil aliud implicatur, nisi immoderata complacẽtia, siue superflua existimatio propriæ excellentiæ vltra debitum rationis complacendo in semetipso, atque de propria excellentia, & virtute gloriando, absque tamen respectu ad præcellentiam aliorum. Prima autem superbia spectat verè, & formalitèr ad ipsum capitale genus peccatorum, quod vocatur superbia. Secunda autem spectat ad superbiam impropriè dictam, quæ vocatur *præsumptio*, vt Scot. habet d. 6. q. 2. in responsione ad primum argumentũ principale, etenim præsumptio, est etiã species superbiæ, præsumere enim, est immoderatè semetipsum iactare, siue immoderatè de semetipso delectationem habere.

Superbia quid.

Superbire quid.

Præsũptio quid.

6 Vlterius explanandus terminus occurrit de duplici amore, de quo necessario agitur in quæstione; Alter namq; est amor amicitiæ, & alter amor concupiscentiæ. Primus est quo mediante aliquem amamus in ordine ad se, & propter se, quandocunque virtute, & meritis emicat taliter, vt ille propter semetipsum, & in ordine ad se ipsũ ametur. Secundus est, quo mediante amamus aliquod propter aliud, & in ordine ad aliud, siquidem quia, amicũ amo, hinc est, vt propter ipsum, & in ordine ad se ipsum concupiscam sibimet ea, quæ sibi proficua sunt, & vtilia; Et hinc est, vt ista talia amico vtilia, non amem propter se, sed propter amicum amatum, concupiscendo sibi, & ordinando ad ipsum, hæc bona vtilia. De hoc duplici amore mentionẽ agit Arist. 3. Aethic. cap. 7. dum amorem diuisit, siue dum distinxit ipsum bonum, in bonum honestum, vtile, & delectabile. Redendo autem singula singulis, bona hæc condiuiduntur iuxta condiuisionẽ duplicis amoris; Et quidem, bonum honestũ pertinet ad amorem amicitiæ. Ratio est, quia honestũ, & virtute præditum, diligibile est propter se, siue propter propriam virtutẽ, meretur namque iste talis amari, & diligi secundum se, ideoq; amor hic vocatur amor honesti; vocatur etiam amor amicitiæ, quoniam vera amicitia fundari debet super honesto, qua honestate, & virtute semota, destruetur amor veræ amicitiæ, siue amor honesti, & transibit amor iste in amorem concupiscentiæ. Bonum igitur honestum est obiectũ amoris amicitiæ, siue amoris honesti. Bonum autem vtile, atque delectabile pertinet ad bonum concupiscentiæ, siquidem amor hic super vtile fundatur, atque super delectatione, & sensu; & ita abstrahendo hæc ab omni ratione virtutis, & honesti, nõ possunt habere rationem obiecti veri amoris, vnde fit, vt non possint honestare semotis perfectionibus, & virtutibus, ipsũ amorem, immo corruet amor ipse, corruente, siue cessante delectabili, & vtili. Verum vero amores isti duo, sint vnũ, & idem, an verò distinguantur omnino ex suis intrinsecis rationibus formalibus, videbimus infra.

Amor amicitiæ, & concupiscẽtia.

Boni diuisio.

7 His

7 His præstitutis sit prima conclusio, primum peccatũ Angeli fuit inordinatus amor sui ipsius, quod peccatũ potuit metaphoricè appellari luxuria spiritualis. Conclusio hæc est Scoti, Gabrielis, Bassolis, & Scotistarum vbi supra. Probatur autẽ ratione: Primus actus voluntatis Angeli mali inordinatus, & immoderatus non habuit pro obiecto Deum, ergo habuit pro obiecto semetipsum: Probatur antecedẽs, quia Deus est ordinatè amabilis secundum se, cum contineat omnem rationem boni, ergo sequitur consequens, vt talis actus amoris inordinatus, fuerit actus amoris amicitiæ inordinatæ, erga semetipsum; non potuit autem, siue non potuit verisimiliter dici, quod talis amor primus habuerit pro obiecto aliud à semetipso obiectum creatũ diligibile, quoniam inclinatio naturalis magis inclinauit Angelum ad diligendum prius se, quam aliud obiectum creatum, ergo à primo ad vltimum, primum peccatum Angeli fuit amor amicitiæ inordinatæ erga semetipsum, & consequenter proprius Angeli erga semetipsum amor intemperatus, fuit primum peccatum eius.

Primũ Angeli peccatum fuit inordinatus amor sui.

8 Confirmatur conclusio hæc auctoritate August. q. 12 de Ciuit. cap. 13. ait, *Initium malæ voluntatis est sibi ipsis complacere*; & ibidem ex eodem Aug. ita habetur, *Duo amores fecerunt duas Ciuitates, amor Dei vsque ad contemptum sui fecit Ciuitatem Dei, & amor sui vsque ad contemptum Dei fecit Ciuitatem Diaboli*. idem etiam Aug. lib. 12. de Ciuit. cap. 6. sic de malis Angelis ait, *Cum quæritur*, inquit August. *quæ vera fuerit causa miseriæ Angelorum*, respondit, *ea quidem accurrit, quod ab eo, qui summè est auersi, ad seipsos conuersi sunt*; & denique lib. 11. de Genes. ad litteram cap. 15. concludit, *Peruersus sui amor*, nempè Angeli, *priuat sancta societate turgidum Spiritum*; ex his Aug. locis apertè habetur, primũ peccatum Angeli fuisse inordinatum amorem sui ipsius, quæ veritas adeo aperta est penes Augustinum, vt concedat Suarez his Augustini locis concesserit denique ita esse, nempè primum peccatum Angeli fuisse inordinatũ amorem amicitiæ erga seipsũ. Hæc quo ad 1. par. conclusionis.

9 Secunda autem pars conclusionis. Probatur nempè talem inordinatum amorem amicitiæ vocari posse, metaphoricè luxuriam spiritualem, cuius quidem probationes iterare opus non est, etenim probata remanet pars ista in primo notabili, vbi conclusimus ex multorum sententia, etiam luxuriam transferri posse metaphoricè ad alia, quam ad ministeria venerea; quapropter cum malus Angelus inordinato affectu dilexerit semetipsum, nõ immeritò ad luxuriam spectare posse, dicimus hunc suum amorem; quia verò Angelus ipse creatura est incorporea, & spiritualis, hinc est, vt abstrahendo à corporea, & sensuali venere, dici nihilominus possit luxuriari ipse Angelus spiritualiter.

Luxuria spiritualis in Angelis.

10 Addimq; transferri posse nomen hoc, etiam ad Geometram v.g. siue ad quemcunque alium philosophantem, & speculantem, ita vt nimia condelectatio, atque immoderata complacentia Geometræ, siue cuiuscunque alterius philosophantis de cõclusione aliqua geometricali, siue philosophali, censeri quoque possit delectatio inquam talis immoderata, & superflua, luxuria spiritualis. Hoc totum asserimus contra Caietanum, & Molinam negantes nomen hoc luxuriæ transferri posse ad alia, cum proprium sit ipsius luxuriæ versari circa tactus illicitos, & venereos. Hi tamen Auctores falluntur omnino, quia ex Ambr. atque cæteris supra consistit metaphoricè transferri etiam ad res ipsas inanimatas, siue vita carẽtes; multo igitur magis transferri poterit ad ipsas creaturas viuẽtes, siue corporeæ sint, siue spirituales, & incorporeæ, vt Angeli. In eo verò quod inquit Molina, quod nimia, & immoderata cõplacẽtia de speculatione Conclusionis alicuius, non pertinet ad luxuriæ vitium, sed ad vitiũ curiositatis: in hoc ergo fallitur, quandoquidẽ eadem nimia curiositas vocari iure potest luxuria spiritualis: ratio patet ex dictis, quoniam immoderata, & superflua, siue nimia complacentia, & affectio alicuius rei pertinet ad luxuriam suo modo, reddendo singula singulis, curiositas autẽ talis, quia consistit in superflua, nimia, atque immoderata conquisitione, sed

Luxuria transfertur etiã ad Geometriã &c.

inuestigatione, siue complacentia veritatis cõclusionis alicuius, ergo à primo ad vltimũ, ipsamet curiositas spectabit metaphoricè ad luxuriam intellectualem, siue scientialē, siue spiritualem, vt placet. Hæc etiam est doctrina D. Thomæ, qui secunda secundæ q. 17. art. 1. docet, in omni genere peccati, siue actionis moralis omnem superfluitatem posse vocari luxuriã metaphoricè, & translatitiæ; quod confirmatur auctoritate Glosæ super quinto ad Galatas dicentis, *Superfluitas est quædam luxuria, siue luxuria est quædam superfluitas*, intelligenda est autem Glosa metaphoricè, & translatitiæ, vt supra diximus, quod aduertimus cõtra Vulpes, qui dispu. 21. art. 1. contendit, luxuriam istam spiritualem vocandam esse propriam luxuriam, at non placet, vt constat, quia propriè accepta luxuria reperitur in actibus corporeis, venereis, vt benè contendunt Aduersarij, quod etiam nos concessimus, loquendo rigorosè, & propriè: ex opposito autem nõ potest ad spiritualia, vt est Angelus, siue ad alia applicari, nisi metaphoricè, translatitiæ, & impropriè.

Amor amicitiæ, & concupiscentiæ distinguuntur realiter.

11 Secunda Conclusio, amor amicitiæ & amor cõcupiscentiæ sunt actus omnino distincti realiter, & obiectiuè inter se; Statuitur ista conclusio contra recensitos Thomistas; est autem conclusio illa Scoti, & discipulorum eius. Probatur vero auctoritate Arist. recensita, etenim Arist. omne bonum amabile distinxit in bonum honestũ, vtile, & delectabile; vnicuique autem amori suum applicauit obiectum amabile, siue bonum; amori namque amicitiæ tribuit bonum honestum, ideoq; amor amicitiæ, nẽpe ordinatæ appellari etiam solet affectio iusti. amori autem concupiscentiæ tribuit pro obiecto bonum vtile, & delectabile; vnde immeritò, amor concupiscentiæ appellari solet affectio Commodi; sed bonum honestum distinguitur obiectiuè à bono delectabili, & vtili, ergo amor concupiscentiæ, & amor amicitiæ distinguuntur obiectiuè, & terminatiuè.

12 Secundo actus distinguuntur per obiecta; sed obiecta ista illorum amorum sunt distincta ergo ipsimet amores erunt distincti.

13 Tertio, amor amicitiæ sequitur regulam rationis rectæ, quia fundatur super honesto, & recto, quamdiũ amicitia est ordinata, & recta: amor autẽ concupiscentiæ, sequitur inclinationẽ naturalem, siue naturalem appetitum ad commodum & ad proprium vtile, atque delectationem; sed constat hæc omnia esse omnino diuersa, ergo erunt amores ipsi diuersi.

14 Quarto amor amicitiæ stare potest sine amore concupiscentiæ, ergo realiter distinguũtur inter se ipsos. Probatur antecedens, amore amicitię possum contemplari virtutem, & prętantiam alicuius obiecti, & in ipso mihi maximè complacere, virtutẽ eius admirari, atque ipsiusmet præstantia, & elegantia ordinatè condelectari; Et quidem hæc omnia, & similia non excedunt limites amoris amicitiæ; possum verò inde eidem amato obiecto, bona, honores, & diuitias affectare, siue desiderare; constabit vero hinc amores istos duos, tales esse, vt primus terminetur solummodo ad obiectum in se, absque eo quod eidem obiecto affectem, amando, bona aliqua, quæ tamen bona per distinctum actum subsequenter affectabo eidem amato obiecto, qui actus vocabitur amor concupiscentię, distinctus omnino à primo amore amicitiæ.

15 Quinto, amor amicitiæ prior est amore concupiscentiæ, saltem prioritate naturæ, & catenus, quatenus est prior, non dependet ab amore concupiscentiæ, ergo sunt omnino distincti. Probatur antecedens, quia prius contemplor, & admiror prętantiam, & excellentiam obiecti, in ipso mihi complacendo, ipsumque diligendo, & inde cupio, & affecto omne sibi bonum, siue vtile, siue delectabile.

16 Vltimo, amor amicitiæ est causa amoris concupiscentiæ; causa autem distinguitur realiter ab effectu, ergo amores ipsi distinguuntur realiter; Antecedens patebit ex conclusione sequenti, concluditur igitur, actus illos duos istorum amorũ, esse inter semetipsos distinctos, tùm realiter, tùm obiectiuè.

Amoris amicitiæ, & concupiscentiæ comparatio.

17 Tertia Conclusio, amor amicitiæ, & amor concupiscentiæ ita se habent.

bene, vt vnus sit causa alterius, & alter sit alterius effectus, ita etiam se habent, vt vnus virtualiter contineat alterum, atque denique ita se habent, vt vnus præsupponat alterum, licet non è conuerso. Probatur, ex amore amicitiæ oritur, vt obiecto amabili exoptem, & desiderem omne bonum; ergo amor amicitiæ causa est amoris concupiscentiæ. Probatur antecedens, quia, dato opposito, quod obiectum aliquod, vel odio prosequar, vel saltem non prosequar amore, vtique eueniet, vt nec illi bonum aliquod exoptem; igitur quod eidem bona exoptem, in causa erit amor antecedens amicitiæ, siue ordinatè, siue inordinatè, quo ipsum amabile prosequor. *Probatio amoris exhibitio est operis*, inquit Gregorius, igitur signum amoris amicitiæ, siue ordinata sit, siue inordinata, est exoptare, & desiderare bonum ipsi obiecto amato. Insuper, negato hoc signo amoris, vtique conqueritur contra amantem ipsa persona amata, siue nullũ æstimat erga se, in amante, experiri fidelem amorem: dum namque ostensio cessat, ac demonstratio amoris, nullus æstimatur adesse amor; ergo à primo ad vltimum, amicitiæ amor continet virtualiter concupiscentiæ amorem, atque est vera causa concupiscentiæ amoris. Denique amor ipse concupiscentię talis est, vt ipse inferat amorem amicitiæ loquendo à posteriori, siue manifestatiuè. Ratio est quia effectus infert suã causam, & nõ ab effectu licet colligere causam; sed amor concupiscentiæ est effectus amoris amicitiæ, vt diximus, ergo ex amore concupiscentiæ inferri potest amor amicitiæ, beneficia namque, & munuscula, siue honores, siue similia exhibita alicui ostendunt de persona beneficante, & exibente erga personam beneficatam animi propensionem, & amorẽ, quia probatio dilectionis exhibitio est operis, vt Greg.

Primũ peccatũ fuit superbia virtualiter.

18 Quarta Conclusio, primum peccatum Angeli, siue inordinatus amor amicitiæ mali Angeli erga se ipsum, poterit vocari superbia, non quidem propriè, sed solummodo impropriè, & virtualiter, ac originatiuè, & interpretatiuè. Conclusio hæc apertissimè & optimè explanat, & cõprobat doctrinam traditam Scoti, à qua conclusione nemo deberet dissentire, etenim adeo vera est cum tali explicatione, vt si eam perpenderent Thomistæ necessarium vtique esset, ipsam amplecti, ac similiter assentiri, vt nos dicimus. Probatur autẽ Primo, amor amicitiæ inordinatus circa se ipsum est causa appetendi præcellentiam, atque prædominium supra alios, ergo causaliter & virtualiter, atque originatiuè vocandus erit superbia. Antecedens de se patet, vt docet experientia.

19 Secundo, inordinatus amor sui causa est aspernandi, & contemnendi alios, qui vel morem sibi non gerant, vel ex opposito, eidem contrarientur; talis autem contemptus, & aspernatio proximi vera est superbia, ergo inordinatus amor sui est originatiuè superbia.

Amor sui est causa, [illegible] aspernandi.

20 Tertio, ex authoritate supra allegata, *Amor sui vsque ad contemptum Dei fecit ciuitatem Diaboli*, ergo inordinatus amor sui erit effectiuè superbia, quoniam inordinatè semetipsum amans extollit semetipsum supra alios, aspernando & contemnendo alios.

21 Quarto, liquido constat, quod amor inordinatus sui ipsius causa est, & origo malorum omnium, igitur causa erit, & origo superbiæ, ergo poterit idem amor inordinatus appellari interpretatiuè superbia, etenim virtualiter continet superbiam, & causa est, vt semetipsum inordinatè extollat supra alios, ergo à primo ad vltimũ, est concludendum, inordinatum amorem sui, solummodo effectiuè, originatiuè, & virtualiter esse superbiam, siue interpretatiuè. Addendum etiam, vt addit Bassolius *Concomitanter*. ratio est eadẽ, quia inordinatum amorem, concomitatur ipsa superbia; Vel denique concludendum, appellari posse superbiam non propriè dictam, sed impropriè, vt iam diximus. Ratio autem optima est, quia superbia propriè dicta est actus, & passio irascibilis, inordinatus autem amor sui non est passio irascibilis, sed spectat ad concupiscibilem, ergo non erit propriè, & formaliter superbia; nullus autẽ actus superbię oritur ex cõcupiscibili, loquẽdo directè primo, & per se, licet concomitetur, & subsequatur

Amor sui inordinatus est superbia concomitãter, & indirectè.

ad concupiscibile, ergo inordinatus amor non erit propriè superbia.

22 His actis, facile erit soluere argumenta pugnantia in oppositum, & quidem D. Thom. q. 63. art. 2. D. Bonauent. hoc in loco, Alex. Alens. 2. part. q. 97. membr. 2. cum plerisque Recentioribus autumant, primum peccatum fuisse superbiam; probant vero, tum Scripturarum, tum Patrum auctoritatibus: ait namque Isaias de Lucifero cap. 14. *Quomodo cecidisti Lucifer, qui dicebas in corde tuo, in Cœlum conscendā, detracta est ad inferos superbia tua.* Tob. 15. de superbia loquens, inquit, *In ipsa initium sumpsit omnis perditio,* Psalm. 73. habetur, *Superbia eorum, qui te oderunt ascendit semper.* Ecclesiastici 10. *Initiū omnis peccati superbia.* & August. 14. de Ciuit. Dei cap. 13. *Mala voluntatis initiū quid potuit,* inquit, *esse nisi superbia.* Idem repetit lib. 12. c. 7. D. Leo serm. 4. de collectis, *Inuentor ille,* inquit, *semper Diabolus auctorq; peccati, primum superbus, deinde inuidus,* hoc idem habet Bernardus serm. 17. in Cant. Ambr. psal. 39. & plerique alij.

Initiū omnis peccati superbia, declar.

23 Ad Patres, & Scripturas recensitas, respondet Bassolius, intelligi debere concomitanter, ratio est ex dictis, quoniam ad inordinatum amorem sui concomitanter sequitur inordinatus appetitus excellentiæ, supra alios, contra rectam regulam rationis rectæ, fuit ergo primum peccatū Angeli superbia quidem non formaliter, sed concomitanter.

24 Respondetur Secundo, superbiā non sumi specificè in hisce locis, quatenus speciale genus peccati cōstituit ex septem capitalibus, sed sumi solummodo genericè, atque in cōmuni, quatenus omnis qui facit contra Dei voluntatem, & contra legem rectam, dicitur aliquo modo se extollere contra ipsam legem Dei, & ita peccare ex superbia; verum ad rigorosam superbiā requiritur expressa voluntas sic inordinatè se extollendi; non enim sufficit voluntas implicita, siue virtualis, quia sequeretur omne peccatum esse superbiam, quandoquidem in omni peccato extollitur peccator contra legem Dei.

25 Tertio respōdet Fauentinus, primum peccatum esse superbiam terminatiuè, non initiatiuè. Sensus est, quia amor sui inordinatus terminabatur ad extollentiam sui ipsius supra alios, ideo terminatiuè solummodo fuit superbia, non autem initiatiuè; Verum obstat contra responsionem hanc auctoritas recensita Ecclesiastici dicentis, *Initiū omnis peccati superbia,* quod si superbia est initium, ergo etiam initiatiuè, primum peccatum erit superbia: Instantiam illam format Vulpes contra Fauentinum, ideoque responsionem suā nō amplectitur: Verū meminisse oportuerat quod ipsemet vbi supra, superbiæ peccatum non restrinxit in primo actu peccaminoso Angeli, sed in vlteriori subsequēte, vnde fit, vt neque primum actum ipse appellet superbiam; quod si primus actus per eum non est superbia, quomodo respondebit auctoritati recensitæ Eccl. *Initium omnis peccati superbia.* Item primum actum ipsius Angeli inquit ipse, vocari superbiam originatiuè, virtualiter, non autē formaliter, quod si concedit primum actum non esse formaliter superbiam, vtique coincidet cum ipso Fauentino, quod primum peccatū non erit superbia initiatiuè; verum quia optimum sensum habere potest Fauētini responsio, dicendo primum peccatum non fuisse superbiam initiatiuè, exponendo initiatiuè formaliter, sed solummodo initiatiuè virtualiter, ideo responsio Fauentini sic explicata currit: poterit vero idem Vulpes eundem sensum habere, sicque conciliari, quoniam ipsemet hanc eandem responsionem affert in substantia, & in sensu explicato, siue declarato.

26 Respondetur Quarto, primum peccatum fuisse superbiā, non formaliter, ex propriè, sed interpretatiuè, virtualiter, eminenter, originatiuè, siue effectiuè, & impropriè; Responsio hæc patet ex vltima Conclusione, & ex discursu totius quæstionis, quæ quidem vltimata responsio videtur vltra omnes, adæquata, & quietatiua.

27 Sed quid dicendum ad August. & quidē Scotus respondet in fine quæstionis sub lit. H. quod primum peccatum, ex mente Augustini, recensiti, fuit præsumptio, quæ quidem licet sit spe-

Præsūptio, arrogantia, & superbia an idem.

cies superbiæ, nihilominus non est species superbiæ propriè sumptæ, etenim præsumptio, & arrogantia terminatur ad personam in se ipsam inordinatam amatam, absque respectu præcellentiæ supra alios, & hoc fuerit primum peccatum Angeli, superbia verò relationem illam dicit præcellendi alijs.

28 Sed instatur contra hoc, quia præsumptio, & arrogantia opponitur humilitati, sed vitium oppositum humilitati est superbia, ergo præsumptio ergo præsumptio erit vera superbia.

29 Respondetur, quod præsumptio, siue arrogantia sic largè, & impropriè sumpta, non opponitur directè humilitati, neque formaliter, sed solummodo indirectè, interpretatiuè ac virtualiter, vt diximus; Ratio est, quia abstrahit à relatione excellentiæ super alios; Superbia autē strictè sumpta, ipsa est, quæ directè, & formaliter opponitur humilitati, quandoquidē sicut humilis gaudet, & gloriatur de sua subiectione, cōtemptu, & despectione, ita ex opposito, superbus gloriatur, & extollitur de excellentia atque inhibita eminentia supra alios.

30 Dices, temeritas, præsumptio, & arrogantia relationem dicunt ad alios; sed primum peccatum, concessum est fuisse præsumptionem, ergo erit vera superbia.

31 Responsio patet ex dictis, quoniam temeritas, arrogantia, & præsumptio, largè sumpta, abstrahit à tali relatione excellentiæ ad alios, consistit namque præsumptio in nimia complacentia de se ipso, prout docet August. 14. de Ciu. Dei cap. 13. inquiens, *Præsumptio est placere sibi*, & ideo in sacra Scriptura superbi dicuntur nimis sibi placentes; vnde est, vt ita sumpta abstrahat à relatione ad alios, & consequenter non sit propriè superbia.

Præsumptio quid sit.

32 Respond. Primo in omni actione, in qua nō adest conformitas ad regulam superiorem, adest quidē superbia, vel formaliter, vel saltem virtualiter, vel interpretatiuè. Respond. Secundo, quod ad peccatum veræ superbiæ, prout est vnum de septem vitijs capitalibus, requiritur voluntas explicita, & directa nolendi se subijcere regulæ superiori, atque desiderandi contra debitum rationis rectæ, præcellere alijs, & despicere cæteros: & tunc quidem habebitur verè, & directè peccatum superbiæ per talem voluntatem explicitam, & directam; cæterum, si adsit voluntas solummodo implicita, & indirecta, non poterit peccatū hoc appellari verè superbia, sed solummodo virtualiter, & interpretatiuè, vt diximus. Ratio est, quia sequeretur quod omnia genera peccatorum essent de genere peccati superbiæ, quia in omni peccato cuiuscunq; generis peccator abstrahit semetipsum à subiectione legis, & regulæ superioris, propriam voluntatem adimplendo, & postponendo voluntatem superioris, atque Dei, siue contemnēdo, & aspernādo tum ipsam legem, tum vero ipsum Superiorem; verum contemptus iste, aspernatio, atque negatio subiectionis ad legem superiorem est solummodo implicitè, & virtualiter in ipso peccato, siue interpretatiuè, quoniam verè, & directè talis peccans, non haberet voluntatem aspernandi Superiorem, neque voluntatem contemnendi, nec desiderium semetipsum eximendi à lege Superioris; sed si quando peccat non vtique tali proposito peccat, sed peccabit potius ex fragilitate, vel ex animi, & sensus imbecillitate, vel graui ductus, & oppressus tentatione; ad superbiam autem verè dictam requiritur contemptus explicitus, atque voluntas explicita, & directa nolendi se subijcere, regulæ superiori, cum alijs, quæ diximus hucvsque. Ad confirmationem patet responsio ex dictis.

In omni actione non cōformi ad ad regulam superiorē, adest superbia, declar.

Ad superbiā quid requiritur.

33 Congerit Scotus argumenta plura circa hoc, quorum multa facilia sunt, & soluuntur ex dictis, at aliqua difficiliora afferemus & sunt hæc. Et quidem Ioannes in sua Epistola diuidens peccata omnia reducit ea ad tria capita; ait namque, *Omne quod est in mundo, aut est concupiscentia carnis, aut concupiscētia oculorum, aut superbia vitæ*, sed Angeli nō peccauerunt concupiscētia carnis, nec cōcupiscētia oculorū, ergo peccauerunt superbia vitæ.

34 Item in anumeratione peccatorum mortalium, primum locum tenet superbia, ergo primum peccatum est omnino superbia. Præterea amor natu-

naturalis sui est bonus ex genere, ergo Angelus amando se ipsum, non peccauit.

35 Respondetur ad Primum, Ioannem loqui de hominibus, in quibus communiter ita accidit, vt ipsorum peccata contineantur in illo ternario; & hæc est prima responsio Scoti. Respondet Secundo, verum peccatum Angeli non fuisse concupiscentiam carnalem, vt diximus, sed si peccatum Angelorum reduci debet ad hunc ternarium, vtique deberet reduci ad concupiscentiam oculorum, ad quam spectant immoderati appetitus alicuius pulchri visibilis: ita & in Angelis ad concupiscentiam oculorũ debet spectare immoderatus appetitus rei delectabilis; Per oculos autem Angelicos intelligi debẽt oculi intellectuales Angelorum, carent enim oculo corporeo, & præditi sunt oculo intellectuali.

Peccata mortalia an sufficienter enumerata.

36 Ad Secundum ait, diuisionem illam esse insufficientem, vnde est, vt primo loco apponi debeat inordinatus amor sui, ex quo originem trahunt inde cætera peccata: Item, per reductionem spectat ad concupiscentiam, & vt sic, numerus erit sufficiens.

37 Ad Tertium dicitur, quod licet, ex genere suo, amare se ipsum, non sit contra rationem rectam, nec contra legem, nihilominus ex concurrentia circumstantiarum, euenire poterit, vt talis amor contra legem euadat, atque fiat peccaminosus: dum namque inordinatè amat quis semetipsũ, talis amor est inordinatus, & peccaminosus, vt patet ex August. pluries recensito.

38 Scotus in decursu argumentorum perpendendo sententiam recensitam Psalm. 73 dicentis, *Superbia eorum, qui te oderunt ascendit semper*, quærit, vtrum verè Deus possit obiectum esse odij, ita vt verè dicatur posse creaturam odisse Deum, siue nolle esse Deũ; & quidem, negatiuè videtur respondendum; Ratio est, quia sicut nihil potest esse obiectũ volitionis, & amoris, nisi habeat rationẽ boni, ita nihil potest esse obiectum nolitionis, & odij, nisi habeat in semetipso aliquam rationem mali: sed Deus est vndequaq; bonus, ergo potest Angelus, siue peccator Deum ipse odisse. Quod si dicas, peccatorem odisse Deum ratione iustitiæ, & vindictæ, quam contra ipsum exercet. Respondet Scot. iustitiam illam siue vindictam non habere rationem mali, sed boni, licet namque in effectu iustitiæ appareat aliqua ratio mali, nempè mali pœnæ, non tamen ratio aliqua mali reperitur in Deo, hinc fit, vt concludat ipse Scotus, neq; Deum, neque iustitiam esse posse obiectum odii secundũ se, nihilominus oderunt superbi ipsam iustitiam quantum ad effectum, qui est vindicare, & punire peccata iniquorum, vnde est, vt non dicãtur odisse Deum, & iustitiam eius, quantum est ex parte Dei, & iustitiæ, quia tùm Deus, tùm iustitia eius continent summam bonitatem & rectitudinem, sed dicantur odisse quantũ est ex parte effectus, qui est punitio, & vindicta, quæ est malũ pœnæ, quam nollent ex parte sui, esse in rerum natura, & vt sic currit dictum Psalmi, *Superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper*. De quo alia alibi.

An Deus esse possit obiectum odij.

QVÆSTIO III.

Vtrum Lucifer potuerit appetere æqualitatem Dei.

1 COmpertum fuit in præcedentibus, primum peccatũ Angeli fuisse inordinatum amorem amicitiæ erga seipsum, seu luxuriam quandam spiritualem; verum quia post amorem amicitiæ subsequi solet amor concupiscentiæ, hinc fit, vt postquam Angeli primo amore peccauerunt, dicendum sit consequenter peccasse amore concupiscentiæ, appetendo sibimetipsis ea, quæ sibi consentanea videbantur, & vtilia; Cæterum,

quænam

quænam fuerint hæc ipsa, vtrû potuerit appetere æqualitatem Dei, vel appetierit beatitudinem, siue naturalem, siue supernaturalem; siue appetierit præcellere alios, vel quid simile, vtrique hæc omnia sunt discutienda, ordinatè tamen procedendo, discurremus per singula iuxta propriam speciem.

2 Primò autem quod quærimus, erit inuestigare, vtrû potuerit Angelus malus diuinã appetere æqualitatẽ, siue esse Deum, ex cuius quæstionis decisione poterimus inde facilius peccata inuestigare Angelorum.

3 Fuit opinio D. Thomæ, & Thomistarum, non potuisse Angelum appetere æqualitatem Dei, siue similitudinem Dei in natura, sed solummodo appetere potuisse similitudinem Dei in perfectionibus aliis, non autem in æqualitate naturæ, & ita explicat illud Isa. 14. *Ero similis Altissimo*, vnde concludit non potuisse appetere similitudinem in natura; eadem quoque fuit sententia Alensis 2 par. q. 98. memb. 3. Durand. dist. 5. ipsiusmet D. Thomæ q. 63. art. 3. referemus autem fundamenta ipsorû, & inde procedemus ad corpus quæstionis.

4 Penès autem Scot. dist. 6. q. 1. vbi rem hanc agitat, ista sunt Thomistarû argumenta ordinatè. Primò, intellectus in intelligendo summum rerum, non errat, ergo voluntas in amando summum bonum, non peccabit; sed æqualitas Dei est summû bonum, ergo si Angelus appetere potuisset æqualitatem Dei, non peccasset, hoc autem est falsum, ergo non potuit appetere æqualitatem Dei.

5 Secundò, Angelus malus non peccauit ex passione, neque ex ignorantia, quia ignorãtia est pœna, & pœna non antecedat culpam, ergo peccauit ex electione, sed *electio non est impossibilium*, ex 3. Ethic. cap. 5. æqualitatem verò Dei posse consequi est impossibile, ergo non potuit appetere eam. Tertiò appetere æqualitatem Dei, includit contradictionem, ergo nô est appetibilis æqualitas Dei. Anteced. probatur, appetere esse æqualem Deo idem est, ac appetere non esse simpliciter; probatur, quia creatura non potest esse Deus, nisi priùs destruatur in esse creatura, & inde fiat Deus, ergo à primo ad vltimum, appetere esse æqualem Deo, est appetere esse, & non esse, & ita est appetere contradictionem. Quartò, nihil potest voluntas velle, nisi fuerit præostensum ab intellectu, quoniam teste Arist. *Voluntas non fertur nisi in præcognitum*, ergo deberet æqualitas Dei præostendi voluntati Angeli ab intellectu eiusdem Angeli, tunc autem quæro, aut præostenderetur ab intellectu errante, aut non errante, non Primum quia sequeretur, quod pœna antecederet culpam, etenim ignorantia, & error est pœna culpæ; neque Secundum, quia intellectus non errans, nô potest præostendere id, quod includit contradictionẽ, seû id, quod est impossibile, ergo nullo modo potuit præostendi ab intellectu, & nullo etiam modo potuit appeti à voluntate. Vltimò fundatur super authoritatem Anselmi confirmantis tertium argumentum ex dictis, ait autem Anselmus in lib. de casu Diaboli cap. 4. *Angelum esse æqualem Deo, includit Angelum non esse, quia Angelus non potest esse Angelus, nisi sit inferior Deo*, sed nullus potest appetere seipsum non esse ex August. lib. 3. de libero arbitrio, igitur nullus inferior Deo potest appetere esse æqualem Deo. hæc sunt præcipua Thomistarum fundamenta, & argumenta. Confirmatur ex eodem Anselm. lib. de similitud. cap. 6. vbi ait, *Si Beato Petro par esse volueris, eris in gloria Dei, quia vt Petrus sit in persona tua, non poteris, nam hoc si velles, te ipsum nihil esse velles, quod velle nequibis*.

6 Opposita, & communior est, atq; etiam verior videtur esse affirmatiua sententia, potuisse malû Angelum appetere æqualitatẽ Dei. Huius Auctor est Scotus loco citato, quem etiam sequuntur plurimi ex Recentioribus: Vt verò sententia præsens, & facilius sustineatur, atque occurri possit efficaciùs argumentis oppositis notandum fundamentum vnû, id verò est, quod voluntas duplicem experiri solet actum volendi, alia namque est volitio simplex, siue complacentiæ, alia vero est volitio efficax. exemplum volitionis vtriusque de infirmo, siue de infirmis duobus, quorum alter de sanitate desperet,

speret, alter verò spem habet de sanitate adipiscenda; Et quidem loquendo de infirmo sanitatem sperante, dicitur sanitatem velle voluntate efficaci, ratio est, tùm quia sanitas est omnino sibi possibilis, tùm etiam quoniam media exercet, & instrumēta adhibet, siue viam sternit, & præparat ad sanitatem ipsam infallibiliter capessendā, loquendo autem de infirmo, altero de sanitate desperante, vult quidem eam, at volitione solummodo complacentiæ, siue volitione simplici, non autem efficaci, etenim complacet sibi omnino in sanitate ipsa, quam & appetit, & affectat volitione simplici, non autem efficaci, quia verò impossibile est ipsā assequi, ideò de ipsa desperat, ac inde fit, vt media nō exquirat, nec viam aperiat, nec instrumenta adaptet ad ipsā assequendam, vnde vltimo deficit in ipso voluntas omninò efficax, & absoluta ad sanitatem ipsam consequendam.

Circa obiectū impossibile ao posse esse meritū, & demeritum.

7 De voluntate tali complacentiæ subdit Scot. ipsam sufficere ad meritū, & demeritum, licet namque res concupita sit aliquando impossibilis, nihilominùs quia voluntas sibi in ea complacet inordinatè, & iniustè, contra rationem rectam, ideò ex tali volitione simplici inefficaci, & complacentiæ potest demereri, & peccare; sicut ex opposito posset mereri, atque virtuosè agere, complacendo circa tale obiectum complacentia, & amore ordinato, & casto, licet obiectū tale sit impossibile.

Electio duplex.

8 Fundamentum aliud ex eodem Scoto elicitur; qui loquendo de electione, ait, electionem æquiuocè accipi, vel enim electio importat actum voluntatis consequentem solummodo simplicem, atque plenam apprehensionem intellectus; vel secundo sumitur electio pro actu voluntatis, consequente conclusionem syllogismi practici; loquendo de prima volitione, siue de prima electione, non implicat, talem electionem esse impossibilium, potest namque voluntas ita velle, atq; eligere, volitione tamen inefficaci, volitione simplici, atque volitione solius cōplacentiæ, id, quod ab intellectu erit præostensū, licet id sit omninò impossibile; & de hac volitione, siue electione intelligendus est Arist. loco citato, *Volitionem posse esse impossibilium*; loquendo autē de secunda, omninò implicat esse impossibilium, ratio est, quia dum obiectum est impossibile, non poterunt per consequens adaptari media, quæ sint efficacia ad eius consecutionem, & hinc est, vt voluntas non possit obiectum tale velle, neque eligere volitione, & electione efficaci, postquā namque intellectus ostenderit voluntati, mediante syllogismo practico, non posse Chimæram reperiri à parte rei, non poterit quidem voluntas habere circa tale impossibile obiectū, electionem, atque volitionem efficacem, & ita intelligitur idem Arist. dum ibidem ait, *Electio non est impossibilium*; quia tamen intellectus præostendit voluntati primariò obiectum tale impossibile, licet non sub ratione impossibilis, neque etiam sub ratione possibilis, sed abstrahēdo à ratione possibilis, & impossibilis, voluntas quidem sequens istam simplicem primam apprehensionem intellectus, potest circa tale obiectum apprehensum habere actum cōplacentiæ, & ita potest illud eligere.

Electio est impossibilium.

9 Denique adnoto, diuersimodè discurrendum esse de volitione, & de electione, nam electio nusquam potest esse impossibilium, ratio, quia sequitur syllogismum practicum: ita est: quia electio est actus voluntatis efficacis, & ita loquitur Arist. at volitio potest esse impossibiliū, loquendo de conditionata, & inefficaci, & hoc nō negat Arist.

Electio, & volitio distinguuntur

10 His habitis, statuitur conclusio, potuisse Angelum malum appetere diuinam æqualitatem, non tantum per imitationem, vt Aduersarij dicunt, verum etiam per essentiam; Probatur autem Primò.

11 Ens, vt ens, est obiectum voluntatis, ergo volūtas potest circa ens habere omnem actum, tùm amoris amicitiæ, tùm concupiscentiæ, sed Angelus potest amare seipsum amore concupiscentiæ, concupiscendo, & appetendo sibi omne ens bonum concupiscibile, sed æqualitas Dei est ens bonum concupiscibile in se, ergo Angelus potuit sibimet tale bonum concupiscere, ergo à primo ad vltimum potuit æqualitatem Dei concupiscere.

12 Re-

12 Respondent Aduersarij, & præcipuè Caiet. negando, ens vt ens esse voluntatis obiectum. Respondent Secundo, ens vt ens non esse obiectum amoris amicitiæ, quia Arist. 8. Aethic. cap. 2. ait, *Non esse amicitiam ad inanimata*. Respondẽt Tertio quod ad hoc, vt aliquid esse possit obiectum amoris amicitiæ requiritur, vt illud sit ens possibile existere, & consequi, sed æqualitas Dei possibilis non est, vt eam consequatur Angelus, siue alia creatura.

13 Responsiones illæ non soluunt argumentum; & loquendo de prima, oppositum eius demonstratur à Scoto in 1. dist. 3. q. 4. loquendo etiam de secunda non negat Arist. *res inanimatas amari posse amore concupiscētiæ*, etenim amamus ipsas, vt solet, amore tali, quatenus nobis commoda sunt, & vtilia, vt domum ad habitandum, vestem ad ad operiendum, & similia, negat autem Arist. hęc non amari ex alijs capitibus, & Primo non amari secundum se, etenim non amamus domum secundum seipsam, sed quatenus commoda est, atque vtilis ad inhabitandum: Secundo caeteras non amantur, quatenus res ipsæ inanimatæ non rependunt amorem: vnde est, vt non amentur amore vicissitudinis, nõ enim domus amata, siue res aliæ inanimatæ vicissitudinem rependunt amoris ergà amantẽ, carent enim intellectu, voluntate, & sensu: cæterum hæc omnia, sicut & alia amari possunt amore concupiscentiæ, siue amore commodi, vt constat ergo concluditur, omne ens amari posse suo modo. Tertia etiam responsio nihil valet, constat autẽ ex prænotatis, quod voluntas, teste Arist. potest etiam esse impossibiliũ, igitur, licet ex se, impossibilis sit diuina æqualitas creaturæ, nihilominus potest etiam voluntas appetere volunntate illa complacentiæ conditionata, inefficaci, vt est dictum.

Amicitia ac esse posse ad res inanimatas.

14 Secunda ratio; non est impossibile, Angelum appetere æqualitatem Dei, ergo potuit ipsam appetere, patet antecedẽs ex 3. Aethic. supra allegato. Ad hoc secundum argumentũ respondet Caiet. distinguendo de duplici impossibili, aliud namque appellatur impossibile per se, & aliud impossibile per accidens, loquendo, de Primo, ait nullo modis appeti posse, vt puta Deum non esse, siue Deum non esse immortalem, quod quidẽ est impossibile per se; loquendo autẽ de Secundo, inquit, appeti posse, vt amicum non esse mortuum, impossibile est, nihilominus est impossibile per accidens, quia per Dei potentiam poterat non mori, & hoc quidẽ potest appeti, & desiderari, nempè non esse mortuum amicum; cum verò Arist. inquit, voluntatem esse etiã impossibilium, loquitur de impossibili per accidens, non autem de impossibili per se, constat verò æqualitatem Dei esse impossibilem per se, & hinc fit, vt non possit appeti, & desiderari, sicut neque potest volũtas desiderare, Deum non esse, siue Deum non esse immortalem, & similia: Neque responsio hæc euacuat argumentum, & quidẽ Deum non esse, est impossibile per se, & nihilominus damnati appetunt Deum non esse, vt ex sequenti argumento constabit, ergo falsa responsio.

Impossibile tum per accidens, tum per se appeti potest.

15 Vnde arguitur Tertio, appetunt damnati, Deum non esse, sed impossibile est Deum non esse, ergo damnati appetunt id, quod simpliciter non potest esse, sed æqualitas Dei est simpliciter impossibilis in Angelo esse, ergo potest appetere Angelus æqualem esse Deo; antecedens constat ex Psalm. 73. *Superbia eorum, qui te oderũt, ascendit semper*; igitur damnati oderunt Deum, sed odio habens rem aliquam, vellet rem ipsam odio habitam, nõ esse, ergo damnati volunt absolutè Deum non esse, sed hoc est impossibile, ergo etiam potest Angelus appetere æqualitatẽ Dei, quod est impossibile. Ad rationem istam respondent, damnatos odisse Deum non in se, neque gratia sui, sed ratione effectus, nempè vindictæ, & iustitiæ, quam nollent Deum exercere circa ipsos, prout nos etiam de mente Scoti explicuimus in fine quæst. præcedentis; hoc autẽ dato, sequitur, quod sicut Deus secundũ se non potest odio haberi, ita neque secundum seipsam poterit appeti æqualitas Dei, & desiderari. Neque denique responsio ista euacuat argumentum, & quidem licet de facto ita eueniat, nihilominus nihil implicat, vt peruersa volũtas velit omnino destructionem, & annihilationem Dei,

Ex parte bonitatis Dei neque odio haberi potest, tamen ex parte peruersæ voluntatis.

Dei, licet namque ex parte Dei, quatenus continet omne bonum, implicet dari odium Dei, tamen voluntas creata, quantum est ex parte sua, nulla est implicantia, vt stante sua pertinacitate, velit Deum destrui, & non esse. Insuper adeò crescit peruersitas, & pertinacia damnatorum, vt censeondi sint, quatenus est ex parte eorum, appetere, & velle destructionē totius Orbis vna cum destructione, & annihilatione ipsiusmet Dei. Denique idē Arist. 3. Ethic. cap. 2. differentiam admittēdo inter electionem, & voluntatem, ait, *Electionem non posse esse impossibilium*, quoniam si quis consequēs conclusionem syllogismi practici, eligeret aliquod falsum, & impossibile, vtique esset stultus, & amens, non enim impossibilia digna sunt electione, loquendo autem de voluntate, docet ipsam posse esse impossibilium, vt etiam patet ex supradictis; Quod si ita est, vt in potestate voluntatis sit velle, & appetere impossibilia, cur implicabit voluntatem angelicam velle, & appetere potuisse æqualitatem, quæ tamen est omninò quid impossibile.

Immortalitas appeti pōt ex Arist. licet putans esse impossibilem.

16 Ad hoc affert exemplum Arist. de immortalitate, quæ quidem potest appeti, & desiderari, & nihilominus hominem esse immortalē est apud Arist. omninò impossibile, quia non cognouit, posse per diuinam Potentiam hominē præseruari à mortalitate per gratiam, sicut ex opposito per peccatum incidit in mortalitatem; ergo similiter de Angelo, licet impossibile sit esse Deum, potuit tamen appetere, quantū erat ex se, esse Deum.

17 Suarez lib. 7. cap. 12. occurrit, nil posse appeti, nisi sub ratione conuenientis; hæc verò non poterat conuenire Angelo, nempè diuinitas. Item nil potest appeti, nisi sub ratione boni, & commodi appetenti; Diuinitas autem non erat sic commoda, nec bona Angelo. Ad hæc respondetur, vtiquè appetentem talem habuisse pro obiecto rem bonam, nempè diuinitas est bona, & optima, ac propterea Ezech. 28. ad Luciferum loquens, ait, *Dixisti, Deus ego sum*. Ad illud autem de commodo, & conuenienti, dicendum, quod licet inconueniēs sit creaturæ diuinitas, vtpotè minimè debita, tamē Lucifer ipsè existimabat eam fore sibi conuenientem, immò præ cæteris creaturis sibi debitam; & eiusdem principij, eademque passione ductus, existimauit eam fore sibi commodam; Hæc quidem omnia, si considerentur secundum se, vtique inconuenientia sunt ipsi Angelo, tanta autem erat mentis suæ peruersitas, vt hæc non existimauerit eo modo, quo debuisset, sed cōtrarie iudicauit, iuxta prædominium propriæ affectionis; Et hoc apertè indicauit Nazianz. orat. 27. de Lucifero, inquiens, *Indignum atque intolerandum ducebat, sic, cum diuinus esset, non Deum quoque existimari*.

Lucifer diuinitatem appetijt, & existimauit sibi commodam, ac debitam.

18 Vltimò arguitur authoritate Aug. in lib. 83. quæstionum q. 30. vbi ait, *Voluntas potest vti fruendis, & frui vtendis*; ergo voluntas creata potest frui semetipsa; ergo Angelus poterit frui se ipso; cum autē non debeat frui creatura, nisi summo bono poterit cōsequenter sibimet concupiscere tantū bonum, quantū reperitur in ipso summo bono, sed hoc summum bonum est diuinitas, ergo potuit appetere diuinitatem. Confirm. magis est frui, quam appetere; potest frui ex Augus. ergo & appetere.

Voluntas potest vti fruendis, & frui vtendis.

19 Accedunt alij, & in primis Celens. lib. de Pan. cap. primo ait, *Fortè omnipotentiam Patris, & fortè bonitatem Spiritus sancti illa bestia voluit deuorare*, licet autem loquatur dubitatiuè per *fortè*, nihilominus absque hæsitatione loquitur Chrysostom. hom. 3. de verb. Isaiæ, Dei, inquiens, *Operauit æqualitatem*; Ambrosius in Psalm. 118. *Sic se exaltauit, vt vellet æquari Altissimo*. Ac demum Nazianz. orat. 27. de Lucifero, ait *Indignum, atque intolerabile ducebat, non Deum existimari*. Sententiam istam sequitur Gabriel Bassol ad locum citatū Scoti, & ex recentioribus, Vasq. 1. par. disp. 234. Molina q. 63. mem. 3. Becan. tract. de Angelis cap. 4. q. 5. ac deniquè Suarez in fin. à num. 14 ad 29. Ne verò videatur appetere potuisse solummodo æqualitatem quoad imitationē, & non quoad Naturam, adest Vgo Victor inquiens, *Similis esse voluit Altissimo non per imitationem, sed per æqualitatem*.

20 Respondendo autem ad argumenta

menta, dicimus ad Primum, quod eodem modo se habet voluntas, siue eodem modo potest se habere in appetendo, sicut se habet intellectus in intelligendo; Verùm quia potest quandoque intellectus intelligere verū, quod nullo modo competat obiecto alicui, de quo intelligat illud verum, ita quoque poterit voluntas appetere bonum alicui, cui nullatenus competat illud bonum; in quo casu, vtraque potentia errabit, non intelligendo, nec appetendo verum & bonum in ordine ad obiectum, cui deberet competere, & nō alij; quod quando si ē contra, intelligeret intellectus verum competere secundo obiecto, cui debet competere, & voluntas appeteret bonum, cui deberet competere, tunc nulla potentia errabit; his tamen non obstantibus, sicut intellectus aliquando intelligit verum de obiecto, cui non competit tale verum, ita voluntas appetere ex se, potest bonum alicui obiecto, cui ex sui natura non possit cōpetere tale bonum; sic est de Angelo, qui potest intelligere, & appetere bonū æqualitatis Dei sibimet ipsi, licet nullatenus sibi conueniat, nec deceat ipsum.

Intelligi, & appeti potest ex parte potentiæ, quod non competit obiecto.

21 Ad Secundum respondemus ex supradictis, electionem impossibilium, quatenus namque subsequitur simplicem, ac plenam operationem intellectus, posse quidem esse impossibiliū, quatenus vero subsequitur conclusionem syllogismi practici, non posse esse impossibilium. Vel etiam respondetur, obiectum impossibile posse appeti voluntate conditionata, non absoluta, siue voluntate complacentiæ, non autem voluntate determinata, fixa, atque immobili, siue denique volūtate inefficaci, non efficaci; siue sub aliis terminis, impossibile potest appeti non voluntate, sed velleitate; Ratio omnium est, quia modus talis appetendi non attingit obiectum apprehensum, & volitum vna cū ipso appetente, vnde fit, vt quantū est ex parte potentiæ, possit hoc modo agere, ac placere, & ita experientia docet, sæpissimè contingere in nobis, etenim sæpe sæpius appetere solemus, & velle impossibilia, prout vnusquisque in se ipso experitur, nihilominus appetentia talis est omninò inanis, sterilis & inefficax, vnde fit, vt modus talis impossibilia appetendi sit omninò possibilis ex parte potentiæ appetentis.

Voluntas an impossibilium.

22 Respondetur ad Tertium, quod licet ad esse æqualem Deo, sequatur nō esse sui, nihilominus voluntas potens est, vt possit velle vnum sine altero, potest namque velle antecedens sine consequenti, præcipuè quando consequens non est de intrinseca ratione antecedentis; & ita inquit Scotus, posset voluntas appetere Episcopatum sine sacerdotio, complacendo sibi in appetitu dignitatis Episcopatus, & renuendo onus Sacerdotij; ex quo sequitur, vt posset appetere malus Angelus esse Deum per naturam, absq; eo, quod appetat, & velit destructionem sui esse, ratio est, quia non solum intellectus est abstractiuus, intelligens vnum sine altero, verum etiam similiter volūtas est potentia abstractiua volens vnum sine altero. Responsio hæc sufficiens est, verū quia obstat Anselmus in vltimo argumento recensitus, ideò Scotus iterum respondendo subdit, quod voluntas ordinata nō potest appetere destructionem sui, namque contra ordinem legis, & rationis, quod si loquamur de voluntate obliqua, & inordinata, non implicat, vt in simili casu possit appetere destructionem sui, quia ex appetitione alicuius antecedentis, sequitur necessariò destructio sui, & ita Angelus ex appetitione æqualitatis Dei, appeteret destructionem sui, voluntate nihilominus inordinata. Verum prior responsio est magis adequata.

Voluntas est potentia abstractiua.

23 Idem etiā Scotus aliter respondet, quod voluntas posset consequēter velle se non esse, ratio est, quia omnis, qui peccat, vult se eximere à subiectione Dei, qui autem sic agit, vult, consequenter se nō esse, quoniam quicquid est in mundo, vel est Deus, vel creatura subiecta ipsi Deo; ergo creatura, cum non subiicitur Deo, non erit amplius creatura, & ita non habebit amplius suum esse; verum verò posse aliquando destructionem sui sic appeti. Responderi potest ex eodem Scoto, non posse directè hoc appeti, quia insitū est à natura cuicumque rei, appetere conseruari in suo esse; & Apostolus inquit, Ne-

Destructio sui ipsius, an possit appeti.

mo vnquam carnem suam odio habuit, sed semper fouet, & nutrit illam; potest nihilominus id appetere ex adiuncto, & indirectè, nempè ratione maioris commodi, & maioris boni, quod sequeretur sibi ex destructione absoluta sui esse. Doctrina hæc tùm in terminis, tùm & in ipsamet experientia recipitur, & cō-probatur, & quidem de damnatis aiunt Theologi in 4 dist. 49. non posse appetere destructionem sui esse affectione iustitiæ, sed appetere id solummodo affectione commodi, & hoc idem est, ac dicere non appeti directè propriam destructionem, sed indirectè, & ex adiuncto, ratione quidē maioris commodi, quod ex tali appetitione subsequitur, & adiungitur; vellent namque extrà de illa perenni miseria damnationis, & punitionis æternæ; & ratione istius commodi, siue adiuncti, appetunt ipsi destructionem sui esse; Experientia etiam id comprobat, quoniam non solum desiderio, & affectu appetiuerunt quamplurimi propriam mortē, verum etiam & ex ipsa sibimet intulere, aquis se præfocando, præcipitijs se collidendo, siue consimili mortis genere se interimendo; hinc est, vt potuerit Angelus destructionē appetere sui, non absolutè, & directè, sed ratione adiuncti, siue maioris commodi consequentis, nempè euadendi alterum Deum; Et quidem idem Paulus, si aliquando dixit, *Cupio dissolui*, nempè mori, nihilominus statim subiunxit, *Et esse cum Christo*, non autem absolutè, & directè destructionem suimet ipsius appetebat, id, quod clariùs alibi expressit dicendo, *Nolumus expoliari, sed superuestiri*, non appetimus expoliationē vitę absolutè, & directè, sed eatenùs, quatenùs per talē vitę expoliationē speramus supernaturali veste gloriæ æternæ superuestiri; sed hæc, quia non faciunt pro præsenti loco, ideo ad materiam de Beat. dimittimus. Quo etiam spectat illud Eliæ, *Tolle tolle hanc animam*, ad euitandam quippè persecutionem Iezabelis, & Psalm. 17. *Educ de custodia*, nempè de hoc corpore, *animam meam*: & subsequitur causa, & finis, nempè, *Ad confitendum nomini tuo: me expectant iusti, donec retribuas mihi*.

Mors appetitur nō gratia sua, sed melioris cō-modi.

24 Animus autem vltimo argumento allatus, ita intelligendus venit in vtraque sui sententia.

25 Respondemus ad Quartū, æqualitatem Dei præostendi voluntati ab intellectu non errante; Ratio est, tum quia ante peccatum nulla præcessit ignorantia, etenim pœna antecederet culpam, vt probat argumentum; tum etiam, quoniam circa primam operationem intellectus non contingit error, nec veritas, quandoquidē falsitas, & veritas sunt conditiones intellectus componentis, & diuidentis, & ita veritas, & falsitas spectabit ad secundam operationem intellectus. Concluditur itaque non præostēdi ab intellectu errante, sed sufficit, vt apprehendat intellectus per simplicem apprehensionem, tùm æqualitatem Dei, tùm Angelum, ad hoc vt possit appetere æqualitatem Angelus; sicut potest intellectus apprehendere terminos istos simplices, albedinem, & Coruum simplici apprehensione intellectus, & poterit deinde voluntas appetere albedinē Coruo; simplex autem ista apprehensio terminorum istorum æqualitatis, & Angeli, sufficit, vt voluntas comparare possit inter seipsos terminos illos, est namque voluntas potētia collatiua, & comparatiua vnius cum altero, sicut est quoque intellectus potentia comparatiua in secunda operatione intellectus obiecti vnius cum altero, & ita concluditur, quod stante tali simplici terminorum ostensione facta ab intellectu non errante, poterit voluntas volitione comparatiua vnum obiectum componendo cum altero, complacere sibi, atque appetere æqualitatem Dei.

Veritas, & falsitas ad intellectum spectat componentem, vt de S. 1. dist. [illegible] Thom. q. 1. de veritate.

Voluntas potentia collatiua.

26 Dices, voluntas complacentiæ, siue voluntas conditionata non est sufficiens ad peccatum; Angelus autem peccauit sic appetendo, ergo non potuit habere voluntatē talem. Respondetur assumptum esse falsum, & oppositum docet experiētia, quia etiam circa ea, quorum oppositum nō eueniet, neque poterit euenire, contingit voluntatem posse peccare, etenim iustus iam iustificatus, & in gratia Dei persistens, vellet nunquam peccasse in præteritum, & nihilominus id adeò abijt in præteritum, vt in sensu composito non possit non esse; ex tali autem vel-

Voluntas cōditionata sufficiēs ad peccandū, & merendū.

leitate

[illegible]litate adipiscitur nouum meritum, & consequitur nouum gratiæ incrementum ipse iustificatus peccator; sicut etiam ex opposito vellet peccator aliquo peccati genere se ipsum coinquinare, de quo tamen certum habet apud semetipsum impossibile esse tali frui posse re concupita; impossibilitas autem illa non implicat, ipsum denuò peccare; sufficit autem ad peccandum, saltem in semetipso, complacentia, vel leitas, atque quantum est ex parte sua, propositum, & voluntas conditionata ita peruersè agēdi, si possibilitas foret, ait namque Christus Dominus, *Quicunque viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est in corde suo*, concluditur ergo conditionatam voluntatē sufficere, siue voluntatis complacentiam sufficientē esse ad peccandum, habet namque voluntas conditionata, siue voluntas complacentiæ plenitudinem libertatis ad agendum, vt placet, & hæc sufficit ad peccandū.

An de facto appetierit.

27 Quæstio hucusque processit de possibili; At quid de facto, vtrum verè appetierit; Patres citati ita loquuntur, fundanturque in Isai. 14. *Ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo*: Ezech. 28. *eleuatum est cor tuum, & dixisti, Deus ego sum*; quod ex resistentia Luciferi nata à Michaele comprobatur, dixit enim aduersus eū præliando, *Quis vt Deus?* vnde & nomen sortitus fuit *Michaelis*, quod idem importat, ac *Quis vt Deus?*

28 Sequuntur Gabr. eadem dist. q. 1. art. 3. dub. 2. Bassol. q. 1. art. 1. Vasq. disp. 234 cap. 2. & Suarez vbi sup. addîtque Valentia q. 14. punc. 3. certum esse non hoc modo peccasse, licet Vasquez neget certum esse. Ipse quoque Scotus in 3. d. 34. q. vnic. litt. L. dubitatiuè loquitur, siue spectandis posse, siue factū, ait enim, *Licet aliquis posset simplici volitione velle impossibilia, quomodo fortè peccauit, vel peccare potuit primus Angelus, volendo æqualitatem Dei*. Nihilominus in propria quæst. Secūdi sententiarum agitat quæstionē de possibili, non de facto, & de possibili resoluit affirmatiuè, non de facto; Quod si verbum aliquod penès eum reperiatur redolēs factum, id putandum est calore potius disputationis irrepsisse, quam voluntariè dictū fuisse. Nec locus Tertij sent. obstat, etenim non est ille locus huius disputationis, sed obiter dixit ad mentem aliorum, cum tamen ipse proprio marte in secūdo assertiuè affirmauerit.

QVÆSTIO IV.

Vtrum Angeli in via potuerint, & Dæmones nunc possint peccare venialitèr.

1 DE bonis, & malis Angelis agitur de illis in via, de illis in termino, an potuerint illi tunc, & possint isti nunc peccare solummodò venialitèr. Alensis 2. p. q. 103. memb. 4. art. 3. & D. Thom. 1. 2. q. 89. art. 4. de bonis aiunt non potuisse peccare venialitèr, sed omnino mortalitèr. Probatur Primo, vltimus finis Angeli peccantis est mortalitèr malus, ergo non potuit, nec potest nunc malus peccare nisi mortalitèr. Secundo, maior est perfectio Angeli, quā hominis in primo statu suæ constitutionis: sed Adam in statu innocentiæ non potuit peccare venialiter, ergo nec Angelus in statu conditionis suæ, seū in puris naturalibus in via. Tertio, si potuit, demus, quod peccauerit sic bonus Angelus, igitur pœnitentiam debuerat de peccato tali veniali agere; at quæritur, vbi nam egerit, nullus namq; vnquam sensit fuisse Angelos in ratione pœnitendi, in Purgatorio. Quarto, Angelorum via conclusa, & terminata fuit tribus instantibus: in primo quidem fuerunt creati: in secundo fuerūt viatores: & in tertio fuerunt Beati, ergo nō potuerunt peccare: Prob. conseq. nam si peccassent in secundo instanti,

stanti, non fuissent puniti, quandoquidem citò ad secundum instans sequitur tertium beatificationis.

2 De malis verò non posse in statu perditionis peccare solummodo venialiter. Prob. nam Dæmones quæcunq; faciunt, dirigunt in odium Dei: at hoc est peccatum mortale. Item non possunt facere opus, quod non sit malum, omnia enim deprauant.

3 Ex Scoto tamen oppositum elici potest tùm de bonis, tum de Angelis malis, vt illi potuerant in via peccare solum venialiter, & possint isti quoq; peccare solum venialiter. Sequuntur Vasquez 1.2. q.89. art.4. in commene. Valent. t.2. disp.6. q.19. punct.1. Salas 1.2. t.2. tract.13. disp.17. sect.4. Tanner. t.2. disp.4. q.5. dub.4. Smit. l.5. c.8.

Potuerunt Angeli peccare venialiter.

4 Probatur autē, non est necesse, vt tendens malitiosè ad finē sibi præstitutum malum, tendat ad illum sub ratione grauis mali; ergo poterat Angelus habere finem aliquem malum, non quidem vt grauiter malum. Antecedens patet, tendunt homines in finē malum, seu operantur propter finem malum, attamen non semper tendentia tales est mortalis, cum quandoque sit leuis, poterit igitur, & potuit sic agere Angelus. Item potens in maius, potest & in minus: potuerunt peccare mortaliter, ergo & venialiter. Insuper, per quid desiit, vt non potuerint sic peccare? an per liberum arbitrium, an ratione status, in quo erant: an ratione gratiæ, in qua erant creati: per nullum illorum sierie: non per primū, cum fuerint creati in plenitudine liberi arbitrij: non per secundum, cum in via potuerint peccare, etenim via est status merendi, & demerendi: nec per tertium, nam si Adam in statu Iustitiæ originalis potuit peccare venialiter, potuit quoque Angelus in statu gratiæ. Prob. conseq. Adam namque duplex genus auxilij habebat. tùm Iustitiæ originalis, tùm gratiæ, & nihilominus peccauit tum credendo commestionem non futuram tam graue peccatum, nec inde tam graue damnum fuisse sequuturū: tum comedendo contra præceptum: cum his tamen nulla aderat implicantia, vt peccatum etiā veniale prius cōmittere potuisset, siue verbum otiosum dicendo, siue non ita feruenter Deum diligendo, peccatum namque veniale tepefacit ardorē amoris, & charitatis: cur ergo non sic potuerant Angeli in via agere, Deum minus feruorē amando, & huiusmodi, quæ causant peccatum veniale. Insuper Dæmones possunt ad verba otiosa homines tentare; hoc autem esset solummodo veniale: Possent ad inanē, & superfluum risum, atque ad inutiles iocos, intra tamen limites peccati venialis, homines incitare; siue incitare hominem in alterius perniciem, & iacturam, quæ tamen sit de materia leui, & non graui: quæso implicat fieri hęc, & similia. Respondetur, hæc esse mortalia, quia Dæmones omnia deprauāt, vnde incitant ad iocos, risus, & huiusmodi, vt inde homines deducāt ad maiora peccata, omnia enim agunt in odium Dei, & perniciem hominum. Sed contra, Angeli saltem in via, poterant ad inutilia se inuicem incitare in materia leui, & tamen non id necessario egissent in odium Dei, non enim erant obstinati in malo, vt Dæmones, ergo saltem illi poterant, vel hinc, peccare venialiter. Vrgetur ampliùs ratio de Ada, peccare potuit venialiter, & nihilominus præditus erat duplici auxilio, tum iustitiæ originalis, tùm gratiæ habitualis: ergo multò ampliùs id poterat Angelus habens auxilium gratiæ habitualis. Antecedēs est Scoti in 2.d.21.q.1. docens, cum Iustitia originali Adam potuisse peccare venialiter. Confirmatur, peccatum veniale non destruit gratiam, *Septies enim cadit iustus*, ergo nec implicauit Angelum in statu viæ cum gratia peccare venialiter. Accedit etiam, confirmatus in gratia, potest peccare venialiter existens in via: Angeli autem in via non erant confirmati in gratia, ergo multo amplius poterant sic peccare. Potuisse Adam in statu innocentiæ cum Iustitia originali peccare venialiter, vltra Scotum docent Gabr. 2. d.22. q.1. art.3. Almayn. in moral. tract.3. cap.12. Altissiodo. par.2. sum. tract.10. q. vlt. c.3. & indicat Valent. cit. punct.2. ad 2. hinc Vasquez ait, *Non video, qua ratione Angelus necessariò debeat omnia velle, aut propter Deum vltimū finem in statu gra-*

Dæmones possunt peccare venialiter.

tiæ;

tia; aut propter finem mortalem, amitterent omnino statum illum. Et Valentia subdit, *Non videtur impossibile, primo peccasse transgrediendo praeceptum aliquod adeo leue, vt transgressio nõ esset, nisi peccatum veniale*. At denique Dæmones possunt operari bonum aliquod, quod sit opus moraliter bonũ, vt ex propria quæstione supponimus: poterit autem ibi non interuenire odium Dei, pernicies proximi, habebitq. cætera spectãtia ad bonitatem moralem. Item possunt agere bonũ aliquod, quod sit opus bonum ex genere, vt itidem ex Scoto, pluribusque, præscindendo tamen in vtroque ab esse meritorio: quare concluditur, potuisse bonos in via venialiter peccare: & malos nunc non esse taliter alligatos, vt omnia, necessario ex se intrinsecè, deducant ad mortale.

5 Vtrum vero peccatum veniale, quod in via committere poterant, euenire potuisset ex motu subreptitio iam diximus suo loco non dari motum illũ in ipsis, quia motus tales accidunt in nobis ex cõiunctione animæ cum sensibus, vt propria quæstione vidimus.

Quid de facto.

6 Quamuis autem res ita potuerit se habere in Angelis bonis, aiunt tamen ex diuina Prouidentia, in tali statu id accidere nõ potuisse, quod etiam extendunt ad Adam in statu innocentiæ: hi sunt Alens. 2. par. q. 103. m. 6. Bonau. sup. d. 21. art. 1. q. 3. Richar. ibid. Dur. q. 4. Bellar. de peccat. l. 3. c. 8. pluresque, licet Scotus cum Angles in 2. d. 27. Maior d. 21. q. 1. cum recentioris, neget de Ada. De malis autem Scot. 2. d. 7. q. vnic. ait, quod licet possint agere bene moraliter: tamen potẽtia hæc non reducetur ad actum, ob vehementem malitiam sic. R. S.


7 Diuum Thomam, Valentia, & Suarez interpretantur, vt loquatur de Angelis in statu gloriæ. Et Alensem Vasquez in dubium vocat, an loquatur de Angelis spectata natura rerum, an vero spectata speciali prouidentia Dei, illos in tali statu, etiam à veniali præseruante.

8 Ex his respondetur ad obiecta: Ad Primum autem negamus, finem mali Angeli esse necessario, & semper mortaliter malum, iam enim diximus, posse agere bonum opus morale, sistere intra fines peccati venialis.

9 Ad Secundũ negata fuit minor.

10 Ad Tertium respondet Salas in fin. inquiens, *Si non prius pœniterent, & satisfacerent in via, post viam in loco aliquo purgandos fuisse*. At replicante Medina inquiẽs, Neminem dixisse hucusque Angelum bonum pœnitentiam egisse in Purgatorio. Sed respondetur, quæstionem nõ esse de facto, nec enim Salas id dicit, sed loquitur ex suppositione, dato, quod aliquis peccauerit &c. idque dicitur, vt satisfiat argumento Medinæ.

11 Ad Quartum, adest modus alter assignandi instãtia Angelorum, vt ponantur etiam quatuor instantia, vt in propria materia vidimus: quo fit, vt in primo instanti fuerint creati in gratia: in Secundo bonus v. g. peccauerit venialiter, in Tertio pœnituerit, & in Quarto fuerit in termino. Vel si steteris in tribus instantibus, prout etiam ibi attulimus, dicendum sit, in primo creatus in gratia: in Secundo peccasse venialiter, & pœnitentiam egisse: in Tertio tandẽ fuisse in termino. Dices, in Secundo nõ potuisse pœnitere, cum fuerit instans solummodo peccati, non enim stant simul pœnitentia, & peccatum: At respondetur, instantia illa non fuisse indiuisibilia prorsus, vt instantia nostri temporis: sed habuisse suam aliqualem latitudinem, vt ibi retulimus ex Scoto; quapropter nõ fuissent tunc peccatũ, & pœnitentia simul, sed vnum post aliud.



QVAE-

QVÆSTIO V.

Vtrum mali Angeli peccauerint ex instigatione Luciferi.

1 VAsquez 1 par. disp. 238. rem dubiam, & ignotam esse ait, nec probari posse sufficienti ratione, aut scripturis, vnde scripturis, quæ pro parte vna afferuntur, respondet &c. Alphonsus de Castro verb. Peccatum, hæres. 3. atq; Gulielm. Paris. l. 2. de Vniu. par. 1. cap. 12. negāt peccasse, Lucifero instigāte, sed vnumquemq; arbitrio, & voluntate propria deliquisse: Hoc idem docere videtur Albertus, & ex Patribus Anselmus, de quo tamen in fine.

2 Ex opposito, peccasse, instigante Lucifero, sensit D. Thom. 1 par. q. 63. art. 8. Alens. par. 2. q. 110. memb. 5. & 6. Richar. in 2. d. 5. art 1. q. 3. Aegyd. d. 6. q. 1 art. 3. D. Bonau. d. 5. q. 1 art. 2. Altisiodor. in summ. tract. 2. cap. 5. Durand. d. 6. q 2. cæterique, vt plurimum, tum veteres, tum recentiores Scholastici, siue ad locum D. Thomæ, siue Magistri in 2. d. 5. vel 6.

Scoti ment. 3 Visis autem recensitis de Scoto mihi remanet inquirendum, quidnam sentiat. Duo quidem sunt loca, in quibus apertè Scotus loquitur de re ista: primus est in secundo, & secundus in tertio sententiarum. In Secundo autē in dist. 5. q. 2. lit. O. sic scribit, *Quod Michael fecit victoriam, quę victoria cedebat in laudem bonorum, hoc non fuit, nisi quia peccatum malorum Angelorum fuit incentiuum tentationis in bonis, qui tentationem istam vicerunt*. At in Tertio d. 20. vnic. quærens, vtrum necesse fuerit genus humanum reparari per passionem Christi; dum in principio quæstionis affertur ratio, quare potius natura humana fuerit reparata, quam angelica, à dicentibus, vt refert, *Ideo sic factum, quia homo alterius tentatione cecidit, Angeli non*, ad quod accedit authoritas Anselmi l. 1. cur Deus homo cap. 21. cit. dicentis, *Sicut Angeli ceciderunt nullo alio nocente, ita nullo alio adiuuante surgere debent*: Contra hoc insurgens Scotus, sic arguit, *Contra, factum est prælium magnum in Cœlo ergo videtur, quod sicut Draco pugnauit cum Michaele, sic eum tentauit: Præterea videtur, quod Draco, idest Lucifer, peccando tentauit alios, sibi consentientes*, hæc ibi Scotus. In responsione tamen ad primum argumentum princip. admittendo differentiam inter tentationem Adæ, & cæterorum Angelorum, habitam à Lucifero, sic scribit: *Alia etiam responsio ibi data, sumitur ab Anselmo, responsio potest etiam valere, quia homo peccauit suggestione Diaboli &c.* & paulò infra, *forte non ita efficaciter fuit Angelus malus &c.* ex his constat Scotum in affirmatiuam descendisse sententiā.

4 Quid vero sentiendum sit, breuiter aperiam. In Primis, res incerta apparuit multis, Durandus in 2. d. 6. ita existimat: & post eum Valentia 1. t. q. 14. punct. 6. atque Vasquez recensitus, qui loca Scripturarum, quæ in affirmantem afferri solent, nititur soluere.

5 Dicendum Secūdo, probabilius esse, Luciferum extitisse occasionem, siue causam cæteris Angelis peccandi, ita apertè D. Thom. 1. par. q. 63. art. 3. ibique eius Commentatores, vna cum supra recensitis: atque insuper ita euenisse Scotus docet, vt vidimus, eiusque discipuli ad eum locum, siue ad ambo loca.

6 Quę nam vero causa, siue cuiusnam generis fuerit causa ipse Lucifer, bene D. Thomas explicat, inquiens, *Fuit aliis causa non quidem cogens, sed quadam quasi exhortatione inducens*: vnde deducitur, fuisse causam moralem, reduciq; ad genus causæ moralis, quæ procedere solet, exorando, præcando, exhortando, & his similia. Et hoc idem genus causæ docet Bonau.

7 Congruentiæ autem ad id probandum hinc deducuntur, & quidem ordo Iustitiæ diuinę id postulat, vt eius potestati subijciatur quis in pœna, cuius suggestioni consensit in culpa, ait enim Petr. Ep. 2. cap. 2. *A quo quis supe-*

ratus

[illegible]

tamen in hoc *... ...* est, & cæteri mali Angeli damnati sunt ad ignẽ paratum Lucifero, Matth. 25. *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo, & Angelis eius*: ergo cæteri peccauerunt suggestione, & instinctu Luciferi. Confirmatur, quia talis loquutio denotat quodammodo imperium in Lucifero circa alios, etiam in ordine ad peccandum: & alias namque excellentiam, & præeminentiam in natura, conuocat insuper conatum, & impulsum in malum. Item cur est, vt non peccauerint, si ipse esset occasio peccandi? vel quia in primo illa mora non poterant hæc omnia fieri: vel quia plures actus, qui interuenerint, exiguerint aliquam interruptionem temporis ad deliberandum: at neutrum illorum militat. non Primum, quia constitit ex superioribus, moram illam non fuisse indiuisibilem, sed diuisibilem: constitit etiã fuisse tantam, quanta opus fuerat ad statum viæ: quo fit, vt plenè potuerint deliberare, tentare, peccare, obsistere, & huius generis: & ob hoc satisfactum, remanet motiuo secundo. Accedit insuper locus Isa. 14. *Tu vulnerasti ... super gentes*: hunc vero textũ ad Luciferum applicat Hieron. ibi. Item Apoc. 12. *Cauda eius trahebat tertiam partem Stellarum*: qui locus, licet ad Ecclesiam etiam militantem applicari soleat, quatenus Lucifer triumphat quotidie de peccatoribus hominibus, nihilominus Magister Sententiarũ vna cum Theologis in 2. d. 6. atque cum D. Thom. & Bonauent. applicant ad Angelos subuersos ex instigatione Luciferi. Insuper Iobi 41. *Ipse est Rex super vniuersos filios superbiæ*. Quod si ex Petri relato testimonio, *A quo quis superatus est, huius & seruus addictus est*, sequitur, vt dum Lucifer factus est Rex superborum Angelorum, vti qui eidem prius obsequuti fuerint, obsequium præstito ipsius voluntati, suasioni, allectioni. Quamuis vero prædictus locus sit pro *Leuiathan* Bestia aliqui maris, plures tamen Patres ad Luciferum quoque adaptant illum locum. Accedit Bernardus, qui tract. de grad. humilit. ita loquitur ad Luciferum, *Tu solus frater, ... cæteris ... Patriæ patria* (ipsius), quanti, in te est, ... *... ... ...* Ambros. Ep. ad Demetriad. *... Angelus, qui ... ad superbiam ... traxerat, a cælesti ... deiectus fuit*. Origenes Periarch. initio, *Ista habetur opinio, quod Diabolus, quamplurimos Angelos secũ declinare persuaserit*; idemque docent Damascen. l. 2. fid. orth. c. 4. Cyrill. Hieros. Catech. 2. Chrysost. in Psalm. 14. Nazianzenus 1. de ... ment. præd. feréq; communiter Scholastici.

QVÆSTIO VI.

Quæ nam fuerint peccata cæterum malorum Angelorum.

1 Viso, quod Lucifer occasionem præbuerit cæteris malis Angelis peccandi, videndum remanet cuiusnam generis fuerit occasio illa, seu qualenam fuerit incentiuum ad peccandum. Plura afferunt motiua Doctores. Aliqui quidem, vt persuaserit eis non subesse Deo, sed ipsimet potius Lucifero, & ita motiuum hoc reducetur ad genus superbiæ: talis est sententia Thomistarum, de qua supra: Quibus accedunt quicunque, primum peccatum Luciferi aiunt fuisse superbiam: quod peccatum Patres extendunt quoque ad cæteros peccantes Angelos, & præcipuè August. 11. de Gen. ad lit. cap. 2.

2 Verum circa hoc est inquirendum, quid namque fuerit cæteris occasio superbiendi ex instigatione Luciferi contra Deum? An quia fortasse persuaserit eis vt appetijssent beatitudinem

dinem naturalem, an supernaturalem: de Primo iam docet Scotus fuisse ab initio Beatos beatitudine naturali, idque amplectuntur communiter Theologi ex relato sæpius loco Ezech. 28. *In delicijs Paradisi fuisti, omnis lapis pretiosus operimentum tuum perfectus fuisti*, dicere &c. cum igitur hoc ab initio habebant, quid poterat amplius in hoc appetere, superbiendo contra Deum? De secundo autem, vel poterat fortasse beatitudinem supernaturalem eis proponere desiderandam, & consequendam viribus naturalibus, vel ante tempus statutum à Deo remuneratore: vel consequi eam absque meritis: vel appetere maiori, intensiorique conatu, quam decebat merita, etenim appetere beatitudinem excedentem merita, siue beatitudinem maiorem meritis, vel quæ non sit ad mensuram meritorum, peccatum contra iustitiam est, nam Deus *reddet vnicuique iuxta opera sua*. Nullum ex his, videtur potuisse persuadere Lucifer: Probatur, omnia hæc capita supponunt ignorantiam, & deceptionem, vel in Lucifero suadente, vel in ipsis Angelis, ad quos facta fuerit suasio; vnusquisque enim optimè norat; naturam ex se, (reuelante Deo) non posse mereri absque gratia beatitudinem, nec consequi eam, propterea Deum ab initio ipsis contulisse gratiam, vt mediante ea mereri potuissent beatitudinem. Sciebant quoque præmium debere correspondere meritis, vnde Beati non appetunt maiorem gradum beatitudinis, præter sibi collatum à Deo, vtpotè correspondentem meritis. Nouerunt quoque coronam conferri post iustam, & beatitudinem non iam in via, sed in termino conferendam esse merenti eam, ac denique perfectè nouerunt, omnia hæc non nisi à Deo conferenda fore, & quomodo, & quando placuerit ipsi Deo: quod si ita res se habuit, quonam pacto potuerat contrarium hijs, Lucifer persuadere suis Asseclis? vel namque ipse Lucifer allucinatus fuisset in hæc suadendo; vel comites Angeli decipi ab ipso potuerint in his, quæ tantopere non ignorabant. Dices, poterat error hic inesse tum Lucifero, tum cæteris, tanquam pœna peccati, siquidem præcesserat in eis, vel inordinatus amor sui, vel superbia, quo stante errore poterant omnes in hoc decipi. Euasio hæc friuola est, & impugnatur experientia, nam Angeli mali seu Dæmones iam existentes in termino, bene nolunt non posse hæc rationabiliter fieri. Et confirmatur, quia si posset viribus naturæ consequi beatitudo, cur non ipse Lucifer tantopere præstantior cunctis in naturalibus, cur non, inquam, ipse ex se ipsam adeptus fuit? cur etiam non cæteris eam tribuit, & cur ipsimet inferiores Angeli non tammet viribus proprijs sibi acquisierunt? Item non adeo obscuratus remansit intellectus mali Angeli, vt hæc non nouerit: eo magis, quod tunc non erant in termino, sed in via, nec eo tunc obscurata erant naturalia, vt modo, dum sunt in termino: igitur modus iste non potest subsistere: an vero discursus iste subsistat in via Scoti, videbimus infra.

Motiua instigationis Luciferi pro alijs Angelis.

5 Alij insuper aiunt, inferiores Angelos appetijsse quiescere potius sub vmbra Luciferi, quam Dei, existimantes potuisse potiri magis voluntaria libertate, qua tamen non ita potiri potuissent sub Deo: talis namque erat eorum existimatio, & ad hoc consequendum induxisse eos Luciferum. Item, noluisse inferiores Angelos viuere absque administratione, obsequio, & seruitute: quod quidem sperabant consequi sub vmbra Luciferi: & ad hoc facilè Lucifer ipse, aiunt, poterat eos allicere, idipsum promittendo eis: vel denique offerendo excellentiam aliquam, siue supra homines, siue vnicuique Angelo supra suum inferiorem. Verum neque hæc consistere possunt, & ad illud de libertate, vnde nam colligere poterant liberiores fore Lucifero, quam sub Deo, scientes Deum esse mitissimum, placabilem, beneuolum, cuius iugum *suaue est, & onus leue*, cognoscentes Luciferum esse alioqui superbum, immitem, implacabilem, crudelissimum, cuius iugum graue est, & onus importabile. Ad illud de administratione, etiam sciebant sub vmbra Luciferi oportuisse ministrare ei, obsequi ei & obtemperare ei, at optimè nouerunt melius esse obsequi, obtemperare, & ministrare Creatori, quam creaturæ: at hæc concedendo, vel in-

Lucifero ignorantia apponenda est, vel in cæteris malis Angelis; nec autem obscuritas tanta obumbraret intellectum eorum, vt hæc inania & falsa esse non cognouissent: Et ad illud de excellentia super inferiores, vtique valdeque placuerit alteri præesse, at nemini placitum fuerit alteri subijci, & præsertim infimo Angelo, qui omnibus debuerat subijci, & nulli præesse. Et denique ad illud de præesse hominibus, incertum vtique suadebat, licet namq; in natura præeminentiam proponere illis potuisset, ostendendo angelicam naturam eminentiorem esse in naturalibus natura humana, tamē humanam naturam subijciendam illi forē in ministerium, vnde nam colligere illud poterat?

4 His rabitis modis, & exclusis, rationabilior modus, & apparētior est proponendus: is autē pro fundamento supponit, Mysterium Incarnationis reuelatum fuisse Angelis in via de quo supra, itaut humanam potius naturam fuisset assumpturum diuinum Verbum, quam angelicam: Hoc supposito, statim Lucifer insurrexit, & inuidia ardens, affectans angelicam potius naturam vniendam Verbo fore, quam humanam, & inter angelicas singulares naturas, potius suam, quam cæterorū: Cum autem angelicam exclusam iam viderit ab vnione ad Verbum, tunc proponere cœpit Angelis cæteris considerationem propriæ nobilitatis, & excellentiæ supra cunctas inferiores naturas: inde autem allicere eos conabatur ad propriam existimationem, & ad immoderatum amorem sui ipsius: proindeq; ad nulli alteri creatæ naturæ subijciendus, indignum namque existimabat naturam angelicam adorare naturam humanam, quantumuis Verbo vnitam; Cum autem præceptum acceperint de adorando Filio Dei incarnato, iuxta Pauli Coloss. 4. *Et adorent eum omnes Angeli eius.* Id ægrè ferunt Lucifer, cæteros auertere nitebatur ab adoratione humanitatis Verbi: Verum quia creuerunt in immoderata existimatione propriæ excellentiæ, hinc facilè consēserunt in eum; & hoc fuit occasio, motiuum, & incitamentum Luciferi ad peccandum. Et huc spectat illud Bernardi, *Vidit, & inuidit.*

Luciferi tentatio in Angelos.

5 Dices hinc etiam sequi remansisse deceptos: ergo error fuerit, vel in Lucifero vel in Angelis, vt supra. Respond. plenè aduertisse Angelos debuisse potius adorare Verbum humanatum, quā subesse Lucifero: eundemque Luciferū bene nouisse, melius esse subditum esse Deo, quam rebellari ab eo: ergo nulla ignorantia, nullusq; error in eis: vnde peccauerunt omnes ex plena aduertentia, & ex aperta passione inuidiæ, & superbiæ.

Peccauerunt nō ex ignorantia, sed ex passione.

6 Circa tamen impugnationem primi modi recensiti insurgit difficultas in via Scoti, siquidem supra loquendo de variis peccatis Angelorum, docuit, peccasse etiam in appetenda supernaturali beatitudine conferenda, vel absq; meritis, vel ante tempus, vel immoderato appetitu & huius generis, igitur impugnatio facta aduersatur Scoto. Respond. minimè aduersari, vnde aliud est quærere verum Lucifer potuerit hæc persuadere Angelis, & aliud est inuestigare, vtrum Angeli sic potuerint peccare appetendo &c. siue aliud est quærere, vtrum Angeli & Lucifer id egerint ex deceptione, siue ignorantia, & aliud est, vtrum ex malitia, & voluntatis peruersitate; loquendo de primis modis, negandum sic accidere potuisse, & ita intenditur impugnatio facta, quod deceptio fuisset, & ignorantia: ex parte quidem Luciferi persuadentis, & ex parte cæterorum, ad quos fiebat persuasio: & hoc nos intendimus in impugnatione, at loquendo de modis secundis, iam potuerunt ex malitia peccare sic, vel sic appetēdo, & hunc secundum modum statuit Scotus. Dices, modus hic ex malitia peccandi, supponit ignorantiam, ergo vtroq; modo peccauerunt: Respōsio patet ex dictis quæst. sup. vbi ostendimus malitiam voluntatis non præsupponere semper, & necessario errorem in intellectu, imo quod stante plena aduertentia, scientia, plenoq; iudicio intellectus, posse voluntas ex propria malitia peccare: quapropter assumptum obiectionis non est necessarium.

7 Circa denique, quod vltimo diximus, Luciferum proposuisse cæteris

æstimationem propriæ excellentiæ, atque inordinatum amorem sui aduertimus non hęc proposuisse eis sub ratione summi boni, inde enim sequeretur necessario ignorantia in Lucifero, & deceptio, & ignorantia in cæteris, optimè namque callebat Lucifer, & eius Angeli, angelicam naturam non esse summum bonum, nec summè amandum, cum cognouerint, solam naturam diuinam, alioqui infinitè perfectam esse summum bonum, summèq; amandam, non autem naturam limitatam, & finitam, vti angelicam. Hoc dixerim propter Vulpes, qui de Angelis disput. 21. art. 11. num. 4. sic ait, *Primum omnium Angelorum peccatū fuisse incertum Angelorum peccatū fuisse inchoatam amicitiam sui, ædificantem Ciuitatem Diaboli vsque ad contemptum Dei, ad hoc potuit Lucifer alios inducere, imprimēdo singulis conceptum sui ipsius per modum summi boni supra omne bonum amandum.* Præsentiens autem idem Author difficultatem prætactam de ignorātia, & deceptione, sic respondet, *Nec hinc sequitur alios Angelos à Lucifero peccasse ex ignorantia, vel ex errore intellectus pretsus inculpabili.* Hæc ille. Parcat autem Magister, alioqui sapientissimus, ratio namque facta vrget, nec soluit; Cum vero inquit, non sequi inde errorē intellectus, vel ignorantiam, gratis apparet, id dicere, non enim assignat causam: cum tamen ex opposito, persuadendo Lucifer amorē sui sub ratione summi boni, summèq; amandi, vel Lucifer ipse ignorauit naturam angelicam non esse summum bonum, vel Angeli alij, veluti ignari, decepti, & allucinati fuerunt circa rem istam, quis autē non nouit creaturam non esse summum bonum, imo annihilabilē, finitam, limitatam, non summam &c. vnde concluditur, potuisse quidem amorem inordinatum sui ipsius vnicuique persuadere, non tamen sub ratione sūmi boni, sūmèq; amandi, nisi decipiendo, vel semetipsū, vel illos.

Persuasio Luciferi an decepturit suos Angelos.

8 Aduersus dicta in corpore adest Anselmus citatus in sententia Scoti, & cum eo plerique alij Patres, inquiens, quod *Sicut Angelus nullo instigāte peccauit, ita nullo adiuuante resurgere debet.* Ergo Lucifer non fuit instigator cæterorum Angelorum. Ad hoc respondet Scotus, inquiens, *Licet aliqua tentatio Luciferi fuerit alijs ruina, tamen non ita efficax, sicut hominis à Diabolo*, ita in tertio loco citato. Sensus autem est, quod Anselmus non negauerit, omnino Luciferum cæteros tētasse, sed non tentasse tam acritèr, & efficacitèr, vt tentauit Adam. Vel responderi posset Secundo, loqui de ipsomet Lucifero, is namque, ad sensū fortè Anselmi, à nullo tētatus fuerit, cæteri autem ab ipso.

Angelus an peccauerit ex instigatione.

9 Obstatur, *Nemo operatur ad malum respiciens.* Ergo non peccauerunt cæteri exemplo praui Luciferi, vel ex mala Luciferi instigatione ad malum. Axioma hoc explicatum fuit supra, ideoque applicando, quę ibi dicta sunt, tanta est voluntatis, siue humanæ, siue angelicæ libertas, vt quāuis videat malum, sciatq; obiectum propositum esse malum & minimè prosequendum, nihilominus possit velle illud, sicut de facto humana vult, quamuis non velle malū sub ratione mali, sed sub ratione boni, vel apparētis, vel præstituti &c. an vero possit voluntas velle malum etiā sub ratione mali, vide Scotum in 2 d. 43. q. 2. & Nos tom. de Beat. disp. 1.

Nemo peccat ad malū respiciens, declar.

10 Arguitur, non poterat Lucifer tot, atque tot numero Angelis manifestare subito, ac in instanti suum intentum, tentare eos, allicere, proponere, suadere &c. item nec poterant in vnico instanti, siue breuissima mora Angeli deliberare, pugnare, vincere, vinci &c. Ad hæc, & huius generis, responsio patet ex sępè dictis, moram viæ Angelorum non fuisse indiuisibilē, sed diuisibilem in instantia, & tempus licet breuissimum: breuissimum inquā quoad nos, qui retardamur à sēsibus in intelligēdo propter recursum ad eos, at sufficientissimū Angelis, alioqui velocissimis, ac expeditissimis in suis operationibus: talis autē, & tanta eis concessa fuit mora, quanta sufficiēs fuit ad tentandum, suadendum, præliandum prælio intellectuali, siue spirituali, ad deliberandum, ad vincendum, atque ad succumbendum.

Tempus viæ Angelicæ breue quidē pro nobis, at sufficiens pro Angelis.

11 Quæres autem, an simul peccauerint cum Lucifero? In Primis respondetur, prius peccasse Luciferum in genere tentandi, causa namque pręcedit effectum; quod si ipse fuit causa,

& in-

& inceptor malorum, ergo peccauit ille prius *veluti tentans*; inde vero reliqui, qui succubuerunt tentationi. Dices, habet Damascenus l. 2. cap. 4. de fid. orthod. *Simul cum Lucifero conuulsa est innumera multitudo*, si simul, ergo non prius Lucifer. Respondet Bonau. *Ad secundum*, inquiẽs, *Potest dici, quod simul non quia in eodem instanti, sed quia repente, quasi in non perceptibili tempore.* Ita ly *simul* idem sonare solet, ac concomitantiam aliorũ, nam corruit tũm Lucifer, tũm cæteri mali: siue *simul* idẽ, *ac pariter*, nempè, vna cũ Lucifero ceciderunt alij, siue denique *simul* tenendo negatiuè aduerbium hoc, & est sensus, *simul* idest, non *solus*, quia verè nõ corruit Lucifer solus, sed plures cum eo. Cæterum, ex superioribus cõstitit posse intellectum, & voluntatem operari in eodem instanti temporis, itaut sufficiat intellectum antecellere prioritate naturæ: quanto magis ibi, vbi vltra instantia, adfuit quoque aliquale tempus, quo fieri æquè bene potuerunt ra- emnia, vt constitit loquendo de natura angelicarum moecularum.

Simul quid denotet.

12 In his prauis affectibus cõtinuo sunt Dæmones; modo tamen generevno peccati labenter, modo, alterius vndo, vbi sup Ioan. 3. habetur, *Diabolus ab initio peccat*. Glossa ait, *Ab initio creationis suæ incipiens, peccat continuè, vsque in præsens*. & Aug. lib. de fide ad Petr. inquit, *Nec mala possunt voluntate carere, nec pœna*. Dices, loqui de praua voluntate habituali, non actuali: Contra est Hieron. dicente, *Diabolus adhuc idem sibi arrogat, quod præsumpserat*. In- super 2. Cor. 6 ibi, *Quæ conuentio Christi et Belial?* Glossa inquit, *Sicut Christus omnia bene facit, ita Diabolus omnia male facit*. Consimilitèr de Angelis bonis, qui omnia in Deum referunt, ita ex opposito, mali in odium conferunt, attestante Psalmo, *Superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper*. De re hac in propria Disputatione habebitur, an Dæmones possint bene agere moralitèr.

Diabolus continuat malum in Dei, & hominis vindictam.

13 Verum, obstatur insuper, cessante causa cessat effectus: in Lucifero autem causa superbiendi fuit pulchritudo, atque strenuitas naturalis, siue cumulus donorum, quibus decoratus fuit ab Altissimo, vnde occasionẽ sumpsit, modo autem caret his. Confirmatur tũm de eo, tũm de Asseclis, quandoquidem impossibile est, vt consequantur quod iam sperabant, & id, quod tantopere in humana Natura inuidebant, siue diuinitatem in appetitu Luciferi: siue cætera recẽsita, in appetitu aliorũ.

14 Resp. & si videat Lucifer impossibilitatem assequendæ diuinitatis, siue hypostaticæ vnionis, adhuc tamẽ perseuerat in odio aduersus Deum, & homines: Quo insuper, odio feruescunt ceteri Dæmones: vnde ira, & odio, vindictam, quo possunt, exigunt, & extorquent de hominibus; vel proprijs personis hominum; vel saltem ijs, quæ ad hominem spectant, malum omne propinantes, in Dei odium, & hominum. Ad illud autẽ de donis, & occasione vide supra. Resp. nõ inde solummodo occasionem desumpsisse, verum & aliundè, ex capitibus alijs recẽsitis.

QVÆSTIO VII.

De peccatis aliquibus in speciali Angelorum.

1 DIctum est in generali de instigatione Luciferi, deque peccatis Angelorũ in vniuersali: nunc vero recensebimus aliqua singularia, vt magis notescat eorũ peruersitas: quãuis distinctiùs de re hac agemus infra, agendo de Dæmonibus.

2 Ex septem autem peccatis capitalibus, tria verè, & formalitèr esse potuerunt in Angelis malis: superbia, ira, & inuidia: Et quidem non repugnant ipsis ratione subiecti, siquidem ex D. Thom. peccata hæc sunt spiritualia, & Angelus est spiritualis: vnde loquẽdo de

Tria peccatorum genera in Dæmonibus, superbia, inuidia, ira formalitèr.

do de superbia, vere immoderatè amauerunt seipsos vsque ad contemptum Dei, ex August. *Amor namque sui vsque ad contemptum Dei fecit Ciuitatem Diaboli.* Concupierunt etiam non subesse Deo. Item Lucifer fieri Deus, iuxta Ezech. *Dixisti in corde tuo, Deus Ego sum. Ascendam ad Aquilonem.* & similia, vt vidimus.

3 Loquendo insuper de inuidia, iam teste Bernardo, *inuidia* Inuidendo vnioni hypostaticæ Naturæ humanæ, quam tamen fieri in sua angelica Natura affectabat: Inuidit item multiplicibus donorum, gratiæq; generibus, quibus ob vnionem talem decorata fuit ipsamet Natura humana, ex August. l. 14. de Ciu. Dei c. 11. Et denique loquendo de ira, testatur Ioan. Apocal. 12. inquiens, *Væ Terræ, & Mari, quia descendit ad vos Diabolus, habens iram magnam.* Hæc vere esse poterant in Angelis formaliter: Qua inuidia etiam exarserunt Angeli cæteri mali: & ob hoc, aduersus homines ira.

4 Cæterum, reliqua quatuor peccata, auaritia, gula, luxuria, accidia, pressè, & rigorosè sumpta, nequaquam inesse poterant. Ratio, quoniam exigunt concomitantiam corporis, gula quidem os, cum instrumentis aptis ad comestionem: luxuria, carnem, & sensus, quibus carnis illecebræ experiantur. Auaritia, qua diuitiarum conquisitioni studeatur, abnegando paupertatem, in quarum conquisitione nulli parcatur labori, iuxta illud

Impiger extremos currit Mercator ad Indos,
Per mare pauperiem fugiens, per saxa, per ignes.

Quarum diuitiarum finis explendus venia: nō per desiderium solum, nec per acquisitionem solam intra limites solius animæ, sed & corpus quoque requiritur, ad cuius beneficium impendantur: ille namque Diues Euangelij secum loquens aiebat, *Anima mea habes bona multa reposita in annos multos, comede, bibe, epulare.* de accidia insuper, nec videtur locum habere posse in eis, etenim, accidia *Est quidem tædium de bonis spiritualibus*, illud tamen tædium exigere videtur sensum fugiendo laborem corporeamq; exercitationem requisitam in otio fugiendo, atq; in conquisitione laboriosa virtutum.

5 De luxuria. An aliquo modo cōpetere eis posse, iam diximus supra, inquirēdo qualenam fuerit peccatum Luciferi: Item, dum agebamus de Incubis, & Succubis. De accidia tamen, cur est, & nō potuerit esse in eis? Probatur, etenim fuit in eis operatio peruersa, & mala peccati, ergo poterant, abstinendo ab operatione huiusmodi, & bona, peccare de accidia: Poterant de extremo in extremū transire, sicut iam transierunt, vtpotè de gratia in peccatum commissionis, ergo poterāt quasi in medio se sistere, relinquendo operari bonum. Item peccare potuerunt nedum peccato cōmissionis, sed omissionis, sic autem se habere, est accidiā incurrere. Dices, accidia est tędium: hoc autem est passio sensus. Respond. dari tędium corporale, & spirituale: in Angelis fuisse hoc, non illud: tædium spirituale abstrahit quidem à labore in subiecto pure spirituali, vt Angelus, non enim est subiectum capax defatigationis, & laboris, est autem in ipsis torpedo quędam ad bonum, & cessatio ab eo, cuius fomentum est praua voluntas, siue torpor ad exercitia virtutum. Vltra autem hæc, in tędio corporali, ocatio corporis defatigati nē tendentis, torpet totum corpus ipsum, cum anima: illius quidem est corporale, animę vero spirituale, qua ratione etiam corporis torpescere solet, ratione à Salomone allata, quia *corpus, quod corrumpitur aggrauat animam*.

6 De diuitiis, optimè nouit Dæmon loca thesaurorum: ipsoq; incautis Auaris sæpè pollicetur diuitias: si tamen cupidus foret ipse diuitiarum, non vtique gratia sui, eas affectaret, frustraretur namque fine ipsarum, sed vt auaros decipiat, & illudat, talia enim machinatus fuit contrà Saluatorē, *Hæc omnia tibi dabo, si cadens &c.*

7 Plura alia contēplari possumus peccata in eis. Ambitionem quidem, de qua constitit: Quod si solum appetiit diuinitatis, mirum non est, vt in deserto adorari cupierit à Filio Dei, *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me.* Odium contra Deum quod, licet ex parte Dei sit impossibile, cum sit

In malis Angelis non accidia, sed tædium spirituale.

In malis Angelis no labor, nec defatigatio.

Auaritia nō propter se, sed propter alios.

Odium in Deū, & homines.

sit summe amabilis; ex parte tamen creaturæ est possibile, iuxta Psalm. 57. *Superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper.* Odium insuper contra Naturā humanam, ratione vnionis hypostaticæ; tum etiam, quia ad ipsorum replendas sedes eleuantur homines: imo aduersus totam Mundi machinam, tanto enim ardescunt odio in homines, vt cuncta, quæ homini inseruiunt, euertere, & prorsus eliminare intentent. hinc naufragia in aquis: pestilentia, fames, bella in Terris: tempestates in aere, ob quod Ioannes dixerat, *Væ Terræ, & Mari &c.* denique peccare potuerunt contra Dei legem, de adorando, amando, & seruiēdo ipsi Deo: tum vero contra legem naturalem, habebant namq; liberum arbitrium &c.

Quale Angelorum peccatū ex Machom.

8 Dionys. Carthus. lib. 2. in Alcoran. cap. 17. de Machometo refert, dixisse, peccatum Luciferi, & sequacium fuisse, ex eo quod adorare noluissent Adam; Dominus namque, Machometus aiebat, Lucifero, eiusque Affeclis præceperat, vt adorassent Adamum: quod agere nolentes, grauiter, inquit, peccauerunt, ideoq; damnati sunt. Inter blasphemias ceteras suas hæreticas hæc vna est ex præcipuis. Illudere tamen te oraruit scripturas sæpe impius Machometa, honorem namque Christo Domino ab Angelis debitum tollere nisus fuit Machometus, etenim Paulus refert, quod *Cum iterum introducit Vnigenitum suū in mundum, dicit, Et adorent eum omnes Angeli eius*, igitur ex præscripto Patris Æterni debebat Lucifer cum socijs Christum adorare: hunc vero tamē honorē à Christo auferre nisus fuit Machometus, vt sectam suam fundaret, idque per suos Machometanos ex parte assequitur, dum tantopere, odio insequuntur ad necem vsque, Christianæ legis professores.

Quinam primi ex Angelis peccauit.

9 Quæres, an Angeli alij peccauerint simul cum Lucifero: Difficultas esse potest, primo absolutè quærendo, quinā ex omnibus malis Angelis primus fuerit in peccando. De hoc autem difficile est inuenire: Probabilissimè tamen dicendum vt supra, fuisse Luciferū: quoniam ipse præ ceteris, magis superbiuit, magisque hypostaticæ humanitatis vnioni inuidit, ac concupiuit æqualitatem Dei, aspiciendo ad maiora dona sibi collata: sicut igitur ipse cunctis erat superbior, atque ambitiosior, ita quoque fuerit, absolutè loquendo, in peccando, prior hic autē sensus non facit ad præsens quæsitum: Cæterum, in subiecta materia, cum ipse incentor fuit, & causa peccandi Angelis cæteris, vtique ipse quoq; prior fuit, causa enim prior est causato. Hoc quæst. antec. attigimus, hic tamen amplius explicamus.

10 Obstat vero Damascen. lib. 2. fid. orth. cap. 4. inquiens, *Simul cum Lucifero conuulsa est innumera multitudo.* Si simul, ergo Lucifer non prius. Respondet D. Bonau. *S. Ad secundum*, inquiens, *Potest dici simul; non quia in eodem instanti, sed quia repente, quasi in non perceptibili tempore.* Ergo, *simul* idem est, ac *breue tempus.* Respondetur etiam, ly *simul*, importare *concomitantiam* siquidem, vna cum Lucifero corruerūt ceteri quoq; mali Angeli. Item ly *simul* idem importare solet, ac *pariter* sicut ibi *Omnes declinauerūt, simul inutiles facti sunt*, sensus est, non quidē de simultate vera temporis, non enim simul sūt in mundo mali, sed modo vnus, modo alter: modo conuertitur vnus, modo cadit alter: seu idem est, eos, qui declinauerunt, fuisse *simul*, nempe *pariter*, seu etiam, sed *consimiliter* inutiles redditos. Vel *simul* negatiuè: estque sensus, non solus Lucifer corruit, sed plures insimul cum eo &c. vel denique, sensus sit de de Luciferi eiectione ex Empyreo, vna simul cum ceteris, etenim simul eiecti fuerunt, & expulsi omnes è Cœlo: ideoque Damasc. ait, *Conuulsa est &c.*

Simul quid indicat.

11 Petes vero, quandonam peccare cœperunt Lucifer, & sequaces Angeli. Iren. lib. 4. cap. 78. & Iustin. dialog. cū Triphon. censent non peccasse ante creationem primorum Parentum, sed post creatis iam ipsis. Ratio quoniam non peccauit Lucifer, donec eos tentauerit. Item, approbauit Deus, cunctis sex illis diebus, quæ faciebat. *Vidit cuncta, quæ fecerat, & erant valdè bona*, ergo Angeli omnes fuerant boni, atque à Deo approbati toto tempore illo, insuper dixerunt alij, peccasse secunda die: Ratio, quia Deus diei illi minimè

Quando nā Angeli peccauerunt.

bene-

benedixit, ergo ob ipsorum peccatum, tunc periculum, non benedixit. Denique, probabilis sententia est, Parentes non peccasse primo die, ergo nec Angelos primo creationis tempore.

12 Verum non ita esse Patres, & Scholastici docent, dum Angelorum tempus, vix, in paucis illis casus; breuissimas moras commiserunt. Igitur ab initio peccauerunt, ut ait Ioannes loquitur. Item, ut supra tentauit Lucifer Parentes, accessit in figura serpentis; signum vero hinc docetur, de Angelo conuersum fuisse in diabolum, ratione peccati, iam antecedentis: sicque appellat eum Ioannes Apoc. 12. *serpentem antiquum*. Sicut autem Deus prima die diuisit lucem à tenebris, ita Augustinus ait, diuisos fuisse bonos Angelos à malis. lib. 1. Gen. ad lit. cap. 17. idemque ait Cyrill. Gen. 1. Beda, Rupert. Alcuin. Damasc. 2. cap. 4. & insuper Aug. l. 1. de mirabil. sacr. Script. cap. 2. *creditur frustratus, Angelum potuisse hominem persuadere peccatum in terris, nisi prius ipse peccasset in Cælo*. Item Isidor. lib. 1. sent. cap. 10. idem docet, prius peccasse Angelum, quam homo crearetur.

De Angelis cur non mentionem agit Moyses

13 Ad id vero, quod dicitur, de benedictione. Non loquitur Moyses de operibus Angelorum malorum: erant enim peccaminosa, sed de operibus eiusdem Dei, quæ prout, prouidentia è diuinis manibus. *Erant valde bona*. Intendebat Moyses enarrare opus creationis rerum corporearum: de Angelis nemque mentionē non fecit Moyses tum ob Populi ruditatem, non valentis capere substantias illas è materia abstractas, tum ne idolatrandi præberet occasionem, ut alibi diximus.

14 Ad id de peccato primorum Parentum, quandonam peccauerint, quantoue tēpore fuisse in Paradiso, sunt qui dicunt, tot annos ibi cōmoratos fuisse, quot Christus Dñs vixit inter homines. Alii, quadraginta diebus, ob quod idē Christus quadraginta insuper diebus in deserto ieiunauit, ut intemperantiæ eorum, suo sacro ieiunio medelam ferret. Pererius l. 6. q. 2. octo diebus ibi permansisse, idemque habet Barradas t. lib. 7. cap. 13. fol. 550. Abulensis, post sententias plures recensitas, ait, peccasse sequenti die ad creationem; sequens autem dies illi fuerit dies Sabbathi, atque ita, stetisse integro die naturali Veneris in Paradiso. ita in c. 3. Gen. q. 107. 108. alii, perdurasse, nē quidem integro die, sed sex horis: alii, septem: alii nouem: alii, sex: plerique decem: de quibus in addit. ad Petrum Comestorem in Histor. Schol. cap. 24. in Genesi. de his autem, id maxime, verisimile est. Dæmonem illico inuidisse utrique primorum Parentum sorti, tum animæ, tum corporis, propterea quo consilium tentasse illos, quo citissime de ipsa dignitate, & statu deturbarentur, atque tentationi succumbendo, eiicerentur: quo fit, ut hanc nō sineret moram illam ad longum protrahere. Insuper Hieronym. Epist. 12. de Custod. Virg. ad Eustoch. & lib. 1. in Iouinianum, Augusti. serm. 65. de Temp. & q. 8. Vet. Test. ac lib. 9. de Gen. ad lit. cap. 4. inquit, *Mox, ut creata mulier, priusquam conuenti, facta est illa transgressio, quæ morte deberi maledictionis: vnde in Paradiso virgines erant*; facta vero transgressione, ac deiectione coierunt.

Quanto tempore Adam fuit in Paradiso terrestri.

14 Cæterum frequens Concionatorum, plurimique Patrum sententia est loquendi ratio, ut dicant, eadem hora Parentes primos peccasse, qua Christus Dominus fuit Cruci affixus; ut eadem hora Christus manus extendisset ad arborem Crucis, qua transgressores Parentes manum extenderunt ad arborē vetitam; vnde Nazianz. orat. 2. Apol. inquit, *Lignum lignum aduersus lignum, & manus aduersus manum, illas inquam, fortiter extensas, aduersus intemperanter extensam: illas clauis confixas, atque inextensam: illa solutam; illas Orbis fines continentes, aduersus eam, quæ Adamum e Paradiso exturbauit; aduersus sublimitatem, aduersus lapsum; & fel aduersus gustum; & spinea corona aduersus peruersum imperium; & mors aduersus mortem &c.* August. serm. 71. de Temp. *Ibi crucifixus est Medicus, ubi iacebat ægrotus; & ubi ceciderat humana superbia, ibi se inclinauit diuina misericordia.* Raban Gen. 3. *Apte sanctus Gratia, in meridie ascendit, ut qua hora primus homo lignum præuaricationis tetigerat, secundus homo lignum redemptionis ascenderet.* Rupert. lib. 6. diuin. offic. c. 1.

Adam quando peccauit

Christum esse mortuum.

Quia sexta die homo factus, & tota mundi est creatura perfecta, sexta Dominus, eadē die sexta crucifixus, humanę restaurationis impleuit arcanum. Glos. Gen. 3. *Hora nona spiritum emisit, qui sexta hora fuit crucifixus, vt eadem hora restitueretur homo, qua de Paradiso est eiectus*. August. Psalm. 2. *Sicut ergo sexta die fecit Deus hominem; sic inuenimus, sexto seculo venisse Dominum Iesum Christum, vt reformetur homo in die ante Sabbathū*. Et vt plura linquam, *quicquid Diabolus ab protoplasto abstulit, totum illud Christus diuina amulatione recuperauit*. ita Tertull. lib. de Resurrect. carn. quo quadrat ea, quę in sequentia *Exultet* canit Ecclesia mane Sabbathi sancti, *Mors, & vita duello conflixere mirando*, & cętera ibi.

Diei secundę cur non addita benedictio.

15. Ad id autem de secunda die, vt quod ei nō benedixerit Deus, Respondent Primo plures, ideo denegatam benedictionem, quoniam numerus binarius recedit ab vnitate: qui autē vnionem charitatis scindit, demeretur benedictionē: Verum responsio est moralis, & allegorica, optaq; mores componendos ita penés D. Thomę 1. par. q. 74. art. 3. ad tertium, quę habetur penés Hieron. lib. 1. cōtra Iouin. & super Ezech. 11 atque Agg. 12. ac refertur in cap. nuptię 32. q. 1. Adest tamen literalis eiusdem D. Thomę, inquientis, diuisionem aquarum in hac secunda die fuisse quidem inchoatam, non tamen perfectam vsque ad diem tertiam: proptereaque, dum diuisio pro tunc non erat completa, nec consummata, hinc nec benedictio fuit tunc superaddita: data tamen fuit die tertia, quę benedictio comprehendit etiam diem secundam, licet secundam inchoatiuè, tertiam completiuè.

QVÆSTIO VIII.

De quo ordine fuerit Lucifer, & mali Angeli sequaces, & an Lucifer sit omnium supremus.

1 QVærimus breuitèr in pręsentiarum de naturali pręstantia, & eminētia Luciferi, & sequacium Angelorum, de quo nam ordine ipse fuerit, siue vtrum inter Angelos omnes ipse extitisset supremus.

2 Circa quęsitum hoc D. August. dubius esse videtur, ait namque se non inuenire in scripturis argumenta, & capita, quibus potius probetur, Luciferum fuisse cunctis Angelis eminentiorem, quam oppositum, ita lib. 3. super Genesim ad lit. cap. 12. & lib. 11. cap. 19.

3 Epiphanius hęresi 64 & Damascen. lib. 2. de fide orthodoxa cap. 4. aiunt, Luciferum nō fuisse supremum Angelorum, sed aliundè quęrendum esse Angelorum Principem, & antesignatum: atque Damasc. esse de infimo ordine: quam opinionem & si August. l. 11. de Gen. ad lit. neget posse defendi, tamen D. Thom. 1 par. q. 63. art. 7. docet non aduersari fidei, neque pręiudicandum illi esse. Tertullianus autem lib. 2. contra Marcionem, Origenes tract. 9. in Matt. Hieronymus in cap. 4 Iob, Gregor. lib. 4. moral cap. 13. Isidor. lib. 1. de summo bono cap. 10. D. Bernard. serm. 1 de aduentu. & plures alij existimant, Luciferum fuisse inter Angelos primum, atque inter Angelos supremum omninò, siue eminētissimum; sententia hęc cōmunis est, atque eam amplexantur communitèr, Theologi vna cum Magistro sententiarum dist. 6. & quia communis est, ideo ipsam quoque amplectimur, licet Vasquez disput. 237. cap. 2. & Suar. lib. 7. cap. 16. rem incertam esse iudicent.

4 Vnde dicimus, Luciferum fuisse in sui natura, omniū Angelorum, tùm bonorum, tùm malorum supremum, atque eminentissimum, tùm etiam in

ctionis; Probari potest hoc auctoritate Ezech. 28. *Tu signaculum similitudinis nostræ, plenus sapientia, & decore in delitijs Paradisi fuisti, omnis lapis pretiosus operimentum tuum. Sardius, Topatius, Iaspis, &c.* vsque ad enumerationem nouem lapidum pretiosorum: quibus, vt exponit Gregorius l. 32. moral. c. 25. significatur, Luciferum præfuisse cunctis nouē ordinibus Angelorum. Item Ezech. 31. *Cedri non fuerunt altiores illo in Paradiso. Abietes non adæquauerunt summitatem eius.* Ex quo datur intelligi superasse omnes, atque præcellisse cunctis; & hinc elicitur, fuisse ipsum de ordine Seraphinorum: Ordo autem Seraphinorum est primus, atque supremus inter angelicas Hierarchias. Confirmatur totum hoc, ex eo quod Lucifer ipse erat dux malorum Angelorum; hoc vero indicat, ipsum supremū fuisse in natura cæteris Angelis. atque Iob 40. *Ipse est principiū viarum Dei.* Quod licet ad literā exponatur de Behemot, quod vel Elephantem, vel Rinocerontem, vel Draconem significat, tamen Patres exponunt etiam de eo.

Præcellētia Luciferi nō in specie, sed in gradu indiuiduali.

5 Dicimus etiam in eodem ordine Seraphinorum, ipsum Luciferum præeminere, atque præcellere in natura cunctis Angelis de specie Seraphinorum, præeminentia autem illa, siue præcellentia, non erat præcellentia in gradu aliquo specifico intra genus Seraphinorum, sed solummodo in gradu indiuiduali eiusdem speciei, ita vt inter cætera indiuidua suæ speciei Lucifer ipse præcelleret cūctis in indiuiduali, atque singulari perfectione: Conclusio hæc supponit sub eadem specie reperiri plures Angelos, vt suo loco, constat verò, indiuidua eiusdem speciei vniuersaliter loquendo, esse inter se æqualia in essentiali, atque specifica perfectione, nihilominus stante hoc, nō implicat vnum singulare, siue indiuiduum esse perfectius altero indiuiduo perfectione indiuiduali. & ita intelligitur illud sapiētiæ 8. de Salomone, *Puer eram ingeniosus, & sortitus sum animam bonam*, ita quoque per articulum quendam Parisiensem decretum fuit; *Animam Christi Domini perfectiorem fuisse anima Iudæ*, quod non solum de perfectione gratiæ, & gloriæ intelligendum erit, verum etiam de perfectione Naturæ secundum maioritatē perfectionis gradus indiuidualis in eadem specifica Natura, sicut etiam locus citatus de Salomone venit intelligendus, siue ratione temperamenti, siue etiam ratione eiusdem singularis, & indiuiduæ naturæ, quę indiuidualis natura potest indiuiduum alterum eiusdem speciei excellere, siue præcellere in gradu substātiali perfectionali, indiuiduali; applicando autem ad Luciferum dicimus, quod licet in eadem specie Seraphinorum habuerit Angelos alios in natura specifica sibi coæquales, nihilominus præcellebat alijs eiusdem naturæ Angelis in indiuiduali perfectione suę naturæ singularis iuxta gradū perfectionalem suæ naturæ atomæ, & singularis; & hinc fit, potuisse habere æqualem in natura specifica, itaut non præcesserit alios Seraphinos in gradu specifico, sed in gradu indiuiduali: Et hinc non implicat, vt sic præferri cunctis, etiam in eadem specie, id, quod non capit Suarez.

Gradus indiuidualis an in formis substantialibus.

6 De eodē excessu indiuiduali habet Scotus, dari gradus in formis substantialibus 8. Met. q. 3. Anton. Andr. ibid. q. 7. & 11. Met. q. 1. Cauell. super Scot. lib. de An. disp. 1. sect. 10. num. 4. probabile putat item Capreol. 2. d. 32. q. 1. Io. Maior q. 2. concl. 6. Hispal. q. 6. Rich. q. 1. Albert. ar. 6. Aegid. q. 3. 1. sch. 1. d. 3. q. 1. Ferrar. 1. Contrag. c. 3. Iauell. 8. Met. q. 6. [illegible] art. 1. p. q. 85. art. 7. Abulēs. q. 656. in cap. 15. Matt. item Conimbr. 2. de An. cap. 1. q. 5. art. 3.

Lucifer cur appellatur Cherub. nō Seraph.

7 Contra obstatur non esse supremum in Natura cūctis Angelis, & quidem penès Ezech. vocatur Lucifer, nō quidē Seraphinus, sed Cherubinus, vbi dicitur, *Tu Cherub extentus, & protegens*; ordo autem Cherubinorum nō est supremus, vt constabit. Respondetur, quod Lucifer duo in semetipso possidebat, scientiam, & charitatem, in qua conditus, siue creatus fuit; accidit verò, vt per peccatum amiserit charitatem, & amorem erga Deum, retinuerit autem altitudinē suæ scientiæ; & hinc fit, vt deperdito nomine, siue encomio Seraphini, quod incendium indicat amoris, gaudeat nunc, atq; fruatur solo titulo Cherubini, idem namq; impor-

tat

tæ Cherubinus, ac plenus intelligẽtia, ac scientia, remansit igitur Lucifer in natura specifica Seraphinorum, attamen perdidit flammam incendij, & amoris, & hinc fit, vt tacito nomine Seraphini appelletur solummodo Cherubinus.

Lucifer cur appellatur Princeps.

8 Obstatur etiam, quia D. Paulus Ephes. 6. Ipsum appellat *Principem*, ergo spectat ad ordinem Principatum. Sed respondetur, per id non ostendi esse de Hierarchia, & Ordine Principatuum, sed demonstratur Luciferũ fuisse Principem, siue antesignanũ super omnes Angelos in natura. Item appellatur Princeps in malo, quatenus ipse est primarius, & principalis incentor malorum; ipse enim tentauit Parẽtes nostros, in Paradiso, & Christum in deserto: & hinc ipsemet Christus appellat Principem, inquiens, *Nunc Princeps huius Mundi eijcietur foras.*

9 Dices, dedecens videtur supremam omnium creaturarum, imò verè primogenitam, damnatam fuisse, ergo non fuit Lucifer supremus. Respondetur, nihil implicat, sic namque conueniens fuit Iustitiæ diuinæ: non desunt autem exempla in scripturis, nam Cain fuit primogenitus Adæ, & nihilominus saluatur secundogenitus Abel, & Cain damnatur. Esaũ primogenitus fuit, & tamen Deus dixit, *Iacob elegi, Esaũ autem odio habui*, Iacob dexteram extendit super caput minoris, & sinistram super caput maioris. Dauid minor natu eligitur in Regẽ cæteris fratribus maioribus relictis.

Cur suprema creaturarum damnata.

10 Dices, Damascenus ait fuisse de his, qui præsunt ordini terrestri. Resp. præsedisse non immediatè, sed mediantibus Angelis inferioribus. Respond. 2. Gregorium docere oppositum.

11 Dices, August. 3. super Gen. ait, Principem Angelorum fuisse Archangelum. Respond. non quod fuerit de tali ordine, sed quia si non peccasset, habuisset Principatum super omnes, nam *Archos* idem est, ac Princeps.

Lucifer si supremus, cur appetijt præesse.

12 Dices, si Lucifer erat eminẽtior cunctis ex sui natura, cur ergo appetijt per superbiã præesse cunctis. Respondetur non appetijt præesse cunctis in natura, quia iam præerat, vt supponimus, sed appetitus eius dupliciter spectandus venit, primo *negatiuè*, nolendo subesse Deo ex quæst. præced. & secundo *positiuè*, tùm appetendo dominium supra cunctos: tùm hypostaticã vnionem, tùm cætera, de quibus quæst. anteced.

13 Dices insuper, nõ permisit Deus, Adam, qui erat Caput humanæ Sobolis, damnari, si ergo Lucifer eminentior fuisset cunctis Angelis, iam non fuisset damnatus. Responsio reconditur in thesauro diuinæ Sapientiæ, etenim *Cuius vult, miseretur, & quem vult indurat*, ex Paul. Rom. 9. *O altitudo sapientiæ, & scientiæ Dei: quis consiliarius eius fuit, aut quis nouit sensum eius*, teste eodem Paulo: ita enim egit, sicut placuit: congruentiæ autem de hoc afferentur infra.

Infernus an glorietur de præsentia Luciferi?

14 Dices vltimo, si Lucifer erat perfectissimus Angelorum, atq; supremus in natura, sequitur, Infernum gloriari nunc posse, se habere, & possidere perfectissimam creaturam inter cæteras, quas Deus ipse creauerit, ita vt ipsa gehenna possideat perfectiorem creaturam inter cæteras omnes quas Deus ab initio formauerit. Respõdetur, cessare gloriationem talem, immò potiùs ingemiscere Infernum, sciendo se possidere creaturam omnium creaturarũ prorsus infœlicissimam, etenim Lucifer ipse, teste Iob, *Caput est super omnes filios superbiæ*, vnde est, vt Infernus possideat creaturam quandam, quę à Deo ipso sit auersissima, atque eidem Deo omnino ingratissima, & super omnia opera ipsius Dei infœlicissima: an gloriari poterit de hoc Infernus? imo inconsolabilitèr dolebit, & luctitabit.

De vnoquaque ordine Angeli ceciderunt.

15 Constito vsque nunc, Luciferũ ex sui natura, spectasse ad supremum ordinem Seraphinorum, videndum esset de cæteris Angelis cadentibus, ad quem ordinem ipsi pertineant; Et quidem breuitèr dicimus ex vnoquoque ordine Angelos cecidisse, ita Magister in 2. dist. 6. apparet autem, quam maximè Dei misericordia, inquit Aug. quod *Nulla tota species Angelicã corruit, sed solummodo ex vnaquaque specie, aliqua indiuidua corruerunt*; occasio autẽ talis perditionis, & casus fuit ipse Lucifer, de quo Ioannes in Apocalypsi testatur, inquiens, quod ipsum *Traxisse*

Nulla tota species cor ruit.

cauda sua tertiam partem Stellarum; per Stellas autem, plerique explicant ipsos Angelos; nec mirum de hoc, quoniam Iob 41. ait, quod *Ipse est caput super omnes filios superbiæ*, igitur Lucifer ipse primaria fuit occasio ruinæ Angelorũ.

De vnoquoque ordine ceciderunt.

16 Singularius autem accedẽdo ad ipsos Angelos corruẽtes ex instigatione Luciferi; docet Magister dist. 6. eos fuisse ex vnaquaq; specie Angelorum, & probatur hoc ex Apost. ad Ephes 6. vbi de malis Angelis loquens, mentionem facit de Principatibus, & Potestatibus, &c. Probatur etiam, quia Electorum, & Prædestinatorum animæ assumuntur ad gloriam, vt repleãt Angelorum corruentium sedes, iuxta illud Psalmistæ, *Implebit ruinas, conquassabit capita in terra multorum*; merita autem ipsorum Electorum varia, & multiplicia sunt, ideoque assumuntur ipsorum animæ ad sedes Angelorum, tùm superiorum, tùm inferiorum, iuxta varietatem meritorum, & iuxta distinctionem Hierarchiarum, ex quibus varij Angeli corruerunt.

Dæmones nec Seraph. nec Throni appellantur

17 Dices, ipsimet Dæmones appellantur ab Apostolo, loco recensito, *Principes, Cherubin, & Potestates*, non autem *Throni*, *& Seraphini*, ergo de his non corruerunt. Respondetur Primo, negando consequens, quia *Argumentum ab Authoritate negatiuè non tenet*. Respondetur Secundo, quod nomine *Principum*, *seu Potestatum* communiter supremi Angeli comprehenduntur, & supremi Angeli spectantes ad ordines superiores, reddendo singula singulis: vnde Potestas, & Sciẽtia, ac huius generis, bene competere possunt, etiam malis Angelis, quoniam etiam ipsi fortes, & potentes sunt ad malum: sicut insuper scientissimi sunt: At Seraphini minimè appellandi sunt, quia carent ardore amoris, & charitatis, quam importat ipsum nomen, Seraphim: Quemadmodũ nec eis competit nomen Throni, quod indicat *Sedem Dei*, speciali modo inhabitantis; in malis autem Angelis non sic Deus specialitèr inhabitat, carent enim gratia Dei, indignique sunt esse Thronus Dei: Angeli autẽ mali inferiores, sunt potius Throni Luciferi, in quo tantopere tamquam Duce, & antesignano, gloriantur, quemadmodum dicuntur Serpentes esse Thronus Reguli asportantes eum in humeris suis.

18 Aduersus hoc obijcitur, quia in cap. *Hi duo*, de consecr. d. 1. habetur, *Decimus ordo per superbiam corruens, angelicum numerum minuit*. Accedit Salonius dial. Eccl. inquiens, *Decem sunt ordines Angelorum, sed vnus cecidit per superbiam, & ideo boni Angeli semper laborant, vt de hominibus, numerus adimpleatur, & perueniat ad perfectum numerum, idest, denarium*, ergo nõ corruerunt ex omnibus ordinibus. Magister sentent. in 2 dist. 9 cap. 7. respondet, inquiens, *Quod verò legitur decimus ordo complendus de hominibus, ex tali sensu dictum fore, accipi potest; quia de hominibus restaurabitur, quod in Angelis lapsum est, de quibus tot corruerunt, vt possit fieri decimus ordo, propter quod dicit Apost. restaurari omnia in Christo &c.* hæc ille. Insuper Glosa ibidem, sic ait, *Decimus, non quod decimus cecidit, sed tot, quot sufficiebant ad decimum ordinem perficiendum*.

Decimus Angelorũ ordo cecidit,

QVÆSTIO IX.

Vtrum Michael sit omnium Angelorum supremus?

1 NOn quærimus, vtrum Michael sit supremus inter omnes Angelos absolutè, & simpliciter, etenim præced. quæst. visum fuit, supremum omnium in Natura angelica fuisse Luciferũ: sed inquirimus, verũ inter Angelos omnes beatos sit Michael ipse eminentissimus.

2 In hac autẽ rè Doctores, & Patres multi varia sentiunt: Et in primis Dionys. de cœlest. Hierarch. cap. 9. ait, Michaelem spectare ad ordinem Principa-

cipa-

cipatuum. Ex quo fit, vt non sit inter eos supremus; patet, quoniã inter omnes, Seraphini spectant ad supremam Hierarchiã, ipsiq; superiores sũt Principatibus. D. Hieron. in Dan. 10. enumerat ipsum in ordine Archangelorũ. D. Thom. 1. par. q. 113. art. 3. modo inter Principatus ipsum collocat, modo inter Archangelos, & in 2. sent. d. 10. circa exposit. literæ, ipsum enumerat inter Principatus, quod etiã facit Tolet. in Luc. 1. annot. 45. Quod vero inter Principatus sit collocandus, probabari etiam potest ex eod. cap. 10. Danielis, quandoquidem ab ipsomet Daniele appellatur *Princeps magnus*, atq; *vnus de Principibus primis*: prout etiã habetur penès eundem cap. 12.

3 Videtur autem aliundè spectare ad ordinẽ Archangelorum, prob. quia Iudas Apost. in sua Canon. cap. 19. ipsum appellat Archangelum. Item sæpè sæpius ab Ecclesia, hoc titulo insignitur, vt in eius officio habetur, *Sancte Michael Archangele defende nos in prælio. Michael Archangele cõstitui te Principem super omnes animas suscipiendas.*

4 Aliundè tamen spectare videtur ad ordinem Potestatum; ratio, quia Potestatum munus est debellare, atque arcere Dæmones: munus autem illud subijt Michael, dum præliabatur cum Dracone, debellando, & arcendo ipsũ, penès Apocal. 12.

5 Dixerunt alij spectare ad ordinẽ Virtutum, ratio, quia ad Virtutes spectat facere mirabilia, id autem præstitit Michael, de quo Gregor. ait, *Quoties cunque miræ virtutis aliquid agitur, Michael mitti perhibetur, vt ex ipso actu, & nomine detur intelligi, quia nullus facere potest quod facere prævalet Deus.* Vt in eius habetur officio ex homil. 34. in Euangel.

6 Dicunt alij non spectare ad ordinem Seraphinorũ, ratio, quia vt constat ex Disput. de Missione Angel. Angeli supremæ Hierarchiæ appellantur *Assistentes*, nec mittũtur ad extra: mittuntur enim Angeli ordinem inferiorum, at Scriptura penès Dan. 10. docet, Michaelem fuisse sæpiùs missum, ergo nec erit omniũ, qui remanserunt, supremus, cum ordo Seraphinorum sit supremus.

7 Quidquid tamen sit de his, Nos primo dicimus. In tota natura angelicã supremus est Lucifer, spectando bonos, & malos. Assertio probata remanet in quæst. præced. In tota Natura angelica Lucifer supremus.

8 Dicimus Secundo, loquendo de Angelis Beatis, supremus, atque eminẽtissimus omnium est Michael: ex quo deducitur, ipsũ esse de ordine Seraphinorum. Probatur autem tùm ex titulis varijs, tùm vero ex circunstantijs plurimis, quæ accidere solẽt circa Michaelem ipsum. Et Primo Daniel. 10. Michael appellatur *Vnus de Principibus primis*: non est autem intentum Danielis collocare ipsum inter Principatus, sed per *Principem* intelligit eminentiam Michaelis, etenim in politicis contingit, vt maiorem omniũ appellemus *Principem*, prout etiam Scriptura Isa. 42. ait, *Princeps iste noster*, idest caput, & antesignanus noster: atque hinc Ecclesia de eo loquẽs, inquit ad ipsum, *Princeps gloriosissime Michael Archangele &c.* Notandum vero, Danielem, nedum Principem eum appellasse, sed esse insuper dixit, *de Principibus primis*, quo magis pateat eius eminentia: & confirmatur, quia eadẽ Ecclesia in Hymno sui Officij, inter cætera canit, inquiens, *Collaudemus venerantes omnes Cæli milites, sed præcipuè Primatẽ cælestis Exercitus, Michaelem &c.* ergo Ecclesia dat ei absolutè Primatũ. Dices, non ait Daniel, *Michael Princeps primus*, sed *vnus ex Principibus primis*, ergo sunt plures Principes, quorũ ipse sit vnus, non tamen quod sit omnium Princeps primus. Respond. comparando Michaelem ad totam naturam angelicam, non erit vtique Princeps primus, cum vt dicimus, Princeps primus sit Lucifer, Michael vero inter Principes alios, atque maiores, sit & ille vnus ex eis; ac propterea dixerit Dan. *Vnus de Principibus primis*, at loquendo de Angelis, qui remanserunt solummodo, vt sunt Angeli boni, ille absolutè est *Princeps primus*, & ob id, Principis titulo honestatur ab Ecclesia, atque titulo *Primatis*, *& præcipuè Primatem cælestis exercitus Michaelem &c.*

Michael supremus supremus inter Angelos sanctos.

Michael Princeps.

De ordine Seraphinorum.

9 Item Clemens Alex. lib. 6. strom. Michaelem collocat in ordine Seraphinorũ. Basilius homil. 2. de Michaele

videtur

videtur rem decidere, ait enim, *Michael Dux supernorum Spirituum, qui dignitate, & honore prælatus es omnibus Spiritibus supernis, tibi supplico.* Laurent. Iustinian. serm. de Michaele, sic scribit, *In primo spirituali consilio cæteris Spiritibus sanctis prælatus est Michael, sicut Lucifer prælatus est malis.* Hi autem Patres planè conclusionem nostram confirmant: idemque sequuntur Catharin. super cap. 1. Epist. ad Hebr. Pantaleon homil. de Michaele, atque Viegas in Apocal. 12.

10 Suadetur aliundè, Michael constitutus fuit Dux, & Princeps militiæ cœlestis ad debellandum Principem militiæ infernalis Luciferum, quē prostrauit verbis illis, inquiens, *Quis, vt Deus*; atque inde tale nomen sortitus fuit, idem namque sonat *Michael*, ac *Quis vt Deus*; ergo ipse est Beatorum Angelorum Princeps: Probatur consequentia, etenim sicut infernalis militiæ Dux, & Princeps est Lucifer, ita ad ipsum debellandum, destinari debuerat ex opposito Dux, & Princeps militiæ cœlestis.

11 Nec desunt ad hoc congruentiæ plures. Et in primis, in sacris Litanijs, Ecclesia post inuocationē Beatissimæ Virginis, illico inuocat Michaelem, dicendo, *Sancte Michael ora pro nobis*, inde vero procedit ad cæteros: quo fit, vt primū ei locum sibi paret Michaeli. Item eadem Ecclesia in Missa Defunctorum canit, inquiēs, *Signifer Sanctus Michael repræsentet eas &c.* idem autē est appellare signiferum Michaelem, ac vexilliferum: ratio, quia ipse, ante venturum Iudicem præibit, ferens vexillum Crucis, tunc, quando *Apparebit signum filii hominis*, vt docet Ekius homil. 8. in Festo Sancti Michaelis, erit ergo Vexillifer Christi Domini, tanquam supremi Regis, & Iudicis. Insuper appellatur *Præpositus Paradisi*, vt in eius officio dicitur, *Archangelus Michael Præpositus Paradisi, quem honorificant Angelorum Ciues.* Appellatur *Princeps* militiæ cœlestis, vt diximus, *Primatem cœlestis Exercitus.* Item *Præses*, seu *Custos*, & *Præfectus* Ecclesiæ militantis, sicut namq; in testamento veteri erat Præfectus, & Custos Sinagogæ Hæbreę, ita nunc est Custos, & Præses, ac Præfectus Ecclesiæ, ex Dion. Cœl. Hier. cap. 9. Gregor. cæterisque Theologis. Præterea vocatur Princeps, & Præses super officio animarum saluandarum, iudicij tempore, & mortis: propterea ad ipsū dicitur, *Michael Archangele constitui te Principem super omnes animas suscipiendas*, cuius gratia, cū gladio, & statera depingitur, vt inde pateat, potestatem habere, animarum merita, demeritaq; librandi, vel ad gehennam, vel ad gloriam. Rursus ipse est *Vnus ex septem, qui astant ante Deum* Tob. 12. ac deniq; ipse interficiet Antichristum, exponente D. Thom. Vgone Card. Dion. Carth. verba Apostoli dicentis, *Tunc reuelabitur ille iniquus, quē Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui* 2. ad Thessalon. cap. 2. itaut per spiritum oris Christi intelligant personā Michaelis: plura in eius laudem congerit Pantaleon vbi supra.

Michael Vexillifer Crucis in iudicio.

Michaelis tituli plures, & encomia.

Michael interficiet Antichristum.

12 Non est autem silentio prætereundum id, quod Franciscus Scymenes Patriarcha Hierosolymit. lib. 2. de vita Christi, ait de Michaele, refert .n. reuelatum fuisse Diuo Gregorio Nazianzeno, Custodem Angelum Beatissimæ Virginis fuisse Michaelem. Scio Bernardum Epist. 77. docere, fuisse Gabrielem: quidquid tamen sit, non parum honoris, & existimationis est de Michaele, vt non desit, qui ipsum, Custodem fuisse Virginis asseuerit. Nos autem meliora proferenti de thesauro sapientiæ suæ; adhæremus.

Virginis custos, an Michael, an Gabriel.

13 Ac denique Rupertus concludit, inquiens, *Multa sunt, nimis, & plura quæ commemorari possunt, quæ per ministerium Principis, huius facta contestitur.*

14 Ad obiecta vero dicendum Primo, si vocatur Princeps, non per hoc ad ordinem spectat Principatuum, sed potius indicat, primū esse inter Angelos Beatos. Item dum appellatur Archangelus, id, ratione officij, & iniuncti ministerij sibi adscribi, non ratione naturæ, sicut enim nomen est Angeli, *Nomen est officij, non naturæ*, ex initio huius Tract. ita & nomen Archangeli. Idemque dicendum de nominibus alijs, Virtutū, Potestatum, cæterisque, hæc enim ratione officij assumuntur à Michaele, non naturæ. Ad illud denique, quod Seraphini non mittuntur, at

Cur appellatur nominibus pluribus.

ipse

ipso mitti perhibetur, oppositum patet ex Isaiæ 6. *Volauit ad me vnus ex Seraphin*, de qua rè in disp. de Missione.

15 Viegas loc. cit. addit, Michaelem impressisse sacra Stigmata Beatissimo Patri nostro Francisco: quod colligit, ex eo, quod tunc temporis, ieiuniū Michaelis eiusdem agebat, ita num. 8. cap. 12. Apoc. Hoc autem Franciscani ægrè ferūt, aiunt enim ipsum Christum in persona, hæc gessisse, innixi metro cuidam Hymni sacrorum Stigmatum ad Vesperas, vbi canitur.

Stigmata D. Francisco quis eum impressit.

Ad quem venit Rex è Cœlo,
Amictu Seraphico,
Sex alarum tectus velo,
Aspectu pacifico.
Affixusque Crucis telo,
Portento mirifico,
Cernit seruus Redemptorem,
Passum impassibilem,
Sectorum Imperatorem &c.

Solutio autem quæstionis illius pendet à quæstione illa, vtrum apparitiones Christi fuerint personales, an impersonales: de qua rè nos egimus tom. 2. de Trinit. dubitanti vero cuidam de re hac, an Angelus Francisco Stigmata impresserit, apparuit ipsemet Seraphicus Pater, inquiens, *Scias, quod ille, qui mihi tunc apparuit, non fuit Angelus, sed Dominus meus Iesus Christus, in forma Seraph.* ita refert Barthol. Pis. in Con[form.] prol. 2.

QVÆSTIO X.

De cæteris peccatis Luciferi.

1 COmperto iam potuisse Angelum peccare, appetendo æqualitatem Dei, facilè est nunc adinuenire cætera peccata Angelorum. Post vero inordinatū amorem sui, siue post spirituale luxuriam, quæritur subsequenter quodnam fuerit inde primum in ordine, ad peccatū tale antecedens.

2 Pro rè hac est communis sententia, tùm D. Thomæ, tùm Scoti, primum in tali ordine subsequenti, fuisse inordinatum amorem beatitudinis, ita ille 1. par q. 63. art. 3. & ille in 2. d. 6. q. 2. sub lit. C. licet autem sic conueniant, nihilominus aliqualitèr discrepant, Scotus namque ait, fuisse inordinatum amorem beatitudinis tantum supernaturalis, cum tamen D. Thom. asserere videatur, fuisse amorem vtriusque, tùm supernaturalis, tùm naturalis. Probat vero Scotus, amorem talem inordinatum non fuisse beatitudinis naturalis, quoniam primum concupiscere inordinatum non processit ex affectione iustitiæ, quia non fuisset peccatum, ergo fuit ex amore commodi; sed maximum commodum maximè appetitur à voluntate non sequente regulam rationis rectæ, beatitudo autem naturalis non est maximum commodum, sic potius beatitudo supernaturalis, ergo primum, quod affectione commodi appetijt, fuit beatitudo supernaturalis, non naturalis. Discursus fundatur super Anselmo, & super anterius dictis, quia omnis amor, vel est amor concupiscentiæ, siue commodi, vel amor iustitiæ, siue affectio iustitiæ: quod autē beatitudo non naturalis, sed supernaturalis, sit vltimus finis, & maximum commodum creaturæ intellectualis de fide constat, ipsa namque plenè satiat, vt Psalm. 40. *Satiabor cum apparuerit gloria tua.*

Amor omnis, vel commodi, vel iusti.

3 Confirmatur argumentum, quia dato hoc, quod primo appetierit beatitudinem naturalem, sequeretur, passionem aliquam ignorantiæ extitisse in intellectu angelico ante culpam. Probatur, quoniam ignorasset, v. g. beatitudinem supernaturalem esse vltimū finem, æstimando vltimum finem esse beatitudinem naturalem quam primo, & tantoperè appetijt: dicere autem hoc de Angelo, nefas est, optimè enim nouit hominis, & Angeli vltimum finem, atque beatitudinē finalē non esse

crea-

creaturam, non esse res ordinis inferioris, finiti, & limitati.

4 Hoc expedito probamus breuitèr ex eodem Scoto, primum peccati, secundum velle concupiscentiæ fuisse inordinatum amorem beatitudinis supernaturalis. Primo sic, velle primū inordinatum Angeli non processit ex affectione iustitiæ, sed ex affectione commodi, ergo concupiuit primo beatitudinem supernaturalem: patet antecedens, & probatur, quia si processisset ex affectione iustitiæ, iam non peccasset, probatur autem consequens, quia summum commodum est summè concupiscibile; beatitudo autem est tale comodum, ergo fuit primo à voluntate Angeli concupita. Confirmatur, quia voluntas inordinata appetit appetitu inordinato id, quod sibi comodum est æquè primo, igitur æquè primo appetijt beatitudinem supernaturalem. Argumentum hoc vtique videtur idem esse cum argumento antecedentèr facto ad probandū, appetijsse beatitudinem supernaturalē, nihilominus discrepat ab eo in ratione medij termini, quoniam in primo argumento probabatur, beatitudinem esse summè appetendam; in hoc vero argumēto demōstratur, eandem beatitudinem esse primo, & principalitèr appetendam, siue fuisse ab Angelo primo, & principalitèr appetitam.

Primum q Angelus appetijt.

Prim⁹ amor Angeli ad quoddam terminatum.

5 Secundo probatur, velle inordinatum Angeli non fuit appetitus honesti, vt patet, ergo fuit voluntas, & appetitus boni delectabilis, summum vero delectabile est beatitudo, ergo primo appetijt supernaturalem beatitudinem; loquimur autem de primo velle concupiscentiæ ipsius Angeli. Dices, primum velle Angeli non fuisse amorem boni honesti, neq; fuisse amorem boni delectabilis, sed fuisse amorem boni vtilis, ergo non primo appetijt beatitudinem tanquam bonum delectabile. Retunditur autem euasio ista, & quidē ait Scotus, quod prius est bonum delectabile, quam vtile, experientia patet, quia bonum vtile, ideo vocatur vtile, quoniam ad aliud est vtile, igitur prius concupiscitur id, ad quod est vtile, quam concupiscatur ipsum vtile; solet autem delectabile præcedere ipsum vtile, ideo namq; vtile bonum appetimus, quoniam delectationē experimur in assecutione ipsius vtilis; & nisi delectatio nos moueret, vtique non assequeremur ipsum vtile, ergo delectabile est primum, ergo ab Angelo concupita fuit primo loco delectatio, atque delitiæ beatitudinis. Dices, potionem amaram sumimus, vtilem quidem, at non vt delectabilem. Respondi, & si nō sit delectabilis gratia sui, est tamen delectabilis gratia sanitatis per eam consequendæ.

Delectabile an præcedat vtile.

6 Vltimo probatur; potentia appetitiua, consequēs potentiam apprehensiuam appetit primo obiectum delectabile conuenientissimum suæ potentiæ cognitiuæ; sed obiectū potentiæ cognitiuæ Angeli conuenientissimum tali potentiæ, est supernaturalis beatitudo, ergo hæc eadem primo appetitur, & concupiscitur à potētia appetitiua Angeli; Antecedēs patet discurrendo in nobis de potentiis appetitiuis, & apprehensiuis, quandoquidē potentia apprehensiua gustus concupiscit, & appetit primo obiectū, quam maximè conueniens suæ potentiæ apprehensiuæ, ita vt si apprehensiua potentia sensus gustus apprehenderet primo gustabile omnino perfectissimum, atque summum in genere obiecti potentiæ gustus, vtique ipsa potentia gustatiua appeteret primo idem obiectū perfectissimum, atque summum in genere obiecti gustus. Dices, sæpè sæpius potentiam appetitiuam gustus nō appetere illud perfectissimum obiectum gustus, ergo falsus discursus. Occurritur ad hoc, quod per accidens est, vt primo non appetat tale perfectissimum obiectum gustus, & id quidem prouenire potest ex duplici capite, Primo quoniam potentia apprehēsiua gustus non apprehendit antecedentèr, neque percipit de tali perfectissimo obiecto gustus, quo stante, sequitur, vt neque potentia appetitiua possit primo appetere tale perfectissimum obiectum gustus, quia potentia appetitiua sequitur cognitiuam. Secundo, quoniam fortasse voluntas distrahit potentiam appetitiuam gustus ab appetitu obiecti summè appetibilis, applicando potentiam

Potētia fertur ad perfectissimum obiectū, nisi impediatur.

[illegible]

tiam talem ad appetendum obiectum non ita perfectũ in genere gustus. Vel Tertio, quia eadem et potentia appetitiua erit fortasse alterata ex temperamenti alteratione, ita vt ex deordinatione humorum, & qualitatum, potius appetat obiectum minus appetibile, quam summè appetibile, vt euenire solet in febricitantibus, ac similibus. De Angelo autem dicimus, potentiam ipsius cognitiuam non fuisse impeditam, ita vt potuerit quidem percipere hoc summum bonum, modo tamen sibi possibili, quo stante, potentia ipsius appetitiua, verisimile est, idem summum bonum apprehensum, & cognitum appetijsse ab initio, atque concupiuisse, apprehendisse, inquam, modo sibi possibili.

Appetendo beatitudinē Angel⁹ qualiter peccauerit.

7 Ostenso hoc, appetijsse Angelum supernam beatitudinem, videndũ est, quomodo appetitum talis fuerit peccaminosus, siue quonam modo peccauerit Angelus in appetendo cœlestem beatitudinem. Scotus docet, hoc euenire potuisse pluribus modis, & quidẽ triplicitèr circa hoc Angelum peccare potuisse. Primo, volendo beatitudinem cũ maiori conatu, quam sibi conueniret; & ita primo peccasse quantum ad *intensionem*, nempè habendo actum appetentiæ beatitudinis intensiorem, quam debuerat esse, & sic peccauit primo, quantum ad intensionẽ. Circa quod peccatum, probabile est, quod voluntas eius excesserit, vel plus appetendo sibi beatitudinem, quam amando obiectum beatitudinis in seipso, ita vt magis amauerit commodũ ex beatitudine proueniẽs, quam Deum ipsum, qui est obiectum beatitudinis; Vel insuper magis appetendo tale bonum sibi ipsi, quam alijs, nempè ipsi Deo: et quidem obiectum primum nostri amoris debet esse Deus, atque bonum, quod appetimus, debemus primo appetere inesse Deo, & inde inesse nobis, sub istis ergo specificationibus peccare potuit primo quantum ad intensionem; Peccauit secundo Angelus, quantum ad *accelerationem*, vt pura appetendo beatitudinem citius, quam sibi conueniret, cum tamen ordinauerit Deus, beatitudinem illis conferre post morulas viæ; Vel tertio peccauit quantum ad *causam*, appetendo ipsam alitèr, quam sibi posset conuenire, nempè desiderando eam sine meritis, & ipsam appetẽdo absque auxilio gratiæ Dei, cum tamen confisus fuerit, assequi potuisse ipsam proprijs naturæ viribus, absque auxilio speciali gratiæ, quæ quidem omnia causa fuerunt, vt Angelus peccaret, debebat namque eam sibi promereri, expectãdo Dei auxilium, quo mediante non viribus naturæ, sed auxilio gratiæ ipsam denique beatitudinem consequeretur. Hi sunt modi, quibus peccare potuit Angelus circa appetentiam beatitudinis.

8 Obijcit Scotus contra id, quod proposuimus, Angelum peccasse in appetendo beatitudinẽ; Et Primo, Beatitudo naturalitèr appetitur; sed appetitus naturalis est semper rectus, ergo Angelus non peccauit in appetendo beatitudinem. Antecedens patet ex Augustino lib. 13. de Ciuit. cap. 5. arguit, secundo, *Nullus intellectus errat circa prima principia*, ex 2. Meth. textu 1. ergo nec voluntas errabit circa vltimum finem; probatur consequẽs, quia *Sicut principia in speculabilibus, ita finis in operabilibus* ex secundo Physicorum cap. 12. igitur volũtas Angeli non peccauit in appetendo beatitudinem. Arguit vltimo, omnes Angeli boni, & mali habuerunt affectionem commodi, secundũ Anselmum in lib. de Concordia: igitur omnes æquanimitèr peccauerunt in appetendo commodum beatitudinis: sed hoc est falsũ, ergo nullus eorum peccauit.

Appetitus naturalis an semper rectus.

9 Respondemus ad Primum, falsũ esse, appetitum naturalem esse semper rectum, vt experientia docet: & præcipuè id contingit in Statu Naturæ corruptæ in hominibus, natura namque humana *prona* est ad malum ab adolescentia sua: & consimilitèr in omni natura intellectuali creata, non omnis naturalis appetitus est rectus, & quidẽ in Angelo appetitus naturalis ad inordinate amandum semetipsum non fuit rectus, & sic de singulis. vnde est, vt voluntas consequẽs talem appetitum non sit recta, vt autem recta sit, oportet eam consequi inclinationem, & regulam rationis rectæ, quam sequẽdo non errat; poterat verò inordinatè Ange-

lus appetere beatitudinem, sicut poterat ad eandem inordinato modo inclinari, vt est dictum. Appetitus ergo naturalis quandoque erit rectus, dum eo inclinamur ad bonum; quandoq; malus, dum inclinatio stat ad homicidia, odia, vindictã, illecebras, obscena &c. appetitus beatitudinis vtiq; rectus est, & bonus, ratione obiecti boni; at malus fuit in Angelo ratione modi.

10 Respondemus ad Secundũ, contingere posse oppositũ vtriusque, etenim poteßi errare intellectus circa prima principia, attribuendo ea alicui subiecto, cui non conueniunt, ita quod intelligat intellectus aliquod primum principium prædicari de subiecto, cui non conuenit tale principium, & ita errabit in falsa prædicatione prædicati de tali subiecto; ita etiam & voluntas errare poterit circa appetitum vltimi finis, non quidem contemplando vltimum finem absolutè, & secundum se, siue simpliciter, quoniam talis inclinatio bona est, & recta, omnes enim ordinamur ad Deum, tamquam in vltimum finem nostræ beatitudinis; sed errare poterit ex appetitu vltimi finis, appetendo beatitudinem iuxta varios modos recensitos, de quibus supra.

11 Respondemus ad Tertium, verũ esse in omnibus Angelis fuisse affectionem commodi circa beatitudinem, immo in Angelis nobilioribus, inquit Scotus, fuisse maiorem inclinationem naturalem, sicut Angeli nobiliores habuerunt nobiliora naturalia; etenim inclinatio naturalis correspondet proportionabilitèr ipsi naturæ, ita vt nobilior natura magis inclinetur, & natura inferior inclinatur minus; nihilominus discrepabãt boni Angeli à malis in eo, quod talem inclinationẽ, siue affectionẽ commodi, Angeli boni moderabantur, appetẽdo scilicet, beatitudinem conformitèr ad regulam, & legem rectam, Angeli autem mali non sic moderabantur, sed immediatè, & intemperatè appetiuere beatitudinem modo inordinato, vt supra.

Inclinatio maior, & minor iuxta naturalia.

12 Post peccatum istud concupiscentiæ, siue commodi de propria beatitudine inordinatè appetita, inquit Scot. in eadem dist. 6. q. 2. l. m. quod appetijt ipse Lucifer excellentiã, & præeminentiam supra alios Angelos; & de hoc loquendo, apertè dicendum esset, appetitum talem fuisse verum peccatum superbiæ, de qua egimus supra in propria quæstione, est namq; superbia, vt diximus, *inordinatus appetitus excellentiæ aliorum*, & loquendo de hac, dicendum erit, peccatum hoc fuisse verè, & apertè vnum de septem capitalibus, appellatum superbia, atque de hoc concludunt rationes, & auctoritates Scripturarum, & Patrum allatæ supra in propria quæstione, appetijt igitur Lucifer ipse præcedere alijs.

Superbia Luciferi in quo.

Superbia quid.

13 Dices, si Lucifer erat iam cunctis alijs nobilior, atque eminentior in Natura, vt modo supponimus, de quo infra; quomodo appetere potuit eminentiam, & præcellentiam supra alios; etenim appetimus id, quod non habemus. Lucifer autem iam à natura habebat talem supra alios eminentiam, ergo nõ potuit hoc appetere. Respondetur, quod licet eminentior fuerit cunctis Angelis in natura, vt supponimus, nihilominus appetebat vnum aliud, quod non habebat; quod vero fuerit illud, vtique poterit ad hæc capita reuocari; Vel namque appetijt prælationem, & Principatum, siue Imperium, atque dominium supra alios, vt dicemus. Vel Secundo, Hypostaticam Verbi vnionem, qua mediante adoraretur à cunctis. Vel Tertio denique appetierit, similem esse Deo in natura, ita vt tamquam Deus præmineret, & præcelleret cunctis; per illos ergo modos appetijt Angelus excellentiã super alios, quam excellentiam nõ habuit, & ideo eam appetebat.

Quidnam Lucifer appetijt.

14 Circa appetitum autem propriæ excellentiæ supra alios, talis extimatur fuisse appetitus eius, vt nedum concupiuerit præesse creaturis, verum etiam appetierit nulli prorsus subesse, immo nec ipsi Deo, inquit enim Gregorius Moral. cap. 13. *Sui peruersa libertatis appetijt, vt præesset cæteris, & nulli subesset*, atque August. 14. de Ciuit. Dei cap. 11. *superbus Angelus quidam tyranico fastu magis dominari eligens, quam esse subditus*, de Paradiso cecidit. Circa hanc vero probationem Basilius orat. 17. & Bernard. serm. 17. in cant. limitabat ipsam solùmodo super homines.

Appetitus propriæ excellentiæ supra alios.

Alij

Alij vero ipsam ampliant supra cæteros Angelos, & homines; parum namque videbatur Lucifero præesse hominibus, nisi etiam appetijsset præesse cæteris Angelis, immo nulli subditus esse.

Appetijt nõ subesse Deo

15 Hoc vero, quod dicitur appetijsse non subesse Deo, potest altero ex duobus modis intelligi: vel primo nõ subesse Deo quo ad conseruari in esse suo, nec quo ad dependentiam ab eo in operari. Vel secundo, quo ad imperium, dominium & seruitutem. Primo modo non potuit appetere, namque plenè norat, creaturam dependere à Deo in esse, fieri, & conseruari, cuius manutenentia cessante, destrueretur creatura, nisi cõditionatè, puta, si possibile foret creari, & conseruari aliundè quam à Deo, vtique id appeteret, appetendo potius habere esse à sè, & dependenter à nullo. Secundo autem modo appetijt liberum esse ab imperio Dei, nolens obedire Deo, affectans exemptũ esse à seruitute, obedientia, & obsequio præstando ipsi Deo; hoc enim est proprium superbi, nulli subesse; superbia namque est *super alias rex ipse autem est caput super omnes filios superbiæ*. Isaia 42.

Appetijt vnionem hypostaticam.

16 At hinc dubitatur, vtrum Lucifer appetierit etiam excellentiã vnionis hypostaticæ, qua mediante potuisset cunctis præesse; discursus ille supponit, vnionem hypostaticam Verbi diuini cum Natura humana fuisse iam reuelatam Angelis ante ipsorum peccatum: qua stante reuelatione adeò superbiuit Lucifer, vt sibi potiùs vnionẽ talem appetierit, quam Naturæ humanæ, extimando sibi potiùs conuenire debuisse, ob naturalem eius excellentiam, vt ait Bonauentura in 2 d. 5. q. 1. art. 2. quam alij naturæ, ipsi Lucifero inferiori; Et inde etiam accidit, vt eidem humanæ Naturæ de tanto bono inuidendo, prælium cum suis Satellitibus contra Deum commiserit, iuxta locutionem Ioannis, *Factum est prælium magnum in Cœlo, Draco pugnabat, & Michael &c.* ita D. Bernardus super cap. 2. Ionæ, vbi ait, *Præuidit Lucifer hominem fore assumendũ in vnitate suppositi à Filio Dei, vnde vidit, & inuidit.*

Luciferi inuidia naturæ humanæ,

In eadem quoque sententia est Rupertus Abbas super Ioannem 8. Catharinus super tertium Genes. Alens. 3. par. q. 2. mem. 13. Valent. in Psalm. 85. Viguer. cap. 3. §. 2. Malon. 1. dist. 6. disp. 2. pluresque alij, quod confirmari potest Pauli Ep. 1. ad Hebr. cap. 1. dicentis, *Et cum iterum introducit Primogenitum in Orbem terræ, dicit, adorent eum omnes Angeli eius*; Ex quo autẽ dicit Paulus, *iterum introducit*, datur intelligi, antequam per temporalem natiuitatem in carne visibili introductus fuisset in mundum, introductũ etiam fuisse primo, siue propositum fuisse in conspectu Angelorum, per reuelationem de eodem Christo Angelis factam ab initio, cum mandato, & præcepto, vt ipsũ adorassent omnes Angeli Dei; Confirmari potest ex Ioannis 8. vbi ait Christus, *Vos ex diabolo patre estis, & desideria patris vestri vultis perficere, ille homicida fuit ab initio*; quod si Christus ait, Diabolum homicidã fuisse ab initio, videtur ostendere, quod in eo instanti, in quo Angelis facta fuit reuelatio de Christi Incarnatione, ipse Lucifer rebellãdo, machinari inceperit occisionem Christi, tunc quidem in idea, atque proposito, siue voluntate, & affectu, postmodum vero executioni tradendam, imperio Herodis ordinantis cædem Sanctorum Innocentium: ob quod Ioseph accepit oraculum ab Angelo, Lucæ 4. *Tolle puerum, & fuge in Aegyptum, futurum est enim, vt Herodes quærat puerum ad perdendum eum*. Ex quo autem subdit Christus Dominus, *desideria patris vestri vultis perficere*, colligitur idem, etenim dum Hebræi machinabantur mortem Christo, quod erat perficere desiderium Diaboli, signum est, quod antecedenter idipsum appetierit Diabolus. Accedit Ezech. 28. vbi Lucifer ait, *Deus ego sum*; & Isaia 14. *in Cœlum conscendam, similis ero Altissimo*, non autem loquitur de ascensu ad Cœlum Empyreum, quoniã ibi iam erat, ibique creatus fuerat, vt fuit ostensum, ergo de ascensu loquitur metaphorico, & morali, appetitus vnionis hypostaticæ cum Verbo. Accedit, quod Lucifer inuidit humanæ naturæ, ex eo, quod præuidit, ipsã assumendam fore ad hypostaticam Verbi vnionem, ex auctoritate Bernardi re-

Ascensus Luciferi qualis nam.

censtra, igitur ex tali peccato inuidiæ concupiuit sibi talem hypostaticam vnionem.

Introductio iterata Filii Dei qualis sit.

17 Hæc, quæ vsque modo dicta sūt circa hoc, reddit quidem probabilem sententiā illam, præcipue propter auctoritatem Bernardi prædictam, nihilominus non ab omnibus recipitur prædicta sententia, vt præsertim videre est, penes Molinam 1. par. q. 63. art. 3. m. 5. vnde Carthusianus in 2. dist. 5 q. 1. ait, *Nihil esse in re hac temere asserendum*; & patet ex solutione rationum, quibus præcedens sententia innitebatur; Et quidē prædicti Auctores in alium sensum detorquent loca prædicta; illud enim Pauli de iterata introductione Filii Dei in Mundum explicāt sub alio sensu, & *Primo* introductum fuerit in ipsum mundum in carne passibili, & mortali per ipsius conceptionem, atq; natiuitatē ex beatissimæ Virginis vtero; qua introductione facta receperint præceptū Angeli ipsum adorandi, prout etiam de facto, ipsum natum Dominum boni adorauerūt, vt habet Luc. 2. *Facta est multitudo Angelorum exercitus collaudantium Dominum*; Secundo autē introducendus sit idem Filius Dei in carne impassibili, & immortali, tempore quo adueniet ad finale iudicium ad iudicandum homines; siue etiam intelligi aliter potest, iam quidem Deus Ipse erat, sicut est in ipso Mundo, ea ratione qua Deus est in sua deitate, quando autem venit plenitudo temporis, tunc idem Deus, siue Filius Dei videtur quasi iterato, siue secundario introductus in mundum, dum per carnis humanæ assumptionē fuit in mundum introductus; modos istos explicandi recensēt ex aliis Molina, & plures vbi supra, è quibus Suarez l. 7. c. 13. Beccan. cap. 4 q. 6. aliosque infra.

18 Ad illud Ezechielis. *In Cedrum confirmatus &c.* intelligi possit de appetitu vel prælationis aliorum, vel diuinæ æqualitatis; ad illud quoq; Ioannis 8. ait, intellig. de occisione, siue de vniuersali morte causata hominibus; quādoquidem propter Diaboli suggestionē primi Parentes transgredientes Præceptum Dei, mortem ipsam incurrerant vna cum tota massa humanæ Naturæ. Ad id de inuidia dici etiam poterit, inuidisse bona aliis gratiæ, & gloriæ humanæ Naturæ promissa; ita consimiliter aliquo modo ex dictis exponi possunt cætera loca scripturarum; illud namque Ezechielis 28. *Dixisti in corde tuo, Deus ego sum*, vt intelligant non de vnione hypostatica sed de appetitu similitudinis Dei, hæc inquam dicta in præcedenti sententia probabilia sunt ex auctoritate Bernardi, & plurium. Nihilominus non omnes cogūt ad id firmitèr sustinendū, ex relatis Authoribus, præcipuè Carthusiani dicentis nihil esse in re ista temere asserendum.

19 Verum circa sententiā affirmatiuā, quod peccauerit inuidendo vnionem hypostaticā insurgit difficultas, & ratio dubitandi est, quia si sic peccauit, ergo Incarnationis decretum præcessit peccatum Angeli; at D. Thom. ait, Verbi Incarnationem ordinatam fuisse, non ante, sed post peccatū Adæ; ergo non fuit reuelata ante peccatum Adæ Incarnatio Angelis. Item sequitur hinc, Christum esse caput Angelorum, vel meruisse ipsis Angelis; Primū negat Chrisostom homil. 1. ad Ephes. 1. Driedo tract. 2. de capt. & redempt. c. 2. part. 3. art. 5. Sotus in 4. d. 49. q. 4. art. 2. Theophilatus &c. Et secundum negat Ambros. serm. 20. in Psalm. 118. Theophilat. Ansel. Beda in Ephes. 1. nisi gloriam accidentalem, reparationem ruinæ &c. vna cū Bonauentura in 3. d. 13. art. 2. q. 1. Alens. 3. par. q. 12. art. 2.

20 Ad hæc primo necesse est dicere, Christum Dominum fuisse omnino primum in ordine prædestinatorum, tūm Angelorum, tūm hominum; alias si hoc negaretur, difficile esset saluare sententiam hanc, peccasse ab initio, appetendo prius, & inuidendo vnionem hypostaticam Verbi cum humana Natura; vt sic ergo saluetur prædicta sententia; nec longè abest à doctrina Scoti, quandoquidem docet, Verbi Incarnationem ordinatam fuisse, etiā ante Adæ peccatum, abstrahendo tamen à carne passibili, & mortali. Confirmatur ex Scotistis pluribus elicientibus ex Scoto, quod Christus meruit etiam per opera non pœnalia, vt per actus virtutum, & dilectionis Dei ex Scoto. Vnde Vgo in 3. dist. 19. ait, Christum fuisse causā prædestinationis merito.

Verbi Incarnatio ante peccatū.

Christus meruit per opera non pœnalia.

rito.

ritoriam, licet non electionis. Arctin, in 3.dist.19.q.3.art.5.inquit fuisse causam meritoriam, & prædestinationis, & electionis. Rada 3.par.contr.5.art.8. meruisse ante passionem per opera nō pœnalia: quam sententiam, piam vocat Suar. de prædest. l.2. cap.24.& 3.p. dist.41. licet de mente Scoti absolutè negit Faunt. ad d.19.l.3.

21. Ex hinc autem adderdi sunt Authores docentes, Christum esse caput, tùm hominum, tùm Angelorum, ipsisq; meruisse nē caderent, ita Fulgent. l.2. ad Trasimond.cap.3.Bernard.serm.15. & 22.in Cant. Gregor.in 1.Reg.cap.2. August. conc 3. in Psalm.36. Hilarius in Psal.139.&c. Quod cōfirmat Apost. Ephes. *Ipsum dedit caput super omnem Ecclesiā*, & cap.2. *Est caput omnis Principatus, & Potestatis.* His stantibus, cessant obiectiones allatæ, tùm prima de D.Thom tùm cæteræ, etenim si Patres aliqui negant habere rationē Capitis, & causæ meritoriæ, non tamen desunt qui idipsum affirment. At de hoc in materia de Incarnat.& Nos in hoc eodem Tract. sup. disp. 9. quæst. 6.

QVÆSTIO XI.

Vtrum in Angelis malis remanserit fides infusa.

1 EXpedita iam punctio de scientia; remanet expediendum de Fide, verum in malis Angelis remanserit, vel deleta fuerit fides prima infusa.

2 Remansisse in eis habitum fidei infusæ, opinio fuit Magistri Sent. lib. 3. dist. 25. quem sequutus fuit Durandus ibidem q. 9. atque Alexand. Alens. 3.p. q.64 memb 7. quin immo nedū in hominibus damnatis, verum etiam in ipsis Dæmonibus asserunt habitum fidei infusæ conseruatum fuisse, & conseruari de facto, & per eundem habitum credere dicantur mysterijs nostræ Fidei.

3 Oppositum nihilominus docet D.Bonau.lib.3.dist.23.art.2.q.5 vna cum D.Thomā 2. 2. q.5. art.2. atque Gabriele ad locum citatum, Magistri q.2. art. 3. & etiam est ferè communis opinio, docent igitur citati Authores non remansisse in Dæmonijs habitum supernaturalem fidei infusæ.

4 Nostra sententia est prorsus eadem cum sententia nuper citata: ipsā vero explicando, pauca dicimus.

5 Et Primò, Dæmones, atque damnati homines carent habitum fidei infusæ; quandoquidem destructa fuit in eis infusa fides, non amplius Deo infusam fidem conseruante in Dæmonijs, & hominibus damnatis. *(Fides infusa deleta Angelis, & damnatis hominibus.)*

6 Secundo dicendum, Dæmones, atque damnati homines dum supernaturalibus mysterijs credunt nostræ Fidei, non quidem credunt per fidem infusam, sed per fidem acquisitam, itaut ipsorum credulitas, sit credulitas naturalis, industrialis, & acquisita.

7 Vnde autem ortum habeat acquisita fides in eis, facilè est reperire, quandoquidem per signa, & miracula, quæ vident, credere coguntur mysteria Fidei; dum namque videbant Dæmones signa, & prodigia fieri à Christo Domino, quomodo paraliticos sanabat, quomodo mortuos suscitabat, quomodo Dæmones ipsos ex energumenis expellebat, quomodo denique hæc, & similia videbant Christum Dominum, & sermone eius operari, tūc quidem cogebantur credere diuinam sibi adesse virtutem, ratio, quia hæc fieri non poterant nisi ope diuina, atque inde credere cogebantur Christum verum esse Messiam: propter quod publicè ipsū talem esse fatebantur: ait enim Lucas, & Matthæus, quod exibant Dæmonia clamantia, & dicentia: *Tu es Filius Dei; scimus quod sis Sanctus Dei, & quid venisti perdere nos Fili Dei*, & similia. Ex prædicatione etiam apostolica innotescebat Dæmonijs mysteria Dei, Apostolus namque fatebatur se præ- *(Vnde Dæmones credunt? — Fides acquisita in eis.)*

se prędicare, atque docere, vt etiam innotesceret Principibus, & Potestatibus in Cœlis. Denique, vt alia ommittam, intuetur Dæmones & damnati Deum tanquam Iudicem, vindictam, atque iustitiam exercerét contra eos, & aduersus eorum perfidiam, & obstinationem, dum à Cœlo eiecti fuerunt, & in Inferno detrusi. *Noscunt* etiam perfectissime Dæmones *Prophetarum*, & Scripturam Oracula in sacris codicibus contenta, in quibus plené enarrantur mysteria nostrę Fidei, & hinc fit, vt ex his, & consimilibus vijs Dæmones, & damnati dicantur acquirere fidem quandam, qua mediante credũt hæc omnia; quæ tamen fides non erit amplius *supernaturalis*, & *infusa*, sed vocabitur fides naturalis, industrialis, & acquisita, Item ex specie intelligibili repręsentante diuinam Essentiam, quam habuere ab initio, & remanente in eis ex Scotistis. Vel à cognitione articulorum Fidei habita ab initio, & & remanente in eis ex Bonauentura.

Fides Dæmonum coacta.

8. Tertio dicendum, Fidem istam naturalem, & acquisitam esse fidem coactam. Ratio est, quia cogũtur Dæmones credere mysterijs, quibus credunt; non enim, voluntate credunt, sed coactè, & necessitate credunt: Vnde verò desumatur coactio habebitur in fine.

9. Dices vero hoc aduersari Diuo Augustino dicenti, *Multa potest homo nolens, credere autem non nisi volens*. hoc verò locum etiã habet in Dæmonibus: ergo fides eorum nõ est coacta.

Voluntas quo requiritur ad fidẽ

10 Respondetur Augustinum loqui de misterijs supernaturalibus, & de fide supernaturali infusa; per eam namque fideles non credunt nisi volentes, Ratio est, quia misteria nostræ Fidei non cognoscuntur per sensum: igitur cum ipsa credimus, nõ quidem per sensum credimus, sed per voluntatẽ imperantem intellectui vt credat; si namque voluntas non ita imperaret intellectui, tunc nullatenus crederemus de mysterijs Fidei non enim mysteria hæc patét ad sensum, neque naturalitér sciuntur per intellectum: ergo debet accedere imperium voluntatis imperantis intellectui, vt credat, & ita loquitur Paulus Apostolus dicens, *Captiuantes intellectum in obsequium fidei*, talis verò captiuatio prouenit ab imperio voluntatis, & ita concluditur, fideles non credere nisi volentes. Loquendo autem de fide acquisita dicendũ est, posse eos coactè, quia cogũtur Dæmones, & dãnati, siue velint, siue nolint, cogũtur inquã, credere, Deum esse Iudicem, atque iustissimum Censorem rebellionis ipsorum, dum in Inferno detrusi diuinæ experiuntur Iustitiæ effectum, & sic de alijs.

Fides Dæmonum, & damnatorũ peccatorũ quantitér distinguuntur.

11 Dicendum Quarto, fidem Dæmonum, & damnatorũ distingui à fide fidelium peccatorum: Primo, quia fides fidelium est fides infusa; fides damnatorum est acquisita; Secundo, quoniam fides fidelium peccatorum ordinatur ad ipsorum salutem; fides verò damnatorum est extra omnem spem salutis; & Tertio, quia fides fidelium peccatorum est supernaturalis quoad substantiam, fides autem Dæmonum, & damnatorum est solummodo ordinis naturalis, quoad substantiam, licet obiectiuè sit supernaturalis.

12 Ex dictis hucusque concluditur in Dæmonibus, & damnatis nõ remanere fidem infusam, & supernaturalẽ: Probatur autem hoc breuitèr, Primo, statui damnatorum, & Dæmonum incongrua est, & nullatenus conueniens fides infusa: ergo non reperitur in eis: Probatur antecedens, status ille damnatorum est status omnino indignus donis, & gratijs Dei, præcipuè donis supernaturalibus infusis: ergo non remanet fides infusa in eis; Secundo, fides infusa ideo datur, vt per eam fidelis ordinetur ad æternam salutem; sed damnati sunt extra omnem spem salutis, ergo carent fide infusa; Tertio, fides infusa in Dæmonibus esset omnino frustranea: ergo non est admittenda in eis: Antecedens probatur, finis fidei infusæ est ordinario ad æternam salutem, Dæmones autem sunt extra statum salutis: ergo frustratoriè poneretur in eis fides infusa. Confirmatur, quia teste Arist. *Cessante motu fit quies, & vice versa, dum adest quies, cessat motus*, sed damnati sunt iam in termino, & extra viam salutis: ergo cessat in eis motus fidei infusæ, & consequentèr superuacanea est fides infusa.

13 Obstatur contra dicta. Peccato-

res

res damnati fideles, sicut etiam, & Dæmones in Inferno non sunt Hæretici: ergo habent fidem infusam. Antecedens patet, dum namque sunt fideles, non censentur hæretici; & probatur consequēs, fides infusa deperditur propter hæresim; sed fideles damnati non sunt hæretici, ergo habent fidem infusam.

Fides per quot deperditur.

14 Respondetur, fidem infusam ex duplici capite destrui, & deperdi posse, vel namque deperditur propter oppositam hæresim, vel deperditur ratione status damnationis, dum sunt extra viam salutis; primo modo contingit in hæreticis; secundo autem modo contingit in damnatis fidelibus, & ita deperditur fides in eis, ea ratione, qua mutant statum salutis, & collocantur in statu perpetuæ damnationis.

15 Obstatur insuper, sequitur ex dictis, damnatos fideles nullo modo distingui ab hæreticis: probatur, nam hæretici, tùm alij damnati fideles carēt fide infusa; ergo non distinguntur ab inuicem. Confirmatur, quoniam fideles à Paganis per fidē distinguuntur infusam.

16 Respondetur, fideles damnati, & si non retineant fidem infusam, retinent tamen acquisitā; at hæretici damnati, nec infusam habent, nec acquisitam. Verum quia aliqui hæretici retinent etiam acquisitam, ideo aliter respond. constabit omnibus in finali iudicio, hæreticos priuari fide infusa propter hæresim. *Tunc enim manifesta erūt abscondita cordis, atque omnes manifestari oportet, ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque prout gessit*; cum tamen de fidelibus damnatis constabit priuari fide infusa nō propter hæresim, cum fuerint fideles, sed ratione status, in quo sunt &c.

Character distinguit damnatos fideles ab infidelibus.

17 Ad confirmationem respondetur, quod licet non distinguātur ab inuicem per hoc caput fidei infusæ Pagani, & tales prædicti fideles, nihilominus distinguuntur aliundè sufficientissimè; caput verò talis distinctionis est Character Baptismalis; etenim Character iste remanet indelebilis in peccatoribus fidelibus damnatis, qui tamen Character nō reperitur in Gentilibus, qui nusquam fidem Baptismalem receperunt, & ita sufficiēter Gentiles damnati distinguuntur à peccatoribus fidelibus damnatis.

18 Obstatur vltimo authoritate Iacobi 2. dicentis, *Dæmones credunt, & contremiscunt*, item Glossa, ad Romanos 1. docet, in Dæmonibus remanere fidem informem, quod videtur etiam docere August. lib. de fide, & operibus cap. 16.

19 Respondetur, authoritates has, & consimiles ad bonum sensum posse deduci, exponendo eas iuxta hucusque recensita, non enim Glosa ait remanere in Dæmonibus fidem infusam, sed remanere inquit fidem informē, quod nos etiam concedimus, siquidem fides illa naturalis, & acquisita Dæmonum, est omnino informis, carens forma charitatis, & gratiæ, & ita plerique explicent authoritates, vt sensus earum sit non de fide infusa, sed de fide naturali, industriali, & acquisita. In Dæmonibus fides informis.

20 Est quidem fides Dæmonum, cū fide peccatorum viuentium conuenit primo obiectiuè, quia credunt easdem veritates supernaturales reuelatas. Secundo, quia vtraque fides est informis, priuata charitate. Tertio, quia dum carent charitate ipsorumque fides mortua est, nec de se sola sufficit ad salutem; vnde meritò Apostolus vltra fidē exigit opera, quia *Fides sine operibus mortua est*; & ita currit comparatio facta à D. Iacobo de fide Dæmonum, & viuentium peccatorum. Fidei Dæmonum & peccatorū viuentium conuenientia, & differentia.

21 Cæterum licet sit conuenientia, tamen differunt aliundè: Primo, quia credulitas Dæmonū, licet sit supernaturalis obiectiuè: tamen quo ad substantiam est naturalis, quia nō promanat ab habitu supernaturali fidei infusæ; at credulitas fidelium peccatorum est supernaturalis etiam quo ad substantiam, quia emanat ab habitu fidei infusæ. Secundo, quia fides Dæmonum nec est formata, nec vnquam erit formabilis à Charitate, cum sint in termino, & damnatione; at fides peccatorum licet de facto non sit formata, potest tamen formari Charitate, si conuertantur, quia adhuc sunt viatores. Tertio, quia fides, & credulitas Dæmonum est coacta, cæterorum autem libera, & voluntaria, iuxta August.

22 Vnde

Fides Dæmonũ coacta vnde?

22 Vnde vero desumatur talis coactio, posset dici, desumi ex operibus Christi, quæ videbant Dæmones, vnde *exibant elementa &c.* Itẽ ex Scripturis, & Oraculis attestantibus de mysterijs nostræ Fidei.

23 At responsio est communis etiã fidelibus peccatoribus, nam ipsi quoq; compelluntur credere ex Scripturis reuelationibus Concilijs, determinationibus Ecclesiæ, & huius generis: igitur est aliud addendum: vnde aduertimus, voluntatem Dęmonum esse taliter deprauatam, vt quantũ est ex se, sint magis proni ad impugnanda, & reijcienda mysteria Fidei, quam credenda: velléntque, quantum est ex se, destrui vniuersa mysteria Fidei; sicuti namque odio habent Deum, ita, & odio habẽt ipsa mysteria Fidei; & hinc est, vt veluti odio habentes mysteria Fidei, dicantur credere coacti: Credunt itaque

Dæmones credũt cum murmure.

per cũ *quodam murmure*, inquit D. Bonauent. Esto exemplum de reo, cui danda sunt tormenta, credit vtiq; tormenta at inuitus, quia ea nollet, & aufugeret si posset: nec ipsis credit secundum se, quia ipsi sunt odibilia: sic Dęmoni odibilia sunt mysteria Fidei, ideo non credens ipsa ratione ipsorũ, practicè, credit tamen aliundè coactus. His adde Albertum, Thomam Anglicum, & Ricchelmum, penes Lorinum ad locum Iacobi dicentes, quod Dæmones potius dicendi sunt *Sentire veritatem, quàm ipsi consentire*: ita, & de mysterijs Fidei &c. Credulitas vero hæc attenditur practicè: quia sicut nollent mysteria hæc esse, ita coacta, & non libentèr credunt: at speculatiuè vere intellectus cognoscit per media recensita, ita esse, & quod oppositum sit falsum.

Dæmones potius dicũtur sentire veritatem quã ei consentire

24 Obstatur denique, credunt articulis Fidei, ergo per infusam Fidem. Respondetur negando consequentiã, quia credunt ex alijs capitibus, vt in secunda assertione.

QVÆSTIO XII.

Vtrum intellectus Angeli mali remanserit obtenebratus circa cognitionem cuiuscunque veritatis.

1 PRo parte affirmatiua arguitur authoritate Bernardi, ait namq; Bernard. epist. 59. *Dæmones distitutos esse participatione gratię spiritualis*: Ex hoc autẽ arguitur, amiserunt Dæmones dona gratię spiritualis: ergo amiserunt etiam omnẽ scientiam, omnemq; habitum supernaturalem; atque secundo cõuincitur authoritate Anastasij Synaitę, qui lib. 4. Exameron ita loquitur, *Dæmones expertes sunt cælestis luminis, & illuminationis*; per hoc vero, quod lumen distinguitur ab illuminatione, dat intelligere, amisisse Angelos malos scientiam omnem tùm naturalem, tùm vero supernaturalem, atque obcęcatos remãsisse, sine priuatos lumine vtriusque intelligentiæ tùm rerum naturalium, tùm vero supernaturalium: Sententiam istam inter paucos defendit Suarez de Angelis lib. 8. cap. 6. Præsens quæsitum breuibus capitibus examinabimus, nõ enim necesse est multa circa ipsum disquirere.

2 Primo dicendum: loquendo de cognitione naturali, Angelus malus non remansit obcęcatus, neque deperdidit rerum naturalium scientiam naturalem: pro primo hæc cõmunis est Theologorum, & præcipuè ipsam docet Scot. lib. 2. dist. 14. quęst. 3. art. 2. vbi sicut etiam aliquando in superioribus attigimus, apertissimè demonstrat, malos Angelos esse in naturalibus sapientissimos: sciunt namq; mali Angeli applicare actiua passiuis, prout ipsis magis contigit Pharaonis; sciunt etiam sibi corpora adaptare; sciunt insuper naturalem elementorum dispositionẽ, atq; peroptimè noscũt aspectus Astrorum, ita vt sint peritissimi Astrologi,

Dæmon nõ remãsit obcęcatus in naturalibus

Dæmon sapientissimus in naturalibus

prout

prout sibi Scot. docet, atque demonstrat; Hæc verò, & similia negare, est prorsus insania, ergo non remanserunt Angeli mali obcæcati in scientia naturalium.

Dæmonum naturalia integra.

3 Item confirmatur ex sententia D. Dionisij, qui 4. de diuin Nominib. inquit, *Naturalia in Angelis remansisse integra*, & Scot 4.d.44.q.2. addit, splendidissima; igitur virtus, & potentia naturalis intellectiua Angeli mali remansit ad intelligendũ integra. Isidor. 1. sent. cap. 10. *Sanctitate amissa non amiserunt viuacẽ creatura Angelica sensum*. Hæc quoque fuit sententia D. Thomæ, qui hoc ipsum expressè docet 1.p.q.64.art.1.& confirmat Bernard. citata epist. 77. qui vbi prius dixerat, reprobos spiritus destitutos esse participatione gratiæ spiritualis; subdit nihilominus inde, non tamen viuacitate industriæ naturalis, igitur naturalia remanserunt integra, viua, & splendidissima. Atque hinc vlterius, dicimus non fuisse priuatos naturali intelligentia, seu discursu, alias essent veluti fatui, & amentes: cũ tamen bene percipiãt, & cognoscant statum in quo sunt, à quo exciderũt, pœnas, cruciatus, & huiusmodi. Item colloquũtur simul, tentant homines, pluraq; machinãtur &c. vnde remanet idem intellectus, eademque voluntas, non diminuta, species quoque ab initio sibi praeditæ.

Impeditur quandoq; à Deo naturalis eius facultas cognoscendi.

4 Secundo dicendum, licet verum sit, circa cognitionem naturalem malos Angelos nõ remansisse obcæcatos, nihilominus sæpissimè accidit, vt per diuinam Potentiam facultates eorum naturalis intellectiua impediantur à sua naturali cognitione. Conclusio hæc probata remansit, atque explicata superius multoties; nunc verò licet ipsam iterato attingere; Et præcipuè eam docet Scot. in 4. dist. 18. q. 8. ad argumenta, vbi clarissimè ostendit, integritatem *Beatissimæ* Virginis non fuisse Angelis malis manifestam, propter rationem Ignatij; vt nempè *Partus celaretur Diabolo*; poterat autem naturaliter cognoscere Virginem remansisse integram post partum, nihilominus id ipsum fuit sibi impeditum à Deo. Potest etiam Angelus idem cætera mysteria gratiæ naturalitèr cognoscere, vt sup. disp. 7. quæst. 11. & 12. fuit deductum, nihilominus sæpissimè impeditur à Deo; Potest denique secreta cordis, atque voluntatis affectiones naturales inuestigare, vt ibidem quæst. 9. & nihilominus sæpissimè impeditur à Deo ob rationes & fines, de quibus in præcedentibus locis. Adde, quod cognitio hæc rerum naturalium poterit aliundè quoque, vel impediri aliquando, vel attenuari, nempè ex vehementi passione cruciatus, & quo minus aptè penetrent naturalia, minusq; iusto, vt ias esset.

De supernaturalibus qualisnã cognitio in Dæmonib.

5 Tertio dicendum, loquendo de cognitione rerum supernaturalium, ea quidem duplex est, vel enim sermo est de cognitione speculatiua, vel de cognitione practica, & affectiua, seu operatiua; loquendo quidem de cognitione speculatiua, dicendum est, Angelos circa supernaturalia non remansisse omnino obcæcatos; Probatur mysteria multa supernaturalia possunt speculatiuè cognoscere, & speculari de ipsis. Ita apertè Scot. in 2. d. 7. q. 1. in responsione ad primum, vbi inquit, *Possũt verum aliquod concipere, ipsum sensibile, puta Deum esse trinum*. Hoc etiam habet D. Thoma loco citato, & multo magis Alex. Alens. 3 par. q. 64. memb. 7. & 8. dum namq; in Angelis malis docet cõseruari fidem infusam de mysterijs supernaturalibus, docebit quoque conseruari scientiam speculatiuam de eisdem mysterijs, eo tamen modo, quo potest, imperfectè quidem, vel à posteriori &c. Accedit ad hoc sententia aliquorum Scotistarum docentium in Angelis malis remansisse speciẽ infusã diuinæ Essentiæ, Quod si verũ est, vtiq; cognitio hæc esset speculatiua: Probatur verò apertè ex c. 2. D. Iacobi, *Dæmones credunt, & contremiscunt*. Insuper in Angelis malis remãsit remorsus cõscientiæ, vt habet Isa c. 66. *Ignis eorum non extinguetur, & vermis eorũ non morietur*; Apertiùs vero comprobatur ex Lucæ 4. vbi habetur, quod *Exibant Dæmonia clamantia, & dicentia, tu es Filius Dei*, ait autem Euangelista, quod Christus Dominus non *sinebat ea loqui, quia sciebant ipsum esse Christum*. & denique Matth. 10 aiebat Diabolus ad Christũ. *Scio, quod sis sanctus Dei*, à primo autem

ad vltimum, cognitio hęc demonstrata de Angelis malis, erat quidem de obiecto supernaturali vt constat, non erat autem cognitio practica, & affectiua: ergo erat cognitio supernaturalis speculatiua. Non tamē fuisse, nec esse practicam affectiuam, patet, nō enim inde diligunt, nec glorificant Deum, *Sed superbia eorum, qui Deum oderunt, ascendit semper*.

Cognitio talis diminuta.

6 Ad hæc tamen est addendum, quod licet cognitio hæc non fuerit totalitèr ablata, fuit nihilominus eis diminuta. Ita D. Thom. ibidem, ratio desumitur ex Aug. 9. de Ciuit. inquiente, *De huiusmodi secretis diuinis, tantum est reuelatum, quantum oportet: vel mediantibus Angelis, vel per aliqua temporalia diuinæ virtutis effecta.* Angelis vero sanctis plura reuelantur, & vident in Verbo &c.

Carent notitia practica affectiua.

7 Quarto, loquendo de cognitione supernaturali practica, & affectiua, dicendum est, malos Angelos destitutos omnino fuisse cognitione tali: Probatur, cognitio practica, & operatiua est cognitio habita per charitatem, & gratiam in ordine ad operandū ex instinctu gratiæ, sed mali Angeli carent charitate, & gratia: ergo carent cognitione hac practica, & affectiua; Adest etiam clarissimè authoritas Ignatij martyris, hoc ipsum declarantis; ait namque Epist. 8. ad Philippenses. *Angelus malus sapientissimus est ad malum faciendum; bonum vero quod sit, ignorat*; ignorantia enim oppletus est propter voluntatis dementiam; & Damasc. lib. 2. de fide orthodoxa. *Dæmon*, inquit, *lux à Creatore conditus est, ipse autem propria voluntate caligo factus est*; & Ezechiel 28. habetur, *Perdidisti sapientiam tuā in decore tuo*, Anastas. lib. 4. Exam. *Dæmones expertes esse cælestis luminis, & illuminationis*.

8 Dices Scot. dist. 7. citata, ait, posse Angelos malos aliquando verū concipere, tūm speculabile, puta Deū esse trinum & vnum; tūm vero agibile, vt Deum esse diligendū: ergo falsa conclusio, non posse Dæmones cognitionem habere practicam, & affectiuam, siue operatiuā de obiecto omnino supernaturali: Etenim dilectio Dei est operatio practica, & affectiua circa Deum ipsum, tamquam circa obiectū supernaturale.

9 Respōdetur, posse Dæmones habere quidem cognitionem practicam in actu signato, nō autem in actu exercito: Ratio est, quia optimè noscunt regulas Artis, siue Scientiæ practicæ nihilominus easdem Artis regulas executioni non mandant, neque operantur iuxta regulas eius: & ita in actu exercito carent notitia practica, licet habeant in actu signato. Responsiones aliæ mox dabuntur.

Practica tantum in actu signato.

10 Dices Scot. habet q. 4. prologi notitiā de rebus supernaturalibus esse practicam: ergo omnem notitiam à Dæmonibus habitam de supernis mysterijs necesse est dicere, esse practicam.

Practica notitia multipliciter contingit.

11 Respondetur Scot. loqui de notitia practica aptitudinali, non autem actuali, & ita verum est, notitiam omnem de supernaturalibus mysterijs practicam esse aptitudinalitèr, tum in malis hominibus, tùm etiam in malis Angelis: cæterum erit practica actualitèr solummodo in hominibus iustis, siue in Angelis repletis charitate, & gratia Dei, dum ex instinctu gratiæ operantur credendo, & diligendo Deum. Item in Dæmonibus practica erit quidem ad malum; sed ad praxim malam, non bonam.

12 Respondetur Secūdo, prout iam responsum est, omnem notitiam de supernis mysterijs esse practicam in actu signato, licet non in actu exercito: In actu signato quidem, quia notitia talis de sè est aptitudinalitèr practica, licet non actu, & ideo non est practica in actu exercito. Responderent alij practicam esse in vniuersali, non autem in particulari, sed de responsione hac vltima consule Scot. vbi supra.

13 Ad authoritates Sanctorum, catenus denegant eis illuminationem, & scientiam, quatenus illorum scientia non est coniuncta cum charitate: cæterum remansit in eis scientia expers gratiæ, & charitatis: & ita loquebatur Isidorus, inquiens, *Præuaricatores Angeli, etiam felicitate amissa, non amiserunt vtilatem creatura angelicæ sensum*: & Bernardus, *Destitutos esse participatione gratiæ spiritualis, non tamen vnuaturæ industriæ naturalis*.

QVÆSTIO XIII.

Vtrum Angelus potuerit peccare circa præcepta naturalia, fierique impeccabilis per naturam, aut malus per naturam.

ARTICVLVS I.

An potuerit peccare circa præcepta naturalia, sententia Durandi, & aliquorum.

1 SEntentia est Durandi, Angelum in pura natura spectatum, non posse venialitèr peccare circa præcepta naturalia. ita habet in 2. d. 5. q. 1. & d. 27. q. 1. Caiet. par. 1. q. 63. art. 1. Capreol. d. 22. Ferrar. 3. contra Gent. cap. 109. Diuus etiã Thom. 1. p. q. 63. art. 5. negat potuisse peccare in primo instanti, & 1. 2. q. 89. art. 4. negat posse peccare venialitèr: quãuis vtrobique varia apportet fundamenta. Probatur autem Primò, voluntas non potest peccare, nisi supposito aliquo defectu in eius intellectu, qualis esset error, ignorantia, inconsideratio: at Angelus non potest habere talem defectum, ergo non potest peccare contra legem naturalem. Secundò, Angelus naturali necessitate amat necessario Deum, veluti Authorem Naturæ, ergo si necessario amat, nõ potest peccare: est autem lex amandi Deum, etiã vt Authorem Naturæ. Tertio, Corpora cœlestia talitèr disposita sunt, vt à propria operatione deficere, & deordinari nequeant, ergo talitèr erunt à Natura ordinati Angeli, siue ab Authore Naturæ, vt circa naturalia nequeant peccare. Quarto, circa naturalia nullus potest esse defectus in intellectu Angeli, sunt enim Angeli in naturalibus sapientissimi, ergo nec vllus poterit contingere defectus in eorum voluntate, nec peccatum. Confirmatur Prouerb. 14. *Errant qui operantur malum.* Et accedit commune Theologorum pronunciatũ, *Omnis peccans ignorans.* Demum August. l. 11. super Gen. cap. 7. ait, posse Deum facere creaturam impeccabilem in naturalibus &c. Item Angelus non habet naturalem inclinationem ad peccandum, ergo non potest peccare &c.

2 Atque hinc inferunt, voluntatẽ Angeli, in sua pura natura spectatam, necessitari ad bonum honestum amandum, oppositumq; aufugiendum; necessitari, inquam, necessitate specificationis, ita vt non possit alitèr se habere.

3 Nos vero alitèr sentiẽtes, aliunde exordiũ resolutioni dabimus, quærendo, vtrum in intellectu Angeli possit cadere inconsideratio, & in eius voluntatẽ indeliberatio, siue motus subreptitij. Ad hoc autem dicimus minimè id posse euenire circa naturalia. Dixi circa naturalia, quia alitèr est sentiendum circa ea, quæ ab alterius pendent libero arbitrio. Probatur Primò, Angeli sunt sapientissimi in naturalibus, vtpotè Physicis, Mathematicis, Astrologicis, Metaphysicis, cæterisque contentis intra ordinem puræ naturæ, vt optimè ostendit Scotus in 2. d. 14. q. 3. ergo nullus contingere potest error. Item *Item intelligentia est plena formis*, ex Authore lib. de caus. quo fit, vt in intellectum angelicum impressas dixerit, ab initio, D. Thom. species quidditatum omniũ, vt etiam Scotus: imo cum ordine ad singularia repræsentanda ex Thomistis &c. Accedit locus Ezechielis, *Tu Cherub &c. plenus scientia &c.* Hinc ergo ignorantia, & error cadere in eam non potest circa naturalia.

Circa naturalia non contingit error in intellectu Angeli.

4 Et ob id, nec incõsideratio vniuersaliter: vero clariùs pateat, vox hæc, *Inconsideratio* duplici sensu est expendẽda, vel negatiuè, vel contrariè: in secundo sensu nos loquimur, quod idem est ac rem minus tam ipsa, seu minus verè percipere, seu non ad trutinam, nec vt in se perceptibilis est; tunc autem idem erit, ac error, de quo in quæst. seq. In primo namque sensu non implicat reperiri in

Inconsideratio an in Angelo.

Angelis, patet namque, intellectum angelicum esse limitatum, & finitum, ac proinde non posse omnia simul animaduertere, vnde est vt modo cõsideret hoc, & non illud, modo nõ hoc, sed illud, sicque poterit admitti in eo inconsideratio. Probatur item secundò, ideo in hominibus adesse solet inconsideratio, motusq; subreptitij, quoniam motus concupiscibilis, & irascibilis præueniunt rationem; vnde est, vt passionibus his grauati, subreptitios motus experiamur, inconsiderationes, errores, indeliberationes, & huiusmodi, *Corpus enim, quod corrumpitur, aggrauat animam* Eccles. 14. Angelus autem caret sensu, caretq; passionibus præuenientibus hinc rationem, fallendo circa naturalia intelligibilia, ergo & carebit motibus subreptitiis; Assertio intelligitur de cognitione speculatiua, & non practica; nam inconsideratè appetijt æqualitatem Dei præcedentibus motibus concupiscibilis de ea, & irascibilis contra Naturam.

5 Dixi, circa naturalia, vt excludã contingentia pendentia ex alterius libero arbitrio: Probatio cuius pendet ex quæstione illa, an Angeli cognoscãt secreta cordis; sustinendo autem cum Thomistis, minimè cognoscere, nempè à priori, vt disp. 7. q. 9. fuit visum; facilè declaratur Assertio: Potest namque Angelus decipi circa secreta cordis mei, ergo in eius intellectu stabit error, inconsideratio, ignorantia, & huiusmodi: in eiusque voluntate stare poterit motus subreptitius, & indeliberatus, vtpotè originem trahens ab errore intellectus: Et hinc est, vt malus Angelus plures motus subreptitios experiatur circa hominum procurandam perditionem, sæpè namque fallitur, existimando, hominem hoc potius intendere, & velle, quam oppositum, vnde poterunt in malo Angelo motus plures accidere non plenè deliberati, imo perplexi, & ambigui, quemadmodum & perplexus, atque ambiguus extaret circa talia contingentia, eius intellectus. Assertio est contra Suarez, qui lib. 7. 4 num. 11. ait, nedum in naturalibus, verum & in contingentibus posse cauere omnem errorem, præcipuè, circa cogitationes cordium, probat, quia posset Angelus circa cõtingentia non ferre definitum iudicium, sed probabiliter, & apparenter de contingentibus occultis iudicare: Item, si posset errare, id non eueniret, nisi ex antecedenti culpa. Verum in primis Suarez sibimet contradicit, dixerat namque prius lib. 2. cap. 21. & vltra, nequaquam posse naturalitèr affectiones animæ, & cordis cognoscere, hic tamen habet oppositum: Fundamenta autem hæc nil probant, nisi quod probabilitèr, & topicè posset Angelus de his iudicare: at eodem num. assertiuè dixit, in hijs materijs non posse decipi: primum est verum; secundum, falsum.

6 Dicimus Secundò, potuisse Angelum peccare circa præcepta naturalia, ac consequenter esse liberum circa, tùm libertate exercitij, tùm specificationis. Hæc assertio in primis est Scoti, qui in 2. d. 23. vniuersalitèr docet, *Nullam creaturam esse impeccabilē per naturam*, vnde consequentèr infertur, vnamquamq; esse liberam ad peccandum contra præcepta, tùm naturalia, tùm supernaturalia, idemque in dist. 5. q. 2. & in 3. d. 18. in fin. in 2. d. 6. q. 1. ad primũ princ. D. Bonau. d. 5. art. 1. q. 1. Rich. art. 1. q. 2. Alber. art. 1. & 2. eiusdem dist. Gabr. in 2. d. 4. q. 1. art. 3. Bassol. ibid. Okam. quodl. 2. q. 1. Marsil. quæst. 5. art. 2. & ex recentioribus Vasq. Mol. & Valent. ad 1. par. q. 63. art. 5. cum Suar. de Angul. lib. 3. cap. 8. & 9. Conclusio de facili probatur, Angelus est ex sui natura essentialitèr liber, ergo circa quodcunque præceptum etiam naturale, potest bene, & male se gerere. Dices, cõcludere libertatem exercitij, non specificationis; sed contra arguitur, sequeretur enim ex hoc, non distingui Statum Patriæ à Statu viæ. Probatur, Beati sunt illi, qui tanto amoris vinculo, tantoq; nexu gratiæ consummatæ, siue tanta gloriæ vnione vniuntur obiecto beatifico, vt nullatenus valeant inde recedere, nec peccare, tanta namque est vis gratiæ consummatæ, & visionis beatificæ, vt semper detineat illos in amore Dei; at talis nexus, talisq; colligatio nõ reperitur circa naturalia, ergo possunt ea nõ amare, imo odisse, & peccare. Dices, etiam in naturalibus reperitur consimilis nexus.

Potuit peccare circa naturalia.

Amor creaturarum mutuum dissolubilis, nō sic Beatorū erga Deum.

xus, amor enim creaturæ ad creaturam amatam, tantus esse quandoque solet, tantaq; vis amoris, vt vel mortem ipsam sustineat pro amato, vel insolubili nexu seratur circa rem amatam; ergo stat etiam hic consimilis colligatio, & necessitas. Respōdeo, licet id sit quandoque verū, etenim *Fortis est, vt mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio* Cant. 8. nihilominus talis quoque nexus amantium dissolui solet, sæpe namque feruēs amor tepescit, imo in extremum transeuntes amasii, quo prius feruentiores erant in se mutuo amādo, eo inde maius odium in inuicem cōtraxerint, antiquo perempto amore: at quis vnquā beatus expertus fuit à diuino recessisse amore, ab æternis amplexibus sponsi, ab vnione obiecti beatifici, à fruitione illius perennis gloriæ? quod si Philippus aiebat ad Christum, *Domine quo ibimus? æternæ vitæ verba habes.* & Petrus habita solummodo cœlestis gloriæ arrha, dixit. *Faciamus hic tria tabernacula, quia bonum est nos hic esse*, quid nō dicerēt Beati in cœlesti Aula, si de hoc interrogarentur: ergo non currit paritas. Rursus non concurrit Deus cum Beatis in actum oppositum; hinc non valent peccare, ait Scot. in 4. d. 49. q. 6. at in via relinquit Deus creaturam in manu consilij sui, fecitque eam liberā, cōcurritq; cum ea, nec impedit, vt sua, innataq; fruatur libertate creatura.

Creatura non potest esse impeccabilis.

7 Item nō potest, nec per Dei potentiā, fieri creatura impeccabilis per naturam: ergo Angelus omnem libertatem possidebat in via, circa præcepta etiam naturalia: Antecedens est D. Anselmi, is namque l. 2. cur Deus homo, cap. 10. interrogatus cur non possit Deus facere creaturam rationalem impeccabilem per naturam. Respondet, *Ideo esse, quia Deus non potest facere creaturam Deum.* Accedit Hieron. Epist. 14. *Solum Deum, ait, esse, in quem peccatum nō cadit, cætera vero in vtramque partem flecti possunt.* atque Aug. 12. de Ciu. cap. 1. *Immutabile bonū non esse nisi vnum Deum; ea vero, quæ fecit bona quidem esse, quod ab illo: verumtamen mutabilia, quod non de illo, sed ex nihilo facta sunt.*

8 Insuper arguitur ex eo, quod cōtingit de facto, & quidem Angeli mali quotidie peccant contra præcepta naturalia, patet, quia odio habent Deū, etiam tanquam Authorem Naturæ, & Moderatorem Vniuersi in naturalibus; odio habent eius manutenentiam, dominium, & gubernationem eorū, quæ sunt ordinis naturalis: odio habent ipsosmet homines, ipsisque suadent peccata omnis generis, impellēdo, seu suadendo, vt peccent nedum contra præcepta supernaturalia, sed & contra naturalia vt constat. Dices, id contingere non primo, sed secundario, nec per se, sed per accidens, non directè, sed indirectè contra præcepta naturalia quia eatenus impellunt contra naturalia, quatenus primo suadent peccari contra supernaturalia. At hoc conuincitur, quia non minus est liber Angelus circa naturalia in suadendo peccata contra ea, quam sit liber in suadendo peccari contra supernaturalia: ergo si posset circa hæc primo, & per se, poterit ei circa illa, etiam primo, & per se.

Peccant contra naturalia.

9 Denique, sola Dei voluntas est regula infallibilis, & inobliquabilis, tum sui, tum creaturæ: ergo omnis creata voluntas erit regula fallibilis, & obliquabilis, atque auertibilis à bono honesto, tum in supernaturalibus, tum in naturalibus. Præterea nulla volūtas satiatur, donec hæreat summo Bono, in creaturis namque nequit reperiri completa ratio boni, nec plena satietas: ergo erit voluntas creata, de quocunque obiecto creato vertibilis in aliud: ait namque Psalmista. *Satiabor cum apparuerit gloria tua.* Accedit August. *Inquietum est cor nostrum, donec quiescamus in te.*

10 Assertionem hanc limita circa amorem sui, vnde non potest peccare contra amorem sibi debitū à natura: & declarabitur infra post responsionē ad prim. arg princ.

11 Et hinc Tertio dicimus non posse fieri creaturam rationalem impeccabilem per naturam. Assertio est Scoti vbi sup. q. 1. Bassol. ibid. accedit D. Bonau. ibid. ar. 1. q. 1. Richar. ar. 1. q. 1. Aegid. q. 1. art. 14. Carthus. q. 1. D. Tho. cū expositorib. 1. p. q. 63. art. 1. excepto OKam. in 1. d. 44. q. 1. art. 1. & Gabr. in 2. d. 23. Rationes iam allatæ sunt, præcipuè illa Anselmi, ideo non posse Deū

facere

Nequit fieri creatura impeccab. per nat.

facere creaturam impeccabilem per naturam, quia de potentia absoluta nõ potest facere creaturam esse Deum. Item ratio illa de regula obliquabili, & defectibili, nulla namque creatura est regula inobliquabilis, & indefectibilis, tùm sui, tùm aliorum, at solus Deus est talis: Verum, licet ratio illa probet, nullam creaturam esse primam regulam sui, nec infallibilẽ, nec inobliquabilem, nihilominus nõ probat, ait Scotus, non posse dari voluntatem creatã, quæ firmitèr adhæreat regulæ infallibili, & inobliquabili, quemadmodum intellectus firmitèr adhæret primis principijs, qui tamen non est prima regula sui in intelligendo, sed se habet sicut tabula rasa: sicut & voluntas Beati firmitèr adhæret obiecto beatifico, quamuis voluntas eius non sit prima regula sui. Adest ratio altera pro assertione, creatura est de nihilo, ergo est vertibilis, & mutabilis de bono in malum, sequela tenet, quia quod est de nihilo, est mutabile, & vertibile in nihilum. Hæc quoque ratio potest impugnari, siquidẽ intellectus quoque est de nihilo, & tamen firmitèr adhæret primis principijs, nec mutatur. Dices contra hoc, non potest facere Deus, vt potentia non possit ferri in suum naturale obiectum, & in omne contentum sub tali obiecto, quemadmodum potentia visiua, habens pro obiecto lucem, siue colorem, non potest fieri, quin possit tendere in quodcunque contentũ sub suo obiecto, in quamcunque lucem, & in quemcunque colorem: at obiectum voluntatis est bonum, & sub bono continetur bonum honestum, & apparens, seù non verum, ergo non necessario adhærebit bono honesto. Hæc obiectio eludi posset, oculus namque est potentia naturalis, naturalitèr, & necessario operans, volũtas est libera, quapropter poterit adhærere vero bono, & recedere ab eo: & id facit cum peccat: quidquid tamen sit de validitate rationum, id cõmune est penès Theologos, & Patres, præcipuè Anselmum, Augustinum, Hieronymum, & ita tenendum est.

Intellectus, & voluntatis differentia in adhærendo suis obiectis.

Creatura irrationalis qualiter impeccabilis.

12 Solum quæri potest, vtrum facere posset creaturam impeccabilem per naturam, quæ non esset rationalis, & libera: hoc enim posset esse effugium. Verum quæstio implicat contradictoria, constat namque peccatum debere fieri à creatura libera, & intellectuali, quorsum igitur impeccabilis dicetur per naturam creatura carẽs intellectu, & voluntate opposita enim fieri debent circa idem. Item sequeretur, lapidem, lignum, Brutum dici impeccabilia per naturam, sumpta tamen impeccabilitate contrariè, cuius oppositum est peccare, qua impeccabilitate sic sumpta non sunt bruta, & saxa impeccabilia, cum nec possint mereri, & bene agere: non autem sumpta impeccabilitate negatiuè, qua ratione, idem est, ac nõ competere eis peccare, sicut nulli, ratione & arbitrio experti competit posse peccare. Et ex quæsito tali sequeretur naturam talem omnĩ necessitate operari: siue namque esset natura sensitiua, & brutalis, siue insensibilis, ita eueniret: Probatur de sensitiua, brutum namque haberet solummodo affectionẽ commodi, & sensus: at sensus necessario ducitur ab obiecto, nec potest resistere vbi deest imperium voluntatis: & hinc Damascenus aiebat, *Bruta non se ducunt, sed ducuntur*, quia trahuntur ab obiecto, ex hinc vero sequitur non posse peccare: patet carent namque principio merendi, & demerendi, quale est voluntas. item *in naturalibus nec meremur, nec demeremur*. Insuper non habet regulam aliquam superiorem, quæ ipsum moderetur, & frenet; si quæ autem esset, ea foret rectum dictamen rationis, siue lex alia superior, carent autem dictamine rationis; quod si lex adsit, ea erit frænum, & calcaria Equitis frænantis, & domantis Equum indomitum, & sic de cæteris: Accedit, quod non possunt non tendere, toto conatu, quantum est in ipsis, in proprium commodũ, nisi aliunde frænentur ab extrinseco: vnde dominante affectione commodi, vbi tamen locum non habet affectio iustitiæ, toto conatu tendent in obiectum commodum: & ad hunc sensum loquebatur Anselmus lib. de casu Diaboli, inquiẽs, *Angelum non posse non velle proprium commodum*: fingebat vero Angelum quendam carentem intellectu, & voluntate, habentẽ solummodo affectionem

Natura necessitatur ad operandum affectione commodi.

nem commodi; vt autem sic spectata, non potest nõ appetere suum commodum, carendo namque libero arbitrio, non potest contraniti: & id patet amplius in insensatis, dicitur namque à natura graue, & leue, proindeque toto conatu feruntur ad sua loca.

Nullo stãte errore in intellectu, potest volũtas peccare.

13 Quarto dicimus, nullo stante errore in intellectu, posse voluntatem Angeli in pura natura spectati, peccare. Vt aduersus Thomistas, & Durandum, est Scoti, Richardi, & eorum, qui supra. Probatur, intellectus non se habet vt causa eius, quod natura est voluntas, ergo stante recto iudicio eius, tùm in vniuersali, tùm in particulari, potest voluntas agere, vt libet: Probatur antecedens, intellectus namque se habet, veluti seruus ad dominum agentem iter de nocte; sicuti namq; seruus præit, viam ostendens mediante lumine, & facula, quam gestat in manu, ita intellectus præit ostendendo voluntati obiectum: & quemadmodum Consiliarius præmonstrat Principi quidnam expediens sit, vel minus decens in regimine ciuium, ita & intellectus premio iudicio practico præostendit voluntati hoc fore decentius, illud minus: Ceterù, quia stante tali tùm serui, tum Consiliarij, siue obsequio, siue consultatione, liber remanet Dominus, & Princeps ad agendum, quod maluerit, ita stante pleno, ac iudicio recto intellectus, libera semper remanet voluntas in sua natura ad agendum quod sibi libuerit. Item stante iudicio recto, potest voluntas suspendere actum omnẽ suum circa obiectum propositum, ergo non necessario operatur rectè. Insuper quamplures apprimè norunt homicidium, & huius generis, esse peccatum, & nihilominus perpetrant homicidia, pluraq; alterius generis, quæ optimè norunt, esse peccata. Præterea si stante iudicio recto non posset voluntas peccare, ergo semper rectè ageret, & bene vellet, at sapientissimus fuit Salomon, pleneq; nouerat quod agebat, & nihilominus id egit, ad amandũ mulieres trahentes eum in peccatum idololatriæ. Rursus ad quid consilia, & præcepta, siue admonitiones, & exhortationes ad bene agendum? frustra namque clamarent sacri verbi Præcones, atque ad pœnitentiam inuitarent, scit enim vnusquisq; debere pœnitentiam agi de peccatis commissis. Sufficeret quoque vnicuique præmonstratio sui iudicij practici, ad bene agendum, sicq; necessaria non forẽt diuina auxilia ad bene viuendum, legem implendam, vitam æternam consequendam. Extant circa hoc articuli quidã Parisienses, habet namq; articulus 130 *Si ratio est recta, voluntas est recta, error.* Item 12. *Quod voluntas, manente passione, & scientia in particulari, & in actu, nõ potest contra eam agere, error.* Res quidem miranda est, vt sciam furtum esse malum, & quod non possit voluntas velle furari. Natura ipsamet docet nõ furandum. *Quod enim tibi non vis, alteri ne feceris.* Et nihilominus voluntas sæpè imperat furtum, & per plures furantur. Effugiunt, dicentes, voluntatem posse quidẽ peccare contra scientiam in vniuersali, vt non esse furandum, ratio, quia scientia in vniuersali non est immediatè, & proximè regulatiua voluntatis; non posse autem peccare contra scientiã in particulari, vt hoc tẽpore, & hoc loco non est furandum, ratio, quia scientia in particulari est regulatiua voluntatis proximè, & immediatè: sed contra hoc adest experientia, pluribus namque suadetur ne agant malum, quod intentant, qui quidem audiunt, & percipiũt redargutiones, & nihilominus peccant. Itẽ Iac. 4. *Scienti bonum, & non facienti, peccatum est illi.* Aiunt, non velle malum sub ratione mali, sed sub ratione boni apparentis, præstituti &c. At quid hinc eliciunt? verum ex hoc colligunt intellectum errare? nequaquam, potest quidem voluntas imperare intellectui, vt discurrendo concipiat furari *esse* vtile furanti, & huiusmodi, attamen non per hæc, & similia remanet semper allucinatus intellectus, quin plenissimè aliquando animaduertat, furtum esse malum. Accedit Lucæ 12. *Seruus, qui cognouit voluntatem Domini sui, & nõ facit, vapulabit multis.* August. in Psal. 54. *Cum scis malum esse, quod facis, & tamen facis, nonne viuus descendis ad inferos?* ac demum Arist. 7. Ethic: docet aduersus Socratem, quod quis potest agere contra scientiam, & contra firmam

opinio-

opinionem: idemq; lib. 2. magn. mor. *Incontinens scientiam habet.* de his vero continget amplior sermo infra, quærẽdo, vtrum Angelus peccauerit ex ignorantia, in quæst. seq.

ARTICVLVS II.

Vtrum per Dei potentiam fieri potuerit Angelus per naturam malus.

Nulla creatura de se mala.

1 DIcimus vltimo, Angelum nec potuisse peccare ex natura per sẽ, & intrinsecẽ, vel necessario malã; itaut peccatum ipsis Angelis cadentibus fuisset naturale, seu connaturalẽ, vel necessarium, sed peccasse ex solã potestate sui liberi arbitrij. Probatur ex Conc. Carthag. 4. cap. 1. & Bracar. 1. cap. 7. vbi definitum fuit, nec Angelũ, nec in hominem esse à natura malum. Item Gen. 1. *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona.* Accedit Scotus, qui 1. quæst. Prol. & alibi sæpe docet hominem habere naturalem inclinationem ad gratiam, & gloriam: nullum autem subiectum potest simul determinari naturalitẽr ad formas oppositas: quod si est naturalitẽr inclinatus ad gratiam, & ad formas supernaturales coniungentes nos Deo, non ergo erit naturalitẽr determinatus ad oppositum peccatum. Sententia quidẽ Manichæi fuit: dari Deum malum, & ab initio fuisse hominẽ, siue Angelum malum, contra quem Concilia recensita: cui consensit demum impius Lutherus, asserens omnia opera, etiam iustorum, esse peccata, quamuis credentibus in Christum non imputentur ad damnationem; aduersus quẽ habetur ex Leone X. condemnatio in art. 31. Accedit Ecclesiast. c. 7. *Fecit Deus hominem rectũ*, vbi interlinearis ait, *hominem bonum*, Glosa autem, *dixi superius quia hominem bonum inueniri, cum ab eo homines sint boni facti*: atq; ita de cunctis dicendum, & eo magis de Angelis, quos nobilioris conditionis, & naturæ effecit; de cunctis enim in vniuersum dicit Scriptura, quod *Erãt valde bona, & benedixit eis*, licet ad sensum loquẽs Moyses, demonstrabat sensibilia, de Angelis namque, vtpotẽ rudibus, & ad idololatriam inclinatis tunc hominibus, tacuit, ne eos adorassent, vt Deus, ait Scotus, Bonau. D. Thom. cum cæteris.

2 Creaturas aliquas esse de sui natura malas, vltra Manicheum, dixerũt aliqui cum ipsis Gnosticis; errorem hunc originem traxisse à Nicolao, vno alioqui ex septẽ primis Diaconis Apocalypsis; alij ab Apelle, referente Augustino hæres. 23. & alij à Carpocrate, testante eodẽ August. hæres. 6. quæ petes Epiphanium hæres. 25. & 26. Castrum aduersus hæres. verbo *Creaturæ* Sanderum hæres. 13. &c. In specie autem de Angelis habetur Ezech 28. *Tu signaculum similitudinis Dei, plenus sapientia, & decore, in delicijs Paradisi fuisti*: Item, *Posui te in monte sancto Dei, in medio lapidum ignitorum ambulasti, perfectus in vijs tuis à die conditionis tuæ, donec inuenta est iniquitas in te.* Per lapides autẽ ignitos, planẽ intelliguntur Angeli alij ardentes charitate. In Conc. Lateran. 2. vt in c. firmitẽr, de sum. Trin. & fid. cathol. habetur, *Diabolus, & alij Dæmones à Deo quidem natura creati sũt boni, sed ipsi per se facti sunt mali.* In Conc. Bracar. 1. *Si quis dixerit, Diabolũ non fuisse prius Angelum bonum à Deo factum, anathema sit.* atq; in Conc. Carthag. 4. cap. 1. præcipitur, ordinandum aliquem in Episcopum, inter cætera interrogari debere, *vtrum credat Diabolum, non per conditionem, sed per arbitrium, factũ esse malum.* Stat ergo conclusio non esse de sui natura determinatum ad malum, cum tamen malum perpetretur ex libertate sui arbitrij, vt loquuntur Concilia, & Patres: quemadmodum de homine Eccles. 7. dicitur, *Fecit Deus hominem rectum*, idest bonũ: *sed ipse infinitis se immiscuit quæstionibus*, vnde Gen. 8. dicitur, *Sensus enim, & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua.* talis autem pronitas, & inclinatio non est à natura instituta, sed lapsa, siue vulnerata quatuor illis vulneribus, ignorantiæ, concupiscentiæ, malitiæ, & infirmitatis, stante fomite, qui post peccatum inclinat homines viatores, ad peccandum. Confirmat omnia Chrisost. homil. 5. in Iob, inquiẽs, *Diabolus non naturæ nomen, sed præsumptionis est: non Diabolus factus à principio, sed Angelus*

crea-

stratur, atque Athanas. ad Popul. Antioch. q. 3. asserens, Angelos bonos, & malos non differre essentia, sed voluntate bona, & mala.

Non potest fieri natura mala.

3 Stante vero, quod non sint natura mali, quæri posset, vtrum per Dei potentiam fieri potuerint per naturam mali. Respondendū negatiuè: ratio, quia iam confirmaretur hæresis Manichæi dicētis, dari Deum malum, à quo essent mala. Item error alter eiusdem, dari Angelum malum per naturam, & ab initio malum: vna cum cæteris hæreticis transfitis. Item tunc locum haberet ratio D. Thomæ, alias, alia tamen occasione à Scoto confutatam: probans namque D. Thom. Angelos non potuisse peccare in primo instanti suæ creationis, inter cætera deducit, quia sequeretur peccatum illud refundi in Deum, tanquam in Authorem: licet vero Scotus neget hanc sequelā, quia vere tribueretur Angelo, alioqui per suum liberum arbitrium peccanti, non Deo, nihilominus, in hoc casu esset alitèr sentiendum, tunc enim peccatum refunderetur in Deum, tanquā in Authorem Naturæ intrinsecè malæ. Probatur, peccatum tale non tribueretur voluntati Angeli, etenim Angelus operaretur per modum naturæ, necessariò, naturalitèr, & non liberè per eas; ergo tribueretur Deo. Item natura ipsa, quæ tunc in Angelo operaretur, at illa esset intrinsecè mala, ergo effectiuè à Deo. Insuper si voluntas Angeli operaretur, etiam idem sequeretur, probatur, quia voluntas talis esset intrinsecè mala, esset namque Angelus, secundum se totum, malus.

4 Dices, nequaquam sequi, quod peccatum refunderetur in Deum, quoniam opera Naturæ, etiam non liberæ, tribuuntur ipsimet Naturæ, vnde ignis dicitur cōburere, calamus dicitur scribere, & sic de singulis, non autē Deus, licet Deus & sit author primarius, & concurrat cum igne, calamo &c. ergo Angelus diceretur peccare, non Deus. Item ex quo nunc homo peccat, non dicitur Deus peccare, sed homo, quāuis Deus concurrat cum homine ad substratum, & permittat deformitatem peccati. Respond. non esse parem rationem ad casum nostrum, & quidem loquēdo de naturalibus, vt igne, & calamo, non mirum si dicantur ipsi sic agere, quoniam id, quod fit in eorum operationibus, potest fieri à natura eorum, vt combustio, & scriptio: at in Angelo, si esset malus per naturam, non posset efficere peccatum, seu non posset formalitèr peccare; patet, quia ad peccandum requiritur liberum arbitrium, tunc vero, vel careret libero arbitrio, vel eius arbitrium nihil ageret: item tale liberum arbitrium esset intrinsecè, & necessariò malum, ergo non peccaret, tenet sequela, quia in naturalibus non meremur, nec demeremur; stante ergo cōnaturalitate malitiæ, non posset peccare: at quia peccatum habet suam causam, siue effectiuam, siue defectiuam, & permissiuam, hinc est, vt dum non poterit imputari Angelo, imputetur Authori Deo. Dices, vere Angelus tale quid operabitur, ergo sibi imputabitur tale malū: concesso antecedenti, negatur consequēs, verè quidem efficiet illud Angelus, at non imputabitur ei in peccatum, quia non procedet à libero arbitrio, sed à natura: vel si procedat à libero arbitrio, nec ei imputabitur quoniam esset arbitrium illud essentialitèr malum, at vt malum imputetur arbitrio, opus est, vt illud sit indifferens, indeterminatum, & liberum. Ad illud autem de homine peccante, nec currit paritas, vere enim homini imputatur, non Deo, quia homo non est intrinsecè, & naturalitèr malus, habet enim liberum arbitrium, per quod posset non peccare, ergo sibi imputatur, si peccat, non Deo.

Cur nō peccaret agens naturale, sed libera.

Peccatū cui sit imputandum.

5 Demum confirmatur, opposita fieri habent circa idem: at Angelus talis non posset mereri, seu bene agere, ergo nec posset peccare: minor clara est, *Non enim potest arbor mala bonos fructus facere* Matt. 7. cum ergo esset essentialitèr malus, non posset bene agere; ergo sequela infertur, nec posse peccare, qua enim ratione negatur vnū oppositum, negatur & reliquum. Replicabis, vere operatio illa mala prodibit ab Angelo, ergo imputabitur Angelo. Responsio est iam data: & respondetur insuper, quod imputabitur Angelo physicè, non moralitèr, & demeri-

meritoriè: Primum patet, quia prodibit ab ipsis: Secundum quoque probatum remanet, quia esset ab eis non vt libero ad bonum, & ad malum, sed vt determinato naturalitèr ad malum, stante namque naturali determinatione ad malum, cessat meritum, & demeritum; bonum & malum, quia in naturalibus nec meremur, neq; demeremur.

6 Dices, Eccles. 39. habetur, *Sunt spiritus, qui ad vindictam creati sunt.* ergo ab initio creati mali. Itē Psal. 103. de Lucifero habetur, *Draco iste, quem formasti ad illudendum ei.* & Ioan. 8. *Ille homicida erat ab initio.* atque de Lucifero Iobi 40. *Ecce Behemoth, quem feci tecum*, ergo dātur Angeli, qui à sui creatione sint mali. Ad Primum non est sensus, vt ex sua creatione sint tales, sed quod, postquam Angeli ceciderunt, deputati fuerunt, tanquam ministri diuinæ Iustitiæ, ad punitionem hominū, idem enim sonat, *creati*, ac *deputati*. Itē per *Spiritus* significari solēt venti, tempestatem mouentes, fulgeíq;, & ædificia deuastantes in vindictam peccatorum: vt Psal. 10. *Spiritus procellarum, pars calicis eorum*.

7 Ad Secundum, est idem sensus, vt non à creatione, sed postquam peccauit, deputatus fuerit ad illudendum homini. Ad Tertium, ly *ab initio* non indicat instans primum creationis, sed breues moras post creationem, non enim statim, ac rebellauit à Deo, inuidens naturæ humanæ, ratione hypostaticæ vnionis, machinari cępit ruinam hominis: Item hic, idem est *ab initio*, ac paulò post *initium*, sicut Ioan. 3. *Ab initio Diabolus peccat*. Ad Quartum, solet de Cæte exponi: sed si de malo Angelo exponitur, non à creatione, sed post à seipso euasit malus.

ARTICVLVS III.

Respondetur ad Argumenta principalia contra Articulum Primum, & Secundum.

1 Respondendum remanet ad argumenta principalia. Ad Primum, iam constat antecedens esse falsum.

2 Ad Secūdū, Angelus malus amat quidē Deum vt Authorē Naturæ, non amore amicitiæ, nec beneuolētiæ, imo quantum est de sē odit, iuxta illud, *Superbia eorum, qui te oderūt, ascendit semper*, amat autem amore concupiscentiæ, seù amore commodi, quatenus cōseruat illum in suo esse, cæterum nullatenus amaret, quin vellet potius totam Orbis machinam cum Authore suo perire. Diabolus amat Deum amore non ... non amicitiæ.

3 Dices, amat naturalitèr semetipsum, ergo saltem nō poterit peccare in hoc, non amando seipsum. Resp. hoc quidē concedi posse, ratio, quia, teste Paulo Rom. 12. *Nemo vnquam carnem suam odio habuit, sed semper fouet, & nutrit illam*. & teste Philosopho, *Vnumquodque appetit conseruare in suo esse*. Licet aliunde dici posset, id non absolutè concedendum, plures namque homines voluntariè pereunt, pluresque sibimet mortem propinant, occidendo seipsos: Verum hoc non est bene dictum, quandoquidem si qui homines morti se tradidere, & si qui alij mortē expetunt, id gratia ærumnarū euitandarum, siue longioris, diuturniorisq; afflictionis, egerunt, non quasi odio habuerint propriam vitam, id namque est vere contra naturam, & contra inclinationem naturæ: vnde damnati; qui, teste Matt. 24. *Mortem quærent, & non inuenient, atque dicent, montibus cadite super nos, & operite nos*; ipsi quidē mortem quærēt, non gratia mortis, sed vt pœnas, æternosq; cruciatus euadant, & fugiant: amore ergo circa semetipsum, concedo non posse creaturam quamcunque directè, & per sē peccare, nisi vt diximus, indirectè, per accidens &c. Diabolus an amet seipsum. Dæmon sibi ipsius an detur directē.

4 Ad Tertium negatur antecedēs, etenim tempore Iosue Sol stetit: potestq; primum mobile, sicut ab Oriente incipit motum, ita incipere ab Occidente: & sicut Planetæ incipiunt cursum ab Occidente, ita incipere possent ab Oriente, vtriusque enim motus est capax corpus cœleste: insuper post diē Iudicij cessabit ab omni motu. Ac stante ordine à diuina Prouidentia statuto, mouetri incipiunt sic, & sic, prout in dies contingit.

5 Ad Quartum, concesso antecedenti, negatur consequens.

6 Ad

Omnis peccans ignorat.

6 Ad confirmationem, tùm Scriptura, tùm Theologorum adagium loquuntur, vel de errore concomitanti, vel subsequenti: de concomitanti namque euenire solet, vt homo peccans, non aduertat ad omnia, siue bona, quæ per peccatum amittit, siue mala, quæ incurrit, sicq; peccauit Adam, concomitanter, ignorans, seù non aduertens sic plenè, vt debuerat, existimauit namque peccatum suum fore veniale: vel non putauit, tantam pœnam, totq; mala inde fore sequutura, quod de subsequenti etiam est verum, quia peccatum reliquit inde peccantem obcæcatum, iuxta illud, *Excæcauit illos malitia eorum*, at non loquuntur absolutè de errore antecedenti, vt habet in specie de Adam Scot. in 2. d. 21. quæst. vnic. & in specie ampliùs dicetur de Angelo quæst. seq.

7 Ad August. loquitur de impeccabilitate per gratiam.

8 Dices, idem Augustinus ait, *Talem Deus potuit hominem fecisse, qui non peccare posset, nec vellet: & si sic fecisset, quis dubitat, eum meliorem fecisse:* Respond. vt supra, potuit enim facere per gratiam: quo stante, homo talis nec vellet peccare, nec posset. Dices, si nō posset, ergo esset per naturam impotēs ad peccandum, & ita per naturam impeccabilis. Respond. talem impotentiam non esse physicam, sed moralem: non physicam, quia non foret impeccabilis per naturam: at fore moralem, mediante confirmatione in gratia, iuxta quod loquitur Ioannes, *Qui ex eo natus est, non peccat:* loquens de natiuitate per gratiam, mediante qua iustus efficitur Filius Dei, vt Psal. 17. *Ego dixi Dij estis, & filij Excelsi omnes*. Vel loquitur de potentia proxima, non remota: hac enim mediante posset, illa non posset, ex Scot. 4. 49. 6. posset ergo physicè, non moraliter.

Potentia ad peccandum physica, non moralis, proxima, remota.

8 Ad illud de inclinatione ad malum, iam constat quid dicendum.

QVÆSTIO XIV.

Vtrum Angeli potuerint peccare ex errore, & ignorantia.

1 EX parte solum, remansit quæstio in præcedenti quæstione resoluta, nunc vero resoluenda venit in proprijs terminis de eo.

2 Extat sententia D. Thomæ, & sequacium supra recensita, sēper in peccatore præcedere vel ignorantiam, siue errorem, siue aliquam inconsiderationem. Fundamenta allata iam fuerunt quæst. antec. atque soluta. Nunc vero superest, rem altius examinare, atque distinctiùs.

3 In primis vero quæstionem diuidimus in duo capita, nempè in ignorantiam, seù errorem; & inconsiderationem: quærendo, vtrum semper in peccatore, siue in Angelo malo præcesserit ignorantia, an saltem inconsideratio: Item de ignorantia, siue de errore loquēdo, subdiuidimus, in errorem speculatiuum, & practicum, & de vtroq; quæritur, an necessario præfuerit ante peccatum in intellectu mali Angeli. Aliquid quoque addendum de nescientia.

4 Notanda est tamen natura horum terminorum: & quidem *errare* est idem, ac *approbare falsa pro veris, & vera pro falsis*. Eadem est natura, & vis *ignorantiæ*: vbi namque interuenit error sic sumptus, ibi adest ignorantia, siue defectus prauæ dispositionis: Et ad hæc accedit necessario deceptio, & fallacia intellectu, siue obcæcatio, qua mediante approbet vera pro falsis, & falsa pro veris.

Error, ignorantia, inconsideratio quid sint.

5 Distat ab his *inconsideratio*, siquidem ipsa non importat errorem, de quo procedat, sed negat actualē rei alicuius consideratione: patet, nam scimus plura, euenit tamen quandoque,

vt de iis non consideremus tempore, quo foret considerandum; namque, *Corpus, quod corrumpitur, aggrauat animam, & terrena habitatio opprimit sensum multa cogitantem*; ait Scriptura: quod fit, vt cum inconsideratione stet etiam scientia, saltem (habitualis inquam) nō actualis, repugnat namque considera tio actualis, & inconsideratio itidem actualis, at habitualis consideratio cū inconsideratione actuali nō pugnant.

Nescientia quid.

6 Denique adest *Nescientia*: ipsa vero non est idem, ac ignorantia prauæ dispositionis; neque consequentèr erit error, non enim idem sūt nescientia, & ignorātia, siue error: error namque cognitionem indicat, sed affectam errore, ita & ignorantia: at simplex nesciētia abstrahit ab errore, & ab ignorantia prauæ dispositionis: Item error, ac ignorantia sunt pœna peccati, nescientia autē nequaquam: vnde est, vt filii Adæ, si in statu Innocentiæ perseuerassent, nō quidē habuissent ignorantiam prauæ dispositionis, siue errorem, supposito, quod non fuisset peccatum, habuissent tamen adhuc paruuli, simplicē plurimarum rerum nescientiam, nō enim ab initio natiuitatis sciuissent omnia, sed paulatim succrescēte corpore, ac insolente ætate, creuissēt quoque in ipsa scientia, vt docet Scot. in 2. d. 20. q. 3. & d. 22. q. 1.

In statu innocētię fuisset nescientia.

Ignorantia vel antecedēs, vel concomitās, vel subsequens.

7 Insuper aduertimus ignorantiā contingere posse in peccatore, altero ex tribus modis, vel antecedentèr, vel consequentèr ad suum peccatum. Antecedentèr quidē, vt quando ignorantia esset vincibilis, ea enim esset, veluti causa, siue occasio peccati; quod si foret inuincibilis, cessaret id. Concomitantèr tunc esset, quando peccans cognoscit quidem male agere, attamen nō plenè nouit quanta mala incurrat, quantum boni deperdat, quamq; maiorem ruinam siue sibi, siue proximo propinat: nouit quidē ex peccato fore puniendum, non tamen nouit pœnæ acerbitatē, siue tantitatem, existimans profectò puniendum, at non tam acerbè, siue peccatum non fore adeo graue, licet bene cognoscat esse graue: & hoc modo Scotus ait, peccasse Adam cogitans, vel peccatum suum fore veniale, vel non tam grauitèr à Deo punitum iri. Et subsequentèr denique eueniit ignorantia, quandocunque ex peccato remanet obcæcatus peccator, quæ excæcatio est pœna peccati, iuxta Sap. 2. *Excæcauit eos malitia eorum*; qualis vero sit hæc excæcatio, dicetur infra.

8 His actis, dicimus, stante plenitudine scientiæ in intellectu angelico, tùm in vniuersali, tùm in particulari: tùm in speculabilibus, tùm in operabilibus: tùm spectando principia proxima, tùm remota, potuisse voluntatem peccare, nullo prærio ex necessitate, errore, siue practico, siue speculatiuo. Est Scoti, & sequacium in quæst. præc. Assertione prima, & quarta; aduersus eosdem, de quibus ibi. Dixi, tùm in vniuersali, tùm particulari, quandoquidem aiunt, posse voluntatem peccare contra scientiam in vniuersali nō contra scientiam in particulari. Ratio primi, quia scientia illa non est immediatè regulatiua voluntatis: ratio secundi, quia immediatè regulat voluntatē, ac propterea semper errorem aliquem statuunt intellectu antecedētèr ad peccantem voluntatem: ac nituntur elicere, ex Arist. 7. Ethic. cap. 3. dicente, *Incontinens scientiam habet, licet illam non exerceat*, à quo etiam D. Thomas idipsum trahit 1. 2. q. 77. art. 2. ad 4. verum, miranda res est, vt negetur quempiam peccare non aduertendo id esse peccatum: Vnde arguo, aut ignorantia, & aduertentia hæc est vincibilis, aut inuincibilis, si primum, ergo à voluntate pendet, vt eam non vincat, & per consequens non vincendo peccat: ergo nullus præcedit error in intellectu, probatur, si namque est vincibilis, ergo intellectus est, qui cognoscit eam esse vincibilē, igitur non errat, cognoscit namque vere id v. g. esse malum, dum ignorantia est vincibilis, eo magis, quod non stat per intellectum, vt talem ignorantiam vincat, sed per voluntatem: Si dederis secundum, ergo voluntas sic agendo, non peccabit, patet consequens, quia ignorantia inuincibilis excusat: igitur non sequitur necessario, vt stante errore in intellectu, voluntas peccet. Rursus, damnati odiunt Deum iuxta psal. 72. *Superbia eorum, qui te oderunt &c.* quæro autem, aut sciunt odium Dei esse malum, aut inuin-

Nulla stante errore in intellectu, voluntas peccare potest.

inuincibiliter ignorant. Si secundum, ergo nō peccant, nec male agunt, stante ignorantia inuincibili; si sciunt, & optimè norunt nō esse Deum odio habendum, & nihilominus odio habent, ergo vere voluntas male potest agere, etiam nullo stante errore practico, & particulari. Item peccatore peccante, consciētia, & synderesis murmurat, iuxta illud Gen. 4. *Statim in foribus peccatum tuum aderit.* & Isa. 214. *vermis eorum non morietur.* Accedunt rationes quæst. antec. allatæ, atque August. concion. 1. in Psalm. 68. inquit, *Sunt tales, qui iniquitatem suam nouerunt, & in ea pertinacissimè perseuerant*; atq; serm. 8. in Psalm. 118. ait, *Sæpè quid agendum sit, videmus, nec agimus; praecedit intellectus, & aliquando non sequitur humanus, atque infirmus affectus.* Apertissima autem est sententia Christi Domini Lucæ 12. *Seruus, qui cognouit voluntatem Domini sui, & non fecit eam, vapulabit multis.* Prou. 1. *Scienti bonum, & nō facienti, peccatum est illi*; vna cum cæteris relatis quæst. antec. vnde deducitur, sententiam hanc comprobari rationibus, authoritatibus Patrum, atque scripturis, imo tellem oculatā esse ipsam experientiam.

9 Ad Aristotelem vero, potius fauet nostræ sententiæ, quam oppositæ; dum enim ait, *Incontinens scientiam habet, sed non exercet*, claré ostendit, in intellectu incontinentis adesse veram cognitionem incontinentiæ, veréque scire non esse sequendam incontinentiam, & nihilominus voluntas quandoque non operatur conformiter ad talem scientiam, nisi ad tale rectum dictamen rationis, quin potius oppositum quandoque eligat, nullo stante errore in intellectu incontinentis; vnde non exercet se voluntas iuxta scientiæ lumen.

10 Obiectiones cæteras grauiores soluimus quæst. præced.

11 Addimus tamen, in bonis Angelis, sicut & in cæteris Beatis, non posse esse errorem, quia licet nō omnia sint eis reuelata, vt Dan. 10. tamen de iis quæ nesciunt, non formant iudicium firmum, & certum, sed solum coniecturale, iuxta qualitatem coniecturarum; at mali sæpè iudicant temerarié iuxta dominium passionum. Sed de hoc in materia de Beatitud.

12 Accedendo autem ad propositū quæstionis, & quærēdo de facto, vtrum mali Angeli peccauerint ex ignorātia, & errore. Dicimus nequaquam ex errore, & ignorantia peccasse: ita Scot. cum reliquis præced quæst. allatis; quibus adde Palacios in 2. d. 5. disp. 2. sententiam verò oppositam Valentia ait, non esse scripturis consentaneam; vt mox ex ipsis ostendemus.

13 Sit autem primum fundamentū, si quæ esset ratio, quare peccauerint ex errore, & ignorātia præcedēte, ea quidem esset, quia nō potest voluntas male velle, nisi præcedat error in intellectu, vt Thomistæ aiunt, at visum fuit, tùm ex super dictis, tùm ex quæst. anteced. fundamentum hoc esse nullum, ergo non peccauerunt ex errore. — Dæmones de facto an peccauerint ex ignorantia.

14 Sit secunda ratio, Angeli fuerunt ab initio creati sapientissimi, tùm in naturalibus, tùm in moralibus, vt omnes concedunt, & demonstrauimus quæst. præced. ergo in intellectu eorum nulla ignorantia, nullus error. Ratio hæc optima est, attamen indiget explicatione; vt verum sit, scientissimos ab initio fuisse, necessario quidem rerum, quæ spectabant in ordine ad eorum salutationem, & assecutionem beatitudinis; etenim de cætero, nil implicat, potuisse plura nescire, & ignorare, solum enim de Deo dicitur, Sap. 7. *Cuius sapientia non est numerus*, habet namque scientiam infinitam &c. qua modificatione stante, in ordine ad eorum salutem nihil ignorarunt; licet plura etiam norant, & scientissimi fuerint &c. — Dæmones scientissimi.

15 Tertio, addita fuit ab, ex Scoto, species abstractiuè, distinctéq; repræsentans diuinam Essentiam. Quarto habuerunt reuelationem Incarnationis Verbi, de qua infra. Receperunt species omniū quidditatum; & ex Thomistis poterant inde cognoscere etiam singularia.

16 Atque denique ita sensisse Scripturæ, Ezech. 28. *Plenus sapientia &c. Perdidisti sapientiam tuam in decore tuo. Omnis lapis pretiosus operimentum tuum*. quorsum ergo error, aut ignorantia locum habere potuit in Angelis. — Ignorantia contraria in Dæmonib.

sis, etiam malis initio suæ creationis, & tempore pugnæ, ac luctæ, dum erant in via, vt peccare nequiuerint, nisi ex prænio errore, & ignorãtia in ipsorum intellectu?

17 Nihilominus addimus, etiam infuisse errorem, & ignorantiam aliquam concomitantem, puta de grauitate pœnæ infligendæ, quam non putauit fore tantam, vt de Ada diximus.

18 Ex his deducto non præcessisse errorem in intellectu; & hoc, tanquam certius assumunt Authores recensiti. Reliqua in sequentibus.

QVÆSTIO XV.

Vtrum potuerint peccare ex inconsideratione.

1 VErum quia inconsiderationem distinxi ab ignorantia, & errore, hinc speciatim discurrendum remanet, an saltem peccauerint ex incõsideratione: hoc quidem admittunt Thomistæ; qui suis non omnes conueniant in assertione de ignorantia, & errore: quapropter licet in ijs discrepent, in hoc tamen conueniunt, vt peccauerint, saltem ex inconsideratione: & huc adducunt tùm argumenta, tùm authoritates præced. quæst. initio recẽsitas: præcipuè axioma illud, *Omnis malus ignorans*, saltem inquiunt, *inconsideratione*.

2 Ex opposito id ipsum negant iidem, qui negant de errore. Accedit autem Gregor. de Valent. qui tom. 1. disp. 4 q. 14. punct. 2. & 3. ait, nullatenus peccasse ex incõsideratione, & oppositum, inquit, non esse consentaneum scripturis; probatque, nam de Lucifero Ezech. 28. dicitur, *In multitudine negotiationis tuæ repleta sunt interiora tua iniquitate, & peccasti*. Per multitudinẽ vero negotiationis intelligi valet in creatura purè intellectuali, multiplex cogitatio, multiplexq; cõsideratio eorum, quæ vel inducere valeant ad peccatum, vel subtrahere ab eo. Et Isa. 14. *Dicebas in corde tuo, in Cœlum conscendam super astra Dei exaltabo soliũ meũ*. Per *dicere* autem, idem intelligitur, ac cogitare: igitur bene cõsiderabat hęc, itaut nulla adfuerit incogitantia, siue inconsideratio. Insuper, dum Michael præliabatur cum Dracone, plenè aduertebat Draco, siue Lucifer, & Asseclæ, quid, de quo, quale, & quantum foret, siue prælium, siue premiũ, siue pœna, siue quidquid aliud, de more, insequens certamen, & prælium: fuit item Lucifer redargutus à Michaele dicente, *Quis vt Deus?* hæc, & similia aduertit Lucifer, & sequaces, ergo non peccauerũt ex inconsideratione. Demum si peccatũ Angeli processit ex inconsideratione non vtique tam graue fuisset, quantum existimatur, inconsideratio namque minuit peccatum.

3 Probationes hæ insensibilem reddunt sententiam istam: Verum Suarez l. 7. cap. 7. occurrere nititur, nec displicent plura, quæ dicit.

4 Mihi quid sentiendum sit, operiam: & quidem in via Scoti, dicendum est, nec ex errore peccasse, nec ex inconsideratione: ita Scotus vbi sup. vna cum Expositoribus, ibi, & Rada par. 2. controu. 11. art. 2.

5 Cæterum, vt aduerterit Angelus ad omnia prorsus, & singula ęgrè adducor, nam intellectus angelicus est finitus, & limitatus, ergo non potuit singula, tam breui morularum curriculo aduertere. Occurrit Vulpes disput. 21. a. 6. inquiens, hoc esse, imbecillitatis quidem in nobis, quatenus in operando depẽdemus à sensibus, & quatenus in nobis inconsideratio est pœna peccati, licet autem hæc vera sint, tamen & si Angelus non dependeat à sensibus, nihilominus intellectus eius non est infinitus, nec illimitatus, & hoc sufficere poterat, ne plenè ad omnia aduertisset.

Peccauerit ex inconsideratione aliquarum circumstantiarum.

6 Mirum insuper est, vt aduerterit omne prorsus malum futurum, nedum

Non plenè aduertit ad omnes circumstantias.

in sub-

in substantia, verum & ad omnes conditiones loci, & temporis: quantitatẽ, & qualitatẽ, siue acerbitatem suæ pœnæ, ruinam suã, atque suorum, occasionẽ tentationum Dæmonum, damnabiliũ hominũ: conditiones omnes concurrentes tum ad culpam, tum ad pœnam, tum in ordine ad se, tum ad alterum, & huius generis: quæ cum in tãto numero excrescant, quomodo illicò, & subitò plenè considerare potuit?

7 Scotus quidem in 2. d. 21. concessit, Adam peccasse ex inconsideratione, vtputa non credẽdo pœnam futuram fore tam grauem. Hinc arguo, Adam in statu Innocẽtiæ peccauit ex inconsideratione, ergo & poterit Angeli ante voluntatẽ deprauatã habere inconsiderationem. Antecedẽs habet ibi apertè Scot. sub lit. C. inquit enim, *Etiam tãta pœna sequeretur, bene potuit habere aliquam ignorantiam ante peccatum.*

8 Et ex his, consequenter etiam ad hunc textum locum, deducitur quod potuit in Angelo præcessisse inconsideratio aliquarum circumstantiarum, licet quoad substantiam nullus præcesserit error, vel ignorantia, vel inconsideratio.

Ignorantia quarum est pœna peccati.

9 Replicat Volpes, Talis inconsideratio fuisset pœna peccati, ergo non antecessit peccatum. Respondet ibid. Scot. de Adam, quod ignorantia facti non præcessit peccatum, sciuit enim præceptum Domini &c. sed ignorantia circumstantiarum præcessit peccatum; ita de Angelo, inconsideratio aliquarũ circumstantiarum non fuisset pœna peccati, sed limitatio & finitas naturæ intellectus angelici, non valẽtis ad omnia: Cæterum ignorantia facti, error, ignorantiaq; prauæ dispositionis, ipsa est pœna peccati: & hoc est verè scotizare.

10 Et hinc tum in malis Angelis, tum in hominibus peccatoribus admittimus aliqualem præuiam inconsiderationem: De hominibus quidem peccatoribus facilius admittitur ad mentẽ Scoti, nam si in statu Innocentiæ poterat adesse, ex eius mente, ignorantia aliquarum circumstantiarum in Adam, multò amplius id admittendum est in statu peccati, siue naturæ corruptæ. De hominibus autem dici potest specialiter id, quod habet Ierem. 12. *Desolatione desolata est terra, quia non est qui recogitet corde.* & Esa. 57. *Iustus perit, & non est qui recogitet in corde suo.* Quamuis verò Ieremias loquatur de desolatione Iudæorum secuta propter mortem, quam intulerunt Christo, nihilominus ad propositum nostrũ, sicut etiam ad propositum eiusdem loci, facit multũ, illud *Recogitare*, etenim Paulus 1. Cor. 2. de ipsis ait, *Si cognouissent, nunquam Regem gloriæ crucifixissent.* & de vniuersis peccantibus verum est, quod peccando, & si cogitent malum esse id, quod agunt, nihilominus si recogitarent, idest si iterum, atque iterum cogitarent, quæ, & quanta mala incurrant, quibusuè bonis expoliantur peccando, non vtique sic facilè peccarent: ita de loco altero Isaiæ: hæc autem negligentia in recogitando, siue in iterata consideratione præstanda, præcedit peccatum, Confirmatur, idem namque Psalmista oras dicens 72. *Hominis [illegible] in morte,* quia optimè notat, sæpissimè, (alij aiunt) semper in peccante præcedere talem inconsiderationem explicatam.

11 Atque hinc etiam ad Axioma antea, quasi, recensitum, *Omnis malus ignorans*, addimus Primo, quod vniuersaliter loquẽdo est verum de ignorantia plurimarum circumstantiarum, quæ appellari solet inconsideratio: & hæc præcedere solet peccatum: & hoc dicitur consequenter ad Scotum ex facto Adæ.

Malus omnis ignorans, qualiter intelligatur.

12 Item Secundò, non est sensus, qualem affert Henricus, penès eundẽ Scot. in 3. d. 36. q. 1. existimans, voluntatem excæcare intellectum, nusquam enim verũ est hoc, vt optimè ibi probat Scotus contra eundem, nam intellectus est potentia naturalis, ac ideo necessariò assentiens vero cognito, sicut necessariò assensit primis principijs, tum speculabilibus, tum practicis, & operabilibus: habet insuper pro obiecto verum: quo fit, vt nullo imperio, vtpote sua possit voluntas facere, vt intellectus malum approbet pro bono, & pro bono malum: verum pro falso: & falsum pro vero: non ergo est hic sensus talis axiomatis: sed sensus erit, *Omnis malus est ignorans*, vel quidã priua-

Voluntas an excæcare possit intellectum.

Ignorantia qualiter sit peccatum.

priuatiuè, vel positiuè: Sensus primi est, quandocunque voluntas imperio suo auertit intellectum à consideratione v. g. mali sequuturi ex peccato, tunc namque non considerando, dicitur esse ignorans priuatiuè: & hoc agere solēt peccatores, vt liberius peccent, iuxta Psalm. 48. *Noluit intelligere, vt bene ageret*. Sensus autem secundi est, dum in intellectu producitur habitus malus inclinans eum ad considerandum peccata, & mala, præcipere namque potest voluntas intellectui, vt semper cogitat de furto, de fornicatione, & huius generis: quo stante & frequētatis actibus, producetur in eo habitus inclinās intellectum ad semper, siue fere semper cogitandum de perpetrādo malo, nunquam tamen de agendo bono: & tunc dicitur esse ignorans *positiuè*: Aduertendum vero, quod licet in eo talis sit habitus, non tamen approbat malum pro bono, vel falsum pro vero, si namque interrogaretur, vtrum fornicatio, & furtum esset bonum, vel malum, responderet esse malum, non ergo tentatur in se ipso obcęcatus nesciat discernere inter bonum, & malum, sed tantum dicatur ignorans, quatenus ex inclinatione relicta in eo ex frequenti consideratione fornicationis, non cogitat de continentia, sed de fornicatione opposita, & ita dicitur per voluntatem obcęcari positiuè.

13 De falsitate, an potuerit esse in intellectu angelico, egimus supra disputat. 7. quæst. 19.

QVÆSTIO XVI.

Vtrum omnes peccantes Angeli damnati fuerint, an aliqui pęnitentiam egerint in via.

1 VTrum mali Angeli dum erāt in via, potuerint pœnitentiam agere de peccatis, ac veniam consequi: Vtrum etiam, dato, quod potuerint, vere egerint, difficile redditur Scholasticis. Et quia duas partes continet quæsitum, alterum de posse, alterum de facto, hinc ordinatè ambo capita tractabimus, primo vero de primo.

Potuisse pœnitere affirmant multi.

2 Circa Primum, fuit sententia Salmeronis affirmantis, potuisse pœnitentiam agere in via. ita habet supra Epist. secundum Petri cap. 2. exponens illud, *Deus Angelis peccantibus non pepercit*. Quem quidem locum de Angelis solummodo obstinatis, atque iam existentibus in termino, explicat, non autem de Angelis, dum erant in via. Suam vero explicationem confirmat ex consimili propositione fabricanda de hominibus peccatoribus, si namq; quis diceret, *Deus hominibus peccantibus non pepercit*, sensus vtique erit non de peccatoribus quibuscunque, sed de hominibus peccatoribus obstinatis, obduratis, nolentibus resipiscere, atq; iam in termino existentibus: talis est mos loquēdi Scripturarum, vt Luc. 17. *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes peribitis*. Psalm. 94. *Nolite obdurare corda vestra, ne quando irascatur Dominus, & pereatis de via iusta* Matt. 13. *Conuertimini ad me, & Ego conuertar ad vos, dicit Dominus*, quibus phrasibus loquendi plenę sunt Scripturæ: talisque est mos Concionatorum in obiurgandis peccatoribus, in exaltādo Misericordiam Dei, in quo propalando diuinam Iustitiam, sicut docēt Patres, sic Scholastici &c. ergo dum Petrus ait, quod *Deus Angelis peccantibus non pepercit*, de obstinatis quidem loquitur, & de existentibus in termino, non autem in via. Consimile est illud Iob 9. *Verebar omnia opera mea, sciens, quod non parceres delinquenti*.

3 Accedunt ad hoc congruentiæ: expectat Deus hominem, vt conuertatur, ergo & decens fuit expectasse malum Angelum, vt conuerteretur. Item decet diuinam Misericordiam non il-

lico

licet peccatores punire, sed moram dare, & tempus ad pœnitentiā: ita namque agit cum hominibus, cur ergo negandum similitèr egisse cum Angelis. Insuper verè Angeli fuerunt in via, priusquam in termino: at tempus viæ est tempus cōuersionis, & meriti. Rursus, Deus est pronior ad miserendum, & parcendum. Præterea, Deus ex parte sua *vult omnes saluos fieri*: Rom. 4. licet autem loquatur de hominibus, non inde videtur excludere Angelos, etenim ipsis quoque cōtulit media ad salutē. Denique nō repugnat ex parte Angeli viatoris probati, habuit namque in via voluntatem liberam, atque flexibilem, sicut de bono in malum, & de gratia in peccatum, ita de malo in bonū, & de peccatu ad iustificationē.

4 Accedit authoritas Cyrilli Hierosol. Catech. 2. dicentis, *Nescimus, quanta ille, vt Angelis condonauerit, indulget enim & illis*. Apertè loquitur Cyrillus: Ponderāda autem est loquutio coniunctiua per *&*, quasi dicat, nedum Deus indulget hominibus, sed etiam & Angelis. Hinc vero vtramq; quæstionis partem decidit Cyrillus, loquitur namque de facto, per verbum, *Indulget, Condonauerit*, ergo militat multo amplius de possibili, sicut à facto concluditur possibile.

Etiā Scotus 5 Ex Scholasticis, sententiam hāc de possibili apertè docet Scotus in 2. d. 6. q. 2. in respons. ad quartū: vbi sic loquitur, *Ad quartum dico &c.* & infra. *Cum dicis, quod primum peccatum fuit irremediabile, dico, quod quando peccauit secundo peccauit adhuc fuit in via, & per consequens quando peccauit secundo peccato; potuit pœnitere de primo peccato: & ita primum peccatum non fuit irremediabile, quia si pœnituisset, inuenisset veniam, & misericordiam: tamen, & quo, in illo peccato deuenit ad terminum, omnia peccata eius facta sunt irremediabilia; omne enim peccatum perducens vsque ad terminum sua est irremediabile*. Hæc Scot. idemq; habent Expositores ibi: & confirmat Gabr. ibid. art. 2. Hoc vero in loco duo apertè docet Scotus: vnū est, potuisse Angelū agere pœnitentiam, & veniā atq; misericordiā potuisse mereri in via. Secundū autē est, q̄ de facto non egit, quia perdurauit in peccato vsq; ad terminum, nec veniam meruit.

6 Ex opposito negāt potuisse pœnitentiā agere, & conuerti recentiores Scholastici, vt Molina quæst. 63. art. 6. 5. *Quinta Conclusio*. Valent. t. 1. disp. 4. q. 14. punct. 2. Tannent. 1. Ratio Molinæ, est: quia Deus auxilium gratiæ suæ non confert peccatoribus, nisi per merita Redemptoris: at non statuit conferre Redemptorem Angelis peccantibus, ergo non potuerunt resurgere. Ratio Valentiæ est, quia Deus iusto iudicio suo statuit denegare gratiam salutarem Angelis post primum peccatum, quemadmodum iusto iudicio denegat gratiam suam peccatoribus post mortem. *Suarez*, licet in primam sententiam potius inclinet, ait, non potuisse pœnitentiam agere, quia tempus viæ Angelorum fuit valdè breue; lib. 8. cap. 1. vnde num. 15. inquit, *Habuerunt breuissimam moram ad resipiscendum*, atque tandem Thomistæ cum D. Tho. 1. par. q. 63. art. 6. & q. 64. art. 2. causam esse aiunt, inflexibilitatem voluntatis angelicæ; quæ quando quidpiam deliberat, inflexibilitèr in eo permanet, nec mutatur. Suarez, si potuerint pœnitere, ergo aliqui eorum pœnituerunt, & conuersi fuerunt, at Patres docent oppositum.

7 Verum circa primam, & secundam rationē quærendum esset, cur est, vt Deus denegauerit Angelis Redemptorem, rationem autem non assignat Molina. Item, cur Deus gratiam denegauerit salutarem, & vbinam fundatur tale iustum iudicium Dei? nec de hoc rationem affert Valentia.

8 De Suarez item quæritur, vndenam colligit, moram angelicam fuisse breuissimam? Et arguitur contra, siquidem Deus Angelis cōtulit tantum viæ spatium, quantum opus erat ipsorum saluationi: id namque concedit homini, concessisse quoque & Angelis compertum debet esse apud omnes: ergo habuerunt spatium viæ sufficientissimum, ergo mora ipsorum non erat, vt ait, breuissima. Item Scotus in 2. d. 5. q. 1. 2. docet, moram angelicam non fuisse indiuisibilem, vt ipsemet Suarez ibi fatetur: quod si diuisibilis fuit, ergo poterant habere actus plures, tum peccandi, tum pœnitendi. Fatetur quidem, Via Angelorum an breuissima

quod via angelica si compararetur ad integram statum hominis viatoris, vtique breuior fuit, hæc enim tot mensium, tot annorum, lustrorum, sæculorum &c. quanta nō fuit via Angelorū: at si spectetur secundum se, in ordine ad naturam angelicam, vtique fuit sufficientissima ipsis Angelis, ratio quia in operando Angeli non indigent tanta mora, & tempore, quanta homines: Non impediuntur mole corporis vt homines; *Corpus enim, quod corrumpitur aggrauat animam, & terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem.* Insuper sunt expeditissimi, ac velocissimi in suis operationibus, nec ignorantia impediti, cum ab initio fuerint sapientissimi: quapropter mora ipsorum non est censenda breuissima, sic explicata, sed ipsis quidem sufficientissima.

9 Ac denique illud de inflexibilitate Thomistarum, pro nunc non recipitur, de quo erit sermo in quæst. seq. loquendo de causa obstinationis malorum Angelorum.

10 Ad rationē Suarij negatur consequentia, non enim valet arguere à potentia ad actū, sed è conuerso. Responsio fundatur super Patres, negātes fuisse conuersos.

11 His tamen sic se habentibus, dicimus Primo, valde consentaneum est infinitæ misericordiæ Dei, asserere, quod malis Angelis dederit Deus spatium pœnitentiæ dum erant in via: & per consequens poterant conuerti. ita aperte asserit Scotus, vt vidimus, & Gabriel, ceteriq; Scotistæ: ita Salmeron, & ad hoc magis inclinat ipse Suarez. Fundamenta iam allata sunt in principio, quæ totaliter pendent ab ipsa misericordia Dei, qui, quantum est ex sē, vellet omnes saluos fieri: propterea, omnibus parat media sufficientia ad salutem. Item peccatum Angeli non fuit irremediabile, ait Scotus, ergo potuit remedium salutis præberi: at remedium tale est pœnitentia salutaris. Suarez quoque prædicto num. 25. ait, Angelos tales habuisse gratiam sufficientē, & si non efficacem: Hæc quidem diuinam magnificant misericordiam, ergo sic, piè, censemus, potuisse agere pœnitentiam. Hæc de primo puncto spectando possibilitatem. Et

Angeli habuerunt in via spatium pœnitentiæ

cōfirmatur authoritate Bernardi serm. 22. in Cant. vbi sic loquitur, *Authoritas Scripturarum nusquam assentire videtur, Angelus aliquādo, aut peccato captiuos, aut morti obnoxios, vt indigerent redemptione; exceptis duntaxat illis, qui superbia lapsu irremediabili corruerunt, redimi deinceps non meruerunt.* Igitur, ex sententia Bernardi, poterant redimi, nisi demeritū obstitisset: quod si poterāt redimi, ergo poterant pœnitentiam agere, redemptio enim non fit sine cooperatione redempti.

12 Accedendo tamen ad id, quod contigisse creditur de facto, vtrum aliqui ipsorum pœnitentiam egerint, negant plerique Patres: In primis autem Gregor. l. 4. moral. cap. 9. inquit, *Deus apostatam Angelum nequaquam ad pœnitentiam reuocat.* Idem Bernardus recensitus hoc ipsum, cum ait, *Exceptis duntaxat illis, qui superbia lapsu irremediabili corruerunt, redimi deinceps nō meruerunt.* Ex hac autem exceptione nō elicitur, aliquos meruisse redimi, ac cōuersos de facto fuisse, negat enim id Gregorius allatus: & accedit August. lib. de mirabilibus sacræ Scripturæ cap. 3. inquiens, *Angelicum vulnus, verus medicus, qualiter factum sit, indicare noluit, cum aliud postea curare non destinauit: & qualiter sit vulneratus, per sententiam vindictæ, ostendit, quē per pœnitentiam nullo modo reuocauit.* Damascenus lib. 2. de fid. Orthod. cap. 4. *Angelos omnes, qui cū Lucifero conspirauerunt, cum eo corruisse, ac damnatos esse.* Ac denique recipitur communiter Damasceni eiusdem sentētia dicentis, *Quod hominibus est mors, Angelis est casus.* Vbi comparatur casus angelicus morti hominis, quemadmodum homo post mortem decidens in peccato mortali, agere nequit pœnitentiam; ita Angelus peccando, nequiuit inde resurgere. vnde concluditur non resurrexisse ad veniam, & salutē & omnes corruentes, damnatos fuisse.

Quod hominibus est mors, Angelis est casus.

Nullū Angelorū malorum pœnitentiam egisse

13 Afferūt Scholastici congruentias aliquas rei huius desumptas ex Patribus. Primo, nullus eorum saluatus fuit, quia non tota natura angelica corruit, sicut tota corruit natura humana: nē ergo tota remaneret dānata natura humana, Deus specialia auxilia hominibus saluandis cōfert, quæ nō cōtulit efficacia Ange-

Cur ex hominib. peccantibus sint qui pœniteāt nō vero Angeli.

Angelis malis: est Diui Aug. in Enchyrid. cap. 29. Ratio hæc supponit plura indiuidua sub qualibet specie angelica: de quo videmus in propria disput. Secũdo, quia Diabolus nõ peccauit ex suggestione alterius, vt homo, qui fragilitate carnis, affectione, amore concupiscentiæ, ac similium peccare solet, eũ tamen Diabolus propria voluntate peccauerit: ita Gregor. l. 4. moral. c. 10. & Cassian. collat. 4. cap. 13. 14. Verum hoc patitur difficultatẽ de Angelis inferioribus, qui instigante, & tentante Lucifero peccauerũt, vt habet D. Tho. 1. par. q. 63. art. 8. & trahitur ex Apoc. 8. *Traxit secum tertiam partem Stellarum*, & Isa. 14. *Tu terram tuam perdidisti, tu populum tuum occidisti*. Licet Lucifer ipse, nemine instigante peccarit: Nihilominus non desunt, asserentes nullum Angelum, nec quidem inferiorem Lucifero, peccasse ex alterius instigatione, sed solo arbitrio sponte, & voluntate sua: ita Alphons. de Castr. de hæres. verbo *Peccatum* hæres. 3. & Guillelmus Paris. l. 2. de vniuerso par. 1. cap. 112. sed de hoc in quæst. seq. Et Tertio alij aiũt, inde esse, quia Angeli erant sapientiores hominibus, vnde plenius, ac perfectiùs cognoscebãt, quod agebant, ideoque maiori pœna digni. Confirmatur ex dictis præced. quæst. Angelum non peccasse ex ignorantia &c. causã hanc reddunt Damasc. l. 2. cap. 3. Gregor. l. 4. moral. cap. 9. Nyssen. l. 1. Philos. cap. 3. Item homo imbecillior est Angelo, ideoque Deus magis misertus ei fuit. Addit Tertull. l. 6. de præn. Mũdus creatus fuit propter hominẽ, ideoq. Deus eum non dereliquit. Leo serm. 2. de Natiu. ne Dæmon gloriari posset, vtrãque naturam penitùs perdidisse.

14 Rem tamen totam expedire videtur Fulgentius quoad vtramque partem, tum de possibili, tum de facto: is autẽ cap. 3. de fide ad Petr. sic ait, *Deus creauit Angelos cum dilectione sui, & cũ tanta libertate, vt vnusquisque eam habere posset, & perdere, ita tamẽ, vt qui eam sponte perderet, iam deinceps suo arbitrio, & sine gratia auxilio resumere non valeret*. vsque modo docet non potuisse resipisci sine gratia Dei, igitur si gratia Dei accessisset, resipiscere potuisset. Hæc de possibili. Pergit autem inde loquens de facto, & subdit, *De Angelis quidẽ hoc disposuit, & impleuit, vt si quis eorum, bonitatẽ voluntatis perderet, nunquam eam diuino munere repararet*. Hęc concludunt de facto.

15 Quod si obijcitur, si possibile fuit, mediãte gratia Dei, pœnitentiam agere, cur est, vt Deus, ex Patribus allatis, hanc gratiam denegauerit? ait enim Fulgent. *Si quis bonitatem perderet, disposuit Deus, vt nunquã eam diuino munere repararet*. Respondetur, hoc reseruatum remanere, & occlusũ in thesauro Sapientiæ Dei: *Quis enim Consiliarius eius fuit, aut quis nouit sensum Domini, ò altitudo diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei*, Rom. 4. Responsio secunda colligitur ex congruentijs Patrum allatis, quibus Patres sic, vel sic, respondere conantur obiectioni.

16 Sed quid ad Cyrillum? respondet Suarez, loqui de indulgentia anticipata, siue de gratia præueniente, qua efficacitẽr Angelos præseruauit, ne peccassent. Loquitur autẽ Suarez de Angelis bonis, quatenus præseruati à casu &c. Verum extorta videtur expositio, etenim verbum *indulgere*, & *condonare* de sui natura, importat ordinem ad subiectũ materiam peccati, & peccatoris, super peccatore nãque, & peccato cadit condonatio, & indulgentia, Angeli autem boni non peccauerunt, ergo indulgentia non intelligitur de illis. Iam quidem concedimus, Angelos bonos recepisse maiora gratiæ incrementa, vtputa, gratiam efficacem, nè cecidissent, attamen loquutio Cyrilli alio tendere videtur. Refert idem Suarez responsionem alteram, vt quia Angeli boni aliqua fortasse, peccata venialia commiserint, hæc autem ad loquutionem Cyrilli, condonauerit illis Deus. Impugnat autẽ hanc responsionẽ Suarez, Primo, quia Angeli boni non potuerũt peccare venialiter, tum quia habuerunt tempus breue, tum quia nullam occasionem habuerũt sic peccandi: tum quoniam semper fuerunt intenti ad amorem Dei, tum denique, quoniã si tale veniale commisissent, potuissent cum illo ad vsque finem peruenire sine integra satisfactione, & ita opus fuisset pœnam luere in Purgatorio, non enim immediatè ad

Paradisum transissent, nisi transeundo per pœnas Purgatorij. Verum; Suarez assumit vnum, quod nec ipse probat, & quæ addecit nō conuincunt, nec quidquam obsunt, vt oppositum debemus persequi; quid namque implicat bonos Angelos potuisse peccare venialitèr, (licet de facto non peccauerint) non implicat ratione status, quia dum erāt in via, poterant mereri, & demereri; nō ratione liberi arbitrij, quia semper fuit liberum in vtramque partem, viatori enim id frequentissimè accidit, nisi sit confirmatus in gratia, vt Beatissima Virgo, quę nec quidem venialitèr peccauit ex Concil. Trident. sess. 6. de Joanne autem Baptista vide quid diximus tom. 1. disput. 18. Quod si Angeli erant adhuc viatores, & non iam pro tempore viæ, in termino cōstituti, cur non poterant peccare venialitèr. Item non impedit collatio gratiæ, etenim gratia, & peccatum veniale non pugnant, adeo vt sint incompatibilia, ait enim Psalm. 17. *Septies cadit iustus*, & Joan. c. 1. Epist. can. *Si dixerimus quod peccatum non habemus, nos ipsos seducimus*; solum namque peccatum mortale destruit gratiam. Insuper potuit Adam in statu innocētiæ peccare venialitèr, vt docet Scotus in 2. d. 21. q. 1. ergo & Angelus in statu gratię viæ, non adhuc consummatæ. Ad id vero de Purgatorio, nō fuisset necesse per pœnas trāsire Purgatorij, sed potuisset bonus Angelus peccata venialia, per displicentiam oppositam luere, siue per actum feruentioris amoris Dei delere, sicut de eodē Ada ait ibidē Scotus in fine, quod potuisset veniale sic sibi dimitti per actū feruentioris amoris Dei. Dices, displicentia hæc, siue talis pœnalis detestatio repugnat tali statui; Negat id Scotus de statu innocentiæ, repugnabat quidem mors, non autem displicentia, seù aliquid huiusmodi &c. Nec denique implicat ratione temporis viæ Angelorum, iam enim ostendimus fuisse illis æquè sufficientissimum.

Angeli in via potuerunt peccare venialitèr, & pœnitere.

Adā in statu innocentiæ potuit peccare venialitèr, & id delere per displicentiā, amorem &c.

Displicētia nō repugnabat statui innocentiæ.

17 Ad Cyrillum ergo alitèr respondendo dicimus, loqui fortè de Angelis malis, de quibus verum est, multa illis Deum cōdonasse, & indulsisse, ratione pœnæ, quam patiuntur, quandoquidē punit eos Deus citra condignum, non enim exercet vindex Deus omnem rigorem iustitiæ in peccatores, sed misericordiam suam interponendo, punit minus, & citra condignum.

Iterum redibit sermo de rē hac, Disput. 19. agendo de pœna malorum Angelorum quæst. 1.

QVÆSTIO XVII.

Quænam sit causa obstinationis malorum Angelorum.

ARTICVLVS I.

Proponuntur sententiæ aliquorum, & impugnantur.

Sententia D. Thom.

1 Sententia est Diui Thomæ, ac discipulorum 1. par. q. 64. ar. 2. causam in eo sitam esse, quia voluntas Angeli immobilitèr, & inflexibilitèr adhæret obiecto volito, & à suo intellectu apprehenso: hæc autem immobilitas in causa est, vt adeo obstinatus remanserit in peccato, quod non possit conuerti, & pœnitere, atque bonum agere in ordine ad salutem. Ratio autem fundamentalis est, quia potētia Angeli appetitiua sequitur apprehensiuam, à qua mouetur, tanquam mobile à motore: at Angelus apprehendit immobilitèr, ergo eius voluntas, post eius apprehensionem completam adhæret obiecto sic apprehēso, immobilitèr, & inuertibilitèr. Insuper differentiam apponit D. Thom. inter voluntatē hominis, & Angeli, quia namque intellectus hominis discurrit ex hoc in hoc, ideo eius volūtas est quoque mobilis, atque flexibilis ab vno volibili ad aliud: at quia Angeli intellectus non discurrit, nec dimouetur ab

obie-

obiectum, sic; vel sic apprehensio; hinc quoque voluntas non desistit ab amore, vel odio obiecti amati, vel odio habiti. Qualis etiam est apprehensio intellectus, talis operatio voluntatis, at illa est immobilis, & inflexibilis, ergo consimiliter inflexibilis erit voluntas. Ita autem aduenisse docet, Angelis vniuersis tum bonis, tum malis; boni namque ex immobilitate potentiæ appetitiuæ, & apprehensiuæ facti sunt impeccabiles, & confirmati in sanctitate, mali vero ex eadem immobilitate redditi sunt impœnitentes & obstinati. Confirmatur, quia Angelus, antequam peccasset, considerauit omnia, ergo postquam peccauit, non potest amplius resilire. Hæc de D. Thom.

Henrici. 2 Est sententia altera Henrici, qui quodl. 8 q. 11. ait, quod quanto voluntas est perfectior, tanto intensius se immergit in obiectum volubile; voluntas autem separata à corpore, cuiusmodi est voluntas Angeli, est perfecta, & perfectior humana, ergo taliter in obiectum se immergit, vt non possit inde euelli, & retrahi: Exemplum affert de ferro, siue clauo, qui si infigatur osti, & ex parte opposita retundatur nullo quidem modo poterit inde retrahi, ita quoque euenisse ait voluntati Dæmonis, veluti enim infixa toto conatu, atque totaliter immersa in suum obiectum, quasi inde instar claui, ex opposito retusa, non poterit diuelli à tali obiecto, & à malo itaut remaneat omnino obstinata in malo.

Aliquorum. 3 Dixerunt alij, creare Deum in voluntate angelica habitum quendam vitiosum, peccaminosum, & malum, ex quo tamen inde necessario inclinetur voluntas ad malum. Non defuerunt qui dixerint, Deum in voluntate Dæmonum conseruare odium ipsius Dei: ex qua perpetua odij conseruatione, obstinati remaneant perpetuo in malo.

Origenis. 4 Denique Origenes Periarc. c. 5. & 6. plura circa hoc dixit: Et primo aiebat, Angelos, tum bonos, tum malos, posse semper vel à beatitudine, vel à statu damnationis excidere; ratio, quoniam, cum sint liberi, poterunt boni, & Beati à beatitudine cadere, & mali à damnatione resurgere. Item aiebat, ita tandem futurum fore de Angelis malis, atque etiam de reprobis hominibus, vt aliquando à statu damnationis resurgentes, saluentur; quemadmodum ex opposito, ita quoque contigisse, subdit, Angelis beatis, quandoquidem Lucifer cum suis Asseclis, beatitudine perfruentes, peccando suo, miserabiliter à statu beatitudinis exciderunt. Vnde atque ad hunc sensum, locum Ezech. 28. exponit, *Quomodo cecidisti Lucifer, in delicijs Paradisi fuisti.*

5 Quid autem Scotus dicat videamus. Eius ergo autem sententia est, non prouenire Angelorum obstinationem ex eo, quod immobiliter, & inflexibiliter apprehendant obiectum, immobiliterque hæreant obiecto: ita habet in 2. d. 7. q. vnic. sequuntur autem Gabriel, Ariminensis, Maior, D. Bonauent. ibid. atque Molin. q. 64. art. 2. disput. 1. Valent. q. 15. disp. 4. par. 2. Vasq. disput. 239. pluresque. Scoti.

6 Probationes vero hæ sunt. Primo authoritate August. siue Fulgent. cap. 3. de fide ad Petr. vbi habet, *Si possibile esset, vt humana natura, quæ postquam à Deo auersa est, perdidit bonitatem voluntatis, ex seipsa rursum eam habere potuisset, multo possibilius hoc natura haberet angelica, quæ quanto minus grauatur corporis terreni pondere, tanto magis hac esset prædita facultate, vt hoc habere posset.* Hinc autem arguitur, si voluntas humana posset ex se redire ad iustitiam, multo magis id posset angelica: igitur voluntas angelica non est adeo immobilis, & inflexibilis, teste Augustino, vt post primam apprehensionem, seu post primam adhæsionem, non possit de vno in aliud mutari. Caietanus respondet, quod id esset verum quando Angelus haberet gratiam Dei, qua mediante surgere posset à culpa: Cæterum quia non habet, hinc fit, vt non sit mutabilis, atque reuocabilis, & flexibilis. Caietanus sic respondendo, aperte deuiat à fundamento Diui Thomæ, & accedit ad sententiam Scoti; nam quod carentia gratiæ Dei causa sit, vt peccator non resurgat, id verissimum est, & de fide, alias esset pelagianum dicere, posse absque gratia resurgere, & in hoc nulla est controuersia; at de fundamento iacto disquiritur,

Obstinationis causa non est inflexibilitas.

nempè de immobilitate, & inflexibilitate, Augustinus autem docet, ita Angeli voluntatē, quantum est de sè, esse immutabilem, sicut hominis: vnde Caetanus non est constans in defendendo fundamentū de immobilitate: illud namque fundamentum de carentia gratiæ, est Scoti, & est protsus distinctum à fundamento immobilitatis: bene autem D. Thomas nouit, quod carentia gratiæ est etiam causa obstinationis, attamen, vltra fundamentum de gratia, posuit quoque fundamentum immobilitatis. Caetanus vero, vel argumento pressus, fugit ad carentiam gratiæ, relinquendo fundamentum immobilitatis. Confirmatur autē argumentum ex Damasc. l. 2. de fid. orthod. cap. 3. qui describēs Angelum, ait, *Angelus est arbitrij libertate præditus, sententia ratione mutabilis, hoc est, liberam, in vtramque partem, habens voluntatem*, docet autem aperte esse de sui natura, voluntatem eius mutabilem, atque potentē mutare sententiam in vtramque partem.

7 Probatur insuper, vna, eademq; est causa obstinationis hominum, & Angelorum, ex August. cit. at obstinatio hominis non habet pro causa immobilitatem, seù immutabilitatem, ergo nec talem causam habebit Angelus: Prob. minor, aut voluntas hominis redditur immutabilis, & inflexibilis ante terminum in via, aut post mortē: non Primum, quia cōstat, quod viator semper mutari potest de bono in malum, & de malo in bonum, hæc enim est conditio status viæ: nec Secundū, probatur, quia talis inflexibilitas post mortem, aut euenit ei ante primum actum elicitum, aut post: non Primū, quia sine omni actu elicito nemo fit obstinatus, sicut nec peccat: neque Secundum, quoniam post mortē existens homo in termino, neq; meretur, nec demeretur, igitur iste primus actus non poterit esse causa demeritoria perpetuæ obstinationis, ergo non est concedenda talis immutabilitas ex immutabili adhæsione ad obiectum. Occurrit Caet. inquiēs, quod peccator demeretur, seù meretur suam obstinationem post mortē, licet ille primus actus peruersæ voluntatis sit post terminū viæ, At videat Caetanus, si doctrina hæc consona est bonæ Theologiæ, atque Theologis. status namque merendi, & demerendi est tempus viæ, post mortē namq; non datur amplius facultas merendi, vt clamant Scripturæ, Patres & Scholastici, ideoque status ille appellatur terminus, sunt namque mortui non amplius in via, sed in termino: vt sic autem, statum mortis facit viæ.

Caetan. ... dari demeritū post mortem.

8 Item Lazarus iam mortuus erat; reuixit autem vocante Christo Domino, *Lazare veni foras*: at per mortem voluntas eius non remansit immutabilis, inuariabilis, & inflexibilis, prob. alias non potuisset mereri, & demereri: non potuisset damnari, aut saluari; at quandiu sumus in via, possumus mutari de hoc, in hoc, spectādo naturam voluntatis, & statū viæ, qui etiam est variabilis. Confirmatur, discrimen inter viam, & terminum tale est, vt *cessante motu fiat quies* ex Arist. motus autem habetur in via, in termino vero cessat motus.

Cessāte motu fit quies.

9 Insuper causa totalis non aliter causat, nisi ipsa aliter se habeat, præcipuè vero vbi nullum adsit impedimētum: at voluntas, vt prior actu suo, est causa suæ operationis, ergo non potest aliter causare, nisi ipsa aliter se habeat: sed per suam operationem, primam, vel secundam non se habet aliter voluntas in ratione causandi, ergo operatio eius prima non erit causa, vt aliter se habeat in operando, nunc, quam prius; at prius se habebat mutabilitèr, ergo taliter quoque se habebit post primam operationem, qua mediante intellectus apprehēdit, & voluntas adhæsit. Quod autē Scotus in hac ratione ait, voluntatem non aliter se habere, nec variari, intelligitur de variatione essētiali, nam semper remanet in sua essentiali libertate, etiam post quamcunq; operationem; non vero negat variari accidentalitèr, vt patet, quia mutatur de non operante in operantem.

10 Preterea, Angeli in via commiserunt plura peccata, diuersiq; generis, vt constat ex propria disput. igitur in secundo peccato, seù in secunda operatione peccaminosa erant adhuc in via; igitur non fuerunt immutabiles, nec obstinati post primam apprehensionem

sionem

sionem intellectus, & adhæsionem voluntatis; prob. consequentia, nam si v.g. peccauerunt quatuor vel quinque generibus peccatorum, vtpotè inuidia, odio, superbia, & immoderato appetitu beatitudinis, & hoc multipliciter, vt suo loco, vtriq; post primum non fuerunt immutabiles, nam in secundo, sicut, & in primo, & vltra, iam erant in via, status autem viæ est mutabilis.

11 Contra id vero, quod dicebat in opin. quod intellectus mouet voluntatem, ex qua motione sequitur, vt necessario voluntas adhæreat obiecto taliter ab intellectu immobilitèr apprehenso, arguitur, inde sequi destructioné libertatis, prob. intellectus est potentia naturalis, sicut est agens naturale: at in potestate agentis naturalis, (nempè in libertate) nec est actio, nec modus agendi, ergo si intellectus mouet voluntaté, naturali necessitate mouet, ergo & voluntas naturali necessitate operabitur. Item, intellectus Angelorum ante peccatum fuit rectus, ergo in sua motione erat rectus, igitur tanquam rectus mouebat tunc voluntatem ad agendum, semper ergo à primo ad vltimum, debebat voluntas operari necessario recté, & consequenter debebat immobilitèr adhærere rectitudini, itaut non potuisset inde deuelli: at Angelus malus post illam intellectus operationem rectam habuit aliam non rectam, dirigédo voluntatem ad malum; similitèr voluntas post primam volitioné rectam habuit alias volitiones malas, ergo intellectus non fuit immobilis in eo, quod primo apprehédit, nec voluntas fuit immutabilis in prima operatione, quam consequenter ad intellectum elicuit. Insuper, in primo instanti Angeli non semper ut insipiétes habuerunt aliqué actum procedentem à gratia, in qua creati fuerunt, ergo non potuerunt inde peccare: prob. conseq. quia per eos in prima operatione, tum intellectus, tum voluntas redditur inflexibilis, ergo nullatenus inde potuerunt peccare; contingit autem oppositum, quia Lucifer cum aliis pluribus peccauerunt. Rursus, differétia illa de voluntate hominis, & Angeli, quod illius est mobilis, quia intellectus eius discurrit, Angeli vero nequaquá, nil prodest, ita namque hominis voluntas firmitèr adhæret conclusioni demonstratæ per discursum sicut non demonstratæ per discursum: quando namque vult firmitèr adhærere, parum curat de discursu, siue de non discursu. Item circa prima principia intellectus non discurrit, tamen à priori, attamen voluntas potest, si voluerit, firmitèr illis apprehensis per intellectú, adhærere, vltra quod suo loco ostendimus, Angelum quoque discurrere. Circa prima principia intellectus non discurrit, declaratur.

12 Denique conuincitur intentum ex Aug. cap. 15 vbi sic decenter, *Quod Angelis ab illa sua beatitudine mutari in æternum non possint, non est in eis naturalis inditum, sed postquam creati sunt, gratia diuina largitate collatum; si enim Angeli naturaliter incommutabiles fuissent, tanquam de eorum consortio Diabolus, & eius Angeli cecidissent*. En quomodo August. decidit quæstioné, negans, siue bonorum, siue malorum Angelorum voluntatem de se esse immutabilem in apprehensione, & adhæsione obiecti: quod vero bonorum voluntas sit ab obiecto illo diuino immutabilis, id *gratia diuina fuit illis largitate collatum*, ait August. vt amplius dicemus. Nec existimo mentem D. Thomæ talem fuisse, sed totú principalitèr reiudisse in gratiam pro bonis, & carentiá gratiæ pro malis, vt sint inflexibiles; & ratio allata non fuerit apud sanctum Doctorem præcisa, & adæquata, sed potius topica, & minus concludens. D. Thomas conciliatur.

13 Ad Henricum tamen accedendo impugnatur eius positio primo sic, Sicut non est in potestate Agentis naturalis actio, & modus agendi: ita ex opposito, in potestate Agentis liberi erit & actio, & modus agédi: ergo non necessitatur voluntas, vt totam se immergat in obiectum, amando, vel odio habendo illud. Declaratur antec. in potestate ignis, siue non est in potestate, seu libertate ignis calefacere, & nó calefacere omnino, neq; intensé, vel remisse calefacere, quia cum sit agens naturale, determinatur necessario ad calefaciendum. In potestate autem Agentis liberi, est agere, & ab actione desistere, sicque vel sic agere remisse, vel intense, vt placet eius voluntati: hoc autem stante, quisnam cogit volunta- Eodé principio quis mouetur in terminú, & quiescit in termino.

luntatem Angeli, vt semetipsam totaliter immerserit in illud obiectũ, adeo vt inde dimoueri non posset? Item non fuit necessarium, vt Angeli secundum totum conatũ in principio operati fuerint, inquit Scot. non autem fuit hoc impossibile; quidquid sit de facto: ergo nulla fuit necessitas se totaliter immergendi in obiectum. Rursus, eodem principio aliquid mouetur in terminum, & quiescit in termino: at Angelus liberè mouebatur in terminum, siue amando, siue odio prosequendo, ergo etiam liberè in eo figebatur, & quiescebat, nulla ergo necessitas ex parte sui vrgebat.

14 Ad exemplum autem de clauo, siue ferro infixo, dicendũ, quod quando ferrũ infigitur, partes corporis, cui infigitur, magis concurrunt, coarctantur, & comprimuntur, siue constipantur: Item ferrum retunditur, nec manet in sua rectitudine naturali: at voluntas semper manet in sua libertate naturali, quamuis habeat quandam curuitatem, seu deformitatem: Item non valet comparatio, quia ferrum est agens naturale, & in eius potestate nõ stat posse exstrahi, at voluntas semper est libera.

15 Addamus tamen contra ambas opiniones argumentum aliud deductũ ex scripturis, & quidem habetur Io. 13. quod *Diabolus misit in cor Iudæ, vt traderet Christum Iudæis*: inde vero Diabolus idem laborabat valde, vt Christi passionem impediret, persuadens vxori Pilati, vt Pilatũ rogaret, quod Christum liberaret à morte, Matth. 2. Hoc stante, cur Dæmon postmodum Christi mortem impedire intendit, dum namque voluntas eius fuerat obstinata, & consequenter per eos, immutabilis, & inflexibilis non poterat vtique ab antiquo proposito dimoueri, sic namque prius præconcepit eius intellectus, sicque adhæsit eiusdem voluntas, vt procsus in sententia Caetani redditus fuerit immutabilis, & inflexibilis Dæmon, & nihilominus mutatur, intentans liberare Christũ à morte. Respondet Caet. tunc immutabilem reddi voluntatem, quando sequitur plenum iudicium rationis, at in casu illo Diabolus primo non bene, & plenè aduertit ad id, quod agebat, plenius tamen aduertit inde, ergo mirum non est, si fuerit inde mutatus.

16 Contra: Voluntas est essentialitèr libera; ergo siue plenè, siue minus plenè intellectus aduertat, semper mutari potest. Item vt volũtas liberè operetur, nõ est necesse, vt intellectus plenè, vel non plenè aduertat, sed sufficit obiectum proponere volũtati, alioqui cęcæ, hoc quidem sufficit ad operari simpliciter, & absolutè: plena enim aduertentia requiritur, vt citè, & iuxta exigentiam rei possit operari: attamen stante tali plenitudine, adhuc libera est ad vtrumque.

17 Duo alia addebat sententia eorum, quæ non accipimus: Primum, quod potentia appetitiua proportionatur potẽtiæ cognitiuæ: Secundum, quod intellectus est sufficiens, siue efficax motiuum voluntatis. Adde Tertium, quod Angeli non discurrunt. Circa Primum, si sensus sit, vt proportio stet in eo, quod sicut intellectus necessario apprehendit, ita & voluntas necessario adhæreat, falsus est sensus proportionis istius propter differentiam allatam, quia illa est potẽtia naturalis, ac necessaria operans, ista vero libera, & liberè exequens, si namque ei arridet, sequitur, sin autem, declinat à sibi proposito obiecto: Si tamen sensus sit, quod id, quod ab intellectu proponitur volũtati, est obiectum, circa quod voluntas habeat operari, siue amplexando, siue renitendo, volendo, nolendo, vel omnem prorsus actum suspendendo, vt placet, sic erit verum, ratio quia cum voluntas sit cęca, ope indiget intellectus præmonstrantis, & proponentis obiectũ: & ita est: hinc autem sequitur, vt intellectus non quidẽ se habeat motiuè, imperatiuè, & impulsiuè ad voluntatem, non enim sunt munia intellectus, sed voluntatis, voluntas namque est Regina in toto Regno Animæ, non intellectus; se habet ergo solummodo ostensiuè, proponendo; quod si tamen inde voluntas velit, aut nolit assequi præostensũ, & propositum, in sua vtique situm remanet libertate: & in hoc stat proportio. Circa Secundum, iam ex his, & superius dictis patet, intellectũ vrgere non posse volun-

Intellectus non est efficax motiuũ voluntatis.

Potentia appetitiua proportionatur cognitiuæ, declar.

voluntatem, cum non sit dominus nec liber, sed voluntas est domina, & libera, ideoque si ab intellectu urgeretur, utique amitteret libertatẽ, quia naturali necessitate impelleretur, dum intellectus naturali necessitate apprehendit. Et circa Tertium: iam diximus, Angelos quoque discurrere.

18 Fuit & alterũ eorum fundamentum, quod Angelus plenè considerat omnia: postquam vero ita plenè considerauit, sequitur, ut voluntas hæreat immutabiliter sic, vel sic, obiecto proposito. Verum, & si Angeli sint sapientissimi, nihilominus an taliter sapiant, siue tunc initio, tantum animaduerterint, ut omnia penitus inspexerint, idẽ Thomistæ debent negare, aiunt namque, semper in peccatore præcedere, vel ignorantiam, vel errorem, vel aliquam inconsiderationem, quia ex Philos. *Omnis malus ignorans*: de qua re Nos supra q. 15. r. 4. Item omne malum accidit ex eo, quod non plenè perspicimus ad omnia, maximè ad effectus inde sequuturos ex iis, quæ parum considerate agimus: unde si Angelus malus bene perspexisset ad tot mala, præcipuè ad gehennam æternam tum sui, tum tot hominum, ex sui ruina, & instigatione miserabiliter cadentium, non utique aduersus Deum rebellasset: probationes attulimus ibi. ergo negamus absolutè aduertisse ad omnia.

19 Fuit insuper fundamentũ, quod ideo voluntas hominis est vertibilis, quia est coniuncta corpori, Angelus verò, utpotè quia abstractus à corpore, ideo immutabilis: Hoc autem remanet improbatum, siue namque in corpore sit, siue extra corpus, semper voluntas est intrinsecè, & essentialiter libera, ob idque de sẽ mutabilis, flexibilis, vertibilis, conuertibilis &c.

20 Dices, Damasc. l. 2. de fid. orth. cap. 4. ait, Angelum non esse capacem pœnitentiæ, quia caret corpore: ergo illud fundamentum assignatum. Resp. arguì à non causa præcisa, & adæquata, tanquã à causa præcisa, & adæquata: Fateor illam Damasceni esse unam ex causis, attamen non esse causam adæquatam: ideoq; argumentum inde deductum, est topicum, nõ demonstratiuum: Item, intentum Damasceni

Angeli cur non capax pœnitentiæ ex Damasc.

fuit, rationem quærere, cur Deus homini tam longum pœnitendi spatiũ concedat, quod non concessit tam longũ Angelis peccantibus: respondens autem ait, inde prouenire, quidem est corporis mole grauatus, atque præpeditus, *Corpus enim, quod corrumpitur, aggrauat animam, & terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem*, inquit Eccles. c. 4. Insuper nascitur homo absq; tamen usu rationis: ut vero rationis usus illucescere incipiat, requiritur decursus plurium annorum: hæc, & similia clamãt, ex diuina Misericordia, tam longum tempus: at Angelus mole carnis non grauatur, creatus itidem fuit cum plenitudine usus rationis, & insuper est expeditissimus in suis operationibus, utpotè nullis carne nõ possessus: hæc autẽ, & huius generis non postulant tantam temporis intercapedinem ad deliberandum, ad pœnitendũ: hoc ergo in causa fuit; & talis est sensus Damasceni, Gregorii, Augustini, ac cæterorum. Diximus vero in disp. de miraculis Angelorum, habuisse abundè Angelum moras sufficientissimas ad pœnitendum, itaut, sicut Deus, ex sui misericordia pœnitẽdi tempus concedit hominibus, ita & proportionaliter concesserit Angelis. Hoc usq; de opinione Thomiſt. & secunda Henrici.

21 Opiniones autem illæ duæ de habitu vitioso, & de odio, impiæ sunt, sequeretur enim, Deum esse verã causam mali, habitus peccaminosi, & odii, denique esset Deum malum, qui esset Author, & Incentor, atque cõseruator mali, iuxta Manichæum.

22 De origine, ipsum plerique excusant, dicentes, ea inserta fuisse ab aliis inter opera eius: Excusant autem Merlin. in Apologia Origenis: Mirandula itidem Apolog. eiusdem Origenis, pluresque. Cuiusq; tamen sit error ille, apertè damnatur in Scripturis, ut Matt. 25. *Ibunt hi in supplicium æternũ, iusti autem in vitam æternam*. Apoc. 20. *Diabolus, & Pseudopropheta cruciabuntur die, ac nocte in sæcula sæculorũ*. Athanas. in Symb. *Qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam, qui vero mala, in ignẽ æternum*. Fuit autem specialiter confutatus talis error in 5. Synodo Gener. Act. 5. & habetur in cap. Sane 24. q. 2.

aduersus quem scribit August. l. de hæres. hæres. 43. Hieron. in cap. 3. Prouer. Leo Papa Ep. 91 ad Iulian. Episc aliiq; communitèr.

23 Ex dictis autē solui possunt obiecta Thomistarum, quæ tamen de facto recensita sunt, & soluta. Primo, quia intellectus immutabilitèr apprehēdit, ergo voluntas inflexabilitèr adhæret. Secundo, intellectus est sufficiens, & efficax motiuum, etiam per modum imperij voluntatis, ergo sicut ille mouet, ita illa mouetur, at ille firmitèr apprehendit obiectum, ergo illa firmitèr adhæret. Tertio, potentia appetitiua proportionatur potentiæ apprehensiuæ, at illa est immutabilis, ergo & illa. Quarto, intellectus angelicus considerauit omnia, ergo non potuit inde mutari, ergo nec voluntas, quia firmitèr adhęret obiecto proposito ab intellectu. Quinto, Angelus est separatus à corpore, Anima est coniuncta corpori, ergo hæc est versibilis, ille inuertibilis. Sexto, Angelus nō discurrit, ergo nec mutatur. Remanent autem singula singularitèr enumerata, & soluta.

ARTICVLVS II.

Proponitur sententia Scoti.

1 CONfutatis iam opinionibus, videamus quid sentiat Scotus. In duobus autem locis loquitur de re hac ipse Scotus, tùm in reportatis, tum in sententijs. In reportatis quidem in 2. d. 7. q. 3. art. 2. ait, impœnitentiam, & obstinationem Dæmonum prouenire eo, quod denegat Deus Dæmonibus concursum nec ssarium ad conuersionem: Verum est tamē, quod inde subdit, modum hunc sibi nō placere, quia illud esset perpetuum miraculum, denegando eis perpetuo talem concursū ad pœnitendum; & inferretur perpetuo violentia Angelo, & homini damnato, ad nō resurgendum. Ideo respondet aliter dicens, talem operationem Dæmonis non esse sufficientem dispositionem ad iustificationem, quia Deus non vult acceptare illam: Hinc vero occasionem desumpsit Vasquez disp. 240. par. 1. cap. 1. & Suar. de Angel. l. 8. cap. 8. num. 14. impugnandi Scotum,

Denegatio gratiæ damnatis an violenta.

quatenus velit, sine præuenienti gratia posse peccatorem se disponere ad iustificationem de congruo: Verius tamen est, neutrum ipsorum capere sensum Scoti: qualis autem sit sensus eius de communi concursu, seu influentia, diximus tom. 1. de Trinit. disp. 17 de Prouid. q. vlt. Item ad illud de violentia negat idem Vasq. & Marsil. in 2. q. 5. art. 3. ac Palud. in 4. d. 50. q. 1 num. 16. fieri violentiam, quia denegatio talis cōcursus debetur eis ratione status damnationis, & datur in pœnam: quæ quidem doctrina, mihi admodum placet: Nihilominus redarguit Scotus, inquiens, dum causa de se est integra, & inclinata ad operandum, si perpetuo impeditur, infertur sibi violentia, lapidem namque potentem de se, descendere, & inclinatum ad descensum, perpetuo impedire, est inferre illi violentiam, ergo similitèr inferretur violentia Angelo potenti, alioqui operari cum Dei auxilio, denegando ei talem concursum: atque hinc Suarez, licet hinc inde disputet, tamē in fine cap. 8. assentit fieri violentiam. Cæterum & si hæc Scotus habeat in Report. videamus tamen quid dicat in sententijs.

2 In sententijs autē loc. cit. rem aliter explicat, vnde ait, causam obstinationis Dæmonū prouenire ex eo, quod Deus denegat illis gratiam resurgendi à peccato. Doctrina hæc de Angelis malis, communis est etiam peccatoribus hominibus damnatis, obduratis, obstinatis: eadem namque est ratio in vtrisque. Et fundamentum habet in necessitate gratię, sine qua nemo resurgere valet in ordine ad iustificationē: Ex hac vero denegatione sequitur vt peccator remaneat induratus: indurare autem Deum peccatorem, est denegare ei gratiam suam, ob quod dicitur, *Induratum est cor Pharaonis*. Quæ quidem obduratio est negatiua, non positiua: negatiua propter negationē gratiæ: sicut & dicitur excęcare, iuxta illud, *Excęca cor populi huius*. Excęcatione tamen negatiua, ob priuationē luminis gratię, atque diuinę illustrationis: de quo in materia de Gratia. Hoc stante, dum Deus denegat malis Angelis gratiam resurgendi, hoc causa est ipsorū obstinationis: Cum Scoto conueniunt

Indurare quid. Induratio complex.

hominibus viatoribus; tum etiam ipse D. Tho. cum D. Bonau. cum antiquioribus, atque recentioribus recensitis, aliisque. Confirmatur ex Gregor. l. 4. moral. cap. 3. *Deus apostatam Angelum nunquam ad pœnitentiam vocat*. Item Damasc. lib. 2. de fid. cap. 4. *Quod in Angelis est casus, hoc in hominibus est mors*. Sensus autē est, quod sicut Deus statuit homini morienti in peccato mortali, denegare gratiam conuersionis, ita & Angelis damnatis gratiam denegat iustificationis: indeque concludens Scotus subdit lit. D. inquiens, *Non est aliqua causa permanentiæ eorum in malo, nisi derelictio diuina, quia dispositum est non dare gratiam, cum sint in termino, quomodo non disposuit de Viatoribus malis*. Et hoc, subdit idem, procedit, stante lege diuina, de lege namque ordinaria statuit gratiam hanc negare damnatis, quod patet Eccles. 11. *Vbicunque ceciderit lignum, ibi erit, siue ad Austrum, siue ad Aquilonem*. per *Austrum* intelligitur status finalis gratiæ, in quo moritur iustus; per *Aquilonem* intelligitur status peccati, & finalis impœnitentiæ, in quo decidit peccator: propterea Matt. 25. dicitur, *ibunt hi in supplicium æternum, iusti autem in vitā æternam*. & ex his concludit Aug. 21. de Ciuit. cap. 23. 24. quod certum est, Deum nunquam daturum eis gratiam. Oppositum tamen de lege absoluta.

Austrum, Aquilo quid.

3. Quærit vero inde Scotus, vtrum obstinatio ista sit à Deo, an à Dæmonibus: si namque prouenit ab Angelo, ergo sicut ipse stat in peccato voluntariè, ita poterit velle resilire à tali obstinatione, & conuerti, quoniā per eandem virtutē, qua quis se mouet ad aliquod, per eandē potest se retrahere ab illo; at voluntate sua sit obstinatus, ergo per eandē voluntatē potest resilire: si autem proueniat à Deo, ergo Deus erit causa peccati. Respondet, & esse ab Angelo, & esse à Deo: ab Angelo quidem demeritoriè, dum demeretur collationem gratiæ Dei, qua resurgat: à Deo etiam, quia denegat talem ei gratiam in pœnam: dum vero prouenit à Deo, dicitur esse à Deo *priuatiue*, sed negatiuè, denegando gratiam suam: ob id autē, quod Angelus demeretur gratiam, inde fit, vt dignus sit derelinqui ab ipso Deo: qua stante derelictione, remanet impœnitens, & in perpetuum obstinatus, vt non valeat ab obstinatione resurgere: Hoc cum sit, spectando peccatum pro formali; at spectatū pro materiali, ratione actionis positiuæ substratæ malitiæ, & deformitati; est etiam positiuè à Deo, quia omne est verum ens physicum, concurrit ad illud positiuè Deus, alias nō posset à solo Angelo fieri, vt in propria materia de hoc, de Gratia &c. Petes vero, quisnam prior in primo sensu? Respon. priorem esse Angelum, ratio, quia teste August. *Deus nunquam deserit, nisi prius deseratur ab eo*, ergo quia malus Angelus prius se auertit à Deo, ideo Deus iusto iudicio suo, ipsum subsequenter deseruit; vt etiā apertè fatetur hic Scotus, & omnes: Quid vero secundum sensum, circa materiale, quisnam prior, hoc ad mater. de Gratia pertinet, spectando diuinum concursum, & motionem, de qua et non agitur hic.

Obstinatio an à Deo, an à Dæmone.

4 Sed an gratia, quam Deus denegat Dæmonibus, sit habitualis, an actualis, denegādo etiam gratiam præuenientem, & excitantem, affirmandū est denegare etiam omnem minimam gratiam excitantem: Probatur ex Isidoro lib. de Summ. Bon. c. 12. inquiente, *Diabolus ideò non petit veniam, quia non compungitur ad pœnitentiam*: idemque colligitur ex Fulgent. Quare autē hominibus reprobis viatoribus confert Deus gratiam vocantem, non autē Dæmonibus, respondet idem Vasquez ibidem fine, inquiens *Hominibus reprobis datur, vt Deus iustificetur, cum iudicabitur, quæ ratio in Dæmonibus locum non habet*. Verum non loquitur consequenter, nam eadem ratio iustificationis stat etiam in ordine ad Dæmones, nam si Lucifer cōqueri velit, cur Deus ipsum non saluauit, responderet vtique Deus, non stetisse per ipsum, quoniam contulit quoq; ei, eiusque Asseclis gratiam præuenientem, & iustificantem habitualem, creando illos in gratia; quod si inde periit, seu damnatus fuit, id contigit ex parte sua, siue eiusque, dum gratiæ ipsius Dei non fuit cooperatus: ecce quomodo pariformiter & de Dæmonibus id etiam valet, itaut de

Gratiam quam denegat Deus Dæmonib.

Diabolus quare non petit veniā.

vniuersis, tum hominibus, tum malis Angelis currat illud Vatis, *Et nunc at, eam indicarit* : itant ad Angelos quoq; perditos valeant verba illa, licet specialiter dicta de Israel, *Perditio tua ex te, tantummodo in me auxilium tuum.* Osæ.13. *Deus enim vult omnes saluos fieri*, etiam Angelos, quantum est ex sè, propterea q; omnibus auxilia gratiæ suæ contulit, tum hominibus, tum vniuersis Angelis in via, etiam reprobis in ipsa via.

QVÆSTIO XVIII.

Vtrum mali Angeli sint adeo obstinati, & peruersi, vt non possint facere aliquod opus bonum morale.

1 SEntentia est D. Thom. 1. par. q.64.art.5. D.Bonau. in 2.d.7. par.1.art.1.q.2. Arim. Richar. pluriumq; ex recentioribus non posse Dæmones opus vllum bonum morale agere : Fundamentum autem principale est, quia ipsi omnem operationẽ deformant, & deturpant ex aliqua peruersa circumstantia, referendo eam in odium, & contemptum Dei : Item carent circũstantia finis, etenim finis circunstantia est principalis: at non ordinant operationes in vltimum debitũ finem, agendo propter finẽ honestum, bonum, laudabilẽ, & huiusmodi. ergo hinc semper male moraliter agunt.

2 Aureolus, & Olkot in 2.q.4. referunt, in Dæmonibus reperiri habitũ quendam malum, inclinantem ad semper male moraliter agendum.

3 Suarez lib.8.cap.11.de Ang. cur id nõ possint, prouenire ait, ex eo, quod denegat eis Deus concursum generalẽ ad bene moraliter agendum, siue concursum influentiæ generalis.

4 Vasquez disp.241. prouenire, ex quo denegatur illis motio cõgrua gratiæ Dei ; qua denegatione stante, non possunt agere bene.

5 Ante quæstionis decisionem est discurrendum de triplici gradu bonitatis, atq; de triplici gradu malitiæ oppositæ: Et in primis vltra bonitatem naturalem, competentẽ volitioni, quatenus, ens est, quæ communiter appellatur bonitas entis, seu trascendentalis ; reperitur insuper triplex vlterior bonitas : Prima appellatur bonitas ex genere, siue ex obiecto : Secunda, bonitas virtuosa, seu circumstantionata, quæ communiter appellatur bonitas moralis : & Tertia est bonitas meritoria, siue gratuita, fundata super gratia, & acceptatione diuina, in ordine ad salutẽ æternam. his autem tribus, opponuntur alij tres oppositi gradus : vtpotè malitia ex genere : malitia moralis : & malitia demeritoria, reddendo singula singulis. Loquendo de bonitate ex genere, competit volitioni, quatenus transit super obiectum conueniens tali volitioni, iuxta rectũ dictamen rationis : malitia autem opposita ex genere adest, dum operatio nõ transit super conueniens, & debitum, iuxta rectum dictamen rationis: Exemplum bonitatis, amare Deum, seipsum, proximum, vitare incommoda &c. exemplum malitiæ, odisse Deum, seipsum, proximum, appetere ærumnas, mortem &c.

6 Bonitas moralis competit volitioni, siue cuicumque alteri operationi imperatæ à voluntate, quandocunque ad eam concurrũt omnes circunstantiæ dictatæ à ratione recta, vtpotè circunstantia loci, temporis, ac præcipuè finis honesti, *secundum dici & nunc*, quibus omnibus circunstantijs à recta ratione dictatis, simul concurrentibus, habetur inde bonitas moralis, vnde ait Dion. 4. de diuin. Nom. *Bonum est ex causa integra* : malitia autem opposita moralis adest quandocunque operationi deest aliqua ex debitis circunstãtijs : dixi, *aliqua*, quia ad faciendã malitiam moralem sufficit defectus vnius solummodo circunstantiæ, ideoq; dum

Bonitas, & malitia multiplex.

Dio-

Dionyſius dixit, bonitatem conſtare ex concurſu omnium circunſtantiarũ, quia *bonum eſt ex cauſa integra* dixit etiam inde, ad malitiam ſufficere defectum vnius, propterea q; ſubdidit, *Malum vero ex defectu ſingulare*. Exemplum bonitatis, elargiri eleemoſinam pauperi, ſecundum locum, & tempus, & præcipuè propter finem bonum, & honeſtum: Exemplum malitiæ, elargiri eam, at non ſecundum locum, & tempus indigentiæ, nec ſecundum finem bonum, & honeſtum, ſed prauum &c.

7 Bonitas meritoria præſupponendo duplicem hanc bonitatem antecedentem, eſt, quæ tranſit ſuper operationem elicitam ex motione Spiritus ſancti, & inſtinctu charitatis, & gratiæ. Malitia autem oppoſita eſt, quæ tranſit ſuper actionem elicitam ex inſtinctu inordinati amoris, ſiue proprij, ſiue proximi, ex prædominio alicuius paſſionis contra legem Dei, in contemptum ipſius Dei, & legis eius, itaut taliter circunſtantionata hæc operatio appellanda veniat, mala demeritoriè, & ſit actio peccaminoſa moralis: exemplum bonitatis, obſeruare legem ex inſtinctu gratiæ, & charitatis; exemplum malitiæ, legem tranſgredi, in contemptum Dei, & proximi, ex motione, & inſtinctu contrario gratiæ, & charitati. Vide Scotum lit. F.

Dæmones nõ poſſunt agere bene meritoriè.

8 His prælibatis, reſpondendum eſt modo ad quæſt. Primo autem dicimus, quod loquendo de bonitate meritoria, non poſſunt Dæmones agere bene meritoriè; ratio eſt allata, quia carent gratia, quæ eſt principium meriti, ergo &c. Et confirmatur ex Concil. Trident. ſeſſ. 6. cap. 5. dicente. *Si quis dixerit, ſine præueniente Spiritus ſancti inſpiratione, & adiutorio, poſſe hominẽ credere, ſperare, & diligere ſicut oportet, anathema ſit*. Iy autem *ſicut oportet* intelligitur in ordine ad iuſtificationem, & ſalutem æternam, vt patet ex mater. de Gratia: idem eſt iudicium de Angelis, vt patuit quæſt. præced.

Credere, diligere, ſperare, ſicut oportet, qd ſit.

Poſſ agere bene ex genere.

9 Secundo dicendũ, quod loquendo de bonitate ex genere poſſunt Dæmones producere actum bonum ex genere, probatur, poſſunt enim amare ſeipſos, nolle pœnas, triſtitiam, incommoda, & huiuſmodi. Confirmatur; Natura ipſamet ad hæc inclinat, vnde Ariſtot. ait, *Vnumquodque per appetitum conſeruari in ſuo eſſe*. & Paulus, *Nemo vnquam carnem ſuam odio habuit, ſed ſemper fouet, & nutrit illam*: per Carnem vero intelligit naturam, ſiue corporalis ſit, ſiue ſpiritualis: Et Confirmatur ex D. Tho. q. 64. art. 2. ad 5. dicente. *Aliquis autem actus Dæmonis eſt naturalis, qui bonus eſſe poteſt, & attestatur bonitati naturæ*. diligere autem ſeipſum, & fugere miſeriam, eſt actus naturalis, & bonus bonitate naturæ; quia conformis ipſi naturæ.

10 Tertio dicendum, loquendo de bonitate morali, poſsũt Dæmones velle bene moraliter, ita Scotus. Veruni habeatur planus ſenſus Scoti, diſtinguendum de potentia, aut phyſica, aut morali: loquendo phyſicè, poteſt eloquendo moraliter, non poteſt: Hæc eſt germana mens Scoti: ſequitur Dur. Valentia &c. Probat Scotus apertè primam partẽ, primò, ex Dionyſ. *Naturalia in Angelis remanſerunt integra*, loquitur autẽ etiã de malis Angelis: ſed naturalia Angeli fuerunt recta ab initio, ergo remanet in ipſis inclinatio naturalis ad bonum: ergo ſecundum illam inclinationem poſſunt aliquid conformiter velle, quia potentia; vt in natura ſua merè conſideratur, poteſt aliquem actum elicere conſonum inclinationi naturali, ergo poſſunt habere actum non malum, quia nõ eſt contrarium naturæ eorum, hæc Scot. item habent vermem, qui eſt remorſus de peccatis eorum: remorſus iſte eſt aliqua diſplicentia: hæc autem diſplicentia non eſt actus malus moraliter, quia licet poſſit deformari per circunſtantiam inordinatam, tamen, ſiſtendo in hoc, quod eſt, nolle ſe peccaſſe, non videtur eſſe formaliter malitia moralis. Inſuper Dæmones nolunt miſeriam, & pœnam, in quantum eſt offenſiua naturæ: actus autẽ iſte non videtur malus moraliter, vnde ſicut poteſt ſine malitia morali amare ſeipſum, ad quod inclinat natura, ita & poterit Dæmon ſine malitia morali odiſſe contrarium ſibi, ſiue oppoſitum ſuæmet naturæ. Præterea ex Auguſt. 1. retract. cap. 21. *Nihil eſt tam in poteſtate voluntatis, quã*

Dæmon poteſt phyſicè agere bene moraliter.

ipſa

ipsa voluntas, nempè *quoad illum secundum*: at potest voluntas suspēdere potentiam aliquam ab actu suo malo, ergo poterit quoque semetipsam suspendere ne agat male moralitèr; ergo à primo ad vltimum non necessario vult male. Hæc quidem ostendunt dari in Dæmonijs potentiã physicam, seu naturalem, qua mediante, quantum est ex se, potent, saltem remotè, agere bene moralitèr. Ostendunt quoque, vel non necessario agere male moralitèr: vel denique, posse actum suspendere à bono, & malo moralitèr: apertè hæc habet Scotus: at loquitur, vt dixi, spectata sola natura, eiusque potentia physica: Hæc quoad primam partem.

11 Quoad vero secundam, vtputè spectata potentia morali, & loquendo de facto, apertè hoc idem docet ibidē Scotus, non posse agere bene moralitèr: quanā autē talis sit mens eius, excipe eius verba: Et in primis sub lit. R. ità scribit: *Probabile est tamen, quod secundum hanc potentiam* (nempè naturalem, & physicam) *non exeunt in actum, propter vehementem malitiam, secundum quam, magis probabile est, quod agunt, quam secundum potestatem naturalem, secundum quam possent in actus oppositos*, nota, dum ait, *non exire in actum propter vehementem malitiam*, docet, quod de facto non agunt bene moralitèr, & hæc est impotentia moralis: dum vero concludit, secundum potestatem naturalem posse in actus oppositos malitiæ moralis, qui sūt actus boni morales, loquitur ex natura potentiæ, & de potentia physica. Rursus lit. S. explicando illud Iacobi, *Dæmones credunt, & contremiscunt*; sic habet, *Potest ergo dici, quod hoc argumentum probat verum, scilicet quod habent aliquem bonum actum diminutum bonitate morali, quia non modum malitia contraria, quia non habente aliquam circumstantiam contrariam circumstantiæ debitæ, licet careat aliqua circumstantia debita, non enim credunt propter illum finem, propter quem credendum est &c.* Hoc autem in loco docet, actum credendi Dæmonum non esse vndequaq; malum moralitèr, quia credere in sē est bonum: attamen subdit, non esse bonum bonitate integra,

Non potest moralitèr, de facto, & proximè.

sed diminuta, quoniam deficit eis circunstantia finis, ergo admittit, nec in hoc agere bene moralitèr, saltem bonitate adæquata. Denique in argumento, ad oppositum, ita scribit, *Ad oppositum in Psalm. 73. Superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper; sed non potest intelligi intensiuè, quia tunc non esset aliquod malum intensiuè, quo non esset maius malum: ergo debet intelligi extensiuè, & ita semper peccant*: Nota verba hæc vltima, *& ita semper peccant*, quibus cōcludit intentum, quod de facto non agunt bene moralitèr. Ex his ergo habetur aperta mens Scoti, posse quidem physicè, ex natura potentiæ, agere bene moralitèr, non tamen de facto, spectata potentia morali: quidquid dicant alij plerique Scotistæ. Admittit insuper Scotus potentiam remotam, non proximā, præscindentem ab actu.

12 Hæc eadem prorsus est sententia Diui Thomæ: etenim art. 2. ad v. sic ait, *Actus Dæmonis duplex est, quidā ex voluntate deliberata procedens, & talis semper est malus, quia & si aliquando bonum faciat, non tamen bene facit.* Et infra, *Alius autem est naturalis, qui bonus esse potest, & attestatur bonitati naturæ, & tamen tali bono actu abutantur*, clarè autem indicat vtramq; nostram conclusionem D. Thomas vnde sit, vt concludamus, D. Thomam non dissentire à Scoto, & ita concordare quoque inuicem debere Scotistas, & Thomistas: dum autem cōciliari possunt Magistri, hoc enixè præstandum est ab eorum discipulis.

13 Afferri solent aduersus Scotum loca aliqua quibus probetur non posse agere bene moralitèr: vtputa Ignat. Epist. 3. ad Philipp. dicentis, *Dæmon sapiens est ad malum faciendum, bonū vero quid sit, ignorat.* Gregor. 9. moral. c. 48. *In damnatis nil ordinatè fieri posse.* Fulgent. de fid. ad Petr. *Dæmones sic amiserunt bonam voluntatem, vt eam amplius habere non possint.* & cap. 2. *Ex quo detrusi sunt in infernum, non possunt habere bonam voluntatem.* Item Ioan. 9. *Venit nox, in qua nemo potest operari.* & c. 12. *Ambulate, dum lucem habetis, vt tenebræ vos non comprehendāt*, atq; ad Galat. 6. *Dum tempus habemus operemur bonum.*

Ex

Ex his autem ostenditur non posse agere bene &c.

14 Respondet Scotistæ aliqui, procedere de bonitate meritoria; quam etiam negat Scotus: non autem de morali, possunt enim bene moralitèr. Verum, vt vidimus, etiam ex parte negat agere bene moralitèr: quapropter dicendum, primo negari bene agere meritoriè: & secundo, spectata potentia *morali*, negat etiam posse agere bene moralitèr; siue loquendo de facto, non agunt bene moralitèr: & ita loca allata non militant aduersus Scotum: siue etiam spectata potentia physica proximè: & vt sic, confitetur etiā Scotus non posse, quidquid sit de potentia physica, & remota.

15 Dixit insuper Scotus, posse suspendere actum ipsos Dæmones, vt ōs sit necessario malus: Vasquez autem disput. 242. cap. 1. atque Suarius hinc inferunt, posse Dæmones carere omni tristitia, prob. si namq; possunt suspendere actum odij contra Deum, cessabit quoque tristitia, & pœna, quæ veluti passio subsequitur ad eam: at hoc esset incidere in errorem Origenis, vt vidimus quæst. antec. putantis, damnatos fore aliquando cessaturos à miseria, & pœna. At verius est eos non percepisse mentem Scoti; percepit quidem ex parte Suarius, at finxit longius iter. Dicimus ergo loqui Scotum in sensu allato, spectando rem ex natura potentiæ, siue loquēdo remotè, & de potentia physica, vt sic enim possunt; nam si vt sic, possunt bene moralitèr agere, vt ostendit Scotus, possunt quoque actum suspendere, ne male agant: at spectata potentia proxima, & loquendo moralitèr, siue de facto, non possunt suspendere. *Superbia namque ipsorum ascendit semper*, & de facto omnia deformant, & deprauant, non dirigendo operationes proprias ad debitum finē. Confirmatur, quia ex Reportat. d. 6. q. 7. Scotus ait, quod Dæmones necessario tristantur; item in 4. sent. d. 49. 50. docet, Dæmones necessario detineri in cogitatione ignis, seu alterius instrumenti diuinæ vindictæ, itaut non sit in eorum potestate, vel à tali apprehensione remoueri, vel à pœna non vexari. In qualis est sententia Scoti, & qualitèr plures errant in eo.

Quod denique aiebat Aureol. & OlKot de habitu inclinante, non spectat ad præsens: improbat autem duabus rationibus Scotus ibi lit. P.

QVÆSTIO XIX.

Vtrum in Dæmonibus possit esse gaudium, & lætitia.

1 Dubium istud breuitèr resoluimus, non enim opus est multiplicare lites, vbi non sunt, licet autem circa præsentem difficultatem non sit concors Theologorum sententia, nihilominus quia non est tam magni momenti quæstio ista, sicut & aliæ plures, ideo ipsam breuitèr decidimus.

2 Fuit sententia D. Tho. quæst. 64. art. 3. in responsione ad primum posse Dæmones aliquando sentire gaudium, & delectationem, loquimur autē de gaudio accidentali, & ipsum sequitur Suar. lib. 8. cap. 15. probat vero D. Thom. hoc authoritate August. contra Manichæos cap. 17. dicentis, *Dæmones de hac infelici potestate lætantur, qui solebant, antequam caderent, de sublimi veritate gaudere*; docet ergo august. Dæmones posse de facto lætari. Confirmatur hoc aliquibus scripturæ locis, vtporè Psalm. 29. *Qui tribulant me, exultabūt, si motus fuero*. Psalm. 37. *Ne quando supergaudeant mihi inimici mei*: Psalm. 40. *In hoc cognoui, quoniam voluisti me, quoniam non gaudebit inimicus meus super me*. Psalm. 12. *Illumina oculos meos, ne quando dicat inimicus meus, præualui aduersus eum*: & denique Eccl. 18. *Si præstas animæ tuæ concupiscentiam, faciet te in gaudium inimi-*

sit tale. Confirmatur vltimo opinio hæc ex varijs Dæmonum apparitionibus, qui exultabundi, & lęthabūdi apparere consueuerunt gaudētes, & gloriantes de reportata victoria hominū peccatorum, vt sæpissimè legitur de re ista; itaque non videtur implicare, vt licet in æterna sint miseria, & pœna constituti, possint nihilominus aliquando lęthari, & gaudere.

3 In oppositum se habet Gabriel dist. 7. quæst. 1. art. 3. Ocham quæst. 16. dub. 7. ex antiquioribus, quos inde ex Recentioribus sequitur Molina q. 64. disp. 3. & Vasquez vbi supra, qui quidē negant omninò in Dæmonibus tale gaudium, lætitiam, & exultationem. Et consentit Scotus, qui in 4. d. 44 quęst. 2. §. *Et si dicas*; loquendo de tristitia Dæmonum, inquit, *Illa excludit omne gaudium, non tantum contrarium, sed impertinens*.

4 Nos autem duo dicimus, primū est in Dæmonibus non reperiri gaudiū tale, licet accidentariū. Probatur Primò, repugnat statui damnatorum lætitia, exultatio, & gaudium, ergo non est concedendum in eis tale gaudium, antecedens patet, quandoquidem status damnationis est status fletus, & omnimodæ miseriæ. *Erit enim ibi fletus, & stridor dentium*, inquit Christus Dominus, & Psalm. 8. *Peccator videbit, & irascetur, dentibus suis fremet, & tabescet*. Secundo probatur ex opposito, Beati non sunt capaces, nec quidem alicuius minimæ tristitiæ; Sed contrariorum est eadem disciplina, ergo ex opposito dānati, & infęlicissimi Dæmones erunt omninò incapaces etiam minimi, & paruissimi gaudij. Tertio contingit in hominibus, vtpotè dolore maximo, maximaq; tristitia affectis, nullam eo tristitiæ, & doloris tempore, sumē oblectationem sumere, sine gaudium, prædominante tunc intensissima tristitia, & intensissimo dolore, ergo consimiliter prædominante in Dęmonibus nimia miseria, atque maxima tristitia & mœrore, non poterit contingere oblectatio, & gaudium. Probatur vltimo ex Arist. 7. Ethic. cap. 14. docente, *Voluptas contraria vehementi expellit dolorem*, igitur ex opposito vehementissima miseria, nimius mæror, atque maxima tristitia in Dæmonibus expellet omnem oblectationē, atque absorbebit omne gaudium, & oblectamentū.

Nullū gaudium in Dęmonibus.

5 Secundo dicimus, si quandoque in Dæmonibus aliquod reperitur gaudium, aliqua exultatio, oblectatio, siue lætitia, totum hoc erit phantasticum, & apparens, non enim gaudium illud erit verum gaudium, nec vera lætitia, sed gaudium apparens, & apparens lætitia, ita in primis, loquitur Alex. Alens. 2. par. q. 100. inquiens, *Non est verum gaudium, quia est amaritudine respersum*, & ita etiam loquitur D. Thom. in 4. dist. 15. q. 2. dum ait, *Gaudiū illud Dæmonum non esse gaudiū verum, sed phantasticum*, quod si ita est, restat, vt minimè verè gaudeāt, sed solummodo gaudeant apparētèr, & extrinsecè, id namque maximè conuenit rationi, vt probatum est.

Gaudium Dæmonum apparēs, & phantasticū.

6 Fundamentum huius vltra ea, quæ dicta sunt, est diuina voluntas, suspendens passionem veræ lętitiæ, & veri gaudij; Etenim, licet Dæmones cōplacentiā habeāt de obiecto iam concupito, & assequuto, vtpotè de damnatione Viatorū, nihilominus Deus ipse impedit resultantiam gaudij, & lætitiæ ex tali complacētia; deberet quidē ad complacentiā subsequi passio lætitiæ, nihilominus in pœnā ipsorū Dęmonū Deus impedit, ne passio talis resultet, & ità cōplacere possunt circa exequutionem concupiti obiecti, sed nō possunt lęthari; Tota igitur ratio prouenit ex denegatione diuini concursus, quia denegat Deus concursum suum ad resultantiam huius passionis lætitię.

Causa assignatur.

Sequuntur delectationes ex assecutione obiecti.

7 Hoc autem de denegatione diuini concursus displicet Vasquio, ait namque exinde sequi perpetuam violentiam in Dæmonibus, ratio videtur esse, quia perpetuo Deus denegaret ipsis concursum ad resultantiam huius passionis lętitiæ, hoc vero est inconueniens, quia teste Arist. *nullam violentiā esse perpetuam*, non ergo danda erit ista perpetua violentia, in Dæmonibus, sed discursus ipsius vanus est, & sine fundamento, & probatur, inclinatur creatura rationalis, & intellectualis, vt Angelus ad Beatitudinem, vt docet Aug. proximè citatus, & nihilominus ipsi Dæmones carebunt perpetuò Beatitudine,

Vasquius eluditur.

tudine, ergo stabit in eis perpetua violentia cum inclinatione naturæ, cum perpetuo priuabitur obiecto talis naturalis inclinationis. Item Aug. dixit, *Fecisti nos Domine ad te, & inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te.* ergo Dæmones viuent in perpetua cordis inquietudine, dum perpetuò carebunt beatifica visione Dei: liquo capita alia, quibus hoc dictum Vasquij confutari amplius posset; ergo nec implicabit perpetuo denegare Deū concursū ad redundantiā huius passionis lętitiæ. Ad Arist. locū habet in corporibus, quia ex magna violentia corrumpuntur, at spiritus ex nulla violentia corrumpitur.

Nullā violentiam dicimus, dicimus.

8 Hinc verò tria inferimus, Primum, quod ipsis Dæmonibus debetur tanquam pœna eorum peccatis condigna ipsis perpetuus mæror, atq; æternalis tristitia, siuè perpetua denegatio diuini concursus ad resultantiam passionis lætitiæ, & gaudij.

Gaudij denegatio debetur Dæmonibus tanquam pœna.

9 Secundum est, quod licet denegatio talis sit violenta naturæ intellectuali, quæ est libera est, & ex se inclinata ad beatitudinem, nihilominus spectando rationem status damnationis, nullo modo talis denegatio est violenta. Ratio est, quoniam statui damnatorum conuenit, vt diuina iustitia perpetuo ipsis deneget gaudium, & lætitiam, ita vt absque omni viuant consolatione, cum perpetua ipsorum tristitia, & cruciatione. Confirmatur, quia sicut in politica humana, cum rebellibus adhibenda est violentia, ita dum *Dæmones sunt rebelles lumini*, & dum in prælio inito cum Michaele, se rebellauerunt à Deo, vtique cum ijs quoque adhibenda est omnis potestas, & violentia, iuxta illud, *ligatis manibus, & pedibus proijcite in tenebras exteriores.* Et quia nolunt subesse Deo, odio habendo illum, iuxta Psalm. *Superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper.* hinc, dum non acquiescunt diuinæ ordinationi violenter agendum est cum illis, ligando, detrudendo, & torquendo, prout Angelus Michael fecit, Apocal. 12. *Apprehendit Draconem, qui est Diabolus, & ligauit illū, & misit in abyssum, & clausit.* violentia igitur non est contra statum Dæmonum, imo maximè consona, & valdè debita, quoniam agitur cum rebellibus.

Violētia debita statui Dæmonum

10 Tertium est, quod licet victoria parta de hominibus tētatis possit causare gaudium, & lætitiam, quantum est ex se, tamen ratione status damnationis non causat, ita exigente diuina Iustitia, vt status ille nullius sit prorsus capax oblectamenti, non concurrente Deo ad resultantiam passionis lætitiæ. Confirmatur, quia dum Deus, atque Beati dicūtur compati miserijs nostris, nulla inde insurgit in eis tristitia, nullus dolor, aut mæror, quia & si compassio, quantum est de se, afferre soleat passionem illam doloris, & tristitiæ, tamen in ipsis eam non causat, ratione status beatitudinis, qui excludit omnē prorsus tristitiam, Deo non concurrente ad talem resultantiam, ergo similiter in damnatis.

11 Dices, gaudium, & tristitia possunt esse simul, vt præcipuè docet Scotus in 3. dist. 15. quæst. vnic. in responsione ad primum, quod si non implicat ista hæc posse esse simul, igitur neque implicabit posse cum tristitia Dæmonum aliquā reperiri lætitiam, & oblectationem.

12 Respōdetur, quicquid sit de maiori propositione, quam propositionē examinat Scotus ibi, nihilominus pro quanto necesse est ad nostrum intentū explicandum, dicimus, quod licet tristitia, & gaudium non implicet, posse esse simul ex natura rei, prout docet Scotus ibidem, nihilominus implicant hoc ratione status, etenim status damnatorum talis est, vt ex decreto diuinæ Iustitiæ ibi in æternum adsit fletus, & stridor dentium, omni remota consolatione, & hoc sufficit, vt consimilia euacuari possint, & dissolui argumenta pugnantiā.

13 Et hinc etiam patere potest, quęnam fuerit mens tūm Augustini, tūm etiam Scripturarum in oppositum recensitarum, & quidem respondendo, dicimus primo gaudiū illud, siue exultationem demonstratam ex scripturis esse solummodo gaudiū apparens non verum, sed fictum, & phantasticum.

14 Respondemus Secundo, habere quidē Dæmones complacentiam maximam de victoria reportata contra homi-

Victoria absque passione lętitię

homines peccatores, nihilominus non
habere passionem lætitiæ, quæ deberet
ex tali complacentia redundare, quia
Deus impedit eam, & hoc modo ex-
poni debent tùm scripturæ recensitæ,
tùm etiam variæ Dæmonũ apparitio-
nes exultantium, & lætantium de dam-
natione Viatorum. Et respondemus
Tertio, lætitiam, & gaudium Dæmonũ
non se tenere formaliter, sed solummo-
do causaliter, quæ nihilominus causa
caret suo effectu lætitiæ; explicatur,
quia in Dæmonibus non reperitur læ-
titia formalis, vt est dictum, reperi-
tur autem in eisdem causa gaudij, & læ-
titiæ, hæc vero causa est ipsa victoria
reportata de hominibus. Quæ quidem
victoria, quantum est de se, posset cau-
sare gaudiũ in subiecto apto, & in sta-
tu conuenienti, vt in statu viæ, & bea-
titudinis, non tamen in statu damna-
tionis; ideoque caret tali effectu, quia
ita postulat ille status, non concurren-
te Deo ad causandam passionem læti-
tiæ. Item exultatio Dæmonũ post par-
tam victoriam, est exultatio impropè-
rationis, & increpationis, increpando
vel patenter, vel tacitè, peccatores de
parta victoria.

Desiderium spes, victoria absque lætitia.

15 Obstabis, Dæmones habent de-
siderium, & spem vincendi in tentan-
dis hominibus, ergo si cum statu dam-
nationis stat spes, & desiderium, pote-
rit quoque stare lætitia, & gaudium de
parta victoria.

16 Respondetur, negando conseq.
spes quidem, & desiderium non impli-
cant, cum tamen implicet tali statui
gaudium, & lætitia.

17 Suario occurrunt argumenta
quædam, quibus affirmatiuam senten-
tiam sequitur. In Primis autem adsunt
apparitiones Dæmonum, qui deuictas
animas, in Infernum ducebāt, cachin
nis crepitantibus, multumq; exultãtes.
Ex Beda lib. 5. histor. Anglic. c. 13. Se-
cundo, considerate possunt obiecta de-
lectabilia ex sua natura: at obiecta ta-
lia naturaliter immittunt delectationẽ,
ergo poterit inde delectari. Tertio as-
seritur Greg. Arim. in 1. d. 1 q. 2. art. 3.
exponenti Aristotelem de corporibus,
non de spiritibus, vnde non mirũ est, si
excellens tristitia tollat gaudium; quo-
niam impedit phantasiam, & intelle-
ctum ne cogitent de re delectabili; &
vice versa, excellens gaudium impedit
passionem per tristitiam, ob rationem
eandem. Quarto, excellens tristitia, nõ
potest impedire resultantiam oblecta-
tionis ab obiecto, eo magis, quo potẽ-
tiam habet Dæmon receptiuam talis
passionis. Quinto, obtinuerunt à Chri-
sto Domino, licentiam intrãdi in por-
cos, siue ne tunc detruderentur in In-
fernum; quod maximè timebant: adim-
pletio vero desiderij talis attulit eis læ-
titiam. Denique, gaudium non repu-
gnat eis, nec ratione status, in quo sũt;
nec ratione tristitiæ, vt probatũ putat.

18 Ad singula ex dictis patet solu-
tio: & ad Primũ, Chachinnos illos fuis-
se improperationis, & increpationis in
animas deuictas; non autem oblecta-
tionis, nisi apparẽtis, & fictæ, ac phan-
tasticæ. Ad secundum, vtique obiecta,
ex se immittunt passiones suas, at impe-
dit Deus, oblectationem talem perue-
nire in Dæmonem. Ad Tertium, quid-
quid de expositione Aris. concesso nõ
impediri à consideratione talium de-
lectabilium, (de quo tamen infra disp.
de pœna Dæmonum) nihilominus im-
pedit Deus peruentum oblectationis
in eos. Ad Quartum, licet non impe-
diat redundantiam ex parte obiecti;
Deus tamen impedit aduentum oble-
ctationis in eos, siue impedit receptio-
nem talis oblectamenti. Ad Quintum,
vtiq; res desiderata, & assequuta quan-
tum est de re, affert oblectamentum,
Deus tamen impedit receptionẽ eius-
dem: dum vero intentum consequuti
fuerunt eundi in porcos, non tamen
oblectamentum inde habuerũt, impe-
diente Deo. Dices, non habuerunt pro
tunc malum illud, quod timebant, ergo
gauisi sunt: concesso antecedenti, ne-
gatur consequens, impediente Deo.
Ad vltimum repugnat ratione status,
qui dum est status summæ miseriæ, ex-
cludit omne gaudium. Dices, hoc non
est notum. Resp. sufficit notum esse
statum, in quo sunt, inde enim elici-
tur, qualiter se habeant.

Finis Nonæ Disput.

DISPV-

DISPVTATIO XI.

De loquutione Angelorum.

QVÆSTIO I.

An Angeli loquantur Deo, Hominibus, ac ipsismet Angelis inuicem.

1 Circa Deum, an Angeli loquantur Deo, occurrit dubitatio: quia omnia sint nota, & manifesta Deo: ergo vel non loquuntur Deo, vel frustra loquuntur. Secundo, nihil imprimunt Deo, seu intellectui Dei non speciem, non actum, nec quid aliud, alias mutaretur, ergo non loquuntur: sequela tenet ex dicendis, nam sine noua alicuius rei perceptione non potest fieri loquutio.

Angeli loquuntur Deo

2 His tamen non obstantibus, dicendum est, Angelos loqui ipsi Deo. Probatur à minori ad maius; Homines loquuntur Deo, ergo & Angeli; antecedens patet ex Psalm. 129. *Fiant aures tuae intendentes, in vocem deprecationis meae.* 130. *Cum inuocarem, exaudiuit me Deus iustitiae meae.* 139. *Audiuit Dominus, & misertus est mei.* & ita passim in scripturis. Probatur consequens; loqui ad Deum dicit perfectionem: at perfectio data inferiori, non est deneganda superiori, huiusmodi autem est Angelus. In specie autem probatur directè de ipsismet Angelis, nam Zachar. 1. habetur, *Respondit Angelus Dei, & dixit &c.* Iob 1. *Affuit inter eos etiam Sathan, cui dixit Dominus, vnde venis?* qui respondens ait, *Circuiui terram.* & infra. *Respondens Sathan ait, Nonne tu vallasti eum &c.* & ita saepè in scripturis.

Quomodo loquuntur Deo.

3 Qualiter autem loquantur dicimus, non loqui per efficientiam aliquam, nihil enim causant, seu imprimunt ipsi Deo, non speciem, non actum, nec vtrumque simul, vt probat argumentum iam factum. Nec loquuntur per excitationem, quasi vel vt dormientem se habeat Deus, ad instar hominis, vel alio abstractus ad instar Angeli, hominisque, vt egeat excitatione ad exaudiendum: Nec loquuntur per manifestationem, quasi aliquid fuerit ipsi occultum, de quo inde doceri habeat ab Angelo, & ab homine, seu illuminari, & informari; omnia enim respicit in Caelo, & in terra. Sed loquutio ad Deum fit per voluntariam ordinationem proprij conceptus ad ipsum Deum; dirigendo mentem, & cogitationes ad Deum.

4 Id vero contingere potest, vel causa laudandi Deum, vel amorosis colloquijs se exercitandi in ordine ad eum, vt in orationibus iaculatorijs euenit: vel causa petendi, & impetrandi aliquid à Deo, vel sub consimilibus alijs rationibus, conuenientibus statum hominum, & Angelorum, demptis tamen omnibus imperfectionibus ex parte Dei; explicat vero Scotus iste modum istum loquendi, 4. Ad argum. secundum quaest. inquiens, *Angeli conceduntur loqui Deo, & tamen non possunt aliquid sibi facere manifestum, quam prius; nec etiam alio modo manifestum, quam prius: sed tantum ex liberalitate volunt esse patentes Deo, quantum possunt, ita quod si possent conferre in eo notitiam suam, conferrent; & hoc est loqui Deo.* haec Scotus. Ergo ex parte Dei nil in illum imprimunt: sed ex parte sui ostendunt, quo possunt, conceptum suum. Quare loquuntur.

5 Circa Angelos autem difficultas contingit. Non absolutè circa omnes, etenim hucusque visum fuit loqui inuicem inter se ipsos, sed difficultas oritur circa inferiores, in ordine ad superiores.

riores. Rationes autem dubitandi hæ sunt, Prima Angelus inferior non potest illuminare superiorẽ, quia ex Dionys. superiores illuminant inferiores, non è contra, ergo nec poterunt inferiores superioribus loqui; prob. conseq. quia loqui est illuminare; Secunda, quia inferior non potest agere in superiorem, cum sit inferioris virtutis: Tertio, poterit superior v.g. reperiri abstractus in cõtemplatione alicuius ministerij, vel in executione alicuius exercitij; eo autem casu inferior non habebit imperium auocandi superiorem à tali munere, & conuertendi illum ad audientiam suam. Atque Quarto, forsan nolit ex.gr. superior attendere loquutioni inferioris, ex his quidem, & similibus capitibus cessabit loquutio inferioris ad superiorem.

Inferior Angelus an loqui possit superiori.

6 His tamen non obstantibus, dicendum est, non implicare inferiorem Angelum loqui superiori: Probatur à simili, loquitur Angelus, & homo ipsi Deo, qui est omnium supremus, ergo & loqui poterit Angelus inferior Angelo superiori. Item loquitur Homo Angelo, cum tamen Homo sit conditionis inferioris Angelo, ergo & loqui poterit Angelus inferior superiori. ita Scotus vbi sup. lit. E. & D. Thom. art. 2. cum cæteris. Probatur autẽ ex Psal. 23. vbi introducuntur Angeli inferiores interrogantes superiores, vel ipsũ Christum Dominum, ex Dionys. dicendo, *Quis est iste Rex gloriæ?*

[illegible]

7 Modum huiusmodi loquutionis docet Scotus, inquiens, recolendo dicta superius, quod Angelus potest imprimere vel speciem conceptus, siue obiecti: vel actum cognitionis: Quo stante, attendendum est, quod vel Angelus superior reperitur abstractus, & intentus alicui obiecto, seu ministerio, ita intensè, quod non possit tunc attendere loquutioni inferioris, vel non ita: Si primum, tunc inferior loquendo nõ imprimet actum cognoscendi; nam essent tũc in eodem Angelo duo actus cognoscendi, æquè perfecti, & intensi, præcipuè si de obiectis agatur disparatis; poterit tamen minus perfectus, atq; remissus adesse cum perfecto, & intenso, si imprimere alter posset actũ: ergo tunc si non imprimit actum, imprimet tamen speciem, qua quidem remanente in Angelo, cognosceret inde per eã, peracto iam ministerio, intensaq; cogitatione, circa quam morabatur: quod si tamen non sit adeo intentus, & abstractus, poterit imprimere actum ipsũ cognoscendi. Quod si tamen nolit superior Angelus vllo modo attendere ad inferiorem, impedire vtique poterit omnino, ne sibi quidquam, & quocunque modo inferior alloquatur.

8 Ex his autem soluta remanent argumenta illa Secundum, Tertium, & Quartum. Ad Primum vero est specialitèr occurrendum, vt dicetur infra. Alind namque est loqui, & aliud illuminare: iam autem diximus loquutionem fieri posse etiam de notis, & manifestis colloquutori, & collocuto, vnde per accidens inuoluit manifestationẽ occulti: illuminatio vero est de re ignota, vt in propria materia: hoc autem stante, locum habet doctrina Dionysij, & ita concedimus inferiores quidem illuminari à superioribus, nõ vice versa, nisi tamen specialis casus occurret, vt dicetur ibi: Quare inferiores superioribus quidem loquuntur, non autem, (iuxta ordinem communẽ, & vniuersalem cœlestium Hierarchiarum) superiores ab inferioribus illuminantur, nec docentur. Dices, Glossa super 1. Corinth. 13. ait, loqui Angelorum nil aliud esse, quam illuminare: Verum de locutione superiorum ad inferiores, nõ tamen è contra. In hoc tamen, quod dicitur locutionem superiorum erga inferiores esse illuminationem; non est semper verum, etenim ipsi quoque superiores cum inferioribus, loqui possunt de notis vtrinque, & manifestis, tunc autem fieret loquutio absque illuminatione; mirum namq; foret, vt non possit infimus Angelus cum Seraphino loqui de creatione Orbis, deque cæteris manifestis ipsismet hominibus; id autem fieret viceuersa absque illuminatione.

Loquutio etiam de notis colloquentibus.

Loquutio absque illuminatione.

Superiores loquũtur inferioribus, non semper illuminant.

9 Circa homines denique an interueniat loquutio Angelorum, ad homines, & viceuersa, iam scripturæ apertissimè id docent, vt Luc. 1. *Dixit Maria ad Angelum*, *Missus est Gabriel Angelus ad Mariam dicens, Aue gratia plena*. Matt. 24. *Apparuit Angelus confortans*

Angelorum loquutio ad homines.

tans

tens eum. 28. Apparuit Angelus dicẽs, *Viri Galilei quid statis aspicientes in Cœlum*. Apoc. 14. *Angelus, qui loquebatur mecum*. Et ferè per totam, & alibi.

Animæ separatæ loquutio.

10 At modus exquiritur: & quidem declarandus venit Primo ex parte hominis ad Angelos: & Secundo ex parte Angelorum ad homines. De hominibus autẽ loqui possumus, vel ex parte animæ solius, nempè separatæ; vel ex parte animæ cõiunctæ pro statu viæ: loquendo de Primo, poterit anima separata imprimere vel speciẽ, vel actũ, vel vtrumque, eo modo, quo dictum fuit de Angelo, dũmodo Angelus ipse alloquendus, velit attendere, & nõ impediat. Non apparet implicantia ad hoc, videtur namque par vtrobique ratio: sicut potest quoq; anima separata aliam separatam alloqui. Et confirmatur vtrumque, gaudent quoque Angeli, & animæ politica quadam societate; licet enim sint alterius rationis, sunt nihilominus creaturæ intellectuales, atque consociabiles: at societatis affectus explicari solent à creaturis perfectis, per allocutionem, non apparet autem ex dictis in quæstionib. præcedentib. verior modus loquendi, quam recensitus, ergo, vt sic, anima separata loquitur ad Angelos, loquutio tamen hæc esset omnino mentalis, & purè spiritualis Concedit Suar. cap. 28. num. 68.

Animæ coniunctę.

11 Loquẽdo autem de anima coniuncta, negatiuè respondemus: Tota autem ratio refunditur in statum viæ, in quo est: Vnde dicimus, non posse imprimere vel speciem, vel actum, vel vtrumque simul in Angelum, & consequentèr non posse pro statu viæ, loqui purè spiritualitèr, siue purè mẽtalitèr. Probatur, anima coniuncta corpori dependet in operando à sensibus, à phantasmatibus, ergo nõ poterit, nisi per phantasmata intelligere, igitur in Angelũ imprimere cognitionem phantasticam, siue imprimet phantasmata; horum tamen Angelus non est capax. Itẽ, species derelicta in nostra memoria, semper repræsentat cũ aliquo ordine ad materialia, ergo nõ potest imprimere in Angelum speciem omnino spiritualem. Insuper actus intelligendi affectus est eodem ordine ad materialia, ergo non potest imprimere actum omnino spiritualem.

Totius hominis loquutio.

12 Loquendo denique de toto ipso coniuncto, siue de homine, res plana est ex scripturis, homines loqui Angelis. Modus vero loquendi erit vel per signa, & nutus, vel per verba, & voces, vel per literas, & scripturas, siue huiusmodi; Ratio, quia habent Angeli intellectum agentem, quo abstrahere possint inde species intelligibiles, earumque percipere significata: De facili possunt callere linguas, & idiomata vniuersarum gentium, nationum, ergo &c. id vero tum de bonis dicitur, tum de Angelis malis. Hæc de hominibus ad Angelos.

Loquutio Angelorũ hominibus.

13 Nunc vero agendũ de Angelis in ordine ad homines, quomodo loquantur ad eos: quo in negotio distinguendum est, vt prius, vel namque agimus de anima separata, vel coniuncta: agendo de Primo, ita loqui possũt animæ, sicut loquuntur inter sè inuicem, imprimendo vel speciem, vel actum, vel vtrumque simul, vt infra: quomodo loqui possunt etiam animæ separatæ inuicem inter se, ita Scot. in 2. d. 11. q. 1. ad secundum, dum ait non repugnare ex parte Angeli, nec animæ.

14 At loquendo de Secundo, docet Scotus non posse sic loqui, imprimendo intellectionẽ per speciẽ intelligilẽ.

15 Nota autem, id non quidem repugnare ex parte Angeli, nec ex parte animæ, sed ratione status, quia non potest intelligere sine recursu ad phãtasmata. Dices, Christus Dominus vtebatur speciebus infusis absque recursu ad phantasmata independenter à sensibus, ergo posset etiã anima coniuncta vti specie, & actu, si sibi imprimerentur ab Angelo. Resp. Suar. num. 70. quod illa potestas non erat mere naturalis, sed superans naturam. Sed contra, Lazarus & si miraculosè fuerit resuscitatus, tamen naturalitèr viuebat: & cæcus supernaturalitèr illuminatus, naturalitèr tamen videbat: sicut & claudus miraculosè à Petro directus, & cõsolidatus, tamen naturalitèr ambulabat ex Scoto recepto, ergo & si vel supernaturalitèr à Deo, vel naturalitèr ab Angelo speciem recipiat, naturalitèr tamen intelliget.

16 Sed

16 Sed dices, id negat Scotus. Resp. falsum esse assumptum: aliud namque est quærere, vtrum possit Angelus speciem imprimere, & aliud, vtrum posita iam, & impressa specie ab extrinseco Agente, possit ea ad intelligendum vti. Primum negat posse fieri ab Angelo, tanquam ab Agente totali: at Secundum non negaret, sicut enim docet, mortuum supernaturaliter resuscitatũ, naturaliter viuere, ita diceret & hic, posse naturaliter inde specie illa vti, si imprimeretur ab Angelo.

17 Petes autem, si ab Angelo non potest imprimi, saltem, veluti à totali Agente, ergo nec poterit imprimi immediatè à Deo. Resp. negando conseq. ratio, quia ordo imprimendi speciem intelligibilem mediante phantasmate, subest causalitati Dei, idemq; potest supplere talem ordinem, imprimendo speciem absque phantasmate; qui tamen ordo est necessario seruandus à creatura; nec subest causalitati Angeli, ac proinde non poterit imprimere speciē sine phantasmate. Vide Scotũ ibidem lit. F. à primo autem ad vltimum, non implicat Angelum imprimere absolutè; sed sola ratione status impedientis spiritualia immediatè recipere.

18 Quomodo autem loquātur Angeli hominibus locutione sensibili, & materiali, id videbitur in materia de Custodia Angelorum.

QVÆSTIO II.

Quomodo Angeli loquantur ad inuicem.

1 ACcedimus ad naturam locutionis angelicæ, vbi explicandus est modus perdifficilis, quomodo Angeli loquantur ad inuicem.

2 Non quidem quærimus, vtrum Angeli loquantur hominibus, etenim id extra controuersiam est, & Scriptura diuina passim refert locutiones angelicas habitas cum hominibus, vt Zachariæ ac Virgini, qui loquebatur mecum, &c. de qua re vberrimè agit Ioannes in sua Apocalypsi per capita multa. Tobias etiam in suo libro Tobiæ de comitatu, atque reductione angelica in domum paternam. Esdras item, & plerique libri Scripturæ, qui vndequaque redolent locutionem angelicam cum hominibus. Neque quærimus, vtrũ Angeli colloquantur ad inuicem, siquidem hoc etiam compertum est in ijs Scripturis, vt Apocal. 7. *Vidi alterum Angelum ascendentem ab ortu solis, & clamauit quatuor Angelis dicens, Nolite nocere, &c.* Isa. 9. *Clamabant alter ad alterum, Sanctus, Sanctus, Sanctus*, atque 1. Cor. 13. *Si linguis hominum loquar, & angelorum*: quæ quidem Angelorum locutio quandoque corporalis, & sensibilis est, vt dum fit hominibus per corpora assumpta, de qua re supra, quandoque verò spiritualis, & insensibilis absque corporum talium assumptione, & hinc D. Aug. colligit duplicem istā locutionem, siue duplex reperiri os in ordine ad locutionē agendam, os quidem corporale, & os spirituale, reddendo singula singulis, vt 15. de Trin. c. 17. de quo etiam egimus quæst. præced.

3 Hoc quidē comperto, & communiter concesso remanet, vt modum istius locutionis explicemus: etenim in assignando locutionis modo valdè discrepant Theologi, nostrum autem erit opiniones breuitèr recensere, eas verò, quæ minus verè explicant præsens negotium, confutare atque demũ propriam sententiam in medium afferre, & confirmare.

4 Penès Durand. in 2. dist. 11. q. 2. recensetur opinio dicentium Angelos Angelorum secreta cognoscere, siue collocutiones Angelorũ, quatenus per characteres, & signa Angelorum colloquia, siue secreta repræsentātur in Cœlis, ita vt loquendo Angelus Angelo, characteres imprimendo in Cœlis, exprimat secreta sui cordis, mediante impres-

pressione talium characterum in ipso Caelo.

5 Item Durand. sententiam suam

Dur. sent. asserendo in medium, ita discurrit, vel namque Angelus in assumpto corpore loquitur, vel extra id corpus; si loquamur de Primo, facile est, inquit, explanare modũ locutionis angelicæ, quandoquidē per voces, & sonos formatos in aere explicat Angelus Angelo, cui loquitur, secreta, & conceptus; loquēdo de Secundo, tunc quidem accidet, vt necesse sit concedere Angelum naturaliter cognoscere secreta alterius Angeli; quo supposito, concesso, tunc Angelus loquens, ex eo, quod vult, & placet illi conceptus suæ mentis manifestos fieri alteri Angelo, dicitur loqui, siue colloqui ipsi Angelo, vnde est, vt duo necessaria sint ad collocutionē Angelorum, vnum est, vt alter alterius secreta cognoscat propriis viribus sed in hoc non consistit angelica locutio; alterum est, vt Angelus loquens, contentus sit, siue consentiat, vt consocius Angelus secreta cognoscat mentis suæ. Ex tali autem consensu sequitur, vt dicatur Angelus loqui Angelo; quod si consensū talem denegauerit Angelus, cessabit omnis locutio. Addit idem Durand. quod si forte Angelus nō nouerit naturaliter secreta alterius Angeli, tunc quidem adeò difficile existimat Durand. locutionem angelicam explicare, vt profiteatur se omnino ignorare, qualiter, & quomodo explicandam sit opus hoc locutionis angelicæ; sententia hæc affinis est ex parte sententiæ Thomistarum, vt videbimus.

6 Greg. de Arim. dist. 9. q. 2. Marsil. q. 7. Argentin. 7. par. & plerique alij locutionem fieri docent per signa quędā spiritualia, intellectus nempè, & volūtatis angelicæ, ita vt sicut inter homines homo loqui solet homini per signa, & nutus licet corporalia, ita Angelus loquatur Angelo per nutus, & signa, licet spiritualia.

7 Alij aiunt locutionem consistere in quodam cōceptu, veluti reflexo, explicante secretum cordis.

D.Th. sent. 8 D. Thom. 1. par. q. 107. art. 1. cū Caiet. ibidem, atque Capreol. in 2. d. 11. q. 2. angelicam locutionem sic explicant, aiunt namque locutionem ipsam pendere ex consensu, & complacentia, siue ex voluntate Angeli loquentis, ita vt quandocunq; Angelus consenserit, & complacuerit cōceptus suæ mentis ordinare ad Angelum alterum, tunc quidem censeatur Angelus loqui Angelo, vnde est, vt locutionis essentia pendeat ex voluntate, & consensu loquentis, quo mediante, velit conceptus suos manifestos fieri Angelo, cui loquitur, nec aliquid vltra admittunt, quod impedimentum sit ipsi Angelo, cui fiat locutio: Negant namq; Thomistæ intellectum possibilem in Angelis, ideoque nihil esse recipiendum in Angelo senserunt, sed sufficere solummodo, vt Angelus loquens contentus sit, & consentiat, siue conceptus suos ordinare, siue manifestos fieri ad alterum Angelum.

9 Scotus in 2. dist. 9. q. 2. mentem, Scoti sent.
& sententiam suam aperiendo, videtur facilius, atque distinctius, siue plenius modū locutionis angelicæ explicare, & quidem sub lit. B. docet Scotus ipse Angelum loquendo Angelo posse aliquid ex tribus recensendis, in ipso Angelo, cui loquitur, causare. Potest autē primo, inquit Scotus, causare in eo actū solummodo; potest secundo causare speciem absq; causationis actu, & potest tertio causare simul actum, & speciem: ex causatione autem vel istorū trium simul, vel alicuius istorum sequitur locutio, siue collocutio angelica.

10 Loquendo de Primo, potest Angelus loquēs causare in intellectu Angeli, cui loquitur, actus intellectionis, & collocutionis absque eo, quod causet speciem intelligibilem de obiecto, de quo loquitur; probatur hoc ab eodem Scoto, quia sicut contingit in nobis, dum colloquimur insimul de obiecto aliquo alias nobis noto, tunc quidē non causamus inuicem speciem intelligibilem de obiecto, sed communicamus inuicem conceptum mentis nostræ, ex qua communicatione sequitur plena, & perfecta collocutio, ita contingere potest in Angelis duobus, & speciem quidē intelligibilem habeant de obiecto, de quo loquūtur, atque perfectè noscant obiectum, de quo fit locutio, & nihilominus communicent inuicem sibimetipsis proprię mentis

con-

conceptus, & ita vnus alteri causabit actum & non speciem, vt diximus.

11 Loquendo de Secundo, poterit Angelus causare speciem intelligibilẽ, quandocunque Angelus, cui loquitur, notitiam non habeat de tali obiecto, sicut in hominibus accidit, dum speciem, siue sensibilem, siue intelligibilem comproducimus in intellectu, & sensu alterius hominis, Angelus autem habet intellectum possibilem, & receptiuum speciei intelligibilis, ergo si obiectũ aliquod non erit sibi habitualitèr notũ per speciem intelligibilem, poterit ab Angelo altero sibi loquente imprimi species intelligibilis, vt fiat locutio.

12 Circa hæc autem cõtingit quoque, inquit Scotus, aliud euenire, quandocunque v.g. Angelus superior occupatus reperiatur in intellectione obiecti alicuius, tunc quidem inferior Angelus si loqui voluerit Angelo superiori, non poterit causare in eo, nisi solam speciem intelligibilem, ratio est, quia cum Angelus inferior sit inferioris virtutis, non poterit amouere Angelum superiorem ab intellectione, in qua occupatur, & ita non poterit causare in ipso nouam intellectionem. Confirmatur, quia non poterit simul Angelus habere duas intellectiones, alteram obiecti, in qua occupabatur, & alterã causatã ab Angelo inferiori, non enim possumus habere simul plures actus intelligendi, est & aliud exemplum in eodẽ textu de homine studioso distracto circa speculationem alicuius obiecti, siue circa intensam negotiationẽ, quo casu si quis loqui intendat homini illi, non quidem ita de facili id assequetur, quandoquidem negotiatione abstractus homo ille, non præstabit auditum, *Vbi autem*, teste Salomone, *non est auditus, non effundas sermonem*, causare nihilominus poterit in aure illius speciem aliquam sensibilem, siue speciem intelligibilem in eius intellectu, qua mediante, expedita iam negotiatione, poterit conuersus ad species ipsas intelligibiles, & sensibiles cogitare, & discernere de obiecto, de quo homo ille alter intendebat loqui.

13 Loquendo de Tertio, poterit vtrumque præstare, tùm imprimendo actum, tùm speciem, id verò continget, quandocunque obiectum nullatenus cognitum erit personæ, cui fit locutio, cum namque neque notum erit obiectum habitualitèr, neq; actualitèr, siue per speciem intelligibilem habitualitèr, siue per actum cognitionis actualitèr, tũc poterit Angelus loquẽs causare vtrumque, vt est dictum.

14 Pergit Scotus declarare amplius naturam locutionis, & quidem sub litera F. contingit, inquit Doctor præter visionem in Verbo aliquid intelligere quadrupliciter. Primo intuitiuè in seipso, Secũdo in intellectu alterius, Tertiò in specie intelligibili abstractiuè, & Quarto sub ratione exprimentis, & expressi, loquendo de tribus modis intelligendi, nulla istarum intellectionum erit auditio, nec consequentèr vlla intercedet collocutio, ratio est, quia illa hæc erit potius visio, quã auditio, etenim cessante ex parte alterius libera, & voluntaria agentis intellectualis proprij conceptus expressione, cessabit quoq; collocutio, & auditio, vt statim dicemus, quapropter tres illi modi recensiti spectabunt ad genus cognitionis, & visionis, siue intuitiuè videndo, siue abstractiuè obiecta intelligendo. Cæterum quandocunque ex vtraque parte intercedit intellectus exprimens conceptum suum, & intellectus alter, cui fiat talis conceptus expressio, tunc quidem aderit perfecta collocutio, & perfecta auditio, & ita verũ erit, quando alter loquatur, & alter audiat. Adest vero, subdit Doctor, distinctio inter tres illos modos, & quartum modum, quoniam in tribus illis modis intellectus se habet etiam actiuè, vtpote producendo cognitionem, dum obiectum aliquod intelligit; in quarto vero modo intellectus, cui fit locutio, se habet solummodo passiuè, atque receptiuè, ratio est, quia locutio actiuè fit à loquente, terminatur verò passiuè in audiente, & ita sequitur, vt auditio passiuè, & receptiuè subiectetur in intellectu, cui fit locutio, & consequentèr audiens se habet solummodo passiuè, & receptiuè in ipsa locutione.

15 Doctrina hæc elicitur consimilitèr ex 3. de anima, quo in loco, dum actum est de cognitione, & sensatione, habi-

habitum quoque fuit sentire, & intelligere non consistere in productione sensationis, & intellectionis, sed in receptione eiusdem, ita vt sensus, & intellectus tunc sentiat, & intelligat, quando recipit sensationem, & intellectionem, non autem quando producit, & ita Scotus Aristot. exponit in primo dist. 3. quæst. 7. litera L. dicentem in 3. de anima text. 14. *Intelligere est quoddam pati*, id est intelligere est intellectionem recipere, ex qua tamen receptione dicitur intellectus quodammodo pati, passione quidem perfectiua, non productiua, de qua re abundè eo in loco concluditur, ergo consimiliter auditionẽ non consistere in productione locutionis, sed in receptione eiusdem.

Sensatio, & intellectio in recipere.

17 Nunc superest, vt descriptionem afferamus locutionis, dicimus autem *Locutionẽ esse propriu conceptus ab Agente intellectuali voluntarie factam expressionem, in ordine ad audientem.* Dixi ab agente intellectuali, quandoquidẽ neque paries, neque bruta loqui dicũtur, cum proprios conceptus exprimunt siue audienti, siue videnti, non enim sunt agentia intellectualia, sitq; voluntarie factam expressionem, vt indicemus eadem bruta, eundemq; parietem nullatenus loqui, suos nobis manifestãt conceptus; siquidem paries, & bruta sunt agentia naturalia, non libera; & tamen paries naturaliter, & necessario suum nobis explicat conceptum, siue ex eo, quod est albus, siue pictus, siue altus, siue imus, & similia, ita etiam & bruta ex naturæ ductu (ducũtur enim, non autem se ducunt, inquit Damasc.) suas nobis exprimunt passiones, siue latrando, siue hinniendo, siue mugiendo, & huius generis; ex qua tamen re nulla sequitur locutio, sed alio nomine decoranda est ista ipsorũ expressio, & manifestatio conceptuum; Requiritur igitur intellectualitas, atque voluntaria expressiuitas vnius ad alterum, ad hoc vt fiat locutio.

Loquutio quid sit.

18 Et hinc loquendo de correlatiuo locutionis, quod est auditio, dicendum est, quod *Auditio est perfectio liberaliter communicata Angelo ab Angelo*, ita Scotus ad argum. secundæ quæst. Notandum verò, quod non ait Scotus, locutionem, & auditionẽ esse manifestationem, nam cũ manifestatio sit de occultis, non semper locutio, & auditio est de occultis, solet enim esse etiam de vtrique notis, vnde per accidens est, vt fiat de occultis, quapropter subdit, auditionemq; esse perfectionem per se liberaliter communicatã, & in hoc consistit essentia locutionis, & auditionis, vnde obijci posset, si res est manifesta audienti, ergo frustra fit locutio. Respondet autem ibi inquiẽs, non esse frustra auditio, quia est per se perfectio cõmunicata Angelo liberaliter, & ad hoc potissimum est locutio intelligentibus, vt liberaliter, & liberè communicent sibi inuicem conceptus suos.

In loquutione, & auditione no semper fiat manifestatio.

19 Cuius autem potentiæ sit locutio, intellectus, an voluntatis? Suarez num. 31. ait, interdum esse actum intellectus, interdum actum voluntatis: tunc verò erit actus intellectus, cum manifestabitur actus intellectus, tunc autem voluntatis, cum manifestabitur actus voluntatis. Respondeo non placet, ratio, quia ad vtrumq; actum concurrit vtraque potentia, voluntatis, & intellectus; dempta quidẽ prima operatione intellectus, & demptis operationibus subitaneis, siue primis motibus intellectus, siue dempta plena aduertentia, etenim hęc non subsunt imperio voluntatis, tamen loquendo de cæteris, sequuntur imperium eius, ratio est, quia ipsa coniungit parentem cum prole, potentiam cum obiecto; ergo ad actum intellectus, vt sic, concurrit voluntas: item penès actum voluntatis concurrit intellectus, ratio, quia dum ipsa est cęca eget regimine intellectus, igitur ad locutionem de quocunque actu fiendam concurrit intellectus, & voluntas. Confirmatur ex Scoto, tùm hic lit. G. tùm in 4. dist. 49. q. 4. lit. M. docente, voluntatem causare intellectionem, sub ratione tamen imperantis; & intellectum causare volitionem, sub ratione tamen dirigentis; concurrit ergo, vt sic, ad locutionem vtraque potentia.

Loquutio cuius sit potentiæ actus.

20 Sit conclusio vnica. Necesse est ad collocutionem admittere in intellectu, cui fit locutio, impressionem rei alicuius, siue id sit species solummodo,

Ad loquutionem necesse est recipi in altero quid.

siue actus tantummodo, siue vtrunque simul. Conclusio illa est cōtra D. Thomam, qui negat omninò ab intellectu, cui fit locutio, potentiam aliquam receptiuam, siue speciei, siue actus. Nos autem dicimus nullatenus posse collocutionē fieri, nisi prius intellectus, cui fit locutio, receptiuè se habeat, & passiuè, siue speciei intelligibilis, siue alicuius alterius.

An requiratur in audiēte excitatio. 21 Vtrum autem prærequiratur audiētis Angeli excitatio, dicimus, quod ipsamet locutio est excitatio. Dices, in hominibus dormientibus prærequiritur excitatio, ergo & in Angelis. Respondetur, Angelos non dormire, vt opus habeant excitante. Contra, poterit Angelus remanere abstractus in cōsideratione intensa alicuius rei, vel in aliquo ministerio exercendo, ergo tūc opus habebit excitatione. D. Tho. 1. par. art. 1. ad primū ait, Angelos bonos in indigere excitatione, quia vident se inuicem in Verbo per sibi inuicem attendunt, &c. de malis autem quidnam sentiat D. Thom. negat Caietanus, affirmat autem Suarez cap. 27. num. 35.

22 Probatur autem conclusio facilibus rationibus, & euidentibus, & Primò, si intellectus audientis in audiendo nihil de nouo recipit, ergo nullatenus de nouo audit, consequens est contra suppositum, supponimus namque ipsum audire, ergo aliquid recipit, probatur sequela: subiecto, & passo eodem modo semper se habente, nulla sequitur noua passio, constat hoc, quoniam ad nouam actionem, & ad nouam passionem requiritur, vt agens, & passum nouo modo se habeant, sed per se Angelus audiens nihil de nouo recipit, ergo nullatenus de nouo audit. Confirmatur, priùs nihil recipiebat, & consequentèr non audiebat, etiam per Thomistas qui negant Angelum posse quidquam recipere, priùs igitur nihil recipiebat, & modo nihil recipit; sed priùs nihil audiebat, quia nihil recipiebat, ergo neque nunc audit, quia neque nunc quidquam recipit, igitur quantumcunque Angelus Angelo loquatur, sequitur, vt Angelus alter nullatenus audiat, quia nullatenus quidquam recipit.

23 Secundo, Deus illuminādo Angelos, aliquid imprimit in ipsos, & iidē Angeli aliquid recipiūt ab illuminante Deo, vt constat, & dā oppositum, quod nihil in illuminatione recipiant, sequitur, vt nullatenus illuminētur, sed illuminatio est quædam species locutionis; etenim loquendo alteri, illuminamus illum, manifestando ei occulta secreta, ergo consequentèr Angelus, cui fit locutio, aliquid recipit. Dā oppositum, quod nihil recipiat, ergo nullatenus audit. Confirmatur ex eo, quod accidit in nobis, si namque auris nostra neque sonum, neque aliquid quidpiam recipiat, vtiq; nullatenus audiet, auris namque eodem modo se habendo semper, & semper, si nihil recipiat, vtique nusquam audiet, ergo pariformitèr inferendum de spirituali auditione Angelorum, si nihil de nouo recipiant, nullatenus de nouo audiunt.

24 Tertio Thomistæ in explicatione angelicæ locutionis, & auditionis potiùs enarrant, & explicant naturam cognitionis, & visionis Angelorum, quam naturam locutionis, & auditionis eorundem, probatur siquidem à similibus arguendo: ex eo quod accidit in hominibus contemplari, licet circa id, quod euenit in angelicis spiritibus. Contingit autē in hominibus, vt mentem nostram, nostrosq; secretos conceptus manifestare alijs possimus absq; locutione, vt puta porrigēdo, vel scripturā, vel quid simile, vbi exarati sint, & expressi conceptus nostri, & secreta nostra, quo casu dum alteris scripturā porrigimus, siue librum aperimus, vt amicus nostra secreta videat, atque legat, non quidem audire dicetur amicus, neque loqui censebimus nos, sed ex parte nostri dicemur nostros manifestare conceptus per scripturam, & librum: ex parte autem amici non quidem dicetur ipse nostros audire conceptus, neque nostras audire locutiones, sed dicetur solummodo legere, & videre secreta. Thomistæ in eo locutionem collocant, vt dicant eatenus Angelum loqui, quatenus non vult sua occultare secreta; eatenus verò non loqui, quatenus sua occultat secreta. Verum occultatio, & manifestatio secreti

creti æquiuoca est, & ex pluribus fieri modis potest, vel quidem loquendo, vel secreta manifestando, siue per scripturas, siue per nutus, & similia; tamen non dicimus loqui ex simplici manifestatione secreti, vt dicimus iam, sed requiritur voluntaria directio, & expressio conceptus sub ratione loquentis, & audientis. Hinc fit, vt in sententia Thomistarum non dicatur Angelus audire, sed potius legere, & intelligere, siue secreta manifestata videre; ergo à primo ad vltimũ, non explicant Thomistæ naturam omnino locutionis, & auditionis, sed potiùs enarrant, & explicant naturam cognitionis, & visionis.

25 Quarto, si quæ est ratio, propter quam discrepant Thomistæ à nostra positione, vtique ea erit, qua mediante asserunt Angelum non habere intellectum possibilem repræsentatiuũ, siue speciei, siue alicuius alterius; sed hoc improbatum est supra in propria quæstione, vbi ostendimus dari intellectum possibilem in Angelis, atque receptiuum speciei, ergo falsum est ipsorum fundamentum. Confirmatur, ait namque D. Thomas vbi supra in responsione ad tertium, quod sicut signũ sensibile excitat auditum ad audiendum, ita per virtutem aliquam intelligibilem excitari potest Angelus ad intelligendũ; hoc posito, arguitur. Non potest excitari auditus per signũ sensibile, nisi aliquid recipiatur in auditu, ergo neque poterit excitari intellectus angelicus ad spiritualitèr audiendum, nisi aliquid recipiatur in eius intellectu, & ita ex sententia D. Thomæ coguntur idem Thomistæ ad assentiendum nobiscum. Hæc eadem sententia de excitatione est etiam Alex. Alens. 2 par. q. 27 memb. 6. & 7. & D. Bonau. in 2. dist. 10. art. 3. q. 1.

26 Tota, & vniuersa Thomistarum euasio in duobus consistit, Primo in negatione possibilitatis, & receptiuitatis intellectus angelici, & Secundo in eo, quod asserunt, quod ad locutionem sufficit, vt Angelus loquens nõ occultet secreta sua Angelo, cui loquitur, & addit Vasquez, quod ad locutionem sufficit videre, non autem necesse esse ipsum Angelum audire.

27 Verùm vtrumque plenè remanet improbatum, & quidem de Primo constat superius in propria quæstione. De Secundo, sicut de Vasquez vsque modo etiam consistit, dum probauimus aliud esse videre, & aliud esse audire, vnum namque essentialitèr distinguitur ab altero. Item in corporibus alius est sensus visus, alius auditus; ergo in spiritualibus aliud est in Angelo videre, aliud audire; hoc autem negare est destruere naturas rerum, & fugere argumentum.

28 Hinc vltimo contra Thomistas arguitur; sensus visus est essentialitèr distinctus à sensu auditus, & à potẽtia ipsius intellectus, ergo non possumus per eandem operationem simul videre, intelligere, & audire, sed vnaquæque operatio procedere debet à sua potentia, & sensu, igitur consimilitèr nõ erit idem videre spiritualitèr, & spiritualitèr audire, igitur falsa euasio Thomistarum, quod ad locutionem sufficit videre.

29 Scotus improbat etiam opinionem Henrici, aiebat autem Henricus audire Angelicũ simile esse legenti in libro, ita vt loqui Angelicum sit ad instar aperientis librum, & librum apertum audienti Angelo porrigentis, siue ostendentis; Ex quo resultat, quod si ex parte loquentis, loqui sit librũ apertum ostẽdere; ex parte tamen audientis, audire sit librum apertum videre, & legere: Sententia hæc, vltra quod remanet confutata ex dictis; confutetur etiam. Et quidem hinc sequi non posse Angelũ loqui vni, quin simul loquatur pluribus; Probatur hoc, dato namque, quod liber ille apertus ostendatur simul, & videatur à pluribus Angelis, sic non poterit Angelus loquens per ostensionem libri aperti loqui vni solummodo, & non alijs; etenim cæteri alij ex hypotesi viderent conceptus contentos in libro illo aperto, potest verò Angelus ad libitum loqui vni, & non alteri; ergo via hæc Henrici non concludit, nec probat voluntariam facultatem Angeli in loquendo, siue simplicitèr, & absolutè, siue vni solùmmodo, & non alteri.

30 Sententia etiã illa de characteribus, & figuris Cælorum ridicula est,

quoniam Cœli sũt impassibiles,& inalterabiles, præter alterationem motus, & quietis; quo fit, vt recipere nequeãt figuras, & characteres. Accedit, quod non recipiũt Cœli peregrinas impressiones, ergo ridicula est sententia illa.

31 Illud quoque, quod asserebant alij, loqui Angelos per signa sensibilia, est apertè contra Damasc. lib. 2. de fide orthod. cap. 7. dicentem, commentitiũ esse dicere Angelos per signa loqui sẽsibilia, & corporea, sicut homines.

32 Atque denique quod alij asserebant, locutionem fieri per signa spiritualia, clarè ostendũt locutionem non fieri per signa corporalia; nihilominus non declarant modum, quo mediante per talia signa spiritualia fiat locutio; lo- etenim concessum est ab omnibus locutionem fieri per actum intellectus cũ imperio voluntatis, nihilominus hoc non sufficit ad explicandam naturam locutionis, ergo modus iste insufficiẽs est ad declarandã naturam locutionis.

33 Suarez lib. 2. cap. 27. licet non admittat causationem actus, admittit tamen causationem speciei cũ Scoto; argumenta autem, quæ affert in impugnatione actus, mox soluentur.

34 His habitis, remanente iam sententia nostra explicata, & probata, reliquum est, vt argumenta, quę obstant, afferamus, & soluamus, & quidẽ Thomistæ, siue antiquiores, siue recentiores, vt Vasquez, Molina, Suarez, & alij ad locum cit. D. Thomæ, ita cum authoribus supra citatis passim argumẽtare solent.

35 Primo dixit Scotus inferiorem Angelum imprimere posse in Angelũ superiorem speciem, & non actũ. contra hoc arguitur, quoniam data hypotesi, sequeretur nullquam Angelum inferiorem loqui posse Angelo superiori imprimendo actum; probatur, quia Angelus inferior est minoris potentiæ, minorisq. virtutis, quam sit Angelus superior.

Inferior Angelus quandoque loqui poterit superiori.

36 Respondetur, quod sicut locutio liberè fieri solet, ita etiam & auditio liberam exquirere solet facultatem audiendi; hoc dato, si Angelus superior non velit attendere ad locutionẽ Angeli inferioris, vtique inferior Angelus non causabit in eo actum locutionis; Angelus namque superior potens est, vel non attendere ad locutionem Angeli inferioris, vel potens est amouere, siue impedire, ne sibi loquatur Angelus inferior; quod si superior Angelus attendere velit, poterit vtique inferior Angelus sibi loqui, vt placet, & ita optimè soluitur argumentum, quod confirmatur ex eo, quod accidit in hominibus, potest namq. superior, vel Princeps impedire, ne subditus loquatur ei; quod si quandoque loqueretur, posset Princeps ipse non attendere ad locutionem, cùm vero locutioni attenderit prò sua libertate, & libito, poterit quidem subditus loqui ei.

37 Secũdo arguitur, si poterit Angelus loquens imprimere actũ loquendi, siue intelligendi, sequitur duas intellectiones simul reperiri in intellectu Angeli, cui fiat locutio, id vero est impossibile, ergo &c. probatur sequela, esset in eodem intellectio de obiecto, circa quod ante locutionem versabatur; & nunc de nouo acquireretur intellectio de obiecto, de quo fit locutio, ergo duæ intellectiones simul.

38 Respondetur, negãdo sequelam, vltra dicta superius disp. 7. q. 15. & ad probationem dicimus alteram istarum intellectionũ reperiri in Angelo, nam si Angelus loquens est fortior Angelo, cui fit locutio, tunc cessabit Angelus iste ab intellectione antecedenti, & conuerteretur ad intellectionem Angeli loquentis, quia Angelus loquens potest ipsum amouere ab intellectione præcedenti, & conuertere ad suam locutionem; quod si Angelus, cui fit locutio, est fortior, remanere vtiq. poterit prò libito in sua priori intellectione, & in potestate eius erit seipsum conuertere, vel non conuertere ad intellectionem Angeli impotentioris; exemplo constat de Principe, vt diximus.

Angelus colloquutionem potius attẽdet ex pluribus colloquentibus.

39 Quod si dicas. Demus ambos Angelos esse æquales virtutis, quidnã fiet in eo casu? Respondemus attendendam esse virtutem motiuam obiecti, tùm antecedentèr cogniti, tùm etiã obiecti, de quo subsequentèr fit locutio; nam ad illud obiectum intellectus Angeli se conuertet, quod erit magis motiuum, & relinquet illud, quod erit minus

minus motiuum. Quod si instaueris, damus casum vtrunque obiectum esse æquè motiuum. Respondemus eo casu recurrendum esse ad imperium voluntatis, siquidem voluntas Angeli, cui sit locutio, imperare poterit suo intellectui, vt ad hoc potius obiectum conuertatur, quàm ad illud.

40 Tertio arguitur, Angelus in sententia Scoti cognoscit naturalitèr secreta alterius, ergo frustra sit locutio.

41 Responsio habebitur statim in sequenti argumento.

42 Quarto arguitur, Angeli receperunt species intelligibiles, quibus mediantibus poterunt multa cognoscere, igitur si sufficiunt species ad cognoscendum, quare ergo admittitur locutio? Argumentum hoc soluit Scotus peroptimè hoc in loco in responsione ad primum, est autem in substantia responsio, quod licet Angelus secreta cognosceret alterius, siue per species, siue aliunde, nihilominus non est superuacanea locutio, neque frustranea; ratio est, quia locutio, inquit Scotus, est perfectio communicata Angelo liberalitèr, & voluntariè, & ad hoc potissimè intelligentibus sit locutio, vt liberè, & liberalitèr sibi inuicem communicent conceptus: dum autem ex opposito cessat talis libera communicatio, cessabit etiam perfectio locutionis, & remanebit perfectio intellectionis, & visionis. Confirmat idipsum Scotus ex eo, quod Angeli loquuntur etiam Deo, & tamen non possunt aliquid sibi facere manifestius quàm prius. Verum quia volunt eidem conceptus suos ex liberalitate, & spontaneitate notos esse Deo, ideò loqui liberè, & liberalitèr dicuntur eidem Deo. Natura igitur locutionis in hoc casu non consisteret in eo, vt conceptus, & secreta, nota, & manifesta facerent Deo, etenim Deo aperta sunt omnia, & Angelus alter, ex hypotesi, si ea cognosceret, sed ideo fieret, vt talis conceptuũ manifestatio liberè fieret, ac liberalitèr ab Angelo.

43 Quinto arguitur, sequitur ex dictis; locutionem angelicam non esse actionem vitalem; Probatur, quia locutionis operatio aduenit Angelo audienti ab extra, cũ producatur ab Angelo loquente; sed operatio ad hoc vt sit vitalis, necesse est, vt emanet ab eodem operante, siue ab eodem subiecto, cuius est operatio, ergo fallo, quæ diximus, Angelũ posse loqui in producendo in intellectu alterius Angeli actum intelligendi.

44 Respõdetur ex dictis intellectionem atque sensationem non consistere in productione eiusdem, sed cõsistere in ipsius intellectionis, & sensationis receptione, ita vt si Deus produceret actum intelligendi in intellectu meo, nihilominùs ego formalitèr intelligerem ea ratione, quia passiuè reciperem ipsam intellectionem, ita à priori licet Angelus intellectionẽ recipiat ab altero Angelo, nihilominus formalitèr, & vitalitèr intelligere, & audire dicitur; ea solummodo ratione, quia passiuè recipit ipsam locutionem, siue intellectionem. Vitalitas actionis videtur.

45 Obstant cõtra hanc doctrinam Scoti, Molin. Suar. & Vasq. Primo sequeretur, quòd ignis posset calefacere per calorẽ ab extrinseco sibi communicatum, sicut Angelus per Scotum potest intelligere per intellectionem ab alio sibi impressam. Secundo, intellectio est actio immanens, remanens in subiecto producente, ergo non potest esse manifesta ad intellectum alterius Angeli. Tertio si intellectio potest imprimi in intellectu alterius, ergo & volitio in voluntate alterius, inde tamen sequeretur, vt imprimens faceret alterum consentire in peccatum, v.g. illo nolente.

46 Respondetur ad Primum, non implicare, ignem calefacere per calorẽ ab extrinseco sibi additum, nam aqua, quæ de sui natura est frigida, calefacit per calorem ab extrinseco sibi aduenientem, vt de aqua calefacta, &c.

47 Respondetur ad Secundum, sufficit esse immanentem in ratione principij formalis, dum consideratur in ratione receptiui, & passi: tunc enim immanet in intelligente: Cæterum non implicat esse transeuntem in ratione actiui &c.

48 Responsio ad Tertium patebit ex materia de Gratia.

QVÆSTIO III.

Vtrum Angelus possit loqui Angelo in quacunque distantia.

1 Divus Thomas 1. par. q. 117. art. 4. aperte sustinet, posse in quacunque distantia Angelum loqui ad Angelum; Videtur esse sententia Alex. Alens. par. 2. quæst. 27. mem. 7. quam sequitur, & Vasquez 1. p. disput. 212. cap. 1. & 2. Si quæ autem sunt rationes probantes hoc ipsum hæ esse possunt, Prima, quia Angelus in intelligendo non dependet à loco, & tempore, ergo nulla distantia localis impedire poterit locutionem angelicam. Secunda, quia angelica locutio est omnino spiritualis, ergo nõ dependet à loco, siue à distantia locali, vt ipsam locutionem impediat. Et Tertio, quia Angelus loquens, tunc quidem impediri posset per localem distantiã, quando aliquid deberet imprimere in Angelum audientem; sed neque Angelus audiẽs quicquam recipit, neque Angelus loquens quicquam imprimit, ergo nulla localis distantia poterit impedire locutionem angelicam.

2 Suarez lib. 2. cap. 28. nu. 14. problematicus est, atque rem non definit, sed subdubiã relinquit, ita vt pro vtraque parte, licet breuitèr contendat.

3 Gregor. de Arim. dist. 9. q. 2. Riccard. atque Gabr. ibidem vna cũ Bassolio eodem loco, atque D. Bonau. dist. 10. art. 3. q. 1. determinatè sustinent nõ posse Angelum loqui Angelo in quacunque distãtia, sed requireret proportionatam distantiam intra sphęram actiuitatis suæ.

4 Circa Scot. existimat Fauent. dist. 9. q. 2. Scot. consentire cũ D. Thoma, ita vt velit Scotus ipse nullam distantiam impedire posse locutionem angelicam; Ratio autem, cui Fauent. innititur, ea solummodo est, quia Scot. inquit, tùm in loco citato, tùm etiam in reportatis distinct. & quæst. eadem, distantiam non impedire locutionem angelicam; Ex quibus verbis colligit Fauentinus Scotum velle, nullã prorsus distantiam impedire posse locutionem angelicam, & elliciatur ex Scoto, posse Angelum loqui Angelo in quacunque distantia indeterminata, & infinita.

Fauentini sensus de Scoto.

5 Vtrum vero Scotus fuerit sententiæ istius, quã sibi Fauent. impigit, non videtur dicendum, & quidem id colligitur primo ex doctrina eiusdem Scoti, quã vniuersalitèr tradit de omni Agente creato, & finito, atque limitato, ait namque sępissimè Agens finitũ, & limitatum non posse agere extra sphæram actiuitatis suæ; præcipuè autem in 4. dist. 45. q. 2. ad tertium docet debere reperiri proportionem præsentialitatis inter obiectũ, & potentiam, quia intellectus est limitatus, & finitus, ideoque ipsius actiuitas non potest se extendere ad intelligendũ rem distantem distantia infinita. Item in eodem loco quæst. 4. docet, animam separatã posse intelligere intelligibilia, & sensibilia, nisi tamen distantia impediat; & denique vt loca alia linquam in loco citato dist. 9. habetur additio quædam marginalis sub lit. C. respondens ad argumentum de distantia locali, quæ ita dicit. *Potest responderi, sicut respondet Doctor in Reportatis, quod nimia distantia impedit Angeli locutionẽ, & ideo debet esse moderata*, huc vsque Additio. Constat verò additiones istas, quę passim reperiuntur in Scoto, esse valdè consẽtaneas menti Scoti, igitur Scot. non est sententiæ, in quam ipsum trahit Fauent. Insuper id conforme est Arist. docet namque 8. phys. t. 84. *Intelligentiam motricem debere esse in parte determinata Cœli*, est autem sensus, & ratio, quoniam si quantumcunque indeterminatè distaret ab ipso Cœlo, nõ vtique posset mouere Cœlum, & in 7. phys. t. 8. docet, agens, & passum debere esse simul; distantia namque improportionata facit, vt non possit sequi actio, & passio; quæ quidem simultas, licet non semper sit mathematicè, nihilominus dum sufficit simultas virtualis,

Intellectus nequit siti inter infinitã distantiam

Scoti mens aperitur.

Proportionata distãtia inter Agẽs, & passum.

tualis, debet nihilominus agens, & passum reperiri infra sphæram actiuitatis suæ, alias non posset sequi actio, & passio: Cum autem hæc vera sint tum Philosophis, tum Theologis, vtrique conse[?]a sunt vera etiam fuisse apud Scotum, atque Scotum ipsum consequenter ad doctrinā hanc philosophicam locutum fuisse.

Non potest loqui in quacunque distantia.

6 Hinc statuitur vnicū dictū: Non potest Angelus loqui Angelo in quacunque, & indeterminata, & infinita distantia; est Scoti locis citatis, cui accessit [?] in Metaphys. disp. [?] & nu. 4. licet in materia de Angelis dubius fuerit.

7 Suadetur breuitèr Primo. Nullum agens potest agere extra sphæram actiuitatis suæ, sed quantumcunq; indeterminata, & infinita distātia est extra sphærā actiuitatis Angeli, ergo non potest sic agere: Probatur minor, Angelus est virtutis finitæ, & limitatæ, ergo non potest agere in quacunque distantia infinita, & illimitata.

8 Secūdo Angelus non est immensus, ergo non potest agere vbique in quacunq; distantia, antecedens patet, & probatur consequēs, [?] Deus agit, & potest agere vbique, quia est immēsus, & præsens vbique, Angelus verò nō sic se habet, ergo &c. vide sup. disp. 7. quæst. 9 num. 31.

9 Dices, Rationem hanc, quæ est D. Thomæ in materia de omnipotentia Dei, impugnat Scotus, quandoquidem Agens potest agere in distans, etiā si non sit ibi præsens, ergo licet Angelus non sit immensus, nihilominus poterit agere, vbi non est præsens.

10 Respondetur, quod licet agens non sit præsens præsentia entitatiua, Physica, & mathematica, nihilominus est necessario præsens præsētia virtuali; Angelus autem neque præsentia essentiali, neq; præsentia virtuali est præsens vbique in quacunque distantia indeterminata, & infinita, cum sit virtutis, & essentiæ finitę, ergo non potest agere in quacunque distantia. Item aliter est sensus Scoti ibi, vt patuit t. 1.

Quanta sit distantia in qua[?] Angelus.

11 Quæres, quanta erit distantia, intra quam possit agere Angelus.

12 Respondetur id ab hominibus non posse sciri, sed à solo Deo; ipsisq; Angelis notum etiam est; & cui voluerit Deus reuelare, siue ipsimet Angeli, si enim potest homo metiri vires suas ergo & Angelus suas.

13 Dices, anima diuitis in Inferno loquebatur cum Abraham, vt habetur Luc. 16. & nihilominus inter ipsos est infinita distātia, ergo si potest hoc agere anima, multo magis poterit hoc ipsum præstare Angelus, qui est altioris virtutis.

Distantia Chaos Abraham [?]

14 Respondetur Primo, distantiam illam non esse infinitam, sed determinatam, & finitam, licet namque textus habeat, quod *Magnum Chaos est inter nos, & vos, ita vt de vobis nos possint transire ad nos*, nihilominus distantia illius Chaos erat determinata, & finita: impotentia autem transitus proueniebat aliundè.

Transitus damnatorū, & Beatorū an possibilis.

15 Respondetur Secundo, quod dubium est, verum distātia illa finita fuerit proportionata virtuti naturali, vel improportionata: virtuti, inquam, naturali ipsius Abrahæ, & diuitis; quo stante sequitur, vt si proportionata fuerit, potuerit vterque naturalitèr vnus ad alterū loqui; quod si tamen ex opposito fuerit naturalitèr improportionata, tunc locutio illa, & visio illa non facta fuerit sine miraculo, Deus namque eleuasset virtutem naturalem vtriusque, vt potuissent ad inuicem loqui. De transitu vero locali: loquendo de animabus quæ sunt spiritus, attenta facultate naturali motiua, impediuntur tamen à diuina Iustitia, ne transeant, ad hoc, vt ibi pœnas luant: sicut ex opposito Beati per dotem agilitatis ibunt quo velint.

Scotus explicatur.

16 Ad id vero quod Faber[?] aiebat de Scoto, quod Scot. dixerat distantiā nō impedire locutionem Angelicam, dicendum est Scotum loqui de distantia proportionata, & de medio intercluso intra sphæram actiuitatis suæ, quę quidem non impediunt locutionem angelicam, non autem loqui de distantia indeterminata, infinita, & illimitata, quandoquidem esset distantia omnino improportionata, vt diximus.

Angelus, & anima in operari an dependeant à loco.

17 Ad argumenta autem in oppositum respondendo, dicimus ad Primū, & Secundum, quod licet locutio angelica, sicut etiam ipsemet Spiritus angelicus

licus non dependeat à loco, & tempore, quoad fieri, esse, & conseruari, quia solummodo entia corporalia dependēt sic à loco, & tempore, vt habitum fuit in Physicis, nihilominus depēdet Angelus, sicut etiam anima rationalis quodammodo à loco in operari, ita vt exquirat tantam distantiā loci, quantam superare possit sua virtus actiua; quod si distantia localis superaret virtutem actiuam ipsius Angeli, vtique non poterit operari in tali loco, itaque quoad operari dependet à loco sic, & sic, ratione distantiæ &c. non autem absoluté, & simpliciter: alia mox addentur.

18 Ad Tertium dicimus, negando assumptum; etenim vt probatum est in præcedentibus, locutio fit per impressionem, siue speciei, siue actus intelligendi, vt diximus; talis autem actio, & impressio requirit determinatam sphæram actiuitatis angelicæ.

19 Petes autem, quidnam obstare poterit, quominus loquatur Angelus Angelo in distantia indeterminata, & infinita? iam enim non dependet à loco, cum sit spiritus: asserere autem depēdere à loco, quoad operari, & loqui, videtur gratis dictū. Accedit id, quod dicit D. Thom. loc. cit. & q. 9. de veritate art. 6. nempè, quod Angelus loquens, nihil facit in audiente, ergo infertur, quod nulla distantia impedit, probatur consequens, ideo namque distantia improportionata impedit locutionem hominum vocalem, quia loquens imprimit sonum, & vocem in aurem audientis, quæ quidem vox per distantiam paulatim attenuatur, ita vt tandem euanescat; hoc tamen non contingit in Angelis, cum sint spiritus, eorumque collocutio sit spiritualis, non corporalis. Confirmatur, quia media corpora interiacentia non possunt impedire hanc actionem, & passionem spiritualem, quemadmodum impedire solent corporalem.


20 Ad Primam instantiam de non dependere à loco, iam dictum remanet non depēdere absoluté, & simpliciter, sed aliqualiter ratione distātiæ, & præsentiæ. Vel Secundo dicendum non quidem dependere à loco directé, sed indirecté ratione distantiæ, & præsentiæ, seu depēdere à loco negatiué, quatenus distantia improportionata impedit locutionem, sicut proportionata non impedit, ob quod dependet etiam vt sic positiué. Vel Tertio dependet à loco in operari, quatenus de facto locutio, & auditio fiunt intra sphæram loci, non extra locum. Non dependere à loco simpliciter.

21 Ad illud D. Thomæ iam constat Angelum aliquid facere, seu imprimere in Angelum colloquentem.

22 Ad illud de sono, & voce attenuata per distantiam. Dicendū, quod etiam angelica virtus tanta est, vt ad tantam distantiam possit, & nō ad maiorem; non quod per distantiam attenuetur virtus, cum sit spiritualis, sed quia à sui creatione tantæ virtutis factus fuit intellectus angelicus, vt non possit in infinitam distantiam se protendere.

23 Et ad illud de corporibus interiacentibus, dicendum impedimenta non aduenire ex corporibus interiacentibus, sed ex finitate virtutis, quæ cum finita, non potest se protendere in infinitum.

24 Dices, Scotus ait quæst. cit. in Report. Angelum posse loqui etiam Angelo distanti, quia nec lingua vtitur, nec medio ad loquendū. Respondetur loqui Scotum de Angelo constituto intra sphæram suæ actiuitatis, ibi enim potest loqui distanti, quia loquatur propinquiori, vt placet, non autem extra sphæram actiuitatis.



QVAE-

QVÆSTIO IV.

Vtrum Angelus possit loqui vni, & non alteri.

1 CIrca quæstionem communitèr consentiunt vtriusque scholæ Theologi tùm Scotistæ, tùm etiam Thomistæ in locis superiori quæstioni citatis, ita vt absolutè dicendum sit, posse Angelum loqui vni Angelo, & non alteri, atque in eius libertate sit locutionē dirigere ad Angelum vnum absq; eo, quod ipsam dirigat ad alterum.

2 Suadetur autē breuitèr Primo, Angelus non est agens naturale, sed liberum, ergo in eius libertate stabit sermonem dirigere ad vnū, & non ad alterum. Secundo locutio est voluntaria directio, siue libera manifestatio cōceptus proprij vnius ad alterum, ergo liberum erit Angelo locutionem dirigere, atque conceptus manifestare vni, & non alteri.

3 Tertio loqui est actū intelligendi imprimere in audiente ex dictis, ergo potest Angelus intelligendi actum imprimere vni Angelo, & non alteri.

4 Quarto perfectio reperta in inferiori, non debet denegari superiori, sed homo inferior Angelo in libertate sua habet, vt vni possit loqui, absque eo, quod loquatur ad alterum, ergo id ipsum præstare poterit Angelus, cum sit altioris perfectionis, & eminentioris naturæ, concluditur igitur posse loqui vni absque eo, quod loquatur ad alterum.

5 Fauentinus hac in re, vel dubius est, vel obscurus, vel negat omnino Scotum esse huius sententiæ, atque sustinet Scotum docuisse oppositum, ita vt voluerit, non posse Angelum loqui vni, quin loquatur insimul ad alios ibi præsentes, probat autē Fauentinus ex eo, quod Scotus in q. 2. cit. in responsione ad primum ait, *Videre Angelum secreta alterius Angeli, quæ sit, vt nō possit Angelus loqui vni, quin loquatur ad alterum, si forte fuerit ibi præsens.*

6 Verum, Fauentinum nō amplexamur: quandoquidem sententia, quā adduximus de Scoto, verissima est in eius doctrina, vt in eo loco patet. Ad fundamentū autem Fauentini dicendum est ipsum confundere visionem cum auditione: supra enim diximus ex eodem Scoto Angelum quidem videre secreta alterius Angeli, attamen talem visionem nō esse locutionem, siue auditionem, sed esse tantummodo obiecti speculationem, siue intellectionem; locutio namque indicat voluntariam directionem proprij conceptus ad alterum, ita vt ad intellectionem sufficiat concursus intellectus, & obiecti, ad locutionem autem requiratur vltra hæc dicta, requiratur inquam imperiū voluntatis ex dictis. Plura infra. Viso, loquutio, auditio differunt.

7 Et hinc etiam soluitur dubium, in quo quæritur, vtrum possit manifestare secretum vni, & non alteri: Responsio danda est consequētèr ad principia vniuscuiusque, qui namq; aiunt Angelum non cognoscere secreta alterius, dicunt posse manifestare vni, & nō alteri, dum vero alij affirmant, nulla fieri poterit manifestatio noua, etenim ex suppositione cognoscuntur secreta, manifestatio autem est occultorum: vide in fine; bene tamen tunc dicetur loqui vni, & non alteri, etiam videnti secreta.

8 Rursus vero quæritur, si secreta Angeli sunt cæteris nota, an possit de eis fieri locutio, & an fieri vni, & non alteri? Ad Primum constat apertè fieri posse, patet ex nobis, qui de rebus alioqui colloquentibus manifestis, colloqui solemus, ergo & Angeli. Ad Secundum, poterit vtique fieri locutio ad vnum, non fiendo ad alterum: patet quoq; ex nobis, qui inter plures nobis præsentes, solemus sermonem dirigere ad vnum, quin dirigendo ad alterum, vt magister singulari discipulo, præsentibus cæteris, &c. hoc autem sufficit, vt dicatur Angelus loqui vni, & non alteri,

ri, etiam præsentibus alijs: Dum ergo pluribus illis audientibus loqui intendit, vtique erit vera loquutio, & ex proposito: dum tamen vni, & non alteri, non erit erga illum vera, & directa loquutio, sed indirecta.

5 Suarez num. 24. inquit, hoc modo difficultas non declaratur, sed verbis eluditur: At re vera eluditur ipse Suarez, (nam velit, nolit) numero inde sequenti concedit assertionem nostram: Obstabat autem, locutio facta vni in præsentia aliorum nō est secreta, sed publica, ergo non potest loqui vni, & non alteri. Responsio est iam data, nam non dicetur tunc loqui alijs per se, licet audiant, sed illi soli, quemadmodū magister loqui dicitur quandoque per se singulari discipulo, & non alijs, licet cæteri audiant; Ratio autem consistit ex natura locutionis, in qua requiritur voluntaria directio manifestatiua conceptus ad singularem personam, qua voluntaria directione cessante, cessabit locutio. Dices, remanebit auditio, quia etiam alij, ad quos non dirigitur sermo, audiunt. Respondetur, erit ad illos locutio indirecta, quia nullo modo dirigitur ad illos ex voluntate loquētis est enim per accidens, vt alij audiant; per se autem audiet ille, ad quem per se singulariter dirigitur sermo, nisi tamen per se dirigatur ad omnes, vt in Concionatore ad Populum totum &c.

Loqui indirectè, directè, per se, per accidēs.

6 Petes, quorsū differt manifestatio à locutione? Respondetur, discrimina latè patere, sufficit autem in præsentiarum adducere id, quod spectat ad subiectam materiam, locutio namque dicit relationem ad auditionem, nam loqui, & audire sūt correlatiua; at manifestatio dicit ordinem indiscriminatim, siue ad visionem, siue ad cognitionem, siue ad quamcunque aliam cuiuscunque facultatis intellectiuę, siue sensitiuæ perceptionem, vt patet; manifestatio namque fieri potest intellectui, & cuicunque sensui, proponendo sui obiectum, vt visui, olfactui, tactui, gustui, auditui, omnes namque sensus nati sunt proprium percipere obiectum: Insuper manifestatio dicit ordinem ad occultationem, ratio, quia occulta sunt, quæ manifestantur, non enim manifestantur manifesta, quod si manifesta manifestentur, id eueniet ratione manifestationis maioris quia fiunt magis manifesta; ex hinc autem fit, vt etiam ibi reperiatur aliquid in manifesto occultum, dum prius non erat ita, vt modo, manifestū; locutio vero potest esse, tūm de occultis, tūm de manifestis, vt patet.

Loquutio, & manifestatio differunt.

7 Sumpta autem occasione hac, quæri potest, num Angelus possit Angelo secretum aliquod occultare? videtur enim, quod sic, nam homo homini secreta occultat, ergo & tantundem facere poterit Angelus Angelo: Respondetur esse disparem rationem, siquidem homo in cognoscendo dependet à sensibus; sensus autem impediunt, nē immediatè videantur secreta hominum, quæ non nisi à posteriori per sensus, voces, & signa manifestari poterunt in via; at Angeli non præpediuntur à sensibus, ideoque immediatè cognoscunt inuicem propria secreta.

8 Dices posse vnum occultare alteri per actum voluntatis: hoc impugnat Scot. in 2. dist. 9. quæst. 2. §. *Ad argumenta secundæ quæstionis*; & Nos de hoc egimus quęstione propria, an Angelus cognoscat naturaliter secreta cordium.

9 Verum, quemadmodum Nos inuicem secreta occultamus, ita & Angelis facultas talis deneganda non est: Qualis vero foret illa, ipsi norunt: illa de sensu, vt in nobis, non militat, carent enim sensu. Item inferior secreta scire posset superioris Angeli contra eius voluntatem; item cessabit illuminatio superioris ad inferiorem, sufficeret namque inferiori videre, & intueri arcana superioris, nec opus esset inde expectare vt superior illuminet inferiorem; neque gratias agere teneretur de illuminatione, dum non indigeret ea.

Angelus potest secreta sua occultare.

10 Qui vero Scotista hoc sustinet, (quod quidem ad optimam politicam spectat, posse ad nutum propria occultare) respondebit, ex speciali perfectione Naturæ vniuscuiusque Angeli id prouenire, vt quisque facultatem habeat arcana, & secreta propria occultandi: Et vltra allata, perfectio concessa inferiori, non est de facili, deneganda superiori: Continet vir-

Facultas secreta occultādi spectat ad optimā politicam.

tutem

tutem hanc Homo, ergo & Angelus, igitur ad Scotum, non quidem implicat ſecreta penetrare ex parte intellectus, & obiecti, eo modo, vt ſupra consideraui: Sed ex perfectione Naturæ, cuius eius Author talem indidit facultatem occultatiuam. Virtuſque talis quam maximè neceſſaria eſt ad vtramque, tùm humanam, tùm verò angelicam Politicam.

QVÆSTIO V.

Vtrum Angelus poſsit loqui pluribus ſimul.

1 HOc breuitèr expoſito, explicato & probato, quæri poteſt vlterius, vtrum poſſit Angelus loqui pluribus ſimul. Obiectionem hanc format Scotus ſub litera T. & arguit pro parte oppoſita, quandoquidem nullum agens poteſt habere ſimul plures adæquatos effectus, ergo neque poterit Angelus producere ſimul plures locutiones, loquendo pluribus; antecedens patet, & probatur conſequens, quoniam vna locutio eſt productio vnius intellectionis in eo, quod audit, ergo quot erunt audientes, tot erunt locutiones, ſiue productiones actuum intelligendi imprimendorum in intellectibus audientiũ Angelorum, ſed hæc omnia ſimul non poteſt præſtare Angelus, ergo non poterit loqui ſimul pluribus.

2 Argumentum hoc nõ ſoluit ibi Scotus, nihilominus ſoluitur à Mauritio in additione facta ad eundem locum Scoti, Primo autem ait, non poſſe loqui ſimul infinitis; hoc autem de ſe patet, quandoquidem finita virtus impedit productionem effectuum in multitudine infinitorum; Secundo ait, quod tantùm poteſt vni loqui.

Loquutiones plures an ſimul.

3 Veruntamen reſponſiones iſtæ non videntur adæquatè ſoluere argumentum, & quidem circa reſponſionem ſecundam obſtari poteſt, cur non poſſit idem agens ſimul, & ſemel producere plures effectus, ſaltem imperfectè, & inadæquatè, id namque concedi ſolet in philoſophia, ergo poterit Angelus aliquo modo loqui pluribus; Ideò reſpondendum eſt poſſe pluribus loqui ſimul, locutione tamen confuſa, & indiſtincta, quod quidem non ſuperat, nec excedit virtutem Agentis, præcipuè angelici; Angelus namque eſt expeditiſſimus in ſuis operationibus; quod ſi loquamur de locutione adæquata, & diſtincta, tunc non poterit, niſi vni ſolummodo loqui; Ratio eſt, quia effectus adæquaret virtutem agentis, ergo dum virtus adæquatur per effectum ſuum, non erit amplius potens in eodem inſtanti indiuiſibili producere effectum alium ſimul, quod ſit diſtinctus, perfectus, & adæquatus.

4 Dices, poſſumus nos per vnicam vocem pluribus loqui ſimul, ergo idipſum præſtare poterit Angelus, ſed locutio hæc humana, qua mediante loquimur pluribus ſimul, eſt adæquata, & diſtincta; Probatur, quoniam ad vocem eandem Concionatoris, & Lectoris audiunt ſimul diſtinctè, & adæquatè multi, ergo idipſum præſtare poterit Angelus, cum ſit altioris virtutis.

5 Reſpondetur non eſſe parem rationem de vtraque locutione, tùm angelica, tùm humana, quoniam angelica locutio fit per impreſſionem actus intelligendi, & in vnoquoque Angelo audiente debet imprimi proprius actus intelligendi, non poteſt autem Angelus loquens cauſare ſimul plures actus intelligendi adæquatos, & diſtinctos, & ita nequibit loqui pluribus ſimul; locutio autem humana fit per emiſſionem vocis, atque ſoni, quorum quidem emiſſio vnica eſt, reddendo ſingula ſingulis verbis, ſiue pronunciationibus, & nihilominus cum vnica vox exeat ex ore loquentis, ipſa tamen ſemetipſam diffundit, & multiplicat ad aures audientium; ad quas

Loquutio humana, & angelica differunt.

cum peruenerit, causabuntur ibi plures auditiones, siue plures auditus, & ita non currit paritas: multiplicatio autem speciei audibilis fit circulariter vndequaque, quemadmodum fiunt circulationes in aqua percussa in medio.

Loqui pluribus simul declar.

6 Nihil tamen vetat dicere, posse loqui pluribus simul, modo tamen inadæquato, confuso, & imperfecto; multoque magis hoc erit verum, quo locutiones fiendæ venirent de obiectis disparatis, & inconnexis, nullumq; ordinem habentibus inter se; difficilius namque est loqui simul de homine, ligno, lapide, plantis, elementis, astris, & huiusmodi disparatis, quam de homine, eiusque proprijs passionibus, inclinatione naturali, constitutione sui, siue physica, siue metaphysica, & huius generis; Probatur, hæc connexionem, & nexum habent inter se, qualem nexum habere solet subiectum cum passionibus, atque totum cum partibus, &c. in quo genere loquendi, siue simul dictandi pluribus, refertur Cæsar, D. Thomas, nec non quidam alij: Hinc verò, si tantum præstare solet homines, amplius præstare possunt, & Angeli, vt pluribus loquantur simul, modo tamen explicato. Suadetur breuiter, possumus plura simul intelligere, imperfectè tamen, ergo & loqui, tamen imperfectè; sicut ex opposito, nequit creata virtus plura perfectè cognoscere, ergo nequibit, & perfectè loqui, sic de Angelis.

Loqui non infinitis simul.

7 Et hinc à fortiori deducitur nō posse simul loqui infinitis. Statuitur contra Tararetum in 2. dist. 9. quæst. 1. §. *Sed quia*: Probatio primo desumi posset ex eo, quod virtus creata, & finita nequit facere infinitum, ergo nequibit loqui infinitis: Probatur insuper, loquens Angelus debet vel producere speciem obiecti ex Scoto, vel speciem actus ex eodem pluribusque, at non posset producere simul infinitas numero species in intellectibus infinitorum v.g. audientium, ergo nec loqui infinitis. Idem confirmatur (tenendo iuxta eundem Scotum producere actum intelligendi) non potest Angelus producere infinitos actus simul, ergo nec simul loqui infinitis; Ipsam quoque vrgetur ex eodem magis sustinendo locutionem fieri, imprimendo simul speciem, & actum; Maior autem virtus exigitur in producendo, & communicando hæc ambo simul, quam alterum ipsorum, at non potest infinitas species, actusque seiunctim ab inuicem producere: ergo nec simul: ergo nec loqui simul infinitis.

8 Obstatur, si vna albedo esset præsens infinitis oculis, illa causaret infinitas species visibiles: Item si idem obiectum esset præsens infinitis intellectibus, causaret infinitas species intelligibiles, atque infinitas intellectiones. Demum, si idem Concionator esset præsens infinito auditorio, causaret infinitas locutiones, ergo non implicat vnum Angelum loqui infinitis.

Obiectum an infinitas species infinitas.

9 Respōdetur nec albedinem, nec obiectum causare simul species infinitas, sed numero finitas, inde tamen multiplicantur in medio eędem species, postquam emanarunt à suis obiectis; quæ quidem multiplicatio, & diffusio, licet continuò fiat in infinitum syncathegorematicè, & successiuè dum durat obiectum emittēs tales species, nihilominus nusquam habebitur infinita simultanea productio specierum, & multò minus habebitur talis infinitas in Concionatore, è cuius ore vnus sonus, ac vnica vox singulis pronunciationibus emanat; licet inde diffundatur, & multiplicetur successiuè in medio: quo stante, & negata tali simultanea infinitate, negabitur consimilitèr Angelum posse loqui infinitis simul. Dices, si species illæ non sunt infinitæ, in quibusnam oculis, vel intellectibus recipientur? supponendo enim adesse ibi oculos, & intellectus infinitos, vtrum recipientur simul in infinitis? minimè, quia species tunc essent numero finitæ, oculi autem infiniti, ergo nō sufficerent pro omnibus, nisi fingas miraculum, species recipi in pluribus oculis, igitur recipientur in alijs finitis, relictis alijs, vtputa si species essent mille, & oculi decem mille; At quæres, cur potius recipientur in talibus oculis, & non in alijs? Instantia hæc Patri Vulpes disp. 14. art. 6. num. 3. & Tarareto apparet insolubilis. At de facili eam soluimus, dicen-

do

do recipi in oculo, sed intellectu magis proximo, magisque proportionato, & disposito, seu in oculo, & intellectu magis mobili à specie. Quod si dixeris omnes esse æquè dispositos, ac mobiles. Respondetur posse tunc interuenire imperium voluntatis amouentis oculũ à receptione, siue distrahendo oculum, & intellectum, & conuertendo ad alia obiecta, siue alia impedimenta apponendo, ne recipiantur species, neue faciant sensationem, & intellectionem. Quod si denique vrgeas, nolit v. g. voluntas impedimenta hæc apponere, quid inde? Respondetur impedimenta hæc, & huiusmodi vel apponi posse à superiori agente, vt Angelo, vel creaturis alijs à proposito agentibus, vel agentibus à casu, & fortuna, vel denique ab ipso Deo.

Potest plurium simul imperfectè audire.

11 Tandem potest vnus Angelus locutiones plurium simul percipere, & audire, imperfectè tamen, & incompletè. Patet ex dictis, sicut namque potest vnus loqui pluribus simul imperfectè, ita & vnus poterit plurium locutiones audire imperfectè, est enim par ratio vtrobique.

De numero simul audibilium ipsis constat.

12 Quod si quæras, quotnam erunt ij, quorum locutiones audieret. Respondetur, ipsimet Angeli norunt, & perfectior audire poterit plures, quam minus perfectus.

De numero simul alloquibilium;

13 Quod si tandem consistit, posse loqui pluribus, modo explicato, quotnam erunt ij, quibus allocutio fienda erit? Respondetur, nõ nobis, sed Deo, ipsisque Angelis notum esse. Item alter ad plures extendere poterit sermones suos, quam alter iuxta perfectionem maiorem, & minorem ipsorum Angelorum, ita vt perfectior pluribus, minus autẽ perfectus loqui valeat paucioribus: veluti Concionatoris vnius vox ad plures extendi põt alterius vero ad pauciores Auditores: ita proportionaliter de Angelo loquente plures, pluresque, licet non per vocem, & sonum, sua tamen virtute, & facultate colloquutiua.

Finis Vndecimæ Disputationis.



DISPV-

DISPVTATIO XII.

De illuminatione Angelorum.

QVÆSTIO I.

Vtrum detur illuminatio, & quid sit ipsa illuminatio.

1 DE duobus breuitèr differimus, Primū erit, vtrum detur illuminatio Angelorum, & Secundum erit inquirere de natura illuminationis earum.

2 Circa Primum Durand. in 2. di- stinct. 11. quæst. 5. negat dari illumina- tionem Angelorum. Probari autem potest hæc sua opinio authoritate Au- gust. in Enchyrid cap. 58, vbi ait, *Circa rem istam nihil esse certum*, ergo non possumus asseueranter dicere, dari illu- minationes Angelorum. Secundo pro- batur ratione eiusdem Durandi, ea, quæ spectant ad Beatitudinem, à solo Deo recelantur, sed illuminationes per- tinent ad statum Beatitudinis, ergo à solo Deo fiet Angelorum illuminatio; igitur per consequens non poterit An- gelus Angelum illuminare. Tertio ex rationibus penès Scotum dist. 9. q. 1. pro parte opposita arguitur sic, omnis mutatio est inter opposita; ergo id, quod illuminatur, fuit prius sub tene- bris, sed Angeli sancti nunquam fue- runt sub tenebris, ergo Angeli boni non illuminant eosdem Angelos bo- nos. Vltimo arguitur, Angelus supe- rior illuminans Angelum inferiorem, est lumen superius, & excellentius re- spectu Angeli inferioris, sed maius, & excellentius lumen offuscat minus lu- men, patet hoc, quia de die non viden- tur Stellæ in præsētia Solis, igitur An- gelus superior non poterit illuminare inferiorem, & consequentèr non dabi- tur inter Angelos illuminatio; Con- sequentia fundatur in eo, quod illumi- nans, & illuminatus ambo sūt lumina.

3 Nihilominus est Theologorum, Scholasticorum, atque Sanctorum Patrum communis, atque recepta sen- tentia, dari inter Angelos illuminatio- nem; sententiam istam in primis scri- ptam reliquit D. Dionysius lib. de cœ- lesti Hierarch. cap. 5. vbi inquit, *infe- riora per superiora ad Deum reduci*, sed reductio hæc non fit, nisi mediante in- tellectuali operatione, & illuminatio- ne, ergo, &c. Datur illuminatio Angelorū per Angelos.

4 Item in eodem loco, nempè de illuminatione Angelica lib. de cœlesti Hierarch. cap. 8. inquit, Angelos se- cundæ Hierarchiæ purgari ab Ange- lis primæ Hierarchiæ, idem habet in cap. 4. atque denique concludit, *doctri- nam hanc didicisse à D. Paulo*. Dionysiū denique secuti sunt Patres, vt Athana- sius lib. 1. de communi essentia, Da- masc. lib. 2. de fide orthodoxa, Gregor. hom. 34. in Euang. atque alij, & deniq; doctrinam hanc amplexati sunt Scho- lastici, vt Alex. Alens. 2. par. quæst. 38. memb. 3. Scot. dist. 9. quæst. 1. D. Bonau. Riccar. cum cæteris sententiarijs dist. 9. vel 10 atque D. Thom. 1. par q. 107. art. 2. & eius sequaces. De hac autem illuminatione loquitur aliquādo Apo- stolus, tum in ordine ad Angelos, cùm protestatur se Euangelium Christi præ- dicare, *Vt innotescat Principibus, & Po- testatibus in cœlestibus*, nempè Angelis, tùm vero in ordine ad homines Ephes. 3. dum inquit, *Mihi autem omniū San- ctorum minimo data est gratia, illumina- re, quæ sit dispensatio Sacramenti abscon- dita à sæculo in Deo*; verùm non age- mus hic de illuminatione Angelorum fienda per homines, nisi fortè per tran-

situm

ſitum; agemus autem de illuminatione fienda per ipſosmet Angelos inter ſe ipſos inuicem, vt ſtatim videbimus.

5 Comperto iam authoritate tantorum Doctorum, Angelum illuminare Angelum, accedendum eſt ad explicationem aliqualem ipſius Angelicæ illuminationis, & in primis exquirimus deſcriptionem ipſius illuminationis.

Illuminatio quid.

6 Scotus loc. cit. §. *Ad aliam quæſtionem* paulò ſupra lit. K. ita deſcribit angelicam illuminationem, inquit autem. *Illuminatio angelica eſt quædam locutio de vero reuelata, perfectiua in eſſe ſecundo*; huiuſmodi etiā eſt deſcriptio tradita à D. Thoma, non enim differūt, ſed conueniunt in hoc; Accedamus verò ad declarationem deſcriptionis, dum autem dicitur, quod illuminatio *eſt quædam locutio*, oſtenditur, illuminationem ipſam ſtare loco ſpeciei, & locutionem loco generis; quod vero ita ſit, probatur, quoniam verum eſt dicere, eſt illuminatio, ergo locutio, omnis namque illuminatio eſt locutio, non autem è conuerſo, demonſtratur hoc, quoniam qui alium illuminat, neceſſe eſt, vt loquatur ei, ergo illuminatio eſt locutio; probatur hoc ex parte Dei, Deus namque dum loquitur ad ſanctos Angelos, eorum cordibus occulta ſua oſtendit, ita Gregor. lib. 2. moral. cap. 4. inſuper in hominibus, vnus homo nō illuminat alterū, niſi ipſum docendo; ſed docet loquendo, ergo illuminatio eſt locutio, patet de magiſtro, qui eatenus mentes diſcipulorum illuminat, quatenus docendo loquitur, & abſtruſa declarat; ita Angeli ſeipſos illuminant illuminatione reciproca, dum alter alteri loquitur; ſtat ergo verum eſſe dicere, eſt illuminatio ergo locutio; ita Scotus, & D. Thomas ibidem.

Omnis illuminatio eſt locutio.

7 Vice autem verſa non valet oppoſitum, eſt locutio, ergo eſt illuminatio, probatur hoc, non omnis, qui ad alterum loquitur, illuminat ipſum; ſuadetur ſiquidem, diſcipulus magiſtrum alloquitur, vel lectionem repetēdo, vel proponēdo dubia, & nihilominus magiſtrum non illuminat, imò ipſemet illuminationē expectat à magiſtro, vel in cenſura, ſiue in examine repetitionis; vel in explicatione, & ſolutione dubiorum. Item Angeli, ſicut etiam & homines poſſūt inuicem de ſibi notis colloqui, & diſcurrere, & nihilominus talis ipſorum collocutio non vocabitur illuminatio, probatur, quia illuminatio, vt dicemus, eſt de re illuminato ignota; ergo dum de re ſibi nota diſcurrunt, dicuntur quidem colloqui, ſed minimè illuminare; Reſtat ergo, omnem illuminationem eſſe locutionem, non autem omnem locutionem eſſe illuminationem, vt ampliùs patebit ex differentijs inter ipſas.

Non omnis locutio eſt illuminatio.

8 Ex D. Dionyſio cap. 8. de cœleſti Hierarch. tria competunt ipſi illuminationi, Primum eſt illuminare; Secundum eſt purgare; Tertium perficere ipſum illuminatū. Verum verò iſta hæc differant inter ſe, vel ſint vnum, & idem; Reſpondemus probabilitèr cū Baſſolio in 2. diſt. 9. q. 1. eſſe vnum, & idē realitèr, diſtingui vero ſolummodo ratione. Exemplum affert idem Baſſol. de mutatione, ſiue de tranſmutatione eſſentiali, vbi tria, inter cætera interueniunt, nempè expulſio formæ contrariæ, mediante qua expulſione dicitur quodammodo purgari ipſa materia; interuenit etiā introductio formæ nouæ, qua mediante dicitur materia illuſtrari, ornari, atque perfici, ita à pari dum ſpiritus illuminatur, dicitur quidem purgari, quatenus expellendo tenebras ignorātiæ, purgatur ab ipſis, dum verò abſcedunt tenebræ, dicitur non ampliùs ipſius mens obſcurata remanere, ſed prorſus clarificata, & illuminata; atque denique dum forma iſta in intellectu recipitur, dicitur inde intellectus valdè perfici. Ratio eſt, quoniam perfectio intellectus eſt ipſa veritas; illuminatio autem eſt cognitio veritatis; De Angelo autem loquendo, non eſt cenſendum, ipſum in ſua illuminatione purgari à tenebris ignorantiæ, etenim in bonis Angelis non eſt ignorantia prauæ diſpoſitionis, ſed ipſorū purgatio erit ſolummodo à quadam ſimplici neſcientia, vt ſupra diſp. 7. q. 19. & diſp. 10. 12. & 17. Hæ quidem de bonis. Si quæ autem recipiuntur tenebræ veræ ignorantiæ, eę admittendæ ſunt tantummodo in Angelis malis ad eum ſenſum, de quo locuti ſumus ſupra in propria quæſtione.

Triplex munus illuminationis.

In Angelis ſimplex neſcientia, nō ignorantia prauæ diſpoſitionis.

9 His

Illuminationis, & locutionis discrimen.

9 His habitis videndum est amplius, quæ differentia sit inter locutionem ipsam, & illuminationem, & quidem multæ afferuntur à Doctoribus, prima autem, & secunda est Scoti præcipuè loco cit. sit vero prima differentia, vt illuminatio sit de obiecto vero reuelato, locutio autem esse possit de obiecto quocunque; Addit vero Bassol. magis explicando differentiam istã positam à Scoto, vt illuminatio sit de obiecto excellentèr reuelato, quod immediatè dependeat ex secreto Diuinæ Voluntatis, differẽtia hæc omninò recipi debet, quandoquidẽ ratio, & natura illuminationis hoc de se indicat, vt vel sit de obiecto supernaturali, vel saltem de obiecto naturali supernaturalitèr reuelato, ita vt ordinem indicet ad Diuinam Voluntatem reuelantẽ, siue per se immediatè, siue mediatè per Angelos: Id ipsum habet D. Thomas vbi supra, dum ait, Angelum posse manifestare rem ignotam alteri, vel dependentèr à Diuina Voluntate, vel dependentèr à voluntate ipsius Angeli reuelantis, & loquentis; Primo modo habetur vera illuminatio; Ex his autem concluditur vsque modo, illuminationem à locutione distingui materialitèr, & obiectiuè, vel etiã quoad modũ, etenim si sit de obiecto supernaturali, tũc illuminatio distinguitur à locutione obiectiuè, quoniã obiectũ illuminationis esset supernaturale quoad substantiam, obiectum vero locutionis esset quoad substantiam naturale; quod si illuminationis obiectum erit naturale, nihilominus si modo supernaturali reueletur, tunc illuminatio, & locutio different inter se obiectiuè quoad modum. Illuminatio autem vel erit supernaturalis quoad substantiam, vel quoad modum.

Dæmones an illuminentur.

10 Dices ergo etiã Dæmones possent dici esse quandoque illuminati cũ à bonis Angelis aliquid eis reuelatur. Respondetur, negando consequens, ratio, quia illuminatio perficit, seù ornat, & decorat, seù illustrat, & honorabilem reddit, ac formosum ipsum illuminatum, imo solet ipsum quoque inflammare affectum: vt patuit in Saulo, dum *circumfulsit eum lux de Cælo, ac dicente, Domine quid me vis facere*. Ac Dæmones sunt inimici lucis: & quantum ex de se obscurare nituntur lucem veritatis: quin frequentiùs decipere nituntur incautos per falsas apparitiones: Item hæc, & huiusmodi non referunt in Deum, laudando illum, sed magis odiendo, superbiunt contra Deum. Et ad illos quadrat illud Apost. de Philosophis, quod *non glorificauerunt Deum, sicut cognouerunt, sed euanuerunt in desideriis suis*. Item illuminatio fit ob bonum illuminati; & Diaboli assumuntur, vt Textores diuinæ Iustitiæ.

11 Dices. De rebus naturalibus ignotis potest esse etiam reuelatio, & illuminatio ergo falsum, quod illuminatio sit de obiecto reuelato, siue de obiecto supernaturali quoad substantiam, siue quoad modum. Respondetur, quod præscindendo ab omni reuelatione supernaturali, & ab omni illuminatione diuina, siue per Deum immediatè, siue per Angelos fienda, nulla quidem in rigore loquẽdo, dabitur vera reuelatio, & vera illuminatio. Ratio, quia reuelatio, & illuminatio rigorosè sumpta, dicit ordinem ad ipsum Deum sub modo speciali, siue per se, siue per Angelos reuelantẽ, & illuminantem, vt sacræ testãtur historiæ, siue Prophetarum, siue aliæ agentes de reuelationibus, non humano, ac naturali modo factis, sed diuino: apparente in ipsis diuinum ac supernum afflatum, vt sunt ea, quæ sancta approbat Ecclesia. Quod vero in hominibus eueniat quãdoq; secreti reuelatio, & occultarũ rerum illuminatio, id quidem est alterius ordinis, proptereaq; appellantur reuelationes humanæ, siue humanæ illuminationes: & his potest subesse falsum, vt in diem constat.

Reuelationes, illuminationes humanæ.

12 Secunda differẽtia est, vt Angelus illuminans nihil causet in semetipso, sed solummodo in Angelo illuminato; Ratio est, quia Angelus illuminãs non illuminat semetipsum, sed illuminat alium, ergo in Angelo illuminato aliquid causabit. Angelus autem loquens prius causat locutionem actiuã in semetipso, siue intellectionem obiecti, de quo loquitur, & inde locutionẽ passiuam causabit in Angelo, ad quem loquitur.

13 Tertia est, quia locutio est indif-

ferens

ferens ad verum, & falsum, illuminatio semper erit de obiecto vero, aliàs non esset illuminatio, sed obtenebratio, ratio afferur, quoniam veritas est perfectio intellectus, ergo illuminatio erit semper de obiecto vero; & hinc est, vt Angelus malus nequaquã studeat illuminare alios; qui tamen cõtinuè profitentur homines decipere, etenim teste Apostolo, *Angelus tenebrarum transfigurat se in Angelum lucis*; apparet namque, quod dum fingit quempiã ex hominibus illuminare, instruere, ac docere de veris, eundem nihilominus, loquẽdo falsa, & plena erroribus, incautè decipiat: vt dicatur potiùs humanas mentes obtenebrare, quàm illuminare.

14 Quarta est, vt locutio fit de re, etiam nota, quàm ignota Angelo, cui fit allocutio; sed illuminatio erit solummodo de obiecto ignoto. Et hinc euenit, vt nos etiam inuicem de re nota sæpissimè colloquamur; nihilominus illuminatio hoc exquirit, vt fiat sẽper de re illuminato ignota; Discrimina hæc pro nunc sufficere possunt, & ea sunt præcipua, & principaliora inter cætera à Theologis recensita, hac de natura illuminationis.

15 His visis, soluenda sunt argumenta in oppositum, & primo de Augustino, aiunt Scholastici ipsum non legisse tunc opera Dionysii, quandoquidem multo tempore occulta, & celata remanserũt, quæ si legisset vtique sibipsum adstipulatus fuisset vna cum Dionysio, atque cæteris.

16 Ad Secundũ dicimus primo Durandum supponere illuminationẽ solummodo fieri de iis, quæ spectant ad Beatitudinem, quod tamen est falsum, quia potest & fieri de aliis, vt vidimus. Secundo licet illuminatio fieret de Beatitudine, nihilominus bene posset Angelus ex imperio Diuinæ Voluntatis reuelationem facere, & illuminationem de statu Beatitudinis alicuius hominis, vel Angeli; esset autem illuminatio illa ab Angelo, sed dependentèr à Deo.

17 Ad Tertium respondemus, quod in oppositis contrariè est quidem necesse, vt subiectum transeat de opposito in oppositum, de opposito quidem positiuo in oppositum positiuũ, quomodo non contingit in casu nostro, in quo trãsitus subiecti illuminati non est trãsitus ex ignorantia ad scientiã, neq; ex priuatione ad habitũ, quomodo in homine ponitur ignorantia, & scientia; sed transitus est ex negatione illuminationis ad ipsam illuminationem, vnde fit, vt antequam illuminetur Angelus, nõ dicatur reperiri sub tenebris, neque sub ignorantia illius, de quo nuiter illuminatur, sed reperiri dicatur sub negatione illuminationis, quod idem est, ac dicere, non fuisse priùs illuminatum, vnde fit, vt in transmutatione positiua ex parte vtriusque termini positiui subiectum transire dicatur de positiuo in positiuum, vt de nigro, siue cerulco, siue de viridi in albũ, quæ transmutatio est omnino positiua, in transmutatione autem priuatiua transire dicitur subiectum de priuatione ad habitum, vt de tenebris ad lucẽ, de cæcitate ad visionem, de ignorantia praua dispositione ad scientiam; in transmutatione autem negatiua transire censetur subiectum de negatione ad affirmationem, siue de forma negatiua ad positiuam, quomodo trãsit Angelus à negatione illuminationis ad ipsammet illuminationem; ita vt non dicatur anterius fuisse obtenebratus, siue ignorantia oppletus, sed nequaquam dicatur fuisse illuminatus.

Transmutatio positiua priuatiua, negatiua.

Omnis mutatio est inter opposita daciar.

18 Ad Vltimum respondemus, maius lumen offuscare quidem, alterare, siue impedire, imò quandoque destruere potentiam, loquendo de materiali, & sensitiua, quomodo maximè læditur oculus sensitiuus & corporeus à vehementissimo, & clarissimo lumine solis, non enim sensitiuus oculus sustinere potest tantum lumen; loquendo autẽ de potentia animæ intellectiua, dicendum est, quod potiùs perficitur, quàm destruitur, & potius adiuuatur, quàm impediatur, atque clarificetur potiùs, quàm obtenebretur ab Angelo superiore illuminante.

Maius lumen obscurat minus declar.



QVÆSTIO II.

Vtrum Angelus poßit illuminare Angelum, & quonam modo.

1 COgnita natura illuminationis Angeli, accedimus ad principale quæsitũ, inquirendo vtrum Angelus illuminare possit Angelum.

2 Rationes ad quæstionẽ præsentem ex varia Doctorum opinione magna ex parte allatæ, & explanatæ fuerunt in quæstione de angelica locutione, quo fit, vt sicut ibi resoluta fuit quæstio de locutione angelica, ita etiã vnusquisque præsentem resoluat dubitationem de angelica illuminatione, reddendo singula singulis.

3 Hinc est, vt supponendo ex quæstione antecedenti dari illuminationes angelicas factas Angelis per Angelos, explicandũ sit breuitèr, quomodo talis illuminatio angelica cõtingat, siue quonam modo Angelus Angelum illuminat.

4 D. Thomas docet vbi sup. Angelum illuminare Angelum, confortando intellectum Angeli illuminati. Riccar. & Marsil. id fieri aiunt, quatenus Angelus illuminans, dispositionem aliquã producit in intellectu Angeli illuminati. Herueus id fieri inquit, producendo aliquod lumẽ in intellectu eiusdem Angeli illuminati. Alexand. D. Bonauent. Aegidius id contingere docẽt per simplicem propositionem veritatis ad intellectum eiusdem Angeli illuminati, exemplo Magistri, qui illuminare dicitur discipulos, quatenus ipsis proponendo veritatem, ipsisq; eandem explicando, & declarãdo, dicitur mentes eorum vndequaque clarificare, & illuminare; Siue vt alij aiunt, illuminationem fieri quatuor modis. Primo lumen infundendo, sicut Sol illuminat aerem: Secundo luminosum offerendo, sicut qui candelam offert de nocte; Tertio obstaculum luminis remouendo, sicut aperiens fenestram: & Quarto disponendo, sicut sanans oculum, dicitur illum illuminare: vide Bassolium consutantem; Quicquid tamen sit, tùm de recensitis, tùm de consimilibus opinionibus, omnes quidẽ vnanimitèr concludunt illuminationem fieri nequaquam per impressionẽ, siue per causationem alicuius rei in angelico intellectu illuminato, sicut etiam adstipulabitur, cum sermonem faciebant de locutione, de quibus visum fuit ibi.

5 Scotus autem, Bassol. Gabr. & plerique alij dist. 9. recensita, quæst. 1. eodem modo illuminationẽ resoluunt angelicam, quo resoluebant locutionem, ita vt asserant, catenus Angelum illuminare Angelum, quatenus causat aliquod in intellectu Angeli illuminati: Quid verò id sit, quod causare possit, planè constat ex quæstione de locutione, dicimus namq; causare posse, vel speciem intelligibilem tantum; vel speciem, & actũ intelligendi simul; vel denique actum intelligendi sine specie, vt ibi exposuimus; & ita à pari censendũ est de illuminatione; quando namque Angelus illuminare intendit Angelum, vtitur quidem altero ex illis modis, quo casu dicetur ipsũ Angelum perfectè illuminare. Veriùs est tamen, quod illuminatio potius fit imprimendo actum, quam speciem, licet non implicet fieri per speciem, at non ita perfectè, vt infra ex Fauentino. Illumina- tio quo- modo fia

6 Sententiam hanc comprobare non est opus, ne actum agam, etenim ea, quæ adduximus in comprobationem sententiæ de locutione, eadem prorsus militant pro illuminatione, est namque idem ferè negotium locutionis, & illuminationis, licet paucis differentijs admixtis, de quibus in quæstione præcedenti; concluditur igitur ita Angelum illuminare Angelum, vel causãdo solummodo in intellectu eius actum intelligendi, quandocunq; habuerit speciem intelligibilem de obiecto, de quo illuminatur; Vel causando speciem, & actum, quandocunque de obiecto illuminationis neque habuerit

sit speciem, neque actum; Vel causando denique solummodo speciem intelligibilem, quando Angelus loquens, siue illuminans, erit inferioris ordinis ad Angelum illuminatum, siue allocutum, vt ibi diximus: Neque etiam erit opus, opiniones allatas rursus confutare, quia eę & similes confutatę remanserunt in quęstione de locutione.

Illuminatio an esse per speciem impressam.

7 Video Vulpem obstare disp. 24. art. 3. dum ait, de mente Scoti illuminationem non fieri per speciē impressam, sed expressam, qualis est cōceptus rei, probatque quia Scotus illuminationem appellat visionem. Item quia Deus sic illuminat, imprimendo actū: Insuper quia illuminatio ex Scoto est perfectiua in esse secundo. Verum dicimus, posse quoq; fieri per speciem impressam; tamen differentia esset, quoniam illuminatio facta per speciem expressam, est perfectior ea, quę fit per impressam, illa namque est immediata per actum cognitiuū, illa per causam, & mediata, qualis est species impressa, quę est causa actus; In sensu speciei impressę assignat illuminationem Suarez lib. 6. cap. 13. num. 24. asserens pro se Scotum; in sensu autem speciei expressę assignatur sub nomine visionis, quia species expressa est formalitèr visio, licet etiam species impressa possit vocari visio in sensu causali, cum sit causa eius, & ita existimandum est fieri potiùs per speciem expressam, quia est visio perfecta, licet non implicet fieri per impressam, vt Fauentinus, &c.

Illuminationis ordinatio modus.

8 Hoc habito, est absolutè dicendum circa ordinem angelicę illuminationis, Deum talem in ipsorum illuminatione seruare ordinem, vt prius illuminet Angelos superioris Hierarchiæ, & inde Angelos Hyerarchiæ inferioris; Et quidem loquendo de supremis Angelis, siue de suprema Hyerarchia, ij illuminantur immediatè à Deo, cæteri vero siue intermedij, siue inferiores Angeli illuminātur quidem à Deo, sed mediātibus Angelis nobilioribus, siue superioribus, ita vt dicantur ordinatè illuminari Angeli inferiores per intermedios, & intermedij per superiores, ipsi autē superiores Angeli immediatè à Deo, ita expressè docuit Dionysius de cœlesti Hierarchia c. 13. inquiens, *Deum immediatè illuminare supremos Angelos, & per supremos illuminare medios, atque per medios illuminare infimos*, ita etiam Athanas. lib. 1. de Communi essentia, dum inquit, ab Angelis supremæ Hyerarchiæ illuminari Ordines inferiores, atq; deinceps cæteros pro suo gradu; Adstipulatur etiam Damasc. lib. 2. cap. 17. & 18. Et ita communitèr Theologi concludūt angelicas illuminationes fieri in ipsis Angelis ordinatè, vt diximus.

Prius illuminantur superiores, inde inferiores.

9 Solet verò dubitari, vtrum possit illuminari Angelus inferior à Deo, absq; q͂ illuminetur Angelus superior de re eadē, de qua Angelus inferior illuminatur à Deo. Ad quod quæsitum respondet Bernard. nequaquam id fieri posse, sed necessario seruandum esse ordinem recensitum illuminationis, vt prius illuminetur superior, & inde inferior; Verùm sententia hæc non recipitur, & in primis ita docet Scotus, & communitèr alij. Suadetur autē breuitèr, posse Deum illuminare Angelum inferiorem, absque eo, quod prius illuminet de ea re superiorem; & Primo, illuminatio est actio gratuita Dei, ergo potest illuminare, quem placet, & quomodo placet. Secundo, Diuina Voluntas nō est alligata ordini illuminationis, ergo potest talem ordinē destruere, nempè illuminando inferiorē absq; illuminatione superioris. Tertiò Deus potest agere in distās, ergo potest illuminare nostros Angelos Custodes cōmorantes nobiscū hic in terris, absque eo, quod prius illuminet Cherubinos, & Seraphinos assistentes sibi in Cœlis. Quarto, potest contingere, vt ministerium vnius Angeli inferioris nullo modo spectet ad Hyerarchiam Angeli superioris, igitur si non spectabit, sequitur vt nō sit necesse illud prius cognosci ab Angelo superiori. & denique conuincitur authoritate Bern. serm. 2. super missus est, dicentis, *Incarnationis mysterium quoad modum, substantiam, & circumstantias reuelatum fuisse Gabrieli Archangelo, non autem Angelo superiori*, saltem quoad circumstantias, ergo restat, vt illuminetur Angelus inferior absq; præuia illuminatione Angeli superioris; Hæc autem licet vera sint de possibili, nihilominus loquendo de facto,

Potest Deus prius illuminare inferiores, inde superiores de pot. absol.

ctio, secus ordinariè, & vt in pluribus non destruit recensitum ordinem illuminationis, sed inferiores illuminat per superiores, vt diximus.

Verum inferior illuminare possit superiorem.

10 Solet etiam quæri, vtrum ex opposito, possit Angelus inferior illuminare superiorem. Respondet D. Thomas vbi supra, nequaquam id fieri posse, imò esse legem omninò indispensabilem; Nihilominus Scotus loc. cit. Bassol. Riccard. & alij affirmant id posse euenire; Et quidem id probari potest Primò, potest Angelus inferior loqui ad superiorem, ergo potest ipsum illuminare, antecedens patet ex dictis, & probatur consequens, quia illuminatio est species locutionis. Secundò ex recensita authoritate Bernardi, stante enim quod Gabriel, & non Angeli superiores Incarnationem complete cognouerit quoad circumstantias, & modum sequitur, vt idem Gabriel docere, & illuminare potuerit de circumstantijs eiusdē mysterij Angelos superiores. Tertiò authoritate Pauli Ephes. 3. dum inquit. ipsum, cæterosq; Apostolos Euangelium prædicare, *Vt innotescat Principibus, & Potestatibus in cælestibus per Ecclesiam multiformis gratia Dei*, quo in loco Hieronymus, & Athanasius ita aiunt, *Cum Christus vel per se, vel per Apostolos instrueret, plurima secreta didicerant Angeli, quæ ignorabant*.

11 Ex his autem arguitur, si de quo minus, ergo de quo magis; sed homines Apostolici, & Euangelici instruendo, & prædicando in Ecclesia Dei tales erant, vt ex eorum prædicatione addiscerent Angeli multiformia mysteria Dei, repertè Arcana Dominicæ Incarnationis &c. multò magis id præstare poterunt Angeli inferiores erga Angelos superiores, sunt namque eiusdem naturæ, atque maior proportio reperitur inter Angelos superiores, & inferiores, quā inter homines & Angelos.

Christus & Virgo illuminare possunt Angelos.

12 Hinc elicitur sanctissimam Animam Christi Domini, licet ex sui natura inferior sit, quam natura Angelica, nihilominus poterat benè, sicut de facto potest, illuminare, & docere ipsos Angelos, tùm quia est præstantior ipsis Angelis in scientia, & cognitione Dei; tùm etiam quoniam vocatur ipsemet Christus Dominus caput hominum, & Angelorum; munus autem capitis est influere in membra inferiora; igitur sicut influere potest gratiā, & gloriam, ita etiam influere potest scientiam, & illuminationem, imò de factò docet, & illuminat. Vide Scotum.

13 Addimus, quod hoc ipsū applicare possumus ad Animam Beatissimæ Virginis, ipsa namque clarissimè nouit Incarnationis mysterium; imò post Animam dilectissimi Filij sui maiorem habet cognitionem de diuinis mysterijs, quam omnes Angeli simul, teste Beato Bernardino Senensi de Exaltatione Virginis art. 1. cap. 8. ergo ipsa quoque illuminare poterit Angelos.

14 Licet autem id euenire possit ex Diuina Potentia, vt inferior Angelus illuminet superiorem, nihilominus verisimile est, inquit Scotus, quod Deus de facto priùs illuminat superiores, & per superiores illuminat inferiores, sicut inter homines Magister illuminat docendos discipulos, non vice versa.

15 Addit tamen D. Tho. q. 106. ar. 4. nihil ferè inferioribus reuelari, quod saltem non sit notū superioribus, nempè bonis; hi vero, si tamen lex secreti non obstet, quæ sciunt communicant inferioribus, ex Dionys. de cœlest. Hierarch. cap. 5. quod conforme est Greg. hom. 34. in Euangel. dicenti, *In cælesti Patria licet quædam data sint excellenter, nihil tamen possidetur singulariter*. Ampliùs in fine.

16 Circa hoc idem aduertit idem Scotus, quod quandocunque Angelus inferior illuminat superiorem, non potest inferior Angelus facere, vt Angelus superior necessario audiat; Ratio est, quoniam Angelus inferior non est tantæ efficaciæ, vt possit superiorem Angelum abstrahere à contemplatione sui obiecti, & contrahere ad auditionem sui sermonis, siue suæ illuminationis, sicut patet è conuerso, nam Angelus superior id præstare potest circa Angelum inferiorem, cùm habeat maiorem virtutem, & efficaciam circa ipsum.

Angelus inferior illuminās superiorem, non potest cogere eum, vt audiat.

17 Tunc autem non eodem modo se habebunt in illuminando, nam superior poterit absolutè imprimere vel

speciem,

ſpeciem, vel actum; at inferior, ſi ſuperior erit diſtractus, non imprimet actũ, ſed ſpeciem ſolum, actum verò imprimet, ſi ſuperior velit attendere, quod ſi noluerit, non poterit inferior eum cogere; vice autem verſa ſuperior poterit cogere inferiorem, & vt recipiat, & vt attendat, id verò fiet ſine violentia in Angelis bonis, imò cum amore, ſecus in Angelis malis.

Superior [illegible] inferiorem [illegible] at ſine [illegible] in malis.

18 Denique dubium excitat Scotus pro quæſtionis complemento, vtrũ ſuperior Angelus illuminans inferiorẽ, poſsit facere, vt ipſe inferior illuminatus videat aliquid in Verbo. Ad quam difficultatem reſpondens ait pro parte oppoſita, non videri id fieri poſſe, quoniam cognitio Verbi eſt merè ſupernaturalis, & conſequentèr non ſubeſt cauſalitati alicuius cauſæ creatæ, ergo à primo ad vltimum neque poterit facere Angelus, vt Angelus illuminatus videat aliquid in Verbo; Nihilominus ipſe Scotus affirmatiuè reſoluit, eſt autem reſolutio talis, vt id contingere poſsit altero ex duobus modis, vel quidem directè, vel diſpoſitiuè, & indirectè, loquendo de primo modo, id nequit facere, & hoc modo currit ratio recenſita pro parte oppoſita; loquendo de ſecundo modo, id poterit euenire, quandoquidem auditio Angeli alloquti, ſiue illuminati poteſt facere, ſiue poteſt diſponere, vt Angelus audiens conuertat ſe ad intellectum loquentis, & illud ibi videat, de quo loquitur ipſe Angelus loquens, & quidem viſio, quã habet circa intellectum loquentis, eſt tanquã viſio in ſpeculo imperfecta, ex tali autẽ viſione diſponi põt Angelus vidẽs in ipſo ſpeculo, vt inde videat in ipſo Verbo, & ita tranſeat de viſione imperfecta, tanquam in ſpeculo, ad viſionem perfectam, tanquã in Verbo. Pro declaratione autẽ Scoti nota ſequẽtia.

Vtrum illuminans Angelus poſsit, vt illuminatus videat aliquid in Verbo.

19 Notandum hinc, quod Angelus illuminans nõ oſtendit veritatem propoſitam in Verbo formalitèr, ſed cauſalitèr, Prima pars eſt Scoti allati, Baſſol. Aureol. 2. diſt. 9. q. 1. art. 3. Capreol. 2. diſt. 11. q. 2. art. 3. Heruæi diſt. 9. q. 1. art. 2. contra Aegid. diſt. 9. q. 5. Argent. art. 3. qui aiunt oſtendi formalitèr. Probatur, Viſio beatifica non poteſt cauſari ab Angelo, cum ſit altioris ordinis, vtpotè ſupernaturalis. Secunda pars eſt contra Vaſquez diſp. 117. c. 7. probatur, cognitio illa deriuatur à viſione, qua Angelus illuminat de iis, quæ videt in Verbo, ergo radicalitèr, fundamentalitèr, & cauſalitèr erit à Verbo, eſt etiam Caietani 1 par. q. 57. art. 5. & Suar. lib. 6. cap. 14. num. 24.

20 Dices, repugnat Angelo beato illuminari, quandoquidẽ in illuminato oportet apponere fidem, dum credit illuminanti; Indicat quoque ignorantiam, dum qui illuminatur, docetur, Reſpondetur nõ implicat Beatos poſſe illuminari de pluribus, quæ neſciunt, nec hoc eſt contra ſtatum beatificum, vt in mat. de Beatit. Quoniam de illis omnibus, quæ eſſentialitèr ſpectant ad beatitudinem, ſemper habent perfectã viſionem, cum fidei ſuccedat perfecta viſio; cæterum circa alia accidentalia poſſunt denuò cognitionem acquirere, & illuminari, vt diſp. 7. q. 10. quærendo de cognitione ſupernaturalium, & in mat. de Beatitud.

Beatus Angelus poſsit illuminari de nouo.

21 Poſtulatur; iam dictum eſt, ſuperiores, quæ ſciũt reuelare inferioribus, vtrum id neceſſario, an pro libito faciant. Reſp. Primo, Angelos eſſe liberos, ideoque nulla neceſsitate cogi ad id agendum. Secundo, ſi accedat diuinum præceptum reuelatum, vtique neceſſe eſt, vt reuelent: Tertio ſuperiores inferioribus reuelant maximè ea, quæ ad ſtatum, ſiue miniſterium ſpectant ipſorum inferiorum. Quarto eſt abſoluta ſententia Gregorii, omnia reuelare, niſi tamen lex ſecreti nõ obſtet ad non reuelandum, ideoque dixit D. Thom. ſupra recẽſitus ſuperiores manifeſtare inferioribus omnia quæcunq; ſciunt, ex ſententia Dionyſii cap. 15. cœleſt. Hierarch. cum ſint boni, atque adeo ſuæ perfectionis communicatiui, eo modo, quo poſſunt. Acceditq; Gregor. dum ait, *Nihil tamen poſſidetur ſingulariter*. Si autem ſecreti ratio obſtet, non reuelant: idque vel omnino nuſquam, vel ad tempus: Cum namque Magiſter d. 11. dixerit, Myſterium Incarnationis notũ quidem fuiſſe Angelis ſuperioribus ab initio, non tamen inferioribus, vſque ad eius conſummationem: ad hunc ſenſũ trahendus eſt, vt quod inferioribus, (ex eius ſentẽtia)

Superiores an neceſſario reuelẽt, quæ ſciunt inferiorib.

non reuelauerint, id prouenerit ratione secreti impositi de non reuelando.

Superiores habēt scientiam vniuersaliorē, declar.

22 Dices, superiores habent scientiam vniuersaliorem, ergo plura sciūt, quam inferiores, igitur non omnia reuelant. Igitur non omnia reuelant. Item alias sequeretur fore æquales in Scientia. Resp. scientiam superiorum appellari vniuersaliorem, nempè eminentiorem quoad modum intelligendi; sicut namque in naturalibus eminentiores sunt, ita & in operationibus præcipuè cognoscendi. Secundo dici vniuersaliorem, non ratione speciei vnius, siue pauciorum, quatenus superiores paucioribus egeant speciebus, in sententia Thomistarum, sed ratione ordinis, quia prius innotuit superioribus, inde per eos inferioribus.

23 Ad illud autem quod tunc superiores, & inferiores essent æquales in cognoscendo: (loquimur autem extra Verbum) vtique superiores excedunt adhuc; tùm quia possunt scire plura, quam inferiores; tùm quoniam de nouo succedunt reuelationes; tùm insuper quia non tenentur ea omnia reuelare inferioribus, tùm denique, quia & si omnia reuelarent, nihil hoc detraheret eorum perfectioni, siquidem ratione charitatis, amoris, & perfectæ vnionis inter eos, nil implicat omnia propalare, stante ea omnia sciant inferiores, quot superiores, nisi tamen lex diuini secreti obstet: ita namque contingit in hominibus, vbi ratione perfectæ amicitiæ, quæcunq; amicus vnus nouerit, reuelet, & alteri, quemadmodū & ex scriptura elicimus Genes. 14. de Deo ad Abraham, *Numquid celare potero Abraham, quæ facturus sum, &c. Amicorum enim omnia communia*. Accedit Apost. Petr. Ep. 1. cap. 14. *Vnusquisque sicut accepit gratiam in alterutrum illam administrantes, sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei*. Et Eccles. 8. de Sapientia. *Sine inuidia communico, & honestatē illius non abscondo.*

Communicatio bonorum effectus charitatis.

Amicorum omnia communia.

Finis Duodecimæ Disputationis.



DISPV-

DISPVTATIO XIII.

De Misſione Angelorum.

QVÆSTIO I.

Quid importet angelica miſsio?

1 ANgelos mitti, aperta res eſt in ſcripturis, vt Exod. 23. *Ecce Ego mittam Angelum meum.* Num. 20. *Miſitq; Angelum, qui eduxerit nos.* Gen. 24. *Ipſe mittet Angelum ſuum.* Luc. 1. *Miſſus eſt Gabriel Angelus.* Actor. 12. *Nunc ſcio verè, quia miſit Dominus Angelum ſuum.* Matt. 26. *An putas, quia poſſum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi plus quam duodecim legiones Angelorum &c.*

2 Inter Angelos, tùm bonos, tùm malos reperiri prælationem, conſtat ex diſput. de Hierarchia Angelorum.

3 Occaſione autem hac, quod inter eos reperiatur prælatio, quæritur primo à quonam fiat Angelorum miſſio, vtrum à Deo, an vero etiam ab ipſiſmet Angelis.

4 Dicendum, authoritate propria nullam Angelum mittere aliū: authoritate vero delegata à Deo, poſſe mittere. Deum quidē mittere authoritatiuè, docet Bonau. 2. d. 10. dub. 2. liter. & iam conſtat ex ſcripturis recenſitis, & ſuadetur, quoniam ipſe eſt ſupremus Hierarcha, ſuper omnem Principatū, & Poteſtatem: ipſeq; eſt Angelorum Creator, Conſeruator, Dominus, ac Diſpoſitor. Quod vero Angelus Angelum mittat, habetur Zachar. 2. vbi Angelus, qui cum Zacharia loquebatur, dixit ad alterum Angelum, *Curre, loquere ad puerum iſtum.* Apoc. 7. *Angelus clamauit voce magna quatuor Angelis.* & 16. *Audiui vocem de templo dicentem ſeptem Angelis.* Dices, inter Angelos prælatio, & Hierarchia habet fundamentum in natura; ergo quo Angelus erit nobilior, eo maiorem habebit gradū prælationis, igitur abſq; delegatione poterit authoritatiuè ſuperior inferiorem mittere. *Reſp.* ita eſſe, poſſunt enim, attamen id non agūt abſque delegatione Dei; Et quidem loquendo de bonis, nil prorſus agunt, niſi quod commiſsū fuerit ipſis à Deo, ſunt enim omnino coniuncti voluntati Dei: loquendo etiam de malis, nil prorſus moliuntur, niſi quod permiſsū, vel impoſitum ipſis fuerit à Deo; non enim deſtinabit Lucifer ſatellites ſuos ad tentandum, damnaq; plurima Vniuerſo inferendum, niſi Deo permittente: quia maiora moliri poſſet tentamenta, & damna per ſuos delegatos, niſi Deus miſericordia ſua impediret. Item prælatio, & ſubiectio in ipſis Dæmonibus eſt cum murmure, atque inuidia, dum namque ſuperbi ſunt, minimè libenter inferior iuſſum exequitur Luciferi, quia potius inuidendo ipſius primatui, vellent ipſi præcipere, inferiores, inquam, & non eis præcipi: Hoc autem in pœnam quoque redundat eorum, & triſtitiam. Ratio, quia Lucifer ex odio in Deum, & in homines, præcipit, inferiores quoque odio, & inuidia de ſalute hominum exardeſcentes, obediunt, laborantq; die, noctuq; pro perditione hominum: item inde pœna maior ipſis aduenit, dum tentando homines, occaſiones ſūt, ſiue caſus, ſiue æternæ perditionis eorum: ex prælatione autem præcipiendo, & ex obedientia obediendo Lucifero, dum contra Deum, & homines præcipiunt, & obediunt, reportant inde pœnam maiorem, quia prælatio, ſubordinatio, imperium, & ſatellitiū ſortiuntur tandem pœnam maiorem. Dices, & ſi res ita ſit, tamen gaudent etiam, & oblectationem inſumunt ex caſu, & victoria parta de

Angeli ſiue boni, ſiue mali nil agunt niſi & voluntate, & permiſſione Dei.

ta de

ta de hominibus. Responsio petenda est ex propria quæst. disp. 10. q. vlt.

Missio diuinarum Personarum distincta à missione angelica.

4 Missio angelica differt valdè à missione diuinarum Personarum. Et quidem Missio in diuinis, seu mittere, est *declarare personam missam procedere, seu produci à persona mittente*, vt tom. 2. disp. 14. tradidimus. Missio autem angelica non declarat missum produci à mittente, sed solummodo delegari, ac destinari ad speciale munus peragendum &c. patet, nam si Angelus Angelum mittit, non vtique declarat missio missum produci, non enim Angelus Angelum creat, contra Auicenn. de quo Scot. in 2. d. 1. q. 1. & Nos hic sæpè: vel dum mittitur immediatè à Deo, non declarat, saltem immediatè tunc produci à Deo; quamuis namque sint per creationem à Deo, tamen alia est via declarandi exitum à Deo per creationem, & alia per localem missionem: altèrum distinguuntur, etenim circa Angelum missio apponit authoritatem, & imperium in mittente supra missum; at in diuinis non reperitur imperium in persona mittente supra missam, propter omnimodam æqualitatem: insuper persona missa incipit esse vbi prius non erat, vt Custos Angelus destinatus in terris ad custodiam: persona autem diuina missa semper fuit vbique, atque ibi, quo dicitur mitti: an vero quid noui accedat, & qualitèr, diximus tom. 2. disput. de miss. & ita loquitur Chrisost. Orat. 3. in Ep. ad Hebr. inquiens, *Filius ne fuit quidem missus, non enim à loco in locum transijt, sed carnem suscepit: Angeli vero loca mutãt, & prioribus, in quibus sunt, dimissis, ad alia veniunt, in quibus non erant.*

Angeli assistentes, & administrãtes.

5 Inter Angelos, vna ex cæteris differentijs adest hæc, vt alij appellentur Assistentes, alij Administrantes. Distinctio apertè colligitur ex scripturis: De Assistentibus enim Tob. 12. ait Raphael, *Ego sum Raphael, vnus ex septem, qui astamus ante Deum*, & Dan. 7. *Accessi ad vnum de assistentibus, & veritatẽ quærebam ab eo de omnibus his.* De ministrantibus autem Hebr. 1. *Omnes sunt administratorij spiritus, in ministerium missi &c.* & paritèr locis hic initio citatis: De vtrisque vero idem Dan. cap. 7. ait, *Millia millium ministrabant ei, & decies centena millia assistebant ei.*

Assisten.

6 Verba hæc duo *Assistendi*, & *Ministrandi* habent sua significata: & loquendo de primo, verbũ *Assistere* plura importare solet: siquidem primo importat esse præsentem Deo, sub ratione visionis beatificæ, atque diuinæ fruitionis. Modus autem hic est communis omnibus Angelis sanctis, etenim nullus eorum separatur à visione, & beatifica fruitione Dei, vbicunque fuerit, etiam extra Empyreum, sic namque de Angelis Custodibus dixit Christus Dominus Matt. 15. *Angeli eorum semper vident faciem Patris, qui in Cœlis est.* Item importat illuminationem immediatè receptam ab ipso Deo, talitèr vt sic illuminati à Deo, illuminent inde Angelos inferiores, iuxta loquutionem Dionysij. Insuper importat talitèr assistere Deo, vt immoti ibi permaneant, itaut vel nunquam inde recedant ad extra, vt ait D. Thom. 1. par. q. 112. ar. 2. vel raro recedant ad casum specialem, ex sententia Scoti 2. d. 10. q. 1. de quo inf.

Administratio.

7 Loquendo autem de Secundo, administratio fit per missionem: hæc autem missio distingui solet in missionem *Ad intra*, quæ etiam appellari solet à D. Thom. loc. cit. *missio inuisibilis* & hæc consistit in illuminatione fienda à superioribus Angelis ad inferiores, per quos superiores descendant diuini radij ad inferiores, vt loquitur Dionysius: & in missionem *Ad extra*, quæ appellatur quoque missio visibilis: & est, qua mediante mittitur Angeli ad nos, siue custodiendo, siue ministeria alia exequẽdo in hoc Vniuerso inferiori, in ordine ad salutem æternam. Ad vtramque missionem, siue administrationem adaptat Scotus cũ sequacibus, vt infra, verba illa Apost. Rom. 1. *Omnes sũt administratorij Spiritus, in hæreditatem missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis.* vt loquatur tũm de missione interna, tũm externa; tũm visibili, tũm inuisibili, atq; Athan. serm. 2. contra Arian. *Omnes ad ministerium præsto sunt.*

Missio ad intra ad extra.

Missio physica moralis

8 Missio insuper duplex est, alia physica, alia moralis: prima non fit absque motu locali, & recessu à termino à quo, cum acquisitione termini ad quem.

otem. Secunda abstrahit à tali motu locali, sed addit quendam motum metaphoricum, appellatũ moralem, consistentẽ in operatione intellectus, siue voluntatis: hi motus non se inuicem implicant necessario, sed potest fieri vnus absque altero: loquendo de Primo, sic Angeli mittuntur ad extra per verum motũ adhæc inferiora, vt *Missus est Gabriel Angelus ad Mariam Virginem*, sicque de cæteris: hic tamen motus & recessus ab Empyreo nõ impedit visionem, & fruitionem diuinã, ideoq; adhuc Gabriel annuntians Virgini, fruebatur obiecto beatifico, sicut & de Custodibus hic nobiscum degentibus ait Christus, *semper vident faciem Patris*: In hominibus quidem contingit, vt recedens amicus corporalitèr, veroq; physico motu ab amico, non videat pro tunc faciẽ amici, nec fruatur præsentia dilecti, sunt namque hi duo motus coniuncti in naturalibus, recedit namque amicus ab amico, tùm physicè, tùm visualitèr; quamuis non desinat eo tunc in absentia, amorem continuare, atque præsentem in corde memoritèr eum habere; facialitèr tamen præsens esse non poterit: at non sic in Angelis, siue bonis, siue malis: illi namque quocunque ierint, *semper vident faciem Patris*, sicut hi, ad quæcunque peruenerint, semper portant secum gehennam.

QVÆSTIO II.

Vtrum de vnaquaque Hierarchia Angeli mittantur.

1 EXplicata ratione angelicæ missionis, principalis huius materiæ punctus est inuestigare, vtrum sint Angeli aliqui talitèr assistentes, vt nusquam mittantur, an vero omnes, vel aliquando in casu speciali, mittantur.

2 Dionysius de cœlest. Hierarch. cap. 7. 8. 9. 13. docet, de alijs solũmodo ordinibus inferioribus Angelos mitti, nunquam vero de assistentibus. Sequitur eum Greg. homil. 38. in Euang. referens authoritatem Dionysij, dicentis, *Superiora agmina ab intimis nunquã recedere*. Accedit D. Thom. q. 112. ar. 2. & 3. asserens, nec quidem per dispensationem, assistentes mitti. Consensit Bonau. Albert. Richar. Aegid. in 2. d. 10. probat autem D. Tho. 1. à statuto naturæ ordine nõ fit dispensatio, nisi propter ordinẽ superiorem: sed ordo gratiæ, cui innititur natura angelica, non habet ordinem superiorem, ergo non dispensatur, vt ex assistentibus mittantur. Secundo, ordo naturæ immutatur ob attestationem, & confirmationem Fidei: at ignotum est, verum immutatio hæc fiat, cum sit inuisibilis, & ignota nobis. Tertio ex eodem Gregor. 17. moral. ad illud Iob, *Nunquid est numerus militum eius*, vbi ait, *Assistunt potestates, quæ ad quædam hominibus nunciãda non exeunt*.

3 Nihilominus oppositum sentit Scot. d. 10. q. 1. & ad eandem dist. Gabr. Durand. Marsil. Malon. Alens. 2. p. q. 36. memb. 3. quibus accedant recentiores communitèr ad locum D. Thomæ.

4 Sit autẽ assertio vnica, ex vnaquaque Hierarchia mittuntur, tùm de infimis, tùm de medijs, tùm de supremis, siue ad intra, siue ad extra; immo tùm ad intra, tùm ad extra. Assertio erit prius declaranda, inde probanda. Declaratio autem est, vt de vniuersis ordinibus fiat missio, vel illuminando inferiores Angelos, vel ministeria exequendo ad extra: Item alio sensu: De inferioribus loquendo mittuntur ordinariè ad extra: de superioribus autem, etiam de ordine Assistentium, mittuntur extraordinariè, in casibus specialibus ad extra. De omnibus fit missio, siue ad intra, siue ad extra, siue ordinariè, siue extraordinariè.

5 Fundamentum originarium assertionis est authoritas Pauli indefinitè, & vniuersalitèr loquentis, inquit enim, *Omnes sunt administratorij Spiritus*. Loquutio autẽ indefinita, & vniuersa-

uersalis nullum excludit; quonam ergo ratione excludendi etiã perpetuo erūt supremi assistentes, vt aliquãdo saltem, non mittantur? Hoc autem Pauli testimoniū sufficeret, si capita alia deessent: Et hinc Athanas. serm. 3. contra Arian. ad hoc prospiciens, aiebat, *Ad ministerium autem non vnus, sed ex omnibus plures ad manus præsto sunt, quos Dominus, si velit, amandet: multi enim Archangeli, multi Throni, multæ Potestates, & Dominationes, millia millium, & decies centena millia ministrantia adstant, & apparent, qui semper se promptos offerūt, vt mittantur.*

6 Si tamen cōsulamus scripturas, continuo se profert locus Isaiæ 6. *Volauit ad me vnus de Seraphim, qui tetigit os meum.* At Seraphini sunt de suprema Hierarchia assistentium, & nihilominus ad Isaiã vnus de Seraphim mittitur. Item Lucæ 1. *Missus est Gabriel Angelus ad Mariam Virginem:* at Greg. hom. 34. in Euang. ait, *Non quilibet Angelus, sed Gabriel Angelus mittitur; ad hoc quippe ministerium, summum Angelum venire dignum erat, qui summū omnium nuntiabat.* Et consentit Scotus, inquiēs fuisse de supremis. Insuper Genes. 3. *Collocauit Deus ante portam Paradisi voluptatis Cherubim.* Rursus Dan. 10. *Ecce Michael, vnus de Principibus primis, venit in adiutoriū meum.* Tob. 12. *Ego sum Raphael, vnus ex septē, qui astamus ante Deum.* Hi omnes recensiti sunt de primoribus, de genere Seraphinorum, Cherubinorum, atque genere Septem astantium ante Deum; & nihilominus Scriptura commemorat in casu speciali fuisse missos, ergo de vniuerso genere mittuntur, saltem extraordinarie: Qualis etiam fuit apparitio Michaelis in Monte Gargano.

7 Confirmat hoc totum Magister exemplo Regis, cui nobiliores de Regno semper assistunt: qui tamen licet sic semper suæ præsentiæ adstent, nihilominus euenit quandoque, vt in casu magnæ considerationis, & ponderis, aliquis eorū destinetur à Rege ad tale opus, non enim negotia maiora minoribus cōmittuntur, sed maioribus: talis vtiq; fuit Gabriel, qui *ad summã veniēs*, inquit Gregorius, *nunciandum venerat*, ac propterea decebat esse de summis.

8 Dionysius locum illum Isaiæ nō de Seraphino in persona, exponit, sed de aliquo alio Angelo inferiori, per quem ipse Seraphim suum exequebatur ministerium: vnde erat Seraphim *officio*, non *persona*. Huius quoque sententiæ fuit Amadæus Rapt. 4. qui loquens de Raphaele misso ad Tobiam, ait, *Non in propria persona, sed in suo Nuntio, idest, Angelo de infimo Choro, commutatā fuisse.* Tamen quod insuper attestatur de Michaele, apparēte in persona alterius in Monte Gargano. Vel Seraphim appellari ratione incendij, & amoris, vt sonat vox, *Seraphim*, venerat enim ad incendendum in amorem Dei &c.

9 Verum Clarissimus nō est huius sententiæ, exponit enim locum Gabrielis, vbi dicitur, *Facta est cū Angelo multitudo cælestis exercitus*, vt in Psalm. 8. *Tunc etiam de Cherubim, & Seraphim missos fuisse.* Item ratione optima, nam in vniuersali iudicio, *Cum venerit filius hominis*, ait textus, quod venient etiam *Et omnes Angeli eius cū eo*, igitur, saltem hinc colligi debet de omnibus ordinibus mitti extra. dicetis fore illum casum specialem: at cur si in casu isto conceditis, non conceditis itidem in alijs specialibus, præsertim in casu Annunciationis Angelicæ de Mysterio diuinæ Incarnationis? Confirmat Theodor. Epit. Diu. Decr. C. de Ang. Nazianz. orat. 34. & communiter Patres, ac Scholastici.

10 Locum Gen. 3. de *Cherubim* varie exponunt, etenim non pro Angelo spectante ad octauum ordinem, sed ea Cherubim in porta Paradisi collocatus, qualis sit.
ratione, quia sicut Adam peccauit desiderio scientiæ boni, & mali, ita ibi appositus fuerit Angelus sub nomine Cherubim, idest, *scientiis*, vt inde redargueretur præsumptio Adæ. ita Caiet. ibi, quem sequitur Suar. l. 6. cap. 10. num. 13 at arguitur, quia hoc modo non potius de octauo ordine, quam de nono, & de cæteris inferioribus deberet suspicari fuisse illum Angelum, nam omnes sunt præditi scientia: & dum aiunt de inferioribus missis, cur nō potius de supremis, cum omnes sint scientifici? imo maiori scientia polleant superiores vt Cherubini, ergo per hos magis retundenda erat temeritas Adæ circa deside-

rium

rium sciendi. Hinc, dum scientia appropriatur Cherubinis, talis enim sonat *Cherubim*, idest *scientiam*, rationabilius asseri videtur fuisse verum Cherubim. Alij pro Cherubim intelligũt spectra, & figuras horribiles, vt hinc terreretur Adam, ne ad Paradisum regrederetur. Circa hoc bene poterat horribili forma, & tremẽda Cherubim apparere, vtpotè cum gladio, & igne in manu, vt ait textus, absque tamen figura, vel monstruosi animalis, vel alterius spectri, eo modo, quo poterat angelicus spiritus: Fuit hæc sententia Procop. ad eum locum, aduersus quem Bellarm. lib. 1. de Grat. prim. Hom. cap. 16. alij sentiunt fuisse sub figura ignis in manu, & gladio gestati collocatum Cherubim; Per gladium flammeum intelligi lineã æquinoctialem præ nimio æstu inhabitabilem. & per Angelum intelligi motorem Solis per illã lineam: ita D. Tho. 2.2. q. 164. art. 2. Non placet Suario nu. 10. quoniam etiam ante peccatum aderat difficultas illa adeundi Paradisũ; Ad hoc autem respondetur, quod si perseuerasset Adã in statu innocentiæ, nec æstus, nec glacies, nec quidquid aliud aduersi eum retardasset ab adeundo, eundo, & redeundo in eum locum. Item non hinc excluditur fuisse verum Cherubim, gladius autẽ, & ignis erant instrumenta diuinæ vindictæ, quibus arcebatur Adam à regressu in Paradisũ. Talemq; sensum protendit vox *Cherubim* aliæ namque interpretationes sũt allegoricæ, cum in sensu literali verum Cherubim Expositores cõmuniter assumant. Idem D. Thom. 2.2. q. 164. art. 2. ad 5. ait, Paradisum esse inaccessibilẽ propter vehementiam æstus in locis intermedijs. Nihilominus licet aliunde dubius videatur, indicat tamen nõ esse sub æquinoctiali; hoc autẽ apertè docet Scot. in 2. d. 17. q. 2. & D. Bonau. ibid. dub. 3. liter. ait esse iuxta æquinoctialem, & vergere ad Meridiem, non tamen sub æquinoctiali; Ratio omnia quia ex Arist. l. 2. Meteor. cap. 5. zona torrida sub æquinoctiali est inhabitabilis ob nimium calorẽ: quamuis hodie habitabilem esse in partibus multis fateantur quamplures ex nauigatione Hispanorum in nouo Orbe, & valde temperatam, ac fertilem: sicut & ijdẽ Antipodas esse fatentur, quos tamen August. 16. de Ciu. cap. 9. Beda lib. de rat. temp. 32. Lactant. 3. diuin. instit. c. 3. negarunt.

Paradisus terrestris.

11 Ad cætera de Michaele, Gabriele, & Raphaele, Suarez minus conuincere ait; atque de Michaele inquit, nõ esse verisimile eum esse ordinariũ Ecclesiæ Custodem; ratio, quia hoc munus custodiendi ordinario iure ad inferiores ordines Angelorũ ministrantium pertinet. Hoc vero claudicat, tum ad hominem, tum communi consensu, & authoritate. Primo modo arguitur ad hominem, etenim ipsemet Suar. l. 6. cap. 18. num. 10. dixit, Michaeli tanquã vni de Principibus, commissam fuisse curã de Regnis, vt in similibus habetur Dan. 10. & tamen Ecclesia est superior omni temporali Regno: poterat ergo esse Custos ipsius Ecclesiæ: item, si hic dicit, custodiam demandari Angelis inferioribus & non Michaeli, cur ibi ait, Michaelem curã gessisse Communitatum, & Regnorum? opposita sunt hæc. Adde, quia dum Michael Luciferum proiecit, & non legitur, inquit, num. 29. de primo, qui Luciferum vicerit, aliquando missum esse ad homines: neque est verisimile illum esse Custodem Ecclesiæ: Oppositum huius ibi, dixit, Michaelem, destinatum fuisse, ex ordine Principatuum ad Regna &c. Insuper accedit sententia Basilij lib. 3. contra Eunom. dicentis, *Quanta gens vni viro praeponenda est, tanto maiorẽ necesse est Angeli, qui gentis Principatum habeat, esse dignitatẽ.* Superat autem Ecclesia omne Regnũ, ergo Custos eius debet esse omnium supremus, & hũc suo loco diximus Michaelem ex ijs, qui remanserũt. Constat insuper Custodem esse Ecclesiæ authoritate Patrum, & Scholasticorum communiter sentientium, Michaelem fuisse in Testamento veteri Præsidem Sinagogæ Hebrææ, qui tamen nunc est Pręses, & Custos ipsius Ecclesiæ. Aiunt tamen alij, esse vnum de Principibus primis, nempè de Spiritibus illis septẽ, quibus demandata est cura totius Orbis. At Basil. homil. 1. de Angel. sic ad Michaëlem loquitur, *Michael Dux supernorũ Spirituum, qui dignitate, & ho-*

Michael Præses, & Custos Ecclesiæ.

An mittatur.

nere prælatus ex omnibus Spiritibus supernis, ubi supplico.

Gabriel an supremus.

12 De Gabriele, quidquid dicat, nihilominus Gregorius apertè fatetur, fuisse summum, vt adduximus, vel ex Scoto, fuisse de supremis. Ratio autem optima vrget, quia si dispensatum fuit Verbum diuinum induere carnem humanam, nasci in stabulo, pati, ac denique mori, cur dispensari non potuit, vt etiam de supremis Angelis mitteretur aliquis ad tantæ humiliationis per Incarnationis mysterium, arcanum annunciandum? Confirmatur ex Chrisost. in Psalm. 8. qui loquens de Angelis apparentibus tempore Incarnationis ait, *Supernorum Chororum Cherubin, & Seraphin, hoc est manus Deum assiduè laudare, & Hymnis celebrare; Ex his Choris etiam in terra apparuerunt, cum vigilantibus Pastoribus cantantes*. Licet Gregorius Gabrielem, summum quidē appellat, at de ordine Archangelorum.

De Raphaele.

13 de Raphaele tandem, dum vrgetur, ipsū dixisse, se esse *Vnum ex septem, qui assistunt*: ait, verbum assistere varia significare, vt tradidimus, ex quo per *assistere* idem intelligat, ac *videre faciem Patris*, iuxta loquutionem Christi Domini: Verum si ratio, siue euasio hæc currit, cur nō potius dixit Raphael, se esse vnum ex millibus millium, siue ex decies centenis millibus, vel ex tota serie, & Choorte Sanctorum Angelorum; etenim omnes, siue assistentes, siue administrantes, semper *vident faciem Patris*: & nihilominus speciali significatione asserit se esse vnum *ex septem*. Adsunt & alij dicentes esse vnū ex septem, nempè illorum septem, quibus demandata est cura totius Orbis.

14 Illud denique Pauli, *Omnes sunt administratorij spiritus*, communiter recipitur expositio D. Thom. & Scoti recensiti: vtpotè, quia mittuntur vel ad intra, vel ad extra, vt retulimus: eo tamen D. Thomas à Scoto distinguitur, vt superiores mitti dicat sola missione ad intra, & inuisibili. Vasq. disp. 244. cap. 2. num. 14. ait missionem hanc inuisibilem non esse veram missionem, probat, quia Angelus per talem missionem illuminando inferiorem, non venit ad eum: ergo non dicitur mitti: Item, non potest dici, quatenus per illuminationem operetur aliquid in inferiori. Sed respondetur, recolēdo distinctionem allatam de duplici missione, physica; & metaphorica, seù morali: illuminatio non requirit necessario physicam missionem, præcipuè in præsentia, & vicinia: sufficit autem missio metaphorica, & hæc consistit in illuminatione: vterque namque intellectus, tùm illuminantis, tùm illuminati motum aliquem experitur, qui tamen appellatur metaphoricus, & consistit in motione, atque mutatione intellectus, fienda per illuminationem.

15 Quidquid tamen sit, dum Scripturarum loca allata tam varias recipiunt interpretationes, reliquum est, vt cum eod. Gregorio concludamus homil. 34. in Euang. inquit enim, *Sed quia in quibusdam scripturæ locis quædam per Cherubim, quædā vero per Seraphim agi dicimus; vtrum per se hæc fiant, an per subiecta agmina agantur, quæ sicut dicitur in eo, quod à maioribus veniunt, maiorum vocabula sortiantur, nec affirmare nolumus, quod apertis testimonijs non approbamus*.

QVÆSTIO III.

De septem Angelis, qui astant ante Dominum.

1 DE Raphaele iam retulimus, ipsum dixisse, *Ego sum Raphael Angelus, vnus ex septem, qui astamus ante Dominū* Tob. 12. vnde elicitur numerus septenarius eorum, qui astant ante Dominum, qui lis etiam numerus elicitur aliundè, vtpotè Apoc. 1. *Gratia vobis, & pax ab eo, qui est, & qui erat, & qui venturus est, & à septē Spiritibus, qui in conspectu Throni eius*

ni eius sunt, & ibid. 8. *Vidi septem Angelos, stantes in conspectu Dei, & datæ sunt illis septem tubæ*. & 17. *Venit vnus de septem Angelis, qui habebant septem phialas*. 15. *Angelos septem habentes septem plagas nouissimas*, atque 16. *Audiui vocem magnam de templo dicentem septem Angelis, &c.* De his autem omnibus ait Raphael, astare ante Dominum: hinc vero inuestigandum, quinam sint isti astantes, seu assistentes ante Dominum.

2 In primis sunt qui exponũt hoc de Angelis quibusdã, qui eatenus numero septem appellentur, quatenus præsint septẽ virtutibus, quatuor quidem Cardinalibus, & tribus Theologicis. Alij Angelos eos intelligunt, quibus specialis custodia demandata sit pro hominibus, ad expugnanda septẽ peccata mortalia. Hæc tamen expositio est de toto allegorica, vt patet, reddit namque sensum tropologicum, seu moralem, significant quoque septem Dona Spiritus sancti. Hi sunt, Primas. Beda, Rupert. Lyran. D. Tho.

Septenarius numerus quid importet.

3 Alij per septem, non quidem numerum signatum, & determinatum significant, sed indeterminatum, indefinitum, & vniuersalem: Fundamentum habet expositio in D. Gregor. hom. 25. in Euang. cum inquit, *Numerus septenarius est numerus vniuersitatis*. Idemq; habet August. 11. de Ciuit. Dei cap. 31. Confirmatur autem ex Prou. 24. *Septies cadit iustus & resurget*: est autem sensus, sæpè cadit, potest enim cadere plus, quam septies in die. Item Psalm. 118. *Septies in die laudem dixi tibi*: quamuis autem sensus primarius sit de septẽ Horis Canonicis, vt exponit Basil. serm. 1. de Inst. Monach. & Chrisost. homil. 9. ad Popul. Anthioch. quid tamen vetat vltro septem prorogare numerum, dum iustus *in lege Domini meditatur die, ac nocte*? Rursus Eccl. 11. *Mitte panem tuum super transeuntes aquas, quia post multa tempora inuenies illum: da partem septem*. idest eleemosynam elargire multis, pluribusque, ac infinitis propemodum, si potes. Denique 1. Reg. 2. *Donec sterilis peperit plurimos*. Hebræus autem habet, *peperit septem*. Et Psal. 78. *Redde vicinis nostris septuplum*, idest puni illos multiplicitèr.

4 Alij per allusionem potius exponunt hunc numerum septenarium, alludendo ad eos, qui similitèr & ipso vsi quandoque, fuerint: sicut namque penès Romanos erant Septẽuiri, Triumuiri, & huiusmodi ministri, ex hoc numero denominationem sumẽtes, quibus tamen demãdata fuerit Reipublicæ Romanæ gubernatio, licet etiam plures, pauciores uè esse potuerint, ita & Angeli, quibus demandata sit cura totius Orbis, vel hinc numero septenario gaudeant, quasi septemuiri, dum dicitur *Angelos septem &c.* In Persia quoque aderant circa Regem, septem Consiliarij, seu Magnates, vt colligitur ex Esdræ 3. cap. 8. & lib. 1. cap. 7. atque Esther 1. solũ huic expositioni obest, quod numerus hic fuit quidem prius, & anterius ad Rempublicam Romanam, siue ad Monarchiam Persicam, impositus, quomodo ergo poterat inde desumi. At responderent Authores huius sententiæ, non inde dependere numerum hunc Angelorum, quin potius ex angelico tali numero ad imitationem transumptum fuisse talem numerũ ad Magnates, Proceres, & Consiliarios Regis. Sed obstat, non enim Gentiles illi oracula hæc perceperant Angelorum, siue de eorũ numero hoc septenario, vt facilè patere potest de Romana, tunc namque erat auersa à fide, Idolis seruiens; de Persica autem non dum erat tempore Tobiæ, regnantibus eo tempore Assyrijs, ex cap. 1. Tobiæ.

5 Sunt, qui numerum hunc noctũt iuxta nomina septem Angelorum: recoluntur autem hæc, *Raphael, quod interpretatur Medicus. Vriel, nempè fortis socius. Gabriel*, vtpotè *Nuncius*: *Michael*, nempè *Victor*, *Sealtiel*, scilicet *Orator*, *Iehudiel* idest *Remunerator*, & *Barachiel*, nempè *Adiutor*: Ex officijs autem cõstare aiunt, quare sint numero septem, cum his præsertim septem muneribus, siue adiutorijs indigeat Orbis. Cæterum circa hæc, ait Serrarius super cap. 12. Tob. q. 11. 12. 14. & Abulensis in cap. 13. Iud. q. 35. præter nomina *Michaelis, Gabrielis, Raphaelis*, atque penès lib. 4. Esdræ cap. 4. 6. *Vrielis*, alia esse apocrypha, iuxta sententiam Bonifacij, & decretum Concilij Roma- Septem nomina Angelorum in omnia recepta.

ni,

ni, ac Pontificis Zachariæ, de quare amplius sequenti quæst. dicemus.


6 Alij putant esse Angelos illos septem, tanquam Principes, & Præfectos vniuersi Orbis, quibus cura Vniuersæ Terræ demandata sit: cum hoc tamen semper Deo assistunt, faciem eius intuendo. Hi sunt Viegas super cap. 1. Apocal. sect. 6. & Vasq. 1. par. disp. 180. cap. 1. Et confirmatur ex Clement. Alexan. lib. 6. strom. inquiente: *Septem sunt, quorum est maxima potentia, primogeniti Angelorum Principes, & per quos Deus omnibus hominibus prouidet.*

7 Alij aiunt esse septem, quia totidem plagis mundi præsūt, & designantur: Supponunt autem hi Mundum ipsum diuisum esse in septem plagas, seu partes: vt ostēdit Rabi Ioseph Caminus in Psalm. 47. Colligi autem videtur, quia Michael præest Ecclesiæ nūc, sicut antiquitus præerat Synagogæ, ex Dan. 10. & ex officio Angelorum. Gabriel in Babilonia aderat Danieli, ex cap. 8. Dan. qui etiam erat inde Custos Virginis in Iudæa ex Bernard. Raphael præerat in Assyria: sicque de cæteris: Dices, cæteri non recensentur in sua tali præfectura, responderēt, non perinde rem non ita se habere, posse namque sic esse, licet cęterorum functiones ignorentur.

8 Georg. Ven. in probl. t. 6. sect. 5. num. 186. ait esse septem, vt septem Planetas regant. Confirmat ex Trismegisto dicente, *Septem fabricauit Gubernatores.*

9 Res hæc adeo incerta est, vt nihil amplius opus sit immorari, difficile namque est indagare talis numeri verum sensum ac propterea frustra laborare Suarium lib. 6. cap. 10. siue in impugnando Vasquium, siue alios in impugnandis alijs, horum namque interpretationes ita poterūt esse minus veræ, sicut & cæterorum: illa tamen de septem Præfectis, siue Principibus Præsidentibus vniuersæ Terræ, est valdè apparens: Quod si Suarez ait, nō constare eos in scriptura vocatos esse Principes, dicimus non constare quidem sibi, cōstare tamen Clementi Alex. qui super appellauit illos *septem primogenitos Angelorum Principes*, & textus Hebr. Tob. 12. relicto *ex septem legit, Ego sum ex Principibus*. Item dum ait, ad Raphaelem non spectasse curā Vniuersæ Terræ, non hinc eluditur intentum, sufficit namque vnicuiq; demandari partem Orbis Terræ. Cum insuper dicit, si Michaeli demandatur cura totius Ecclesiæ, quid superest alijs? Respod. superesse curam temporalis, dum Michaeli, demandatur Custodia Ecclesiastici, & spiritualis. Cornel. à Lap. in in Apoc. cap. 1. vers. 4. sic scribit: *Petro ab bisce septem Angelis Deo adstantibus, denique quasi Diaconis, Ecclesia militans,* Diaconi
quæ imitari solet triumphantem, septem Cardinales
Diaconos instituit, Actor. 6. *Deinde totidem Diaconos Cardinales: & hic numerus durauit vsque ad S. Gregorium, inde que alij septem additi sunt: ac tandem Gregorius iij. quatuor alios adiunxit, ita vt sint octodecim.*

10 Vltimum, quod additur, est nu- Septenarius
meri septenarij præstantia, & digni- numerus.
tas, etenim M. Varro l. 1. de Hebdomad. seu de Imaginibus Septenarij, & Gellius lib. 3. cap. 10. vna cum Cicer. de somn. Scip. multa præclara tali numero tribuunt; à Pitagoricis appellabatur *venerabilis*. pluraq; de eo scripserunt Hieron. in Matt. c. 15. & Amos 5. Cyprian. lib. de Exhortat. Mart. vt vel saltem ex perfectione talis numeri pateat dignitas eorum &c.



QVAE-

QVÆSTIO IV.

Quantus est numerus Angelorum?

Quales Angelos penes quosdam.

1 EX hæreticis vero fuerunt qui dixerint, vnicũ tantummodo esse Angelum, penès Carthus. in 2. d. 3. q. 3. negãtes, hunc ad minus numerum septenarium. Bachonus in 2. d. 11. & si numerum septenarium non inficietur, existimat tamen Angelorum numerum paruum esse. Ex Philosophis putantibus septẽ tantummodo esse Cœlos, Angelosq; enumerari ad numerũ Cœlorum, ratione motus eorundem, septem solummodo Angeli colliguntur *Saturnilus* penès Epiphan. hæres. 23. Septem testatur, vt quia ab Angelis septem mundus conditus fuerit, & gubernetur. *Basilides*, hæres. 24. Angelis septem mundum in septẽ partes diuisum, veluti missa sorte, contigisse ait administrandum. *Archontici*, in singulis ex septem Cœlis, singulos ex septem Angelis, collocant, eorumque Principẽ vocari *Sabaoth*, de quo aiunt, genuisse Diabolum, Diabolum vero Cain, & Abelem. Trithem. lib. ad Maximil. Imp. postquam dixit, mundum per hos septẽ Spiritus gubernari, inde tamen adiecit, *Horum vnusquisq; mundum annis gubernat trecentis quinquaginta quatuor, mensibusq; ex ordine quaternis*: Tempore autem, quo hæc scribebat, aiebat, Gabrielem, qui Angelus est Lunæ Orbis, gubernium accepisse anno à creatione 6732. mense 4. Iunii die 4. anno vero Dominicæ Incarnationis 1525. atque fore duraturum suum gubernium vsque ad ann. à creatione 7086. mense 8. & ab Incarnatione 1879. mensem vndecimum, quamquam in fine concludat, inquiens, *Non hæc assertiuè scripsi*. At vnde quæso sibi, vel hoc saltem, constare poterat, potius Lunæ, quam Martis, aut alterius Planetæ Gabrieli demandatum gubernium? vnde etiam talis gubernij tempus, annos, mensem, diem desumpsit? quale autem fundamentũ habeat hoc proprium sui inuentum, facile Theologis compertum est.

2 Item, penès Brigittam in reuelat. maiorem esse decies Angelorum numerum numero Hominum, siue decem vicibus, seu partibus. Penès Cyrill. Cathech. 15. referuntur dicẽtes esse nonagintanouem vicibus maiorem numero hominum. Apud eundem alij esse vtrorumque numerum æqualem. Penès Guillelm. Paris. lib. 2. de Vniu. & Magist. l. 2. d. 11. numerum Hominum esse minorem. Alij parem esse Stellis, sicut Aristoteles eorum numerũ æquauit numero Orbium Cœlestium. Alij tot esse præcisè, quot à Daniele cap. 7. enumerantur. Alij esse plures, quam indiuidua cuiuscunque speciei. Alij, quo Cœlorum corpora maiora sunt inferioribus, eo angelicæ naturæ amplior est numerus. Alij tantum esse numerum Angelorum, quantus est penes homines numerus arithmeticus, penès Guillelm. Alij tot esse, quot sunt rerum omniũ indiuidua. Alij, omnes esse numero penès Cabalistas, vt refert Archang. in Comment. Dogm. Caball. numero, inquiunt, 300655072. Alij esse innumerabiles, non quod infiniti sint, sed quia à nobis enumerari non valeant. Alij alia inuentant.

Numerus quantus.

3 Cæterum diuina Scriptura magnum quidem esse numerum testatur: Quantus vero mathematicè, seù arithmeticè sit talis numerus, non declarat. Et quidem Dan. 7. *Millia millium ministrabant ei, & decies centena millia assistebant ei*. Psal. 67. *Currus Dei decem millibus, multiplex millia lætantiũ*, vbi Chald. *Currus Dei multiplicatis viginti millia, & millia Angelorum*. Apoc. 5. *Audiui vocem Angelorum, & erat numerus eorũ millia millium*. Dæmon obsidens interrogatus de nomine, respondit. *Est mihi nomen legio*: at ex Alex. in Genial. legio erat numeri 6666. Matt. *Plusquã legiones duodecim*, & deniq; Iobi 25. *Numquid est numerus militũ eius*? non quod infiniti sint, sed quia magnus est numerus.

Singularius vero de hoc agemus infra disp. 17. quæst. 1.

QVÆ-

QVÆSTIO V.

De nominibus Angelorum in speciali an sint, & quænam sint.

Negarunt Angelos habere propria nomina.

1 GRegorius, & Beda negant Angelos habere nomina; vnde Gregorius ait, nomē *Angelus* est nomen officij, non *Naturæ*, vt initio huius materiæ tradidimus; addit autē Beda penès Salmeron tom. 3. Prol. Homines quidem nomina possidere, vt mediantibus nominibus cognoscantur, saltem in absentia; Angeli autem se ipsos inuicem perfectè norint, tum in præsentia & coram, tum in absentia: ergo nominibus non egent: quod si nominibus censentur in scriptura, vt Michael, Gabriel, Raphael, ea sunt nomina ministerij, non personæ. Verum difficultatem vrget illud de absentia, etenim Angeli Custodes existētes nunc in terra, longè distant ab Angelis adstantibus in Empyreo, & hi longiùs distant ab existētibus in Inferno: at improportionata distantia impedit visionem, & cognitionē: ergo egebunt recursu ad nomina, vt vel inde per eā, ipsorum recordentur, quos aliquando viderint, vel nomina suppleant defectū præsentiæ, & visionis. Difficultas hæc solui poterit, negando, distantiam impedire posse angelicam visionem, etiā intuitiuā, quę fuit sententia Vasquij, quā licet improbauerimus suo loco, nihilominus, vt saluemus hanc Bedæ rationem, aptam ducimus ad intentū, idemque ait Cornelius infra citandus, inquiens, *Angeli inter se non habent nomina, cùm se inuicem videant facie ad faciē*, hoc vero maiorem excitat difficultatē, quomodo namque Angeli in terris degentes, & Angeli mali in Inferno existentes vna cum Angelis Empyrei videant se inuicem facie ad faciem? respondeat ipse, & Vasquez, Scotus enim ait improportionatam distantiam impedire &c.

Distātia an impediat angelicam visionem.

2 Quidquid tamen sit de hoc; ex quo Angelorum quorundam nomina recensentur in scriptura, hinc de ipsis quærimus qualia, quotuē sint, & an plura reperiantur.

3 In primis est in Germania Vrbs quædam, quæ proprium edens Kalendarium, in ipso memoriam faciens de Angelis, nomina eorundem recensuit vsque ad octo, puta, *Michael, Gabriel, Raphael, Vriel, Malthiel, Ezekiel, Iehiel, Baziel*. Trithemius citatus, vsque ad septem nominat, *Orifiel, Anael, Zachariel, Raphael, Samael, Gabriel, Michael*. Agripp. li. 3 de occult. Phil. cap. 24. septē nominat, veluti Præsides septem Planetarum, præsidet enim, inquit, Saturno *Zaphiel*: Ioui *Zadkiel*: Marti *Camael*: Soli *Raphael*: Veneri *Haniel*: Mercurio *Michael*: Lunæ *Gabriel*. Prædictis quoq; Planetis alia nomina Intelligentiarum alibi lib. 2. cap. 22. adaptat, vt Saturno *Agiel*: Ioui *Iophiel*: Marti *Graphiel*: Soli *Nachiel*: Veneri *Hagiel*: Mercurio *Tiriel*. Item duodecim signis Zodiaci, duodecim quoque accommodat nomina Præsidentium Angelorum, vt Arieti *Suriel*: Tauro *Teleiel*: Gemini *Tememiel*: Cancro *Sarmiel*: Leoni *Ariel*: Virgini *Bethaliel*: Libræ *Mathaniel*: Scorpioni *Azrabiel*: Sagittario *Ghesoniel*: Capricorno *Gediel*: Aquario *Deliel*: & Pisci *Dagimiel*. Pergitq; l. 3. c. 28. Angelum Ieremiæ ait fuisse *Ieremiel*, de quo Esdr. lib. 4. cap. 4. Zachariæ *Zachariel*, Vriæ Prophetæ, quem occidit Ioachim, *Vrielem*. Capite vero 27. *Adam*, subdit, *familiarem consuetudinē habuit cum Angelo Raziele: Sem filius Noë, cum Iophiele: Abraham cū Zadkiele: Isaac, & Iacob cum Peliele: Ioseph, & Iosue, ac Daniel cum Gabriele: Moyses cū Metatron: Helias cum Malthiele: Tobias iunior cum Raphaele: Dauid cum Cerniele: Manue cum Phadaele: Cenez cum Ceruele: Ezechiel cum Hasmaele: Esdras cum Vriele: Salomon cū Michaele*. Pergit Trithemius in sua Steganograph. inquiens, *Angelus Saturni est Orifiel, habens sub se alios spiritus, qui sūt Sadael, Pomiel, Morfiel. Iouis est Zacariel, habens sub se Elolielem, Arielem, Raphaelem; Martis est Samael, habens sub*

Nomina Angelorū plurium penes plures.

se Anael, Asmael, Nehiel; Solis est Michael, habens sub se Lamiel, Palael, Vaariel: Veneris est Anael, habēs sub se Zabeel, Sarmiel, Adsuiel, Mercurij est Raphael, habens sub se Carmiel, Nehriel, Pariel: Lunæ est Gabriel, habens sub se Remabiel, Iesfiel, Thearicl. Penès Mahumetanos adsunt nomina *Nechir, Remuelus* ex Auth. histor. Turc. lib. 2. c. 19. & cap. 20. 21. *Israpael*, de quo aiunt, quod in die Iudicij *ipse tuba vocabit ad Iudicium*. Item *Arot*, & *Marot* l. de Concor. Ocla. pleraq; penès Epiphan. et hæresi. 24 habetur *Abrasax*. 25. *Paldabaoth, Caulacaulach Belbel, Metra*. 26. *Sedes, Dade, Eloyas, Adonaus Ialdabaoth*. alia insuper hæresi 30. 31. 33. &c.

4 Quid vero dicendum de his nominibus, siue recensitis, siue alijs Angelorum, ex facto hoc enarrando constabit; legitur autem in lib. 2. Histor. S. Bonifacij Apostoli Germaniæ, quod cum Adelbertus hæreticus diceret è Cœlo ad se missam epistolam accepisse, in qua continebantur nomina octo Angelorum, respondit S. Bonifacius, *Ex istis octo Angelis, vnus tantum est, Sanctus Michael, reliqui septē potius Dæmones*. Quænam vero sint nomina illa mox referentur: Item eadem Epistola præsentata quoq; fuit in Concilio Romano, cui præfuit Pontifex Zacharias, quod citatur in vita eiusdem S. Bonifacij apud Surium mense Iunio fol. 598. & à Baronio anno Christi Dñi 745. fol. 179. vbi inter cætera hæc habētur, *Cumque per ordinem legerentur, peruenit ad locū, vbi ait, Precor vos, Angelos Vriel, Raguel, Tubuel, Michael, Adimis, Tubuas, Sabaoth, Simihel. Dum vero oratio hæc sacrilega vsque ad finem perlecta fuisset, Zacharias sanctus Papa dixit, Quid ad hæc sanctissimi Fratres respōdetis? Sancti Episcopi, & venerabiles Presbiteri, responderunt, quid aliud agendum est, nisi, vt omnia, quæ coram nobis lecta sunt, igni concrementur, Authores vero eorum anathematis vinculo percellantur? Octo enim nomina Angelorum, quæ in sua oratione Adelbertus inuocauit, non Angelorum, præter Michaelis, sed magis Dæmonum sunt, quos ad præstandum sibi auxilium inuocauit: Nos autem, vt à vestro sancto Apostolatu edocemur, & diuina tradit authoritas, Non plus, quam trium Angelorum* *nomina agnoscimus, idest, Michael, Gabriel, Raphael*. Hæc ibi. Plura penès Cornel.

5 Cornel. à Lap. in Apocal. cap. 1. fol. 16. 17. ait, se in Chronicis S. Mariæ Angelorum Romæ, in Conuentu Carthusianorum, legisse nomina septem Angelorū, eaque reuelata fuisse Beato Amadæo, asseritq; & Petrum Galat. l. 2. in Apoc. cap. 8. Nomina autem sunt hæc, *Michael, Gabriel, Raphael, Vriel, Sealthiel, Iehudiel, Barachiel*. Quid vero importent, ait, *Michael* dicitur, *Quis vt Deus?* quia pro hominibus pugnat contra superbum Luciferum Apoc. 12. *Gabriel* dicitur *Fortitudo Dei*, quia fortia Dei gesta, & bella annunciauit Danieli, Beatæ Virgini &c. Raphael dicitur *Medicina Dei*, quia Tobiæ cæcitatē curauit: Hæc ex Gregorio hom. 34. in Euang. *Vriel* dicitur *lux*, vel *ignis Dei*, quia homines Dei amore, & cognitione illuminat, & inflammat. *Sealthiel* dicitur *Oratio Dei*, quia pro hominibus orat, eosq; ad orandum excitat: Iehudiel dicitur *confessio*, vel *laus Dei*, quia homines ad confessionem, & laudem Dei exhortatur. Barachiel dicitur *Benedictio Dei*, quia beneficia nobis procurat, nosque ad Dei benedictionem, & gratiarum actionem impellit: Hæc ex alijs. Nomina insuper hæc reperta refert in Templo Panormitano, anno Domini 1516. cum propria cuiusque interpretatione: vt Michael, *victoriosus*, Gabriel *Nuncius*: Raphael *Medicus*: Vriel, *fortis socius*. Iehudiel, *Remunerator*: Barachiel, *Adiutor*: Sealthiel, *Orator*. Asseritq; Scriptores plures de septem Angelorum illorum nominibus, præcipuèq; Andream Victorellum lib. de Minister. Angel. cap. 21. Salmeronem &c. At quia Concilium, & S. Bonifacius solum illa tria nomina approbauit, hinc Cornelius idē ad hæc respondendo subdit, inquiens fol. 17. post initium primæ columnæ, inquit autem, *Hoc intellige, quod Ecclesia plura Angelorum nomina non agnoscat, scilicet, quæ ex scriptura cauantur, aut Ecclesiastica traditione certa sint: nam, aliquando, Vrielis nomen admittit. S. Ambrosius lib. 3. de fide ad Grat. cap. 2. Isidorus lib. 7. cap. 5. alludque habetur in Missa Mosabarum, quæ extat tom. 4. Bibliot. Sanctor.*

Nominum aliquorum significata.

Patr. Andr. Cæsar. in c. 12. Apoc. Albert. Magnus, Bonauentura, Prado, Xellus Senensf. & alij, quos citat Alcazar notat. 4. hic in fine: Zacharias ergo tantum damnat magica & conficta Angelorum nomina, quæ ab Adelberto hæretico, in Concilio illo producebantur, vnde S. Bonifacius in eo exclamauit, illa Dæmonum, non Angelorum esse nomina. Hæc Cornelius.

6 Serrarius autem agens denique de *Vriele*, vltra recensita, addit, in Germania quoq; in templo Basiliensi cultum adhiberi quatuor Angelis, *Michaeli, Gabrieli, Raphaeli, atque Vrieli.* Item postulat, si *Vrielis* nomen recipitur, cur non etiam nomen *Ieremielis*? vterque enim est penès quartum lib. Esdræ, ille cap. 4. & 6. iste eodem cap. 4. plura penes ipsum in c. 12. Tob. à q. 10. ad 14.

7 De Nominibus autẽ effictis ab Agrippa, Trithemio, alijsque, idem esto iudicium, ac de nominibus effictis ab Adelberto, cum eadem censura Concilij, Zachariæ, & Bonifacij.

8 Vltra quidem nomina recepta in Ecclesia, reliqua non nituntur certa libri alicuius canonici authoritate, sed partim ex Hebræis desumpta sunt, partim penès apocryphos libros inuenta. *Vrielem* legimus in lib. 4. Esdræ cap. 4. 5. & 10. at non est canonicus. Fit etiã de eo mẽtio in Canon. Missæ Aethyop. vt refertur in 4. Biblioth. Patr. de quo etiam Beda in Collect. *Ieremielem* legimus in eod. 4. Esdr. 4. *Aromiel, Saniel, & Azael* referunt in 2. lib. Carmin. Sybill. penès 2. tom. Biblioth. vbi, mentio fit de finali iudicio, canente Sibilla, vt dicunt, Erythræa.

Tunc Aromiel, Vriel, Saniel, Azaelque
Quæ mala quisque hominum patrauerit arte scientes
Æternis Animæ tenebris caliginis omnes
Iudicio sistent ad formidabile Patris
Magni immortalis solium.

9 De *Aromiele, & Paniele* meminit Beda in Collect. quibus etiam seipsum commendando, sic orat, *Gabriel esto mihi lorica: Michael esto mihi Balthear, Raphael esto mihi scutum: Vriel esto mihi protector. Rumiel esto mihi defensor. Paniel esto mihi sanator.* Sehudiel, Barachiel, Escalthiel memorãtur in Hymno de septem Angelis assistentibus, editus tempore Pauli III. ab Antonio Duca.

10 Capnion autẽ ex Cabalistis hæc refert: formant Cabalistæ Currum ex quatuor, vt inquiunt, veluti gemmis. In dextera quidem parte Gemmam collocant, ex qua, læta omnia prouenunt & hanc vocant *Michaelem*. In sinistra, gemmam alteram, vnde tristia cuncta promanant, quam *Gabrielem* nominant. Tertiam, quasi mixtam ex his, & *Raphaelem* appellant: Quartam, veluti trium istarum dispensatricem, & *Vrielem* nuncupant. Ex his autem, *Michaelem*, & *Gabrielem* tanquã pro Rotis constituunt: *Raphaelem* pro Throno, seù Stella, quæ media sit inter Rotas: *Vrielem* pro axe, circa quem Currus voluitur: & *Nacrielem*, veluti timonem, cui alligatus sit Currus: his ergo quinque, aiunt, deiformari Currum: atque hoc, expressum fuisse in Cant. 3. dum dicitur, *Ferculum fecit sibi Rex Salomon de lignis Libani: Columnas eius fecit argenteas: reclinatoriũ aureum, ascensum purpureum.* Aiuntq; contineri in litteris vocis huius, *purpureã*, quod Hebraicè sonat *Argaman* itaut, *A*, siue *Aleph* significet *Vriel* Hebraicè descriptum per *Aleph: R.* significet *Raphael. G. Gabriel. M. Michael. N. Nuriel.* Addunt insuper Hebræi *Zamaelem, Zadekielem, & Caphzielem.* At hæc præter recepta ab Ecclesia, incertæ sunt authoritatis, inquit Viegas Apocal. cap. 12. sect. 17. vide ibi.



QVAE-

QVÆSTIO VI.

Vtrum Angeli habeant nomina propria, an appellatiua.

Negantes nomina in Angelis, & Beatis.

1 VLtra ea, quæ initio quæstionis præcedentis attigimus de quæstione hac, supersunt aliqua ad ampliorem resolutionem. Et quidem singulariter nominibus Angelos carere, ostendit Abulens. qui sup. Matth. 8. quæst. 110. ponderans interrogationem Christi Domini factam Dæmoni, hominem illum obsidenti, *Quod tibi nomen est?* inquit Abul. *Non habent nomina Dæmones, nec Angeli; nec etiã Dæmon respondit Christo propriũ de nomine, sed de numero, nam respondit, legio, quia multi sumus.* Qui etiam q. 33. in cap. 13. Iudic. ait, *Angeli in particulari non habent aliqua nomina, siue ponatur quilibet continere vnam speciem, siue multi in vna.* Atque hoc idem docet de hominibus beatis in Patria, nominibus etiam ipsos ibi carere, ad eundẽ locum Iudic. scribit enim, *Cum fuerimus in beatitudine, non cognoscemus Angelos nominibus, quia nulla habent, nec illa tunc imponentur; etiam nos, qui nunc nominibus vtimur, ibi non distinguemur nominibus, sed quilibet aliũ sine nomine cognoscet, sicut seipsum cognoscit sine nomine.* Hoc idem prius dixerat Lyranus super Genes. 32. in verba illa, *Cur quæris nomen meum,* inquiens, *ac si dicat, frustra quæris, quia Ego, & alij Angeli in ministerium missi, non habemus nomina fixa, & stabilia.* Insuper Magister in 2. d. 10. idemque Lyranus, pluresque, penes Viguer. cap. 10. §. 9. Instit. aiunt. Nomina, quæ sortiuntur, non esse nomina personalia, sed legationis, & ministerij, quibus funguntur: vnde Lyranus subdit in eorum persona. *Diuersa sortimur nomina, secundum legationes, ad quas mittimur:* vnde Magister, nomina Michaelis, Gabrielis, Raphaelis non esse ipsorum propria, sed esse posse quorumcunque cæterorum Angelorum, itaut quicunque alter Angelus medicinã ægro afferat, appelletur *Raphael, siue medicina Dei:* qui aliquod magnũ opus peragat in tutelam honoris, & imperij Dei, nominetur *Michael:* quique opus fortitudinis operetur, nominandus sit *Gabriel, siue fortitudo Dei.* Et denique confirmari hæc possunt ex Gregor. homil. 34. in Euangel. vbi sic habet: *Angeli, idcirco priuatis nominibus censentur, vt signetur per vocabula, etiam in operatione quid valeant; neque enim in illa sancta Ciuitate, quam de visione Omnipotentis Dei plena scientia perficit, idcirco propria nomina sortiuntur, vt eorum personæ, sine nominibus, sciri non possint.*

Affirmant alij.

2. Verum, aduersus hæc obstant sequentia: Et quidem Paulus 1. Cor. 13. ait, *Si linguis hominum loquar, & Angelorum.* Sumitur autem argumentum à paritate: Si homo hominem appellat proprio ipsius nomine, cur non etiam Angelus Angelum singulari suo nomine recenset? Item, linguas admittit Paulus etiam in Angelis: at linguæ munus, inter loquendum, sive etiã ipso collocutionis initio, à nomine colloquentis ordiri solet. Insuper, dum Scriptura speciatim eis nomina tribuit, cur in sensum ministerij, & non potius personæ, eo cõmutamus? Rursus, Angelorum Hierarchias Scriptura ipsa distribuit in Choros, Angelorum, Archangelorũ, Thronorum, &c. at si nomina hæc sunt ministerij, & officij, esset id confundere ipsos Choros, ipsasque Hierarchias, vt Angelus in Archangelũ, & hic in Thronum transmutetur, & deinceps alter in alterum. Præterea idem Christus Dæmonem illum interrogauit de nomine, *Quod est tibi nomen?* quod si nomen non habuisset, non interrogasset de nomine. Occurrunt ad hoc, Dæmonem illũ nequaquam respõdisse de nomine, sed de numero, inquiẽdo *nomen est mihi legio,* ergo responsio indicauit carere nomine. At cõtra, ideo singulare nomen tacuit, quoniam nõ erat solus, nec vnus tantum Dæmon ille, sed plures: at quia

per nomen vnum proprium non possunt manifestari, saltem ita distinctè, plures, ideo tacendo singulare nomen, dixit esse legio; quod si solus, vnusque tantum fuisset, respondisset proprio nomine. Verum quidem est varijs ministerijs adaptari, obque, varia sortiuntur nomina, vt initio huius libri diximus, expendendo signatum nominis *Angelus*, nihilominus, sicut ministeria mutantur, & denique in Iudicio terminabuntur, prout quoque in hominibus, penès homines contingit, cum hoc tamen remanet in ipsismet hominibus nomen proprium, à natiuitate, siue Baptismatis fonte impositum, vt ita quoque fixa remaneant ipsismet Angelis nomina à creatione adepta, terminato iam ministerio, nomineq; appellatiuo, vnde Carthus. Iudic. 13. dixit, *sunt aliqua fixa Angelorum vocabula*. Penès etiam eundem locum Sansonis pater ab Angelo quæsiuit, *Dic mihi, quo appellaris nomine?* qui tamen de nominis appellatione nō inficians, respondit, *Cur quæris nomen meum, quod est mirabile?* Iacob etiam ab Angelo colluctatore interrogat *quo appellaris nomine?*

3 Accedūt nomina alia specialia: Etenim malus Angelus appellari solet, *Sathana*, *Diabolus*, & *Tentator*: Primum ex Hebræo indicat idem, ac *Aduersarius*, iuxta illud Petr. 1. cap. 5. *Aduersarius vester Diabolus &c.* Irenæus lib. 5. cap. 21. ait, significare, *Apostatam* ex Hebræo. Iustinus in Dial. aduers. Triphon. vocem compositam esse docet, à *Sata* & *nas*. primū significat *Desertorem* secundū importat Serpentis naturam, & munus, ex Iudæis, & Syris. *Diabolus* ex Græco, indicat *Calumniator*, *Criminator* ex Iustin. orat. parænet. ad Gent. & Firmian. lib. 2. de Origin. error. cap. 2. Tertullianus autē lib. 2. contra Marcion. cap. 10. ait significare, *Delatorem*: inde est, vt Ioannes Apocal. 19. *Væ terræ, & mari &c. Cecidit accusator fratrum vestrorum.* Insuper idem est, ac *volucris*, *flamma*. Tentator insuper appellatur, ex officio tentandi: De quo Chrisost. hom. 5. *Diabolus nunquam cessat tentas: Non manducat, non bibit, nō dormit, nil aliud operatur, nisi vt tentet: hic est cibus illius, hic honor, hoc gaudium: propterea infaticabilis est.*

4 Ad hæc insuper Fernelius medicus lib. 1. de abditis rerum causis c. 11. hæc habet, *Literis proditum accepimus, quod primi Parentis Custos Angelus dictus fuit Raziel: Abrahæ Zakiel: Isaac Raphael: Iacob Peliel: Moysis Metratron &c.* Verum hæc sunt commenta, & inuenta Cabalistarum. Politica vtitur nominibus.

5 Circa autem caput de Angelis, ad sensum videtur sententia affirmatiua verisimilior, ita sanè, exigit sensus, seù humana politica inter homines, vt inter capita cætera, etiam nominibus inuicem distinguamur, quod in causa est, vt itidem contemplemur de Angelis. Ducor etiam aliundè, etenim, si Angelus loquatur alteri de Angelo tertio absenti, quomodo quæso loquendū foret illi, oporteret namque personam illius explicare nomine, sicut in Scriptura habemus Dan. 1 7. *Michael venit in adiutorium &c.* alias, si nomen non habuisset, vsus fuisset signo aliquo, siue officij, siue aliundè distinctius: Dices, imo nomen hoc erat officij, non naturæ: Et prob. *Michael* interpretatur, *Quis vt Deus?* inde deriuatum, ex quo aduersus Diabolum defendit honorem, sumpsitque partes, & tutelam imperij, & debitæ adorationis Dei: at hoc actum fuit in prælio, postque prælium, sortitus fuit tale nomen: antea autē qualenam nomen habebat? Dices, habuisse idem: at cur tale, & non aliud? Dices, ex præscientia expugnationis futuræ, & conflictationis cum Dæmone, Deū tale ei nomen adaptasse: Confirmatur, dum nomina consona esse debent rebus. Accedunt scripturæ allatæ, quæ rem ipsam, talem ostendūt. Nihilominus Aduersarij idipsum repetunt, nomina illa esse officij, non personæ: appellatiua, non propria. Nomina an in Beatis.

6 Circa homines vero beatos, ipsos quoque carere nominibus, vnde hoc colligi potest? & quidem, hoc sufficeret de talibus nominibus, quod nomen *Iesu Christi*, Matrisq; Virginis *Mariæ* in æternum durabunt, vt ostendatur quantæ virtutis sit tale nomen, cui teste Apost. *Omne genuflectatur* eo magis, quo ab Angelo dictum

fuit

fuit Mariæ, *Et vocabis nomen eius Iesum*. Et vt notum in sempiternum sit, ac memoriæ recolitum, in ipso nomine *Iesu*, eiusque virtute, factam fuisse redemptionē, ob quod subiunxit causam Angelus, inquiens, *Ipse enim saluū faciet populum à peccatis eorum: nec est in alio aliquo salus*, vnde & cantat Ecclesia, *Nos autem gloriari oportet in nomine Domini nostri Iesu Christi, in quo est salus, vita, & resurrectio.* Quo vero magis innotescat talis nominis impositio, conseruabitur insuper, & nomen Matris *Mariæ* ipsi namq; dictum fuit, de nomine ita sigillatim, & distinctē: Et ex sacris historijs, audito nomine *Iesu*, & *Maria*, inclinantur Angeli mira humilitate, ea reuerentur. Ecclesia quoque à sacris Litanijs, præcipuè tum ad Filium, tùm ad Matrem, tumque ad Sanctos, cæteros fundendæ precis nominibus recenset, *Christe audi nos: Sancta Maria ora pro nobis: Sancte Petre Paule orate pro nobis &c.* si ergo tùm Christum, tùm Matrem, tumque Sanctos cæteros Ecclesia exorando, proprijs appellat nominibus, cur est, vt neganda sint nomina Beatis? Item retinentur in Cœlo nomina Spirituum cœlestium, adhuc enim appellantur, & appellabuntur ijsdem nominibus, Angeli, Archangeli, Throni, Dominationes, Potestates, Virtutes, Cherubin, ac Seraphim, ergo similitèr & hominum.

QVÆSTIO VII.

De nominibus Dæmonum, & Idolorum, quæ penès Scripturam recensentur.

1 DE malis vero Angelis, seù de Dæmonibus breuitèr discurrendo, nomina penès Scripturam contenta, hæc significant.

2 In primis autem *Lucifer*, sic quidem appellatur, ob *naturalium donorum splendorem*; vt similique sumitur sæpè pro *Principe Dæmoniorum*, penès Hieronym. Isa.14.

3 Asmodæus, idem, ac *destructor, dissipator*: aut *delicti abundantia*: siue *ignem mensurans*. Sumi solet pro *Principe libidinis*: Hic autem erat, qui copulam impediebat Virorum cū Sara, quæ postea vxor fuit Tobiæ iunioris Tob.3.

4 Astaroth, idem, ac *Nemus, lucus, insidia*: Nomen Idoli Sydoniorum: dicitur quoque *Astarthe*, quæ erat *Iuno*, lingua enim punica dicitur *Astarthe*: August. in Iudic.16. fit autem mentio Iudic.2. 1.Reg.7. 3.Reg.11. 4.Reg.23.

5 Baal, ex Hieron. super Gen.9. & Sophon.1. erat Idolum: & dicitur *Dominans*, vel *subijciens*: Ex Aug. Iud.16. est nomen *Iouis*, qui lingua punica dicitur *Baalsamen*, idest *Dominus Cœli*: erat autem Idolum Sydoniorum. Habetur mentio Num.22. Iud.2. 1.Reg.7. Ierem.2. Hos.2. Sophon.1.

6 Baalim, siue *Baalaim*, idem ac *Baal*: excepto quod Baal est singulare: Baalaim plurale: Et iuxta Hieron. interpretatur, *In sublimioribus*.

7 Baalpharasim, sonat *Idolum diuisionum*: nomen loci 1.Reg.5. 1.Paralipon.14.

8 Beelmenon sonat *Idolum de peccato*: vel *Idoli habitaculum*: vel habēs fontem, indicans sectam Philosophorum, putantiū penès eos reperiri fontem scientiarum. Ciuitas Moabitarū. Ezech.25. ibique Hieron.

9 Beelphegor, *Idolum hiatus*, vel *aperturæ*: ex Origen. in Num. hom.20. est Dæmon turpitudinis, idem ac *Priapus*, cui consecrari videatur, omnis, qui turpiter agit. Indicat libidinem omnem vigorem mentis deuorantem. Hos. 9. Num. 25. Ios. 28. Deuter. 4. Psalm.105.

10. Beelsephon, *Idolum Aquilonis*: vel *Idolum occultum*, aut *ascensio speculæ*: ex Orig. homil. 27. Num. designat subtilitatem cognitionis fidei. habetur mentio Exod.14. Num.33.

11 Beelzebub, *Idolum muscæ*, vel *possessor muscæ*. Mos Iudæorum erat sumere eum pro Principe Dæmoniorum. 4. Reg. 1. Matt. 10 Marc. 3. Luc. 11.

12 Bel, *Vetustus*, aut *Nihil*, seu *Desiciens*. Idolum Babylonis, cuius nomine factum fuisse primum Idolum in Mundo: Mentio Isa. 46. Ier. 50. Dan 14.

13 Belial, *Pestilens*, *absque iugo*, *non ascendens*. Ex Hieron. Isa. 27. indicat Diabolum patrem superbiæ, dissentionis, & omnis mali. Deuter. 13. Iud. 19. 1. Reg. 1. & 25. 2. Reg. 16. 3. Reg. 21. Paral. 13. Nahum. 1. & 2. Cor. 6.

14 Dagon, *Idolum Philistinorum*: significat idem, ac *frumentum*, vel *piscis*. Ex Gregor. 1. Reg. 8. præcisis manibus, & capite, significare cessationem idolatriæ, adueniente fide Ecclesiæ: & ex Rupert. 1. Reg. 14. totam Dæmonum massam, qui corruerunt coram Christo in Aegypto: mentio Iud. 16. 1. Reg. 5. 1. Machab. 10.

15 Dæmon, vide Disp. 16.

16 Diabolus, vide quæst. præced.

17 Reseph penès Hebræos, Princeps erat Dæmoniorum: & ob nimiā velocitatē auis nuncupatur: Ipsumq; fuisse, qui in Serpentis figura Euam tentauit, idem sonat, ac reptans ventre: idque ob maledictionē à Deo acceptam, supra pectus gradiens. Hieron. Habac. 3. mentio Abacucch. 3.

18 Sathan, vide quæst. antec. mentio Iobi 1. 2. Apocal. 2.

19 Moloch, seu *Melchom*, Idolum filiorum Ammon: est *Idolum avaritiæ* cui offerebant filios & filias per ignē. 4. Reg. 23. 1. Paral. 32. Sophon. 1. Leuit. 18. Amos 1.

20 Chamos, quasi *palpans*, aut quasi recedens, vel quasi auferens: Hieron. Isa. 15. erat Idolum Mohabitarum: dicebatur etiam Beelphegor. Num. 21. 3. Reg. 11. 4. Reg. 23. Ierem. 48.

Finis Decimatertiæ Disputationis.



DISPV-

DISPVTATIO XIV.

De Custodia Angelica.

QVÆSTIO I.

An dentur Angeli Custodes?

Angeli custodes ex Scripturis, & Patribus.

1  Ngelos sanctos destinari ad custodiā hominum, de fide est: ita Psalm. 90. *Angelis suis Deus mandauit de te, vt custodiāt te in omnibus vijs tuis*. Matt. 18. *Angeli eorum semper vident faciem Patris mei*. Psal. 33. *Immittet Angelos Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos*. Genes. 19. *Angeli eduxerunt Loth, & posuerūt eum extra Ciuitatem, & dixerunt salua animam tuam*. De Petro fugiente è carcere, & pulsante ianuam Mariæ matris Marci, puella dixit, *Angelus enim eius est*. Actor. 12. atque ibidem, testante eodem Petro, *Nunc scio verè, quia misit Dominus Angelum suū, & liberauit me de manu Herodis*. & alibi sæpè in scripturis. Accedit autem præclara authoritas D. Hieronymi. Matt. 18. inquientis, *Magna dignitas animarum, vt habeat vnusquisque ab ortu natiuitatis suæ, Angelum Domini sibi delegatum*. Item August. cap. 27. in soliloq. *Diligunt conciues suos, ideoque magna cura, & solicitudine assunt nobis*. Basil in Isa. 8. *Angelis tanquam prouidis tutoribus, humani generis curam demandauit Deus ad custodiam, & salutem hominum*. atq; Ambros. lib. de Vid. *Obsecrandi sunt Angeli pro nobis, qui nobis ad præsidium dati sunt*.

Ex Plutarc.

2 Plutarcus quoque lib. de Anim. tranquill. refert Menandrum dicentē, *Vnicuique cum primum in lucem editur, Genius bonus, Magister totius vitæ adsistit*.

3 Verum vero custodia hæc fiat singillatim, & singulariter à singulis Angelis, itaut singulis hominibus singuli destineutur Angeli, an vero tota Angelorum cohors, siue Hierarchia destinetur ad custodiendos homines; Caluinus negauit singulis destinari singulos, sed aiebat, Angelos omnes curam habere totius humani generis, atq; esse vulgi opinionē, vnumquemque hominem, propriū habere, ac singularem custodem: Probat autem, quia maior gratia, maiusq; beneficium est custodiri per plures, siue per omnes, quam per vnum; ergo potius dicendum erit, custodiam fieri per omnes. Item isti sic sentientes, restringūt Dei prouidentiam, dum per vnū, aiunt, Angelum, custodiri vnum hominem, quin potius amplificanda foret ipsa prouidentia Dei, vt omnes Angeli custodiant omnes, & singulos homines.

Caluini dementia.

4 Verum in oppositum est communis sententia Scholasticorum in d. 7. Scoti, Bonau. D. Thom. q. 113. cæterorumque, singulis hominibus singulos deputari Angelos ad custodiam: atq; Patrum; hinc Theod. in Dan. 10. *Ex his docemur, singulis Angelis vniuscuiusque nostrum creditam esse curam, vt custodiant, tueantur, & à prauis Dæmonū nos liberent insidijs*. Basil. lib. 3. contra Eunom. *Quod adsit singulis credentibus Angelus, tanquam Pedagogus, & Pastor vitam dirigens, nemo contradicit*. Specialiter autem de Petro probatū est, dum dixit puella, *Angelus eius est*. Insuper Origen lib. 3. Periarc. cap. 2. Nyssen lib. de vita Moysis. Lyra, cæteriq; Glossatores. Et cōfirmatur, nam Plato in Phed. vnicuique hominum admiscet bonum Genium: & Plutarc. lib. de tranquill. an. refert Menandrum dixisse, vnicuique hominum assistere Dæmonem; quam tamen sententiam refellēdo ait, veriùs dixisse Empedoclem, asserentem assistere geminum Dæmonem, alterum bonum,

Singulis hominibus singuli Custodes.

bonum, & alterum malum: de quo tamen infra.

An sit de fide.

5 Sententiam hanc non esse de fide, ait Molin. disputat. vnic. quæst. 113. licet, inquit, sit communis: ait vero Valentia, *Ita esse certam, vt sine insigni temeritate, atque errore negari nõ non possit*, t. 1. disp. 8. q. 6. punct. 3. *(secunda assertio.* Vasquez 1. par. t. 2. disp. 246. inquit, *sine graui temeritatis nota negari non licet.* & Suarez lib. 6. cap. 17. subdit, *Quamuis non sit expressa in scriptura, nec ab Ecclesia definita, tanto consensu Ecclesiæ vniuersalis recepta est, & ex ipsis scripturis, prout à Patribus intellecta est, tam magnum habet fundamentum, vt sine ingenti temeritate, ac ferè errore negari non possit.*

An vnus, an plures deputantur singulis hominibus.

6 Ad rationes autẽ Caluini in primis supponit, homines nullatenus ab Angelis aliis, pluribusque adiuuari, & custodiri, quandocumque opus fuerit, hoc enim ignorantiã indicat scripturarum, etenim scripturæ id docẽt, nam Gen. 19. *Angeli eduxerunt Loth, & posuerunt eum extra Ciuitatem, & dixerunt, salua animam tuam:* En qualiter plures Angeli, vltra proprium ab ortu natiuitatis suæ designatum, occurrerũt ei ex diuino mandato ad liberandum eum ab incendio. Item Tobiæ, vltra Angelum tutelarem, accomodatus quoq; fuit Angelus Raphael ad ducendum, & reducendum à Gabelo &c. Michael insuper venisse dicitur in adiutorium populo Dei, cui præerat Gabriel, Dan. 10. Et confirmatur authoritate Orig. homil. 4. in Psalm. 36. dicentis, *Nanquã solus est aliquis, sed ne vnius quidem, aut duorum, vel trium tantummodo Angelorum fauore iuuatur, sed exercitus ei Virtutum præsto est.* Respondetur ergo, quod ordinariè loquẽdo, vnus quidem destinatur cuique singulari homini, at in casu speciali deputantur plures, vt visum est ex scripturis; tum etiã constabit ex eo, quod Prælatis, aliisque in regimine, ac singulari ministerio cõstitutis deputantur plures, alter ratione personæ, alter ratione officii, & ministerii: Ad aliud, non restringitur prouidentia, quando prouidetur de necessario, & sufficiẽti, at vnus Angelus sufficit, ergo bene prouisum.

7 Verum autẽ idem Angelus plures custodiat, & vel simul, vel successiuè: Affirmat Magister d. 11. Verum, tenendo, numerum Angelorum excedere numerum hominum, poterit singulis hominibus singuli destinari Custodes, & æquè bene: Refert autem Dionys. Carthus. lib. 1. de cœlest. Hierarch. cap. 10. reuelatum fuisse Diuæ Brigittæ, tanto numero Angelos excrescere, vt singulis hominibus possint deputari decem Angeli Custodes. Item de custodia hac dupliciter loqui possumus, vel simul, vel successiuè: primo sensu erit difficilis, quoniam dum nec Angelus poterit simul reperiri in pluribus locis extra sphæram actiuitatis suæ; ergo non poterit simul plures custodire: esset namq; idem Angelus eodem tempore simul Neapoli, & Venetiis, Germania, & in Gallia, & huiusmodi. Verum posset occurri, dicendo non custodire plures, nisi existẽtes intra sphæram sui loci adæquati: At contra, quia demus v. g. alterum illorum recedere inde, & ire in Regionem longinquam, siue in locum extra sphæram illius Angeli, tunc Angelus desineret custodire illũ, vel si non desineret, saltem necesse esset deserere alium, vt sic ex. gr. si custodiat hic Neapoli duos homines, quorum tamen alter remaneat quidẽ Neapoli, alter vero recedat, & pergat Coloniam, alterũ namq; illorum necesse foret relinquere: tunc autem illi relicto deputandus veniret alter Angelus, at ex Scholasticis, & Patribus, vt dicemus, cõstat deputationẽ fieri à natiuitate, siue à conceptione hominis, quomodo igitur nunc denuo destinabitur alter custos: Item Theologi, & Patres, non docent, custodiam mutari, itaut Angelus prius à custodia cesset, & nouus accedat. A primo ergo ad vltimum, dicendum cum communi sententia, singulos Angelos singulorum hominũ curam gerere, non tamen pluriũ, eo magis, quo eorum numerus tantus est, vt singulis hominibus decem possint deputari Angeli Custodes ex D. Brigitta. Sententia hæc, & est verisimilis, & est communis, quãuis nihil impediet fieri posse vtrumque, vt & plures vnus custodiat simul, & successiuè, vt defuncto vno, custodiat alterũ, sicut aiebat Magister;

Angelus vnus, an vnum custodiat hominem, an plures.

gister; probatque, quoniam vni hominum, vtpote superiori, ac domino, demandatur cura de pluribus, vt subditis, ac famulis, ergo & id poterit euenire de Angelis. Cæterum ipse quoq; Magister nec firmus est in hac sententia: communis tamen sententia est vt supra. At dices, vnus Rector, vnusque Superior regit plures simul, ergo & vnus Angelus plures. Resp. manifestari magis prouidentiam Dei, custodiendo singulos per singulos.

An omnibus hominibus destinentur Custodes.

8 An omnibus hominibus destinentur Angeli Custodes. Fuit sententia, solummodo prædestinatis deputari, non reprobis: Dixerunt alij, deputari solummodo Sanctis, referente Origene tract. 5. in Matt. & Didimus lib. 1. Parallell. cap. 7. & suadetur ex Paulo Hebr. 1. *In ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis*: At respondendũ, omnibus deputari bonis, & malis, prædestinatis, & reprobis, imo ipsimet Antichristo: ita Scholastici, & Patres: & de facili probatur, quia Scripturæ diuinæ loquuntur indefinité, & vniuersaliter, nullũ excludentes. Itẽ teste Paulo, *Deus vult omnes homines saluos fieri*, medium autem salutis, inter cætera, est custodia angelica. Insuper omnes à Dæmone tentantur ad malũ, ergo omnes Custodem habent, protegentem à malo. Et accedit loquutio vniuersalis D. Hieronymi recensiti, dum ait, *Magna dignitas animarum, vt vnaquæque habeat Angelum in sui custodiam delegatum*: dum vero inquit, *vnaquæque*, neminem excludit, nec fidelem, nec infidelem; nec prædestinatum, nec reprobum: nec bonum, nec malum. Ad locum vero Pauli respondendum, ideo Angelos ad custodiam destinari, vt per ipsorũ custodiam homines saluentur, talis namque est finis angelicæ custodiæ, quod vero non omnes saluentur, per accidens est, & ipsismet peccatoribus imputatur, nõ Angelo custodienti, fecit namque quantum erat ex se, custodiendo, exhortando ad bonum, deterrendo à malo &c. an Christus, & Beatissima Virgo habuerint Angelum Custodem, & an Antichristus sit habiturus, videbitur infra.

Quonam tempore incipiat custodia.

9 De tempore nunc inquiritur, quandonam incipiat angelica custodia. D. Thom. q. 113. art. 5. incipere ait à die natiuitatis; probatque, non incipit prius, v. g. à die conceptionis in vtero, quia idem Angelus, qui custodit matrem, custodit & filiũ in vtero. Ratio, quoniam tunc mater, & filius censentur vnũ, & idem: ergo Angelus matris sufficit. Anselmus autem in Elucidario, quem sequitur Bonau. & Gabr. d. 10. 11. docet deputari à die conceptionis: indeq; aiunt esse tunc non vnum, sed duos Angelos, alterum matris, alterum infantis in vtero. Probatur, Lucifer à die conceptionis deputat Angelum malum, ergo & Deus ab eodem die destinat bonũ. Item tempore conceptionis anima fœdatur peccato originali, ergo à tunc Deus prouidet de Angelo tutelari. Insuper pati solet infans in vtero abortum, etiam machinatum quandoq; à genitoribus: ergo eget peculiari Angelo liberante, & faciente quantum est ex parte sua. Nihil tamen certum in re hac, an per propriũ custodiatur Angelum, an per Angelum Matris: vtrumq; probabile: inclinamus tamen magis in opinionẽ secundam. Dices, obstat Hieronymus allatus, inquiens, *Magna dignitas, vt habeat vnusquisque ab ortu natiuitatis suæ*. Ergo incipit à natiuitate; sed facile occurritur, distingui posse de duplici natiuitate, vel in vtero, vel extra vterum: iuxta secundam sententiam, dicendum esse loqui Hieronymum de natiuitate in vtero, quæ est conceptio: nec obstat, quod natiuitas indicat exitum ex vtero, ita quidem est, communiter loquendo, at nõ incongruè conceptio appellatur etiam natiuitas: differentia autem inter vtramque est, quod illa est imperfecta, hæc perfecta: imo penes Astrologos natiuitas in vtero est in maiori consideratione, quam extra vterum: ac proinde, perfectiorem formare discursum recurrendo ad conceptionem, quam ad ortũ, at quia modus ille difficilis est, relinquunt, & recurrunt ad istum. Alij aiunt custodiam incipere post baptismum; indignum existimantes deputari Angelum ad non baptizatum. At hi reijciũtur, iam enim probatũ remanet, deputari omnibus, etiam infidelibus. Alij denique aiebant destinari nõ ante, sed post

vsum rationis. At hoc quoque est falsum; quia ab ortu, imo à conceptione habent Angelum, siue matris, siue proprium, deputatum: & certè conuincitur exemplo pueri introducti à Christo Domino in medio Apostolorũ Matth. 18. quem Euangelista appellat *paruulum*, dicendo, *Statuit paruulum in medio eorum*: igitur carebat vsu rationis: Confirmatur consequens ex Chrisost. homil. 59. in Matt. dicente, *Paruulum ætate, & mea sententia, valdè paruulum, qui ab omnibus esse passionibus liber*, ergo datur etiam ante vsum rationis.

10 De tempore durationis custodiæ angelicæ, dicendum est, in morte finiri (ita omnes cũ D. Thom. q. 113. art. 4. non enim in Cœlo Animæ beatę opus habent custodia angelica, cum sint in loco tuto ab omni malo, iuxta Psalm 41. *Non accedat ad te malum, & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo*: & ibidem, *Qui habitat in adiutorio Altissimi, in protectione Dei Cœli commorabitur*: Nec in Inferno curam eorum gerunt, cum traditæ sint animæ damnatæ, curæ, & gubernio Luciferi: Verisimile tamen est animas in gratia decedentes, sed non plenè purgatas, à proprijs Angelis in Purgatoriũ comitari, ibique quandoque ad ipsas consolandas descendere, Dei iussu, & misericordia: quemadmodũ iam plenè purgatas, in Cœlum comitari, sicut ex historia Lazari colligitur, *Factum est, vt moreretur mendicus, & ab Angelis portaretur in sinum Abrahæ*. Additq. Origenes hom. 11. in Num. Angelum ducturum animam, cui præfuit, ad iudiciũ extremum, inquiens, *Vnusquisque Angelorum aderit in iudicio educens eos secũ, quibus præfuit*.

11 Vtrum vero Custos Angelus deserat aliquando suum Alumnum: videtur quod sic, & colligitur ex Hierem. 51. *Curauimus Babilonem, & non est sanata, derelinquamus ergo eam*. Item Isa. 5. *Auferam sepem eius, & erit in direptionem*. sepem vero plerique Patres intelligunt custodiam angelicam. Insuper Basil. in Psal. 33. ait, *Omni credenti in Christum Angelus assistit, nisi illum à nobis pravis improbis actionibus profligauerimus*. Et Euagrius penès Damascenũ citandum, *Vir impius, ac flagitiosus, etiã ab eo Angelo, qui ipsi à puero datus est, distinguitur*. ipse quoque Damascenus hoc docet de Antichristo, penès Bonauent. d. 11. art. 2 q. 1. ac denique Glossa in illud Gieremiæ citati, ait, *Medici sunt Angeli, qui à nobis repelluntur, dum eorum consilijs non acquiescimus*. Itẽ per rationes, magis est misericors Deus, quam Angelus, sed Deus per peccatũ derelinquit animam, non enim gratia, & peccatum stant simul, ergo & Angelus. Insuper Ecclesia eijcit è gremio suo rebelles, schismaticos, & excommunicatos, priuando eos suffragijs, ac plerisque alijs bonis, ergo hoc idem faciet Angelus denegando præsidiũ custodiæ.

12 Contrarium est verũ, & probatur, magis est paratus Angelus bonus ad custodiendum hominem, quam sit paratus Diabolus ad eum præcipitandum: sed Diabolus nunquam deserit hominem, quantumuis sanctum, ergo & Angelus bonus nunquam deseret, quantumuis peccantem: Minor probatur per Glosam super illud Tobiæ 6. *Apprehende branchiã eius*, vbi ait, Diabolus vsque ad Crucem sequutus est Christum. Denique, de nemine est desperandum in via, potest enim peccator cõuerti tempore mortis, vt de bono Latrone: ergo non est dicendum Angelum deserere hominem à sua custodia. ita D. Bonau. loc. cit. Gabr. Dur. Rich. cæteriq. Sententiarij: & D. Tho. artic. 6.

13 Ad loca autem Scripturarũ dicendum, non esse sensum, quod Deus, siue Angelus deserat omnino, vel custodire, vel ad bonũ incitare, vel à malo deterrere, sed sensus est, quod non præstantur peccatori obdurato ea singularia dona, & auxilia, quæ præstabãtur prius, sed ob sui ingratitudinem permittit aliquando Deus, vt in maiora ruat peccata, hoc autem permittere est deserere: Cæterum Deus nemini denegat vsque ad mortem, auxilia sufficientia ad salutem, inter quæ auxilia, est ipsa custodia angelica. Et ad Patres, & si alij plura dicant, nihilominus responsio, & explicatio Bonauenturæ de Damasceno optima est, ait enim in fine corporis, *Intelligitur Angelus recedere, vel abesse, non quia non defen-*

dat

dat ab Aduersario, vel nõ retrahat à malo, sed quia non conseruat in bono, nec perducit ad bonum. Loquitur autem Bonauent. non de omni bono, sed de illo speciali, siue donis specialioribus, atq; effectibus singularioribus, quos praebebat ante, vt ampliùs declarat in respons. ad sext. & sic de facili intelligẽdi veniunt reliqui Patres allati: & in historia Ecclesiastica narratur, quod ante destructionem Hierosolymae, auditae fuerunt voces Angelorũ in Templo dicentium, *Relinquamus has sedes*.

14 Ad rationes autem respondendo dicitur ad primam, esse disparem rationem, quia Deus inhabitando animam, inhabitat eam per gratiam, quae gratia est dispositio ad talem inhabitationem, at custodia non requirit absolutè gratiam, etenim etiam peccatores custodiuntur per Angelos, sed formalis causa custodiae est indigentia hominis custoditi, & quod sit verum, iam Christus Dominus non habebat Angelum Custodem, quia non indigebat eo, vt ampliùs dicetur: respondet autem in terminis Bonau. quod habitatio Dei in anima requirit dignitatẽ, quae est per gratiam; at custodia respicit indigentiam, & necessitatem. Ad Secundam dicendum, quod licet tales priuentur suffragijs publicis, non tamẽ priuatis, potest namque quisque tanquam persona priuata orare pro eis: imo ipsamet Ecclesia, tanquã pia mater, minimè deserens eos de toto, in die Dominicae passionis orat etiam publicè pro ipsis, ostendens sanguinẽ Christi Domini fuisse effusũ pro omnibus, etiam pro peccatoribus, pro inimicis, &c. ergo nec Angelus deseret, vt est dictum.

15 Dicendum insuper, quod etsi interdum derelinquat hominem localiter, non tamen derelinquit eum, quoad effectum custodiae; quia etiam, dum est alibi, cognoscit quidnam circa hominem agatur: nec indiget magna mora temporis ad redeundum, sed praesto potest adesse. ita ex *Damasceno* colligit D. Tho. 1. par. q. 113. art. 6. ad 3.

16 Hinc autem quaerimus de Antichristo, an habiturus sit Angelum: & an aliquando ipsum foret deserturum. iam Damascenus penès D. Bonau. loc. cit. negat, inquiens, Antichristum carere Angelorum praesidio. talis quoq; fuit opinio Altisiodorensis: Item Author compendij Theologiae lib. 7. c. 7. ait, habiturum quidem Custodem, sed denique, crescente peruersitate eius, tandem fore eum derelicturum. Attamen, vtrumque negant Theologi, ergo & habebit Antichristus Custodẽ Angelum, & non derelinquet, nisi ad sensum explicatũ in praecedenti assertione. ita D. Bonau. D. Thom & omnes, acceditq; Suar. lib. 6. cap. 17. nu. 21. vide Alensem 2. par. q. 41. art 4.

17 De Christo autem singulariter quaeritur, & de Sanctissima Virgine: an habuerint. Ad Primum, est communis sensus Theologorũ, Christum non habuisse. Ratio, quia Angelus Custos datur, vt dirigat, doceat, illuminet, atq; ad bonum alliciat custoditũ: at Christus non egebat Angelico subsidio ad haec, patet quia erat sapientissimus, potentissimus ad semetipsum custodiendum, & eripiendũ, sicut faciebat quando volebat, eripiens se mirabiliter de manibus Iudaeorum, vsque quo dignatus fuit tradi, crucifigi, & mori: Ipse quoque illuminat Angelos; est Caput Angelorum: est Dominus eorum: impeccabilis per naturam: Comprehensor ab instanti conceptionis, non ergo angelica egebat directione, & custodia. Quod si Angelum habuit Custodem, habuit tamen Angelos obsequentes, inseruientes, & ministrantes, prout patet in deserto, vbi victa trina tentatione, *Accesserunt Angeli, & ministrabant ei*: Vbi notandum, nullam fieri mentionem Angeli alicuius tempore tentationis, sed post tentationem: Ratio, quia ad vincendũ, non indigebat ope Angeli, siue instruentis, siue animantis, siue quoquo modo arma praebentis, & ad fortiter dimicandum docentis, cum absque tali tutela, poterat praestare haec omnia, & strenuè certare, sicut egit: inde tamen vincenti Domino accesserunt Angeli, vt ministri, vt obsequentes, vt famuli &c. Bonauent. caeteriq; d. 11. D. Thom. 113. artic. 4. Christus an habuerit Angelum Custodem.

18 Ad Secundũ de Beatissima Virgine an habuerit Custodem Angelum, affirmant vniuersi Theologi cum Ber- An habuerit Beatissima Virgo.

nardo Epist. 77. Est autem singularis opinio Christophori de Avendagno, qui in suo Mariali serm. de Angelo Custode, sentit, Virginem nõ habuisse necessitatem Angeli Custodis: nihilominus datum ait, sibi fuisse ad maiorem honorem, atque dignitatem. Cæteri tamen Scholastici absolutè docēt habuisse Custodem, non distinguentes de necessitate, & dignitate: præter namq; Christum Dominum, omnibus fatentur absolutè dari Custodem. Quod si quæras, quinam fuerit ipsiusmet Virginis Custos? Refert Scymenez lib. 2. vitæ Christi ex Nazianzeno, Michaelem Archangelum fuisse suum Custodem: Quod vero docent alij est, fuisse Gabrielem, qui & eidem annuntiauit mysterium Incarnationis: ita D. Bernard epist. 73. S. Ildephonsus serm. 5. de Assumptione Virginis, & Sophronius serm. de Assumpt. traditas autem ipsi Angelorum Reginę plures insuper fuisse Angelos, ad ministeria, ad seruiturm, ad conspectum, ad colloquium, & ad solamen, præcipuè post mortem Christi Domini, valde consentaneum est, & pium.

Quinam Virginis custos.

19 Stante hoc, non currit id, quod ait Vasq. disp. 245. cap. 1. in fin. inquiens nulli deputari Custodem de suprema Hierarchia; etenim Gabrielem esse de suprema, expressè docet Greg. homil. in Euang. & Scot. 2. d. 10. q. 1. qui tamen datus fuit Custos Beatissimæ Virgini: idem de Michaele, si teneatur eum fuisse Custodem ex relatis: de pluribus etiam ita sētijt Tanner. t. 1. disp. 5. q. 6. dub. 8. num. 22.

Custos datur Prouincijs, Regnis Ecclesijs.

20 Crescit angelica custodia, dum nedum hominibus singulis datur, verum & Regnis, Prouincijs, Communitatibus, præsertim Ecclesiarum, & Religionum: Hinc Hieron. Dan. 7. per quatuor ventos exponit quatuor principalia Regna, quæ angelicæ custodiæ commissa erant: hinc Deuter. 32. vbi habet vulgata editio, *Constituit terminos Gentium iuxta numerum filiorum Israel*, Septuaginta traducũt, *iuxta numerum Angelorum Dei*. Item Dan. 10. Gabriel erat Custos illius populi Israelitici, ex Abulensi in Dan. 10. q. 71. quo etiam loco fit mentio alterius Principis, seu Custodis, Regni Persarum, vt dicebat idē Gabriel, *Princeps* (nempè Custos) *Regni Persarum restitit mihi 21. diebus*, ex Hieron. & Theodoreto ibi. Confirmat autem Epiphan. hæres. 54. *Regna, & Gentes sub Angelis posita sunt*, atque Clemens Alex. 6. Strom. *Per Gentes, & Ciuitates diuisæ sunt Angelorum præfecturæ*. Insuper datur Ecclesijs, seu Episcopatibus, ita Ambros. lib. 2. in Luc. *Non solum ad tuendum Gregem Domini Episcopos ordinauit, sed etiam Angelos destinauit*. Idemq; tradit Hieron. Mich. 6. cum Origen. 1. Periarc. 8. sumunt hoc ex Apocal. cap. 1. 2. 3. vbi frequens fit mentio *Angeli Ecclesiæ &c.* ibi tamen per Angelos illos intelliguntur Episcopi: appellantur vero sic, vt significaretur, officio Episcoporum, similia Angelorum munia correspondere, à quibus desūpta est denominatio: Non autem Angelos veros ibi intelligi, patet ex textu, vbi improperantur aliqua, vtpotè *primã charitatem amisisti: Habeo aduersum te aliqua: memor esto vnde excideris; age pœnitentiam, sin autem venio tibi, & mouebo candelabrum tuum de loco suo: habeo aduersum te aliqua*, & huiusmodi: at constat Angelos sanctos non posse peccare, sunt enim Beati, ergo non de veris Angelis agitur ibi, sed de Episcopis.

21 Augetur diuina dignatio, vt nedum creaturis rationalibus, verum & irrationalibus destinetur quoque Angelus Custos, ita Aug. lib. 8. de Gen. ad lit. cap. 24. *Angelis Deo seruientibus subdita est omnis natura corporea, omnis irrationalis vita*. In primis autem discurrendo per singula ex scripturis, Apoc. 1. fit mentio Angeli habentis potestatē super aquas, *Et audiui Angelum aquarum dicentem*. cap. 14. fit mentio de igne, *Et exiuit alius Angelus de altari, qui habebat potestatem super ignem*. Michael Archangelus dixit, in apparitione Montis Gargani, illũ Montem sub sua tutela esse, ac denique elementa omnia complectitur Origenes Ierem. homil. 8. inquiens, *Omnibus rebus Angeli præsident, tam terræ, & aquæ, quam aeri, & igni*. Propositio autem statuta extenditur amplius, vt singulæ quoque species rerum sensibilium, & insensibilium habeant suũ Custodem: ita idem

Custos datur etiam creaturis irrationalib.

Orige-

Origenes, qui homil. 23. in Iosue. sic scribit, *Virtutes cælestes mundi huius munia sic susceperunt, vt illa terræ, vel arborum germinationibus, illa fluminibus, ac fontibus, alia ventis, alia marinis, alia terrenis animalibus, vel singulis è terra gignentibus præsint*. ita quoque D. Tho. q. 113 art. 3 par. 1. & Abulens. quæst. 57. Matt. 18. Oppositũ autem tenet Caetanus, inquiens, quod sic sentire, esset incidere in opinionem Auerrois, siue Platonicorum, dicentium dari intelligentiam quandam, quam, & Cholcodeã vocabant, cuius munus esset infundere formas, quam *Datricem formarum appellabant*. Angeli autem non possunt formam substantialem producere. Sed respondetur, antiquiores Philosophos ita quidem loquutos fuisse in hac re, Theologi autẽ aliter, nõ enim Angeli præsũt, vt formas influant, (de quo suo loco) sed vt Orbem istum ex Dei iussu custodiant, non vt formas inducant per *generationem*, vt illi aiebant, sed vt præseruent Orbem à *corruptione*, vt nos loquimur, de quo infra.

Custos an detur singulis speciebus, & indiuiduis.

12 Circa hoc vero de speciebus, an singulis speciebus, etiam imperfectis: & an singulis speciebus indiuiduis demandata sit singulariter custodia angelica: Circa Primum ait Tannerius, intelligi de speciebus perfectis: tom. 1. disp. 5. q. 6. dub. 8. num. 15. Circa autem Secundum, loquẽdo quidem de specie humana, iam constat ex dictis singulis hominibus destinari singulos Custodes: De cæteris vero, sufficit destinari speciebus: dum autem speciem custodiunt, custodire etiam dicuntur & indiuidua, non enim species conseruatur nisi in indiuiduis. De speciebus tandem imperfectis, vt vermes, culices, pulices, cimices, sciniphes, muscæ, aranei, scorpiones, viperæ, aliaq; infima de genere sensibilium: & de genere vegetabilium, vt tribuli, spinæ, verticæ, aliaque huiusmodi, quæ vel nullũ, vel parũ vsui sunt naturæ, sufficiat hæc demãdari generaliter sub cura Angeli illius, cuius custodiæ demandatum sunt elementa, vbi *generantur*: vt aquatilium custodia spectet ad Angelum *aquarum*, terrestrium ad Angelum *terræ* &c. Plura quidẽ ex recensitis vtilia sunt, & commoda naturæ humanæ, tùm corpori, tum animæ: illa, vt viperæ, scorpiones, similia, ex quorum primis componitur theriaca: ex secundis oleum ad vsum medicinæ: hæc vero, vt germinante terra spinas, & tribulos, occasionem præbeant exercendæ patientiæ: tum etiam, quia necessaria videntur ad perfectionem Vniuersi: item quia eo magis elucescit natura boni, quo magis ei opponitur malum: vt sanitas per oppositionẽ morbi: pulchritudo per oppositionẽ turpitudinis: & vita per oppositionem mortis: dum igitur hæc ad commodũ pertinent, & perfectionem Vniuersi; dum etiam per productionẽ eorum, atque plurimũ, & propè innumerabilium indiuiduorum in pluribus speciebus, præsertim in ouos piscium, in seminibus segetum, florum, cæterarumque plantarũ, dum, inquam, ex his ampliùs magnificatur potẽtia, & prouidentia diuina, opus est, habeant Custodem, (saltem vniuersalem) loquendo de imperfectis, ne pereant: & hoc est, quod aiebat Origenes, *Alia terræ, alia fluminibus, alia ventis, alia marinis, alia animalibus, vel singulis*, nota *singulis*, *è terra gignentibus præsint*: rationem autẽ reddit, quam tradidimus, inquiẽs, *Esse in his singulis sacramenta ineffabilia, diuinæ dispensationis, vt ordine suo cuncta, & competenti per vnamquamque virtutem dirimatur officio*. De Astris denique ipse quoque Philosophus intelligentiã adscribit Cælo, & singulis singulas; addit autem Theologus, Angelos tales non deputari Cælis, vt Custodes, sed vt motores: ratio primi, quia Cæli dum sunt incorruptibiles, non egent Angelis præseruantibus à corruptione, subsunt enim manutenentiæ Dei. A primo ergo ad vltimum loquendo de homine, singulis hominibus destinantur singuli Custodes: loquendo vero de speciebus cæteris corruptibilibus, negat D. Thom art. 2. in corp. postquam enim prius dixerat singulis hominibus singulos destinari Custodes, inde tamen post pauca subdit, *Quod de aliis rebus corruptibilibus dici non potest*: & infra subdit, *Probabile est, quod diuersis speciebus rerum diuersi Angeli præficiantur*, rationem autem reddit, quia homines non solum sunt incorruptibiles quantum ad speciem, sed quantum ad animam:

Animalia imperfecta, & spinæ an habeant custodem.

Astra an habeant custodem.

animam: cætera non sic: igitur circa alia sufficit Angelum constituere Custodem pro tota specie: & talem, qualem scripturæ nominant, iuxta genus eorum, vt diximus, *Angelum aquæ, terræ &c.* aduersum tamen hæc adest sententia Hieronymi super Abacuc 1. dicentis, *Ad hoc deducunt diuinam Maiestatem, vt sciat per momenta singula, quot nascantur culices, quotue moriantur quæ cimicum, pulicum, & muscarum sit in terra multitudo: quanti pisces in aqua natent &c.* infra autem post pauca, contra nostrū propositum subdit, *Ex quo liber ille apocryphus stultitiæ condemnandus est, in quo scriptum est, quendam Angelum nomine Tyri præesse reptilibus, & piscibus quoque, & arboribus, ac bestijs vniuersis propriæ in custodiā Angelos destinatos:* Negat ergo his vltimis verbis talem pro irrationabilibus custodiam. Verum qualis sit intelligentia D. Hieronymi in prima parte huius sententiæ, vidimus tom. 1. de Trinit. disput. de Prouid. Quoad Secundam vero partē intelligendus venit de singulis prædictorum indiuiduis, sufficit namq; Angelus vnus pro tota specie, vt diximus.

23 De tempore nunc inceptionis inquiritur angelicæ custodiæ in toto Vniuerso, an ante peccatum, an postmodum: secundum docet Greg. Nyssen. lib. de vita Moys. communis tamen sententia est incepisse ante: Ratio, quia Custos datur ad custodiendum, & defendendum alumnum, at potest impugnari ante peccatum, sicut de facto accidit, Adam, & Eua, ergo tunc ab initio habuerunt Custodem. Dices, nullum tunc aderat periculum, carebant enim peccato originali, muniebantur præsidio iustitiæ originalis. Respond. experientiam docere oppositū, iam enim impugnati, & deuicti fuerūt: vide D. Bonau. in 2. d. 11. art. 2. q. 2.

An Custos ex damnatione Alumni sentiat detrimentum;

24 An Custos Angelus ex damnatione alumni sibi commissi, detrimentum aliquod incurrit: Videtur quod sic ait enim Isa. 33. *Angeli pacis amare flebunt.* item Origenes in nu. 25. inquit, *Præest Angelus bonus, qui pro delictis culpatur, & pro bene gestis laudatur* homil. 11. tom. 1. Item ibidem ait, *Trahantur Angeli in iudicium, vtrum ex ipsorum negligentia, an hominum ignauia lapsi sint.* Fuerunt qui dixerunt, penes Bonau. quod si non incurrunt detrimentum gloriæ, concipiūt tamen gemitum misericordiæ: & ita exponunt locum Isaiæ: Impugnat tamen Bonauentura, inquiens, quomodo poterit aliquis compati, & non pati? ita sunt, quia compassio, vltra relationem ad compassum, indicat passionē in compatiente: sicut consimilia diximus de misericordia t. 1. de Trinit. disp. de Miseric. Probatur autem ad undē intentū, quia Beati, dum sunt detēti in maxima summi boni oblectatione, nō potest in ipsos cadere luctus, dolor, tristitia, &c. vt dicitur, *Non erit amplius neque luctus, neque dolor erit vltra.* Apoc. 7. Item Christus Luc. 16. *Gaudium vestrum nemo tollet à vobis.* Accedit, quod etsi videant damnatos torqueri, zelando tamen diuinam Iustitiam, contenti sunt de quanto diuinum disponit iudicium. Et confirmatur authoritate Gregorij homil. 40. in Euangel. tom. 2. *Iustorum anima, & si bonitate naturæ suæ misericordiam habeat, iam tamen Authoris sui iustitiæ coniuncta, tanta rectitudine constringuntur, vt nullo ad reprobos compassione moueantur.* Ad Origenem autem respondet Bonau. quod *si simpliciter intelligatur, falsum erit, nullo enim modo Angeli boni culpabuntur: nec in iudiciū adducentur, nisi forte quis dicat, quod adducentur in iudicium non ad suam condēnationem, sed ad manifestandum, quod reprobi ex malitia sua sunt damnati, non ex suorum Custodum negligentia.* Vel pro Angelis, intelliguntur Prælati, vt ibidē exponit, & de eis intelligi posse, ait, Isaiam: Quod si tamen intelligenda veniunt verba Isaiæ de Angelis bonis, subdit, *Amaritudo fletus non indicat veritatem doloris, sed quandam conformitatem signo, vel effectu exteriori, & potest intelligi per Anthropopathon, sicut dicitur Deum tactum fuisse dolore cordis intrinsecus.* Diuus autem Thomas q. 113. art. 7. in corp. ait, *Verbum illud Isaiæ potest intelligi de Angelis, idest Nuncijs Ezechiæ, qui fleuerunt propter verba Rapsacis. Isa. 33. & hoc, secundum litteralem sensum: secundum vero allegoricū, Angeli pacis sunt Apostoli, & Prædicatores, qui flent pro peccatis hominum: Si vero secundum sensum anagogicum exponatur*

natur de Angelis bonis, tunc metaphorica est loquutio, ad designandum, quod Angeli volunt in vniuersali hominum salutem. Ferè eadem habet Richar. 2. d. 11. art. 2. q. 3. & Alensis 2. par. q. 41. m. 6. artic. 1.

An conuersione Alumni an augeatur Custodi gaudium, & gloria.

25 Sed verum ex conuersione, & salute accrescat ei gaudium, & gloria: loquendo quidem de gaudio, & gloria essentiali, quæ est de bono increato, quod est Deus: non crescit denuo, illi namque acceperunt initio suæ beatitudinis de toto: loquendo de accidentali, quæ est gaudium, siue gloria de bono creato siue proprio, siue alieno, crescit in eis præmium accidentale, tùm intensiuè, tùm extensiuè, sicut crescit & materia talis gaudi, inquit Bonauent. q. 2. d. 11 art. 2. Confirmatur Luc. 15. *Gaudium est Angelis Dei super vno peccatore pœnitentiam agente.* De hoc autem in materia de Visione beatifica: infra, agendo de Gloria Angelorum.

An inter custodes Angelos discordia.

26 An inter ipsos Custodes Angelos, sicut & inter cæteros Angelos sanctos posse esse dissensio: Videtur quod sic, nam Gabriel Dan. 10 dicebat, *Princeps Regni Persarum restitit mihi viginti, & vna diebus: & ecce vnus de Principibus primis venit in adiutorium meũ:* Quo loco, Gabriel, qui ex D. Tho. erat Custos populi Israelitici, aiebat, Custodem Angelum Regni Persarũ restitisse ei circa liberationem populi è captiuitate: desiderante Gabriele ad orationem Danielis, liberationem populi, vt melius Deo inseruiret, contendente tamen ex aduerso, Custodem Persarũ, adhuc detinendum fore sub captiuitate, tùm quia aliquid amplius ei remanebat purgandum, tùm quoq; vt Gentilibus patientiæ, & obseruantiæ diuinæ legis, ad conuertendos eos præberet exemplum. Item Dan. 7. super illud *Quatuor venti Cœli pugnabant.* Glossa ait, *Quatuor venti sunt quatuor angelicæ potestates, quæ Regnis in quadripartito mundo positis, præsunt.* Nihilominus dicendum, nullam inter Sanctos discordiam reperiri, probatur, vbi lites, ibi odia solent reperiri, minæ, persecutiones, iræ, tristitia, & huiusmodi, at hæc longè sunt à statu beatitudinis, in quo est sũma pax, summa tranquillitas, patet in materia de Vision. beatif. Confirmatur ex Iobi 25. vbi dicitur de Deo, quod *facit concordiam in sublimibus suis.* Ad illud autem Danielis Hieronymus ait intelligi de Angelo malo, vt Angelus Persarum fuerit malus, ita ibi, cum Rupert. cap. 4. l. 9. de victor. Verb. At vero oppositum communiter sentiunt Gregor. l. 17. moral. cap. 8. Dionys. cœl. Hierarch. cap. 9. Lyran cæterique in locum Danielis, D. Thom. art. 8 cum Scholasticis. Richar. 2. d 12. art. 1. q. 3. &c. ideo respondetur in terminis, dissensionem illam fuisse materialem, non formalem: nõ quidem formalem, quia non procedat ex animi praua dispositione, non ex prauo affectu, non ex ira, non odio, seu ex huiusmodi passionibus, in his namque consistit dissensio formalis, ratio, quoniam finis omnium erat bonus, nempè gloria Dei, & beneficium populi, licet per varia capita obtinendum, & ita euenire solet etiam in via in timoratæ conscientiæ viris, dum aliquando diuersa sentire videntur: ita quoque agere solent Aduocati bonam habentes conscientiam, qui etsi contrariis partibus patrocinando, contraria consulant, & totis viribus vnusquisq; pro suo clientulo decertet, nihilominus, quãdiù veritas causæ latet, & anceps, ac dubia est, nullatenus peccat, singulis pro suo alumno patrocinantibus: tunc vero peccarent, quando certiores iam facti de iniustitia litis, eam nihilominus vel prosequerentur, vel attentarent: Eo autem tunc, quandiù causa dubia est, in bona fide sunt; Quod si eos interroges, cur ambabus partibus patrocinamini, dum alter verum dicit, & alter falsum; continuo respondere poterit, hoc totum agimus, conditione tacita, vtporè, eatenus sic agimus, quatenus oppositum, vti verum nobis vsq; modo non constat; quod si cõstaret, causam demitteremus, & patrocinari desineremus: de his, veluti timoratæ conscientiæ viris dicendum erit, solummodo materialiter inter se dimicare, non formaliter: materialiter quidem ratione probationũ probabilium hinc inde allatarum, non tamen formaliter ratione intentionis, quia ambo intentionem habent seruandi iustitiam. Sic de Angelis illis Sanctis, quorũ finis, vnus,

idem-

idemque erat, gloria Dei, & beneficium Populi: Verum dimicabant eo modo, ignorabant enim qualisnam esset voluntas Dei, liberandum ne, an non, fore populum, cuius si alteram partem nouissent, non vtique dissensissent. Ad illud autem de quatuor ventis, consimiliter respondet Richardus &c. vel pugnam aduenire non ratione eorum, sed ex parte operum, meritorum, siue demeritorum, Regnorum illorum, quoniam custodia commissa erat illis quatuor ventis. Hæc de Sanctis Angelis Custodibus.

QVÆSTIO II.

De aliquibus effectibus Angelicæ Custodiæ.

1 INter cæteros angelicæ custodiæ effectus, duodecim penès D. Bonauent. d. 11. art. 2. q. 1. in fine, enumerantur: *Primus est*, inquit, *pro delictis increpare*. Iudic. 2. *Ascendit Angelus Domini de Galgala ad locum flentium* & ait, *Eduxi vos de Terra Aegypti* & post, *Non audistis vocem meam? Secundus est, à vinculis peccatorum absoluere*, Act. 12. *Angelus astitit*, & post, *Ceciderunt catenæ de manibus eius*, *hoc tamen intelligendum est dispositiuè. Tertius impedimenta ad bonum auferre, quod signatur in Exodo 12. vbi Angelus percussit primogenita Aegypti. Quartus est Dæmonia arcere*, Tob. vii. *Dæmonum ab vxore tua compescuit*, dicit Tobias de Raphaele. *Quintus est docere*. Dan. 10. *Nunc egressus sum, vt docerem te, & intelligeres. Sextus, secreta reuelare*, Gen. 18. *Tres Angeli missi erant Trinitatis, & vnitatis expresserunt*: & ibidem sequitur, *Num celare possum Abraham, quæ facturus sum? Septimus est consolari*, Tob. 5. *Forti animo esto, in proximo est, vt à Deo cureris. Octauus, in via Dei confortari*. 3. Reg. 19. *Surge, & comede, grandis enim tibi restat via. Nonus est deducere, & conducere*, Tob. 5. *Ego ducam, & reducam eum. Decimus, hostes deuincere*. Isa. 37. *Egressus Angelus Domini percussit in castris Assyriorum. Vndecimus tentationes mitigare, & hoc assignatur in Genes. 32. vbi Iacob luctatus est cum Angelo, vbi benedictione accepta, confortatus est post luctam, & emarcuit neruus femoris eius. Duodecimus est orationes offerre*, Tob. vii. *Quando orabas cum lacrymis, ego obtuli orationem tuam Domino*. & Apoc. 8. *Ascendit fumus incensorũ de orationibus Sanctorum, de manu Angeli corã Domino*. Hæc Bonauentura. Quod vero ait in secundo effectu, *Angelos à peccatorũ vinculis absoluere*: applicando illud de Petro, *ceciderunt catenæ de manibus eius*. Aduertendũ, applicationem loci istius esse allegoricam, & mysticam, nam in facto Petri est sensus verè literalis, quia verè, & literalitèr, seù historicè, solutæ fuerunt Petri catenæ. Et dum tandem sanctus Doctor, subdit, *Dispositiuè verissimum, quandoquidem absoluere effectiuè à peccatis est solius Dei*, requiritur namque potentia infinita ad iustificationem, remittendo peccata, & creando gratiam, præstare autem hæc effectiuè est solius Dei. Scot 4. d. 1. q. 1. vnde Iudæi audientes Christum dixisse, *Remittuntur tibi peccata tua*, obstupentes dixerunt, Quis est hic, qui etiam peccata dimittit? bene scientes, solius Dei esse peccata dimittere: quod tamen inde confirmauit idem Christus, inquiens, *Vt autem sciatis, quia filius hominis habet potestatem dimittendi peccata*, ideo, tibi dico surge &c. Concluditur ergo effectiuè à Deo prouenire: cæterum, quia creaturæ cooperantur ad alterius iustificationem, hinc & ipsi quoque ingrediuntur hoc munus, at vel ministerialitèr, vt Sacramentorum Ministri, vel meritoriè, vt ipsimet pœnitentes, vel dispositiuè, vt in præsenti loquitur Bonauent.

2 Addit autem septem alios effectus Gerson par. 3. tract. 8. super Magnificat: allegoricè expendens præfatum

locum

loctum Petri: iuxta ea, quæ Act. 12. dicuntur, *Et ecce Angelus Domini astitit, & lumen refulsit in habitaculo: percussoque latere Petri, excitauit eum dicens, surge velociter &c.* effectus vero sunt, *Astat, fulget, pulsat, iubet surgere, soluit à catenis vitiorum, educit è carcere, liberum relinquit.* Quæ quidem compendiosè explicando, hæc continent: *Astat*, inquit, vt pensemus, quinam sit finis noster: *Fulget*, vt nouerit vnusquisque, qualis sit status eius. *Pulsat*, incitans ad bonum. *Iubet surgere velociter* dum sperando diuina mandata seruantur. *Soluit à catenis*, nempè vitiorum vinctum, in mendicitate, & ferro: *Educit è carcere*; aperiendo portam pœnitentiæ: ac denique sic eductum, *libertati relinquit*: quo facto, concludit, inquiens Gerson, *Reuersus quidem ad se*, nempè peccator, *Deo gratus, & Angelo suo, dicit ex sententia, Nunc scio verè, quia misit Deus Angelum suum, & eripuit me de manu Herodis: & de omni expectatione plebis Iudæorum.*

Præesse cruciatibus.

3 Hieronymus alterum addit effectum, qui est, præesse cruciatibus, seu corrigere, & punire, ait enim Danielis 7. reperiri genus aliud Angelorum, *Qui singulis præsint cruciatibus*, idemque habet Hermes lib. 3. Pastor. sed vtrum Angeli isti punitores sint boni, an mali: Chrisost. Actor. homil. 43. negat esse bonos, sed malos, ait enim, *Lictores ergo sunt Angeli? absit, neu hoc dixerim.* loquitur autem de bonis. Rationem vero assignans, inquit, *Sicut inter homines sunt milites, qui honoribus ministrando insistant; & alij, qui ad pœnas exigendas segregantur; sic ad ministeria, & hominum dispensationes sancti Angeli, ad malorum vero pœnas postulandas, Dæmones transmitti.* homil. 2. de patient. Concludit ergo absolutè Chrisostomus, pœnas non infligi, nisi per Angelos malos. Nihilominus, infligi quoque pœnas per Angelos bonos, colligitur ex scripturis, & quidem Angelus intimans punitionem, siue flagellationem Hierusalem ob peccatum Dauid, erat bonus. 2. Reg. 24. Angelus occidens 85000. in Castris Assyriorum sanctus erat: Sancti quoque erant Angeli missi ad subuertendam Sodomam. Genes. 19. Item Augustinus 9. de Ciuit. Dei cap. 5. inquit, *Sanctos Angelos sine ira punire, quos accipiunt æterna lege puniendos.* Insuper Andreas Cæsar. in Apocal. 16. docet, *Angelos gratias agere Deo de eorum punitione, qui diuina Præcepta prævaricantur.* Et insuper quando puniunt, id agunt tanquam *Medici misericordes, ac condolentes.* Quid autem dicendum in hoc: distinguendum de eo, quod aduenit frequenter, & vt in paucioribus. Item, vel de pœna huius vitæ, vel alterius vitæ. Incipiendo ab hoc vltimo, dicendum æternæ illius pœnæ infernalis ministros esse Angelos malos: & ita loquebatur Chrisostomus inquiens, *Lictores ergo sunt Angeli? absit, neu hoc dixerim.* Idemque confirmat in authoritate sequenti allata. Loquendo tamen de pœna, huius vitæ, dicendum, frequenter, & vt in pluribus, ministros esse Angelos malos: ita loquebatur initio Hieronymus, & Hermes: patet autem id ex scripturis, nam Psalm. 77. dicitur, *Misit in eos iram indignationis suæ, immissiones per Angelos malos.* Paulus 1. Corinth. 5. ait, *Huiusmodi tradere Sathanæ in interitum carnis.* Angelus, qui vexabat Saul 1. Reg. 16. erat malus, ait enim text. *Exagitabat eum spiritus nequam à Domino.* Et rursus, *dixeruntque serui Saul ad eum. Ecce spiritus Dei malus exagitat te.* Nec obstat appellari *spiritum Dei*, quomodo namque erat malus, si erat spiritus Dei? Respondet Gregor. lib. 8. moral. cap 6. fuisse *Spiritum Domini propter potestatem, non propter malitiam.* Confirmatur ex primo loco textus, ait enim, *Spiritus nequam à Domino*, ly *à Domino* indicat, destinatum fuisse à Domino, siue permissũ à Domino: & hoc, quod Gregorius ait, *Domini propter potestatem.* Malus etiam fuit affligens Iob, & Tobiam, atque Paulum, in stimulo carnis &c. Cæterum textus apertè fatetur fuisse malum, & ita passim de pœnis alijs, vt plurimũ ab Angelis malis. Cęterum loquendo extraordinariè, ipsi quoque sancti Angeli esse solent ministri pœnę in hac vita: & hoc testantur loca scripturarũ recensita, tum & Patres citati: & ad hoc sensus loquitur Beda lib. 2. quæst. 49. *Quotiescunque*

Angeli punitores an boni, an mali.

Deus quæcunque flagello huic mundo irascitur, ad ministerium vindictæ, Angeli mittuntur: qui tamen diuina potestate coercentur, ne tantum noceant, quantum cupiunt. Cum autem indefinitè loquitur per *quotiescunque*, idem erit, ac sensus explicatus, importans, *vt plurimū*, seu *ordinarie*; nō enim ignorabat Beda, etiam quandoque sanctos Angelos in hoc mundo ministros fuisse iræ Dei, vt ex scripturis colligimus. Cum verò addit, *Coercentur, ne tantū noceant, quantum cupiunt*: apertè loquitur de Angelis malis, quorum studium, & voluntas est, semper, & quam maximè nocēdi: cum ex aduerso, Angeli sancti, pro eorum nimia ergà nos, charitate, Deum pro nobis exorēt, tueātur, & custodiāt.

Comitātur animas decedentium.

4 Adest ministerium alterum post mortem obeundum circa animas decedentes in gratia ex hac vita; si namque aliquid purgandum eis remaneat, à sanctis Custodibus Angelis in Purgatorium deduci, ibique ad nutum misericordiæ Dei, aliquando ab ijsdem visitari, & consolari fatentur Scholastici: quod si nihil purgandum remanserit, tunc à suo Custode, vel à pluribus etiā Angelis in Paradisum deduci, ita ex facto Lazari colligitur, Luc. 16. *Factum est autem, vt moreretur mēdicus, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ.* Diuus autē Ambros. tract. de Symbolo Apost. cap. vlt. ait, *Vehicula Sanctorum spiritus esse ideò, Angelos Dei.* Chrisost. vero ponderans locū Lucæ sic loquitur. *Portabatur in humeris Angelorum, ne saltem laboraret: non sufficeret ad portandum vnus Angelus? sed propterea plures veniunt, vt chorum lætitiæ faciant: gaudet vnusquisque Angelorum tale onus tangere, libenter talibus oneribus pregrauantur, vt adducant homines ad Regna Cœlorum.* In eo autem, quod dicit, *Ne saltem laboraret*, loquitur more humano, non enim spiritus in ambulando defatigantur.

Genium à Socratis.

5 Non præteribo tamen quid Socrates de suo, licet Dæmone, dicat penès Apuleium lib. 5. de Deo Socratis, ait autem, *Dæmon, qui nobis præbitus est, vita edita, trahit custodiā suam veluti ad iudiciū; & ibi in causa dicenda assistit & si qua commentitur, redarguit, & si qua vera dicit, asseuerat, vt illius testimonio feratur sententia.* Plerique autem aiunt, fuisse Angelum eius bonum, vt in sequenti dicemus.

QVÆSTIO III.

De Genio antiquorum Gentilium.

1 QVia antiquiores Gentiles, vnicuiq; nascentium hominum, Genium particularem destinari aiebant, sicut Fides Catholica docet destinari Angelos sanctos Custodes, hinc post enarrationem de Angelis Custodibus iuxta Catholicam Fidem, in præcedenti habitam, enarrationem teximus breuitèr de Genijs antiquorum, laribus &c.

Genium quid.

2 Quid verò sit Genium, & vndè dicatur, Seruius in 6. Æneidos, ita de eo loquitur. *Non incongruè dicuntur Genij, quia cum vnusquisque genitus fuerit, ei statim obseruatores deputantur.* Menander id ipsum habet penès Plutarc. de Tranquillit. anim. inquiens; *Vnicuique in lucem, cum primo editur, Genius bonus vitæ Magister statim assistit.* Idemque lib. de Iside ait, quod *Homerus*, appellationē Genij, qui Græcè dicuntur Dæmones, vtitur de bonis, *& malis*.

Genium Socratis.

3 Præsertim verò in speciali fit mentio de Genio Socratis, vnde aiūt, *Genium Socratis*, de eo autem sic scribit Tertullian. lib. de anim. c. 1. *Aiunt Dæmonem illi à puero adhæsisse.* Additq; Lactant. lib. 2. cap. 15 *Cuius nutu, & arbitrio sua vita regeretur.* Idem quoque Socrates penès Platonē in Theage ita de se loquitur, *Adest mihi, diuina quadam sorte Dæmonium quoddam à pri-*

ma

me pueritia me sequutum. Quid autem operabatur secum, subsequitur, inquiens, *Hoc enim vox est quædam, quæ cum auditur, eius quod fit, dissuasionem innuit, promouet vero nunquam: quod si quis amicorum aliquid mecum quandoq; communicet, veniatq; vox, hoc illa dissuadet, neque fieri sinit*. Ab enim Dæmone solitus erat admoneri Socrates, vt ab agendo desisteret, quando, Augustino referente lib. 8. de Ciu. Dei c. 14. id, quod agere volebat, prosperè non fuerat euenturum; sed an Dæmon iste fuerit eius Angelus Custos, affirmat Argentina in 2. d. 11. quæst. 1. art. 3. Aegydius ibidem art. 2. de qua re agit Vercorell. lib. 2. de Custod. Angel. Eugubinus autem lib. 8. de Perenni phil. c. 23. ita scribit, *Dæmon Socratis, cum Socrates esset vir bonus, hortareturq; ad virtutes omnes homines, & ab ipso Dæmone semper ad bonum vocaretur, fortasse non esset malè sentire, fuisse bonum Angelum, qui & Balaam asello apparuit, à scelere que auertit*. Tertullianus tamen ex opposito male de eo sentit, inquit enim loc. cit. *Pessimum re vera pædagogum*. Fuisse vero hunc Socratis Dæmonem, igneum, quia Socratem ad cælestium contemplationem inflammabat, & saturninum, quoniam abductum à sensibilium cura, intellectu plurimum viuere hortabatur, penès Rodig. lib. 1. cap. 31.

4 Reuertendo tamen ad Genios in se, idem Seruius vbi supra subiunxit, *Cum nascimur, duos Genios sortimur: vnus est, qui hortatur ad bona; alter, qui deprauat ad mala*. Empedocles insuper penès Plutarcum recensitum idem aiebat: vnde Plutarcus corripit sententiam Menandri, dicentis dari vnum Genium, approbatque Empedoclem dicentem, *Vnumquemque nostrum, cum primum est natus, excipi, gubernariq; à duplicibus fatis, Geniisque*. Ipsis etiam demandari curam domorum, thermarum, Insularum, portuum, Regnorum, & huius generis affirmat Prudent. lib. 2. contra Symmach.

5 A Genio autē genitū fuisse Homerum, refert Plutarc. lib. de Homero, inquiens, *Aristoteles tertio de Poetica scribit, in Insula Io, quo tempore Neleus Codri filius Coloniæ in Ioniam ce-* (margin: Homerum à quonā genitum.) *cedēs præfuit, puellam indigenam à Genio quodam ex eorum numero, qui cum Musis Choros ducunt, compressam, peperisse Homerum*.

6 Varia tamen, & opposita, atque pugnantia referuntur de ipsis Genijs, nam Plutarcus in vita Marci Antonij, scribit ipsius Genium superari à Genio Cæsaris, ob idque consultum sibi fuisse, vt è Cæsare semper quam longè foret, rationemq; afferens, inquit, *Huius enim Genium formidat Genius tuus, qui erectus, & celsus, vbi solus est, illo appropinquante demissior redditur, & ignauior*.

7 Apuleius lib. de Deo Socratis: *Dæmon, inquit, qui nobis præbitus est, vita tota: trahit custodiam suam, veluti ad iudicium, & illic in causa dicenda assistit, & si qua commentitur, redarguit: & si qua vera dicit, asseuerat, vt illius testimonio feratur sententia*.

8 Mira quidem sunt, quæ quandā, veluti affinitatem habent cum ijs, quæ de Angelis Custodibus tradidimus, vt facilè sit hæc cum illis cōferre ex parte, absque tamen præiudicio Fidei.

9 At vndenam, vel transcripsere hæc Antiquiores Gentiles, an potius proprio marte inuentarunt? Notum quidem est, vt primo, & secundo tomo tradidimus antiquiores conuersatos cum Aegyptijs, atque Hebræis, quamplurima nostræ fidei monumenta ab inde traxisse, licet eadē inuolucris obuoluta suis posteris commendasse: tam enim Pythagoras, & Anaxagoras in Aegyptum profectos fuisse ob eum finem tradit Theodoret. lib. 2. de Curand. Græc. affect. addit vero Clemens Alexandrin. lib. 1. Stromat. *Pythagoram propter Aegyptios circumcisum fuisse, vt Aegyptiorum Scholas ingredi potuisset, Aegyptiorumque mysticam disceret Philosophiam; & cum Chaldæorum, ac Magorum conuersatus fuit eruditissimis*. Idem iter peregit Plato, vt ab Hebræis disceret veram Dei sapientiam: idem de Thalete scribitur, Erippo. &c. (margin: Pythagoras & Plato in Aegyptum profecti ad Scholas Hebræorum.)

Quæri autem superest, verum etiā Lucifer destinet Dæmonem ad ruinā, sicut Deus destinat Angelum ad custodiam; videbitur autem infra.

Finis Decimaquartæ Disputationis.

DISPVTATIO XV.

De Angelis malis, siue de Dęmonibus.

QVÆSTIO I.

De Nominis *Dæmon* Ethimologia, atque importatis.

1 DE solo nomine agimus nunc Dæmonum, etenim cætera ipsis competentia visa sunt propriis locis, sub titulo *malorum Angelorum, siue Dæmonum*.

Dæmonis vox quid importet.

2 Vox ista *Dæmon*, importat idē, ac *sapiens, sciens, peritus*: ita Lactantius explicat lib. 2. cap. 15. inquiens, *Dæmones autem Grammatici dictos aiunt, peritos, ac rerum scios*. Eusebius lib. 4. de Præpar. Euang. cap. 3. *Dæmones, latinè scientes dicere possumus*. & confirmat August. lib. 9. de Ciuit. Dei cap. 20.

Dęmonum genera ex Orph.

3 Dæmonum quinque genera Orphęus in Musęo enumerat: *cælestes, aereos, aqueos, terrestres, subterraneos*, seù *humanos*. cur autem sic dicti, rationem affert Iamblicus lib. de Misteriis, inquiens, *Dicuntur Dæmonum alij quidē aerei, alij vero aquei, non quia ibi solum sint, sed quia ibi maximè regnant*: & hinc fortasse penès Plutarcū dixit Plato ex Hesiodo

Aere vestitos tota tellure vagantes.

Ex Apollinē.

4 Apollo tamē penès Euseb. lib. 4. Præp. Euang. cap. 4. diuisit eos in sex genera, canente Orphęo

Mactanda est hostia cunctis
Multa Dijs, seù qui terras, seù qui mare vastum,
Aera, seù qui habitant lacti, seù qui æthera, seù qui
Alta colunt cæli, seù qui infima Regna barathri.

Cacodęmonas quinam.

5 Plato insuper duo eorum genera facit, bonos, & malos: bonos quidem appellat absolutè *Dæmones* idest sapientes, & qui hominibus beneficia præstent: malos vero per contemptū, & contumeliam, *Cacodęmones*, vt quia deceptores, & inimici sint hominum, ex lib. 10. de leg. & in Phæd. subditque *Bonos esse Custodes, Gubernatoresq; nostros, & appellari cælestes: malos vero non admitti in Cælo, quia impuri sunt*; penès Eugub. lib. 8. de Per. phil. c. 22.

Ex Plutarc.

6 Plutarcus penès Euseb. l. 5. c. 4. hæc ex Hesiodo transcribit. *Hesiodus primus omnium distinctiùs quatuor genera rationalis naturæ ordine posuit: Deos primùm, deinde Dæmones, postea Heroas, postremò homines*:

Ex Platone.

7 Bessarion lib. 3. contra Calumn. cap. 7. ait, Platonem Dæmones posuisse, veluti naturas inter Deum & homines: idem habet Euseb. Cæsar. lib. 5. Præp. cap. 4. *Genus Dæmoniorum inter Deum, & homines posuerunt*: atque hinc idem de Homero scribit, *Homerus promiscuè his nominibus vti videtur, eosdem modò Deos, modò homines nuncupans.*

Ex Aristot.

8 Aristoteles lib. 5. Metaph. c. de substātia: enumerat eos inter substantias corporeas, licet subtiliores, ait enim, *Substantia dicuntur, & simplicia corpora, vt terra, ignis, aqua, & quæ talia sunt, & vniuersaliter corpora, & quæ his consistunt animalia, & Dæmonia, ac eorū particulæ*. ita exponit ibi D. Thom. licet Alexander, & Albertus exponat de Idolis.

Inuocatī ab Orphęo.

9 Dęmonibus omnia plena penès Euseb. lib. 8. cap. 33. cecinit Orpheus
Dæmoniaque imploro, sanctum, pariterq; malignum,
Aereos, aqueos, cæli, & conuexa tenentes,
Terrestres, inferosque, & circum omnia euntes.

Origenis sēsus de Dęmonibus.

10 Hieronymus de Origene refert dixisse,

dixisse. *Dæmones ob maiora delicta aerea corpora esse vestitos*: duo autem ait, primo commisisse delicta, inde vero in aereum corpus esse intrusos: de delictis verum dicit, loquendo de Angelis malis, attamen an ob id corpori fuerint intrusi visum fuit supra.

Dæmon vox male sonat. 11 Sed quidquid cæca Gentilitas de hoc nomine *Dæmon* existimaverit, nos tamen catholicè loquẽdo, dicimus, quod nomen *Dæmon* penès Catholicos malè sonat, sumitur enim semper pro Angelo malo, ita Euseb. lib. 4. de Præp. Eu. cap. 4. inquiens, *Nomina ista Dæmonũ semper malè sonant, neque vllum bonum Dæmonem nostræ dicunt Scripturæ*. Et Aug. lib. 9. de Ciu. Dei cap. 19. *Nos autem sicut Scriptura loquitur, secundum quam Christiani sumus, Angelos quidem, partim bonos, partim malos, nunquã vero bonos Dæmones legimus*. Adeoque malum est, vt transferri quoque soleat ad homines malos, dicente Tertulliano, *Dæmonium vocas hominem, aut malitia, aut insolentia, aut quacunque macula, quam nos Dæmonis deputamus*. Tantoque in horrore etiã antiquis fuerit nomen hoc, vt de Apuleio ita scribat Augustin. lib. 8. de Ciuit. Dei cap. 14. *Omnes Dæmonis nomen exhorrent, vt quisquis ante disputationem Apuleij, qua Dæmonũ dignitas commendatur, titulum libri de Dæmone Socratis legeret, nunquam illum hominem sanum fuisse sentiret*. libro autem 9. cap. vlt. ita concludit, *Quamuis nominis controuersia videatur, tamen ita est detestabile nomen Dæmonis, vt hoc modis omnibus à sanctis Angelis nos remouere debeamus*.

QVÆSTIO II.

De ijsdem Dæmonibus ex Philosophis plura.

Dæmonis nomẽ odiosum christicolis. 1 RHodiginus etiam lib. 1. antiquit. cap. 23 scribit, *Dæmonis nomen in Christiana Religione odiosum sanè, infestumq; est: non ita veteribus, quippè quod Deus quandoque significatur: & pro admirabili, & immenso, Dæmonium vsurpat Græcorum natio: sed quibusdam quoque, vt Aristoteli, adhæsit Dæmonũ cognomentum*.

2 Idemque capite subsequenti, ex Platonis doctrina, tres Naturæ intellectualis gradus commemorat: Primum immortalibus Dijs ascribit, quibus cœlestem sedem attribuit: pergit vero, inquiens, *Sed horum alios dici, & esse intelligibiles, ab omni materia contubernio semotos, quorum Parens, Princepsq; sit is, quem rerum Conditorem, Opificemq; veneramur*: paulo autem infra: *Cœteri, non tam ij, quam Mixtiles*. Hic autem est primus gradus penès eum. Pergit inde: *Imum vero, nouissimaq; tenet præcelsæ diuinitatis extimum, Homo: Medium vero inter hosce extremos, gradũ ab Luna colligunt, ad nos vsque, expansum iam habent, quos absistentiæ magnitudine prisci Dæmones vocarunt*. Thales, Pythagoras, Plato, Stoici Dæmonas esse sanxerunt substantias animales, sicut Heroas, ab corporibus amotas animas. Dæmones elementarij Apuleius, *Dæmones*, inquit, *animalia sunt, ingenio rationabilia, animo passiua, corpore aerea, tempore æterna: Passiua, quoniam ijsdem, quibus nos, perturbationibus, sunt obnoxij*. Hos veteres Romani *Medioxumos* nuncuparũt, Dijs summis minores, Hominibus tamen maiores: quos, cum pluribus recensens Plautus in Cistellaria, ait, *Ita me Dij Deæque, superi, atq; inferi, & Medioxumi*. Insuper aderant & alij, quos *Semones* appellabant: dicitur vero *Semonus*, *quasi semihomo Deorum minorum*: hosq; præsidere in Elemẽto Aeris, quos Martianus credidit esse Semideos: Vel Semonem dici Ianum, eo quod Seminio præsit dum cõcipitur infans. Quidquid tamen à Luna ad terram vsque, interstitij est, Plutoni adscribebant: ipsam vero Lunam, cunctis Cœlis, terræ viciniorem, Proserpinam appellabant. Heroas terræ præesse aiebant ex Iambli-

co:

eo: veluti, præsertim corpori humano præsidentes, ob quod & Mares vocatos: quos, iracundos signat Menander, siue etiam occursantibus infestos, atque hinc, ipsorum timore perculsi, ad transitum illorum, silentium seruabant.

Dæmones Planetarũ.

3 Ex capite vero 25. hæc excipe, peta Dæmonum eorumdem ordinem in sphæras; Veteres namque singulis Planetarum globis singulos adaptarunt dæmonas: vnde Saturnij dæmones leguntur, Iouij, Mercurij, Martiales, & huiusmodi: inter hos vero, alios, alijs præsidere Dæmonibus in eodem Orbe planetario, sicut & homines hominibus præsident, superioribus inferiores. Orphici terrestres etiam docuerunt Dæmones, sicut & aqueos, & igneos. Quemadmodum ex cap. 31. Dæmon Socratis, tum igneus, tum Saturnius erat: igneus, quia ad cœlestium contemplationem ipsum inflammabat; Saturnius, quoniam abductum à sensibilium cura, intellectualiter, vt plurimum, sicut in profunda cogitatione rerum, viuere faciebat.

Dæmones per essentiã, per comparationem.

4 Insuper cap. 30. scribit Proclus, Dæmonem non vno modo dici: alius namq; per essentiam Dæmon est: Alius cõparatione, alter habitu: Quod proximè præest, ac prouidet, Dæmonem appellare consueuerunt, sicut penes Orpheum, Iuppiter, Saturnũ Dæmonem vocat: Plato, Deos, qui generationi præsint, Dæmones appellat. Hoc ad primum genus. Comparatione vtique Dæmon est, qui proximè vnicuique prouidet, etiã si Deus sit: Habitu vero Dæmon dicitur animus, Qui similitudine quapiam, ad genus dæmoniacũ mirabiliores, quam secundum hominem, actiones edit, totamq; vitam suã suspendit ex Dæmone. Qua ratione in Republica Socrates Dæmones Animos appellauit, qui vitam bene trãsegerint. In Timæo Anima rationalis Dæmon appellata. Idem penès Apuleium, penesque Virgilium

Dij ne hunc ardorem mentibus addunt,
Euriale? an sua cuique Deus fit dira
Cupido?

Et hinc Eudæmonas, dici beatos, putãt, quorum Dæmon bonus, id est, Animus virtute præditus est: Et in eodem Timæo, Deus supremam animi partem, tanquã Dæmonem, nobis contribuisse. In Symposio amor ipse ad diuinã pulchritudinem contemplandã, Dæmon cognominatur. Porphyrius & Iamblicus, Dæmonem, aliud non esse putant, quam intellectum: indeque, illum appellari Eudæmona, qui sapienti fuerit præditus intellectu. Iulius autem Pollux penès Homerũ, Dæmonas scribit, Deos vocari, quando etiam Plato, omnium moderatorem Dæmona nuncupare sibi permisit.

5 Sicut vero fides nostra docet, Angelos ad hominũ tutelam destinarẽ Custodes, ita & huiusmodi ipsimet similia conscripserunt: Ex capite namque 31. hæc legitur. *Ex sublimiore Dæmonũ genere, Platonis sententia est, Animis in vitalem hanc prodeuntibus lucem, contribui Dæmonem, qui sit actionum inspector omnium, & cogitationum quoque diligens explorator, quique corporeo exsolutis nexu assistat semper, raptisq; ad Iudicem prodeuntibus, singula testimonio approbans suo, vel diluens.* Idẽ habet in Phæd. Socrates, & cõfirmat Proclus. Menander, *adest,* inquit, *statim nascenti Dæmon.* Et infra. *Horum item sententia est, animas, cum iam descenderunt ex Dæmonum numerosa serie Custodem naturaliter sortiri. Putant alij illa perfici, quando iam electione sui aperit anima.* Item Aegyptiorum doctrina traditum est, ab Dæmonum præside Deo, pro ratione propositæ vitæ Dæmonẽ assignari, non ab altero, nec à Planeta: Quare conuenientes Pythagorici, ita Iouem apprecari consueuerant, vt vel ipse à malis abduceret, vel à quo Dæmonũ id posset præstari monstraret. pluraque ibi.

Dæmones custodes ex philosophis

Dæmonẽ in iudicio testes,

6 Vbi tamen Catholica Fides habet, Custodes Angelos vbique locorũ nobiscũ adesse vsque ad mortem, consimilia ex ijsdem habentur: etenim cap. 31. sic scribit: *An vero, si locum, Regionemuè mutes, simul mutetur, & Dæmon, non fore inter eruditos constat: absurdum ratis quibusdam, Dæmonem vnum, veluti mancipium venerit, à nobis ne latum quidem vnguem reuelli, quantumuis longinqua terrarum spatia obierimus. Alijs vero, vnicum esse Dæmonem, & esse vbique sauientibus, quod Iamblico placet, propterea non cogi demigrare;*

Singulis singuli adaptãtur, vel plures.

Quod

Quod si non est vbiq; simul, non Dæmon tantum vnus, idest, vnus numero, sed vnâ specie, vnus in singulos accipit præfectu-
Dæmones solares.
ram: qua ratione solares homines sola- ribus subijciuntur Dæmonijs, sic & de cæte- ris. Quoniam verò in quolibet Dæmonū decuria, plura sunt dignitatis, & virtutū discrimina, sicut etiam Venerei homines, aut Saturnij, fortuna inter se disparantur,
Fastus varij ab ijs.
hinc efficitur, vt variantibus locis, varij sint etiam rerum nostrarum euentus; nam commodiores sæpè nancissimur duces, aut è diuerso. Ex quo autem consequitur, vt idē alibi fortunatior prognosticatur, quā vbi erat priùs, adeptus videlicet, potentiorem Dæmonem, qui eius illustratione præstanti, fieri quoque putant, vt sæpè, Doctore nullo, res excogitentur miræ, perducanturq; ad exitum feliciter, præter opinionem, quæ nostrarum virium excedere videbantur mensuram.

7 Adeat nunc catholicus Lector, ac distinguat, vt dicitur, inter lepram, & lepram: ea namque Philosophorum inuenta, quatenùs à Christiana longè distant veritate, referendo tantummodo attulimus, salua tamen catholica veritate.

QVÆSTIO III.

Plura eiusdem generis, & alijs.

1 ORphęum insuper de Dęmonibus plura sensisse, inter quæ bonos, malosq; Dæmonas reperiri: referente Eugubino lib. 3. de Perenn. Philos. cap. 33. sic enim cecinit, sicut etiam à dijmet pro flagitijs puniri.

Dęmonaque implora, sanctum pariterq; malignum:
Aereos, aquęos, Cœli, & conuexa tenētes,
Terrestres, infernosque, & circum omnia euntes.

2 Odissta autem ad Titanes tùm de eorundē molestia in homines, tùm verò de ipsorum flagris, ita canit.

Exhorrenique tuum rapidum, durumque flagellum
Dæmones humani hostes, atque feri, atque maligni,
Qui nostris animis verum infanda ministrant,
Vt sēper diram vitam cū crimine ducant:
Corpore peccātes semper, vinclisq; relicti,
Euidat, vt nobis sūmi fulgor Patris alij.

3 Pithagoram quoque talia sensisse, qualia de eo refert Marsil. Ficin. lib. *In Porphyrium* cap. 2. inquiens, *Numerum quoque nonenarium rātū Chorii angelici, quam lapsis inde Dæmonibus connectit: mitto nunc, quod similem quendam casum Pherecides Syrus narrat, Dæmonibus accidisse: additq; Ophyoneum, idest Serpentem Dęmoniacum, fuisse caput exercitus rebellantis à mente diuina: Huic simile est, quod in mysterijs diuinis continetur, Iouem scilicet, inferiores Dæmones ad Inferos detrusisse.* Choros insinuat Angelorum, casumq; Luciferi, & satellitū.

4 Mercurius Trismegistus in Pimandro cap. 9. plura audidit, inquiens, *Humana mens omnes notiones concipit: bonas quidem, cum à Deo semen infunditur: contrarias autem, cū à Dæmone spermata iaciuntur: Nulla profectò est Mundi pars, Dæmonum præsentia destituta: Horum lumen ab ipso Deo totum descendit: Dæmon denique transfusus in hominem, semina propria motionis inspergit: mens autē conspersa seminibus, pręgnatur, inde parturit adulteria, stupra, parricidia, sacrilegia, diuinorum contemptum, & reliqua, quæ sunt opera Dæmonum.* Idemque in duo genera diuisit, alios namque à Deo factos, aiebat: alios ab Hominibus per hos vero, intelligebat statuas, ab hominibus fabrefactas, in quibus Dæmones ipsi dabant responsa, sic autem aiebat, *Dominus, & Pater, vel, quod est summum, Deus vt effector est Deorum cœlestiū, ita homo fictor est Deorum, qui in Templis sunt;* At quānam arte effingere poterunt homines talia, Dij namque ita loquitur, sunt animati: homo vero statuas quidē formare poterit.

terit, animum tamen inducere non potest: explicat idem Metaufius mentē eius id inde fieri, *Euocantes animas Dęmonum, vel Angelorū, eas induxerūt imaginibus vilibus, diuinisq; mysterijs, per quas Idola & benefaciendi, & malè, vires habere possūt.* Accedit Minutius in Octau. hæc amplius explicans, & inquiens, *Isti impuri spiritus, vt ostensum à Magis, Philosophis, & Platone, Dæmones sub statuis, & imaginibus consecratis delitescunt, & authoritatem quasi præsentis Numinis consequuntur, dum inspirantur interim Vatibus, dum fanis immorātur, dum nonnunquam extorum fibras animant, auium volatus gubernant, Sortes regunt, Oracula efficiunt, falsis pluribus inuoluta; Nam falluntur, & fallunt, vt & nescientes sinceram veritatem, & quā sciunt, in perditionem sui non confitentes &c.* vbi vero ait, *fibras animant*, per *Animant* intellige, *Assistunt*, non enim informant, nec ideo animant sed assistunt & animare videntur, at non ita, vt supra in propr. Disputat.

5 Homerus promiscuè vsus fuit Deorum nomine atque Dæmonum, modo namque Dæmonas vocat Deos, modo Deos ipsos Dæmones, penès Ludouic. Viu. super lib. 9. de Ciu. Dei c. 1. Item, summu Deorum appellauit quoque Dæmonem: vnde penès August. ibid. spiritus Homerus, Iouem nuncupauit Dæmonem, à quo Ioue cæteri inde procreati fuerint Spiritus, siue Dæmones: primum quoque ex Plutarco colligit Euseb. Cæsarien. lib. 5. cap 4. inquiens, *Homerus promiscuè his nominibus vti videtur, eosdem, modo Deos, modo Dæmonas nuncupans*. & secundum cecinit idem Homerus penès eundem Euseb. l. 8. cap. 26.

Dij scelerata adamant nequaquam facta, beati.
Iustitiam sed amant rebus letantur, & æquis.

loquitur autem de bonis, quos ita appellat; etenim ab eodem Ioue, prodijsse, inquit, Dæmonas bonos, & malos.

6 Plato, vltra plura in præcedentibus ex eo, addit ex Phędone 4. lib. *Deos, ait, esse Gubernatores, Custodesque nostros: & nos esse Dijs, quasi peculium.* Item in Cratylo, homines in Deos, refert, transformari. Et in eod. Phęd. l. 4. *Dæmones periculis, velut Iios à nobis esse, tanquam interpretes Deorum*. ait itidem in Symposio, *Omnis natura Dæmonum, inter mortales, Deosque media est: quam etiam habet interpretationem, & traijcit humana ad Deos, diuina ad homines: Horū quidem preces, ac sacrificia, illorum præcepta, sacrasque institutiones, & ordinem.* De eodem Platone Euseb. Cæsar. lib. 14. Præpar. Euang. cap. 9. scribit, *Plato plurimorum Deorum genus, quasi effluxus quosdam, ac emanationes primæ causæ, & secundæ, vt ipse dicit, nobis proponit: Hos natura bonos esse, nec posse à propria virtute labi, ac propterea, Deos affirmat: Genus autem Dæmonum aliud quoddam facit, quod omnis nequitiæ, ac in peiora, mutationis capax esse dicit. Horum alios bonos, alios prauos & esse, & appellari*, atque Minut. in Octau. *Platone nomen & Angelorum, & Dæmonum, sine negotio narrat* & in Symposio *naturam Dæmonum exprimere conniti*tur? *vult enim esse substantiam, inter mortalem immortalemque, idest, inter corpus, & animam, mediam.*

7 Hesiodus penès Lactant. lib. 2. cap. 15. de eisdem inquit, *Custodes eos sicut humano generi esse ferat; sic & ipsi sicut, humano generi se fiat; sic & ipsi tamen sint perditores hominū, Custodes tamen se videri volunt, vt ipsi colantur, & Deus non colatur*. De quo etiam Clem. Alex. Adhortat. ad Græc. disticon refert *Dæmonum decies, nam ter habet millia*
Tellus
Immortalia, queis hominū custodia cessit.

8 Atque denique, concludendo de Dæmonū notione, siue in bonam, siue in malam trahantur partem à Philosophis; compertum ipsorum pluribus remanet: vnde Tertull. in Apolog. c. 22. scribit, *Omnes Dæmonas corpori, nec nomen nouum est: sciunt Dæmones Philosophi, Socrate ipso ad Dæmonij arbitrium expectante dehortatorium planè à bono: omnes sciunt Poetæ: etiam vulgus indoctum in vsum maledicti frequentant*. Minut. supra, *Dæmonas esse Poetæ sciunt, Philosophi disserunt: Socrates nouit: Magi etiam non tantum sciunt Dæmonas, sed etiam, quidquid miraculi ludunt, per Dæmonas faciunt.*

Circa vero recensita, sobriè se gerat catholicus Doctor, quatenus ea seligat, quæ non aduersantur fidei, cætera autem reijciat.

QVAE-

QVÆSTIO IV.

Vtrum Aristoteles nouerit dari Dæmones.

Pro parte negatiua.

1 MInimè in eius mentem venisse, ex his probari posset: Primo, Dæmones sũt Angeli, ac substantiæ abstractæ, siue Intelligentiæ, vt eas appellat Aristoteles; at tot Intelligentias posuit, quot sufficientes sunt ad mouendos Orbes, ergo Dæmones ignorauit. Minor patet ex 5. Metaph. cap. de *substantia*. Itẽ Secũdo, substantias istas abstractas ibi collocauit ad finem mouendi Cælos, ergo alienũ erit opus omne, cuius gratia admitterentur Dæmones. Insuper Tertio, adeo inibi eas collocauit, vt extra, minimè operari fassus fuerit. Præterea Quarto, finem ipsarũ Intelligentiarum dixit esse, Cælos mouere, finis autem Dæmonum non est talis. Rursus Quinto, si admittendi forent, ex capite quidem, siue ex parte, quibus corpora obsident, siue à maleficis ad corpora destinantur inhabitanda, & vexanda, at hæc nõ à Dæmonibus prouenire docet, sed ab humore melincholico, ait enim, id melincholiæ adscribendum, problem. 1. sect. 30. siue homines *instinctu lymphatico efferuescere; ex quo Sybillæ efficiuntur, & Bacchę, & omnes, qui diuino spiraculo instigari creduntur*, quibus verbis nedum Dæmones negat, verum & ipsum quoque diuinum afflatum de medio tollit, qualis, inter alios, fuit spiritus Sybillarum. Sexto, accedit testimonium Tullii de eodem Aristotele, qui lib. de diuinat. ait, *Aristoteles eos etiam, qui valetudinis vitio furerent, & melincholici dicerentur, censebat habere aliquid in animis, præsagiens, atque diuinum*.

Probatur admisisse Dæmones.

2 Verum aliundè colligendum remanet, Dæmones admisisse; Et quidẽ loc. cit. Metaph. expressè eos nominat, inquiens, *substantia dicuntur, & simplicia corpora, vt terra, ignis, aqua, & quæ talia sũt, & vniuersaliter corpora, & quæ his consistunt animalia, & Dæmonia, ac eorum particulæ*. Dices, pro *Dæmoniis* intellige Idola, vt exponit Albertus: at hoc nõ obstat, etenim Idola, seù Simulachra, vel Statuæ, vtique muta sunt, nec vllum principium habent earum operationum quę exinde expectantur; continẽt nihilominus intra se Dæmones assistentes, qui inde responsa dabant, siue cætera operabantur pro desiderio Idolatrarum: ergo, quod Dæmones Idola sint, vtique verum est, nisi quod Dæmones ex sui natura expertes sunt corporis, Idolum vero, vtroque constat, & corpore & Dæmone. Item 2. Rethoric. de *Enthymem*. Dæmonum definiens, inquit, *Dæmonium nil aliud est, quam, aut Deus, aut Dei opus*. Apertior autem est locus iste. Insuper, subdit ibidem, *Et qui Dei opus opinatur, hic & Deum esse opinetur necesse est*. Recolendum tamen est, quod supra tùm ex Aristotele, tùm Philosophis pluribus, retulimus, ipsos opinatos fuisse, Dæmones esse Deos, sicque appellatos ab ipsis, licet, vt aiebant, Ioue inferiores: & modo etiam idipsum repetijt, inquiens, *Dæmonium nihil aliud est, quam aut Deus &c.* quo stante, dum hic insuper multiplicat Deos, inquiens, *Deos esse opinatur &c.* vtique ipsos multiplicat Dæmones. Vel saltem colligitur ex eodem alibi, non esse Angelos ad numerum solummodo Orbium cælestiũ quod probatur ex eodem, siquidem 1. Cæli. t. cap. 100. ita loquitur de iis, quę extra Cælum sunt, inquiens, *Neque quæ illic sunt, nata sunt in loco esse: neque tempus facit ipsa senescere: neque vlla transmutatio vllius eorum est, quæ super extremam posita sunt lationem; sed inalterabilia, & impassibilia, optimam habentia vitam, & per se sufficientissimam perseuerant toto æuo*. Ex quo autem Intelligentias collocauit etiam extra Orbes, & supra Orbes, non ergo hinc colligi necesse est, negasse Dæmones, plures enim apposuit Intelligẽtias, vltra eas, quæ Orbibus insident mouendo eos.

3 At responderi poterit, caput quidem hoc nõ cogere ad negandos Dæmones, aliundè tamẽ negasse eos Aristotelem, quandoquidem, quos extra

Orbes collocauit Angelos, eos agere aiebat vitam tranquillam, & optimã: Dæmones tamen non huiusmodi vitã ducunt, sed miserrimam, & dolorosam, imo flagitijs, ac nefarijs functionibus scatentem: At contra, etenim, & aliquod istorum, saltem secundum, ipse quoque agnouit: Et quidem loquens de generatione Homeri, ait genitum fuisse à quodam Genio: ita enim de eo refert Plutarchus lib. de Homero, *Aristoteles tertio de Poetica scribit, in Insula Io, quo tempore Neleus Codri filius Coloniæ in Ioniam ducendæ præfuit, puellã indigenam à Genio quodam, ex eorum numero, qui cum Musis choreas ducunt, compressam, cum iam se sensisset, facti pudore motam, ad ipsum fluuium, peperisse Homerum*: Hæc vtique minimè agant Angeli sancti, qui longissimi sũt à flagitijs, & obscœnis, virgines enim sunt & amici, virginitatem, & castitatem colentium, igitur opera sunt Angelorum malorum, hi autem sunt Dæmones. Confirmatur ex eodem Arist. qui 4 Topic. loc. 64. inquit, *Deum, & studiosum posse praua agere*. Profecto nequaquam Aristoteles de vero, ac summo Deo hæc protulit, sed de Dæmone, idem penès antiquos philosophos insonante, ac Deo, vt vidimus. Eodem modo eludi potest quod insuper obijci posset, dicendo, per Dæmonium intelligere sapientẽ, vt de eius nomenclatura vidimus. Sed dato ita intelligere, nihilominus iam, etiam dixit, *Studiosum posse peruersa agere*, idem namque ferè importat sapiens, ac studiosus, licet hic veluti in via sit, & in itinere conquirendi sapientiam, ille iam in facto esse, siue in termino; imo quo quisque sapientior est, eo studiosior est, quin & *Proficere velis, pars profectus maxima est*. ex Monost. Troch. Vltra quod historia, siue inuentum, quod de Homero retulit, in sententiam eum trahit, Genium illum, sed Dæmonem, fuisse talẽ, qui obscœnis vacauerit. Accedit Bessarion 3. contra Calumniat. cap. 7. inquiens, *Nec nos Aristotelem excipimus, siquidem is quoque iudicandus ex ijs est, quæ scripsit de Dæmonibus*.

4 Nouissimus quidam, quin & doctissimus de re hac scribens, hoc ipsum ostendere intendit ex eodẽ Arist. lib. 8. de histor. animal cap. 24. vbi de incantationibus Equorum agens, inquit, *Equos ad tibiæ sonum quiescere, & frontem demittere, cum tibia consonatur, reuertuntur &c.* Item ex augurijs id penès eundem colligit, siquidem lib. 9. ibidẽ cap. 1. *Augures, ait, ex auium pugnã dissidia, consilia colligere; dissidiis bella, omnemque discordiam statuunt; consilio, pacem omnemque concordiam*. Insuper ibidem lib. 3. cap. 20. de Capro refert, è cuius mammis, tanta lactis copia effluebat, vt *caseus inde conficeretur*: idemque de eius prole, etiam mascula euenisse tradit, in Insula Lemno: erat ille, Caprus, & hic, Capri filius item masculus, è quorũ mammis lac effluxit. Consulenti autẽ Capri illius domino, Oraculum respondit, magnam illam lactis copiã effusam, protendere peculij magnum incrementum. Quod vero mas lac produxerit, atque adeo copiosum, videtur id non naturæ, sed Dæmonum arti tribuendum.

5 Capita tamen ista, non cogunt, nec vrgent intentum. Et quidem ad Primum, naturæ id tribuendũ est, musica namque iratos animos sedat, pacat, demulcet: in specie autem argumenti adducti tradit Plutar. in Lacon. quod, cum in Conuiuio lyra circumferretur, cæteriq; canerent, Gelon Equũ iussit adduci ad se, in quem leuiter, facileq; insiluit: Et Plut. l. 4 Apoph. de Xenophõte refert, quod dum eius musices vim admirabantur cuncti, quidã dixit, *Si tantus artifex est, inueniat modulos, quibus Alexandrum à bello reuocet: sentiens, non esse magnæ artis, hominem, eo propellere, quo suapte natura pronus est*. Quod si poterat Xenophontis musices Alexandri pacare animum, & reuocare à bello, poterat & tibia Equum, alioqui indomitum, demulcere. Idem in Scriptura de Dauide habemus, sono siquidem cytharæ leuante, ac sedante melancholiam, & vexationes maligni spiritus arripientis Saul: ita quoq; Hier. Phalet lib. de laude Musicæ.

Musica demulcet.

Musica turbatas Animas, ægrumque dolorem
Sola leuat, merito, diuumque, hominumque voluptas.

Et Ouidius 4. Trist.

Fessus, vt incubuit baculo, saxoq; resedit,
Pastor,

Pastor, arundineo carmine mulcet oues.
Fertur, et abductæ lyrnes siue tristis Achilles
Aemonia curas attenuasse lyra.
Cum traheret Syluas Orpheus, & dura canendo
Saxa, bis amissa Coniuge moestus erat.

6 Caput alterum de lacte Capri illius, nec cogit, etenim lac nedum emittunt fœminæ, verum & ipsimet mares quandoque: id quidem tum docet Aristoteles 1. de histor. anim. cap. 12. tum 3. c. 20. Vesal. lib. 5 de Fab. hum. corp. cap 18. tum ipsamet experientia, Cardanus namq; de subtil. vidisse testatur, hominem copioso lacte scatentem. Item per ds Orbem nouũ reperiri frequenter homines huiusmodi: quin & de Calabro quodam parente, qui mortua iam vxore, ipsemet proprio è pectore, effuso abunde lacte, prolem aluit, vsque ad tempus ablactationis. quod si hominibus contingere hoc potest, cur non etiam & Brutis, vt Capro illi masculo?

Mares lac prodecunt ...

7 Caput de augurijs, vtique viget, etenim Dæmonum arte fientibidemque monit dari Magos: refert enim Laert. in proœm. *Aegyptios antiquiores esse magos, Aristoteles auctor est in primo Philos. atque, iuxta illos esse principia, bonum Dæmonem, & malum: Alterum ex his Iouem, & Orosmadem, alterũ Plutonem, & Arimanium dici.*

8 Cæterum, respondendo ad obiecta principalia, ad Primum, iam constitit, plures eius admisisse Intelligentias, vltra destinatas ad Orbes mouendos.

9 Ad Secundũ, non omnes addictæ sunt ad mouendos Orbes, loquitur autem de ijs, quæ in Orbibus mouendis collocatæ sunt.

10 Ad Tertium, ex relatis patet, etiam extra Orbes, illas alias operari aliquid in his inferioribus, vt de Homero, Auguribus &c. quas vero extra collocauit, eas dixit fisti in cõtemplatione naturalium, *ibique optimam habere vitam, & sufficientissimam*, siue potius fœlicitate, ac beatitudine naturali, cõsistente in tranquillitate, incorruptibilitate, inalterabilitate, atq; speculatione naturalium &c.

11 Ad Quartum, loquebatur de Intelligentijs destinatis ad Orbes.

12 Ad Quintũ, ex hoc quidem capite, in eius sententia, nequit colligi intentum: expressè namque negauit obsessionem corporum per Dæmones: de quo egimus etiam supra Disp. 1. q. 2. vt Tullius quoque testatur de eius mente.

13 Ex quibus omnibus concludimus, Aristotelem plures alias Intelligẽtias admisisse, vltra motrices Orbium, nec esse verum, quod ipsorum numerũ taxauerit ad numerum siue Orbium, siue motuum Orbium. Imo Aristoteles idem lib 1. de part. anim. cap. 5. commendat Heraclitum dicentem, *Omnia esse plena Dijs*. imo, dum die quadam, ingredi domum suam quidem vererentur, *ingredi fidenter eos iussit*, rationemq; & causam ineundi ingressus attulit, inquiens, *Quoniam nec huic quidem loco Dij desunt immortales.*

14 Item elicimus, nosse Dæmones: non quidem ex Energumenorum vexationibus, quas humori atro attribuebat, sed aliunde. Aristoteles posuit Dæmones.

15 Verum obstat vltimo D. Thom. q. 16. de malo art. 1. inquiens, *Peripatetici, Aristotelis sectatores non posuerunt Dæmones esse, sed ea, quæ attribuuntur Dæmonibus, dicebant prouenire ex virtute cælestium corporum, & aliarum rerum naturaliũ.* Verũ quia discipuli profiteri solent doctrinam Magistri: si sectatoris Aristotelis Dæmones negarunt, indiciũ profecto est, negasse eos quoque Aristotelem magistrum. At Primo respondetur, Diuum Thomam loqui de sectatoribus antiquis, cæterum Recentiores Peripatetici, ex eodem Aristotele talia decerpunt. Secundo, non omnia Aristotelis loca percurrisse, quæ tamen percurrunt moderniores. Tertio, non posuerunt in eius doctrina, tales quales considerant Theologi, plurima namq; Theologi de Dæmonibus scribũt. Aristoteles vero, eiusque sectatores pauciora.

16 Cæterum prudẽs, & Christianus Lector, attendat quænam consona sũt Fidei, & quæ aduersa, vt sciat reprobare malum, & eligere bonum.



QVÆSTIO V.

Dæmonum eorundem officia in Genus humanum, ex Philosophis, alijsque.

1 PRosequendo, ex ijsmet Philosophis excerpere quidquid disserunt, vltra allata enarrabimus quoque eorundem munera, seu officia in Genus humanum Promiscuè tamen, tùm de Genio, tùm de bonis, vt vocant, tùm vero de malis.

2 Et quidē, Aristoteles idem lib. 7. moral. cap. 7. Genium, veluti ad custodiam traditum, admittit, scribit enim, *Non secus, ac male cōpacta nauis rectiùs sæpè agitur, non per se quidem, sed quia peritum Gubernatorem nacta; sic enim fortunatus ille Genium optimum gubernatorem habet.*

Dæmonis comitatum vsque ad iudiciū alūni.

3 Proclus platonicus, nunquam Alumnum deserere docuit, quousque ad iudicium eum præsentet: item eum purgare, bonaq; eidem adnectere, scribit enim in comment. ad Alcibiad. tit. *Contra dicentes &c.* inquiens. *Nanquā animæ in eodē vitæ curriculo mutat Dæmonis præfecturam, sed idem Dæmon est ex ipsa genitura, vsque ad Iudicis vitæ præsentiam, nos gubernans.*

Dæmonum munera.

4 Maximus Tyrius platonicus sermon. 26. specialiùs ad eorundem munera descendens, inquit, *Horum aliqui medicinā profitentur, aliqui in ambiguis rebus consiliū præbent; nonnulli absconsa enunciant: multi exercendis artibus cooperantur: quidam sunt itineris comites: vrbani alij: alij rustici; hi maritimi, terrestres illi: quidam corporis humani custodiam, veluti lucis cuiusdam susceperunt: propterea, vel Socratis, vel Pythagoræ, vel Platonis, vel Zenonis, vel Diogenis patrocinium habuerunt: doctus hic, ille hominum amator: hic ciuilis, ille militaris:* Concludendo vero, variari ipsorum genus, siue artes, ad variationem hominum, *Quot sunt hominum naturæ, totidem etiam Dæmonum esse oportet.* Idemq; superiùs dixerat, *Inter Græcos, ac Barbaros, inter quos est magna vocis, ac linguæ differentia, interpretes sunt, qui alterutrorū voces suscipiendo, significationemq; vicissim deferendo, diuersitatem illam non nihil conciliant, commerciaq; inuicem inducant: Hincque esse, vt hominibus species appareat, vt interdum, diuinas voces exaudiant, Dæmonum, scilicet genere, in media mortalium natura diuersante, tamquā, vbi vsus expectat, iuuante.* Quin & ad infima ministeria, vsque ad seruitutem ferè hominibus exhibendam descendere: sicut Olaus scribit lib. 3 de condit. Gent. Septentr. cap. 11. *Equorum numero esse credunt esse, qui se animo serauiſ in effigie humana accommodare solent ministerijs hominū nocturnis horis laborando, Equosque, & Iumenta curando.*

Dæmones seruire quādoque hominibus.

5 Hæc vero ampliùs prosequitur Agricola de subterran. anim. in fin. inquiens, *Eorum duplex genus est: sunt enim truculenti, & terribiles aspectu, qui plerumque metallicis infesti, atque inimici sūt: talis fuit Annebergius ille, qui operarios duodecim amplius flatu interfecit in specu, qui corona rosea appellatur; flatum vero emittebat ex rictu: Equi enim speciem habentis procerū collum, & truces oculos visus est: eiusmodi etiam fuit Snebergius nigro cucullo vestitus, qui in fodina Georgiana operarium è solo sublatum, in superiori loco maximo siccitatis, quondam feracis argenti collocauit, non sine corporis attritu. Sunt deinde mites, quos Germanorum alij, vt etiam Græci, Cobalos vocant, quod hominum sint imitatores; nam, quasi lætitia gestientes, rident, & multa facere videntur, cum nihil prorsus faciant: Alij nominant Virunculos montanos, significantes staturam, quæ plerumque sunt, nempè, nani, tres dodrantes longi: videntur autem esse seniores, & vestiti more metallicorum, idest vitato indusio, & corio circa lumbos dependente induti: hi damnum dare non solent metallicis, sed vagantur in puteis, & cuniculis; & cum nihil agant, videntur in omni laboris genere se exercere; quasi modo fodiant venas: modo in vasa fundant quod effossum est: modo versent machinam tractoriā; quanquam interdū glareis*

Dæmonum varia natura.

lacess;

lacessunt operarios tametsi sæpissimè tamen eos lędunt: nec lędunt quenquā, nisi ipsi prius fuerint cachinnis, aut maledictis lacessiti.

6 Chalcidius in Platonis Time. hæc habet, *Visi sunt nobis, interpretantes, & nunciantes Deo preces nostras, utemque hominibus voluntatem Dei intimantes: illi nostram vigilantiam: porro ad nos diuinam opem deferentes.* Insuper paulo supra, *Summa sunt, atque acri intelligentia; mira memoria tenacitate: rebus quidem diuinis nauantes obsequium summa sapientia.* Consimilia, pluraque habet Plato in Symposio, inquiens, *Dæmones Dijs referunt res humanas, hominibus diuinas: hominum quidem preces, & sacrificia, Deorum imperia, & præmia sacrificiorum: Per hos recedunt omnia sacrificia, artesque Sacerdotū, eorumq; omnium, qui sacrificijs, & initiationibus, incantationibusque, & veneficijs insistūt. Deus non habet cum hominibus commercium, sed per hos fit omnis legatio, & allocutio Dijs ad homines.*

7 Idē vero lib. 4. de legib. de amore Dei erga homines, deque eorum gubernio ita loquitur. *Cum intelligeret Saturnus, quemadmodū ipsi narrauimus, nullam hominis naturā ita res humanas gubernare posse, vt si omnibus arbitratu suo dominetur, lasciuia superbia, iniustitiaq; non repleatur: Cum hæc, inquam, non ignoraret, non homines, sed diuinioris generis Dæmones Ciuitatibus nostris Reges, Principesque præfecit: Sicut nos in Ouium gregibus, aliorumque Cicurum armentis facimus; non enim Bobus Boues, nec Capris Capras præficimus, sed nos ipsi genus melius dominamur. Similiter Deus homines amans, genus Dæmonum generi nostro, præstantius nobis, præfecit.* Nonne consentanea hæc sunt ijs, quę de custodia tūm hominum, tūm Ciuitatum, atque Regnorum tradūt Theologi, destinante Deo Præsides Prouinciarum Angelos &c. Dæmones vero appellat, quos supra retulimus ex eius, aliorumque Philosophorum sententia, non autem quos Christiana Fides horret, veluti humanæ naturæ hostes, rebelles Deo.

8 Iamblicus tit. *de suo cuique Dæmone* ad singularem hominum custodiam prospiciens ita scribit, *Bonus cuiusque Dæmon, vnumquemque custodit à partitis: actionesque omnes explorat, & verba: & ante Parentes prouidet, & post Parentes adest, tanquā totius vitæ gubernator assiduus, atque post obitum, dux est nobis ad Iudices.*

9 De distinctione vero eorundem agens Plato in Epinomide, hæc habet, *Horum quidem animalium*, animalia autem appellat Plato, ob atque corporea sicut & Gregorius Angelum appellauit *rationale animal* de quo supra quærēdo an sint cōpositi ex materia, & forma: Pergit autem Plato, *Genus aereū in tertia, mediaque regione: qui interpretationis causa sunt: orationibus colere, gratia laudabilis intercessionis, interpretationisque debemus: Horum quidem duorū animalium alterum ex æthere, alterum deinceps, ex aere est: At utrumque conspici totū potest; sed quamuis hi Dæmones prope nos sint, nunquam manifeste nobis apparent; scientia quippe ingenio, tenaciq; memoria cogitationes nostras omnes cognoscunt: honestos, bonosque omnes mirificè diligunt, improbos vehementer oderunt.* Loquitur autē de bonis, vt vocat. Accedit Iamblicus lib. de Myster. tit. *Quare dicuntur*, inquiens, *dicuntur etiam Dæmones alij quidem aerij, alij vero aquatici quia ibi soluti sunt, sed quia ibi maximè regnant.*

10 Finem vero facimus, huc etiam asportando, quæ Psellus refert in libro de Dæmon. relata sibi à Marco quodam, Dæmonum alias familiarissimo: Ea tamen breuiter, hæc, vltra plura, sunt: In primis ait, Angelum bonum, & malum non habere corpus eiusdem rationis, à corpore namque boni effundi radios, humanis etiā oculis minimè perspectibiles præ fulgore: per omnia insuper talia corpora penetrare, ac transire; minimèq; obnoxia passionibus esse, non aliter, ac cum solares radij transeunt per loca: Corpora vero Dæmonū, passibilia sunt, adeo vt & doleant, & comburantur, & quædam ipsorum in cinerem redigantur. Item Dæmonum aliquos semen emittere, indeq; pusilla quædam animalia oriri: Nutriri quoque alios inspiratione: alios humore: non quidem ore edentes, cibumq; præparantes, siue capientes, sed veluti spongiæ, atq; ostreæ exugentes humorem extrinsecū adiacentem,

Animalia appellata à Platone.

Comedere, & qualiter.

centem, indeque excernentes humorē crassiorē, vtpote aptiorem ad nutriendum. Hoc vero non omnibus contingit Dæmonibus, sed illi Dæmoniorum generi, quod est materię proximū, quodque aquatile, & subterraneū est, & odit lucem.

Varia Dæmonum genera.

11 Insuper, ad sex genera enumerat ipsos Dæmones, idque ratione locorū, vbi inhabitant: Aliud vocatum igneū, quod in extima aeris regione superuagatur. Alterum appellatum aereum, in hac aeris regione nobis propinqua delitescens. Alterum terreum, veluti circa terram versans, atq; hominibus aduersans. Alterum aquatile, & marinū, & hoc circa lacus, fluuios, fontes, inque mari, vbi tempestates excitat, & naufragia patrat. Alterum subterraneum, ibique fossores, siue thesaurorū, siue puteorum, ac metallorum infestans, vnde terram concutiēs, terremotus causat, ventosq; impetuosos exurgere facit. Vltimum appellat tenebrosum, ac lucifugum; hocque cunctorū pessimum.

12 Denique, neminē ex iis, marem esse vel fęminam; sed prout libet, corpora ipsorum tum maris, tum fęminæ formam assumere, sunt enim simplicia, gracilia, facileq; de forma in formam mutabilia.

Semē effundere.

13 Hanc quoque dementiam de Dæmonum semine incurrit Georgius, asserens & esse corporeos, habere vim generandi, & semen emittere: vt patet in Problem. 54. 74. 75. 330. 331.

Nasci, senescere, interire.

14 Cardanus insuper lib. de rerum variet. cap. 93. de Patre suo, alias, vltra annos triginta, cū Dæmonibus familiarissimē conuersato, refert, plura de Dęmonibus ipsis enarrasse, vtpote Dęmones nasci, & occumbere: & pro quanto poterat coniectare ex varietate vultus eorū, vitam traducere ad ducentos, vel trecentos vsque annos, inde vero interire. Plutarcus quoque lib. *Quod Oracula defecerunt*. Dæmones corporeos facit, & mortales, tempore enim Tiberij Cæsaris, mortuum fuisse Deum, *Pan*, appellatum: atque Hesiodum, vitæ dęmonum periodum traxisse vsque ad annos 9720.

15 Fabulosa sunt hæc, sicut & plurima, per capita superiora, ex Ethnicis, & Philosophis deducta, ideoque cautē, & sobriē legenda.

Vndenam Philosophi de misterijs Fidei trauerint, quæ scripserunt.

16 At dices, vtique plurima falsa sunt, nonnulla tamen, per quæstiones habitas, ex iisme Philosophis decerpta, consentanea sunt nostræ Fidei: vtique ita est: At vndenam hæc, an proprio ē Marte ea adinuenerunt, an ex aliorum codicibus transcripserunt? Responsum ad hoc fuit tùm in 1. tùm in 2. tom. de Trinit. nunc vero iterum repetimus, veritates de Fidei Catholicæ misterijs, Philosophi traxerunt ex Oraculis Prophetarum, ex conuersatione habita cum Rabinis Hebræis: ex Oraculis Sybillarum &c. vnde Clemens Alexandr. lib. 1. Strom. ait, *Plato à Moyse in legibus ferendis adiutus*, nempē à libris Moysis, ideoque in Aegyptū descendisse, vt nedum ab Aegyptijs, verum & ex Hebræis caperet verum Dei cognitionem, vt refert Clem. ibid. & Humenium Pythagoricum dixisse, Platonem in philosophando non aliū videri, quam atticū quendam Moysem. Et Aristobolus Hebræus aiebat, Platonem, Hebræorum legem in multis fuisse prosequutū, ac tùm de ipsomet, tùm de alijs plura diximus tom. 2. de Trinit. lib. 1. disp. 1. q. 3. nu. 32. & q. 7. à nu. 10. ad finem.

Cardani dementia negantis Dæmones,

17 Ex omnibus denique concluditur aduersus Cardanum, quantum Catholicæ veritati obsistat, ipsisque insignioribus Philosophis, quin & proprio Parenti, negādo Dæmones esse, lib. 16. de rerum variet. cap. 19 quod quidem nedum aduersatur Fidei, verum & Philosophis, ipseq; fatetur, à proprio etiā parente accepisse, Dæmones reperiri: dixerit fortasse, id veluti Philosophum arbitratum fuisse, non veluti Christianum: at qualis quæso insignioris Philosophi normā in hoc amplexus fuit? non Platonis, non Aristotelis, non vtriusq; Sectatorum, non Trismegisti, non cæterorum recensitorum; forte nouam inuentare intendebat Philosophiam, siue Theologiam, at remaneat penès ipsum solum, hæc dementia, hoc delириū, hæc impietas aduersus Fidem; esse enim Dæmones sacræ testantur Scripturæ, Patres, Concilia, Theologi vniuersi: quod & sup. attigimus disp. 1. q. 2. præsertim contra eum: eoque ma-

gis

gis peccat, quo, Dæmones esse, non est qui eat inficiatus, etiam ipsummet vulgus, sic enim in Apolog. c.22. scribit Tertull. *Omnes Dæmones norunt, vt nomen nouum est: sciunt Dæmones Philosophi; omnes sciunt Poetæ; etiam vulgus indoctum.* & Minut. supra. *Dæmones esse, Poetæ sciunt, Philosophi disserunt: Magi etiam, non tantum sciunt Dæmones, sed etiam quidquid miraculi ludunt, per Dæmones faciunt &c.*

QVAESTIO VI.

Vtrum aliqui Angeli sint ex sui natura Dæmones, & mali.

1 QVæstionis sensus multiplex esse potest: inter cæteros vero posset esse, vtrum per Dei potentiã creari potuerit Angelus, qui ex vi creationis, esset malus: seu, vtrum possit Deus facere Angelum per naturam malum: sicut ex opposito vtrum facere valeat creaturam bonam per naturam, seu impeccabilem per naturam: in his autem sensibus, qui tamen vnus, & idem sunt, quæstio manet soluta supra disput.10. quæst.11. art.2.

2 Supposito nunc, quod *Lactant.* lib.2. cap.14. refert, dixisse aliquos, ex Dæmonibus genitos fuisse Angelos, commixtis cum mulieribus: eosque, ex vi originis, esse spiritus immundos. Aug. lib.10. de Ciuit. cap.11. Porphirium affert ponentem Dæmones natura sua malos, & fallaces. & lib.11. de Gen. ad lit. cap.20. de quibusdã dicentibus, *Dæmones* non libero arbitrio, sed natura esse malos. Theodor lib.5. diuin. offic. cap. de Diab. scribit, Marcionẽ, Cerdonem, dixisse Diabolum, cæterosque Dæmones, ingenitos esse, nempè improductos: nam, loquendo de generatione vera, non geniti sunt, sed creati. Priscillianistæ de Diabolo senserũt, è tenebris emersisse, nullumq; sui habuisse effectorem, sed à se esse, & principium mali. Vltra Manichæum ponentem duo principia prima, Bonum, & Malum, quod ex se habeat esse, sitque causa mali: Verum hæc confutantur ibi, cum cæteris ad quæst. spectantibus &c.

QVÆSTIO VII.

Vtrum sicut Deus destinat bonum Angelum ad Custodiam, ita Lucifer destinet Dæmonum ad ruinam.

1 VLtra tutelarẽ Angelum Custodem, eumq; sanctissimũ, quem nobis diuina dignatur destinare Clementia ad custodiam: destinari insuper Angelum alterum, aliòqui malum, sed Dæmonem vnicuique hominum, ait Cassianus collat. 8. cap.17. & collat.13. cap.12. Nyssen. lib. de vita Moysis, Tertull. lib. de anim. cap.19. Eugubin. lib.8. de peren. phil. Origen. homil.35. in Luc. pluresque cũ Magistro in 2. d.11. Probatur vero in primis authoritate libri Pastoris, qui id plenissimè docet. Fuit etiam hæc traditio antiquissima, nedum Christianorum, sed & Hebræorum, vt notat Maldonatus

donatus ad Matt. 18. vbi mentio fit de Angelis Custodibus: Accedit Abbas Serenus ad eandem collat. 8. cap. 17. & Abbas Cheræmon collat. 13. cap. 12. Maldon. & Durant. lib. 2. cap. 13. de Rit. Eccl.

2 Probari autem ratione potest, quoniam Dæmon, veluti Simia, Deum imitari solet, ex aduerso tamen, itaut, quemadmodum Deus singulis bonum tradit Angelum ad custodiam, ita Lucifer è contrario, singulis Dæmonem opponat ad ruinam. Potestque vestigium aliquod reperiri in scriptura: etenim Paulus ait, datum sibi fuisse *Angelum Sathanæ, qui eũ colaphizaret*. quod etsi modis alijs intelligi valeat, nihilominus poterit etiam & ad hoc adaptari, inquit Maldon. Item de Iuda, psal. 108. *Diabolus stet à dextris eius*, & Io. 13. *Cum Diabolus misisset in Cor.* Insuper probatur ex eo, quod fertur, Luciferum à cæteris Dæmonibus per mundum vagantibus, certo quodam tempore rationem petere de lucro, siue victoria parta in damnatione animarum, refert id Gregor. 3. dialog. cap. 7. & idem Cassian. collat. 8. cap. 16. ipseq; Magister affert quoque Gregoriũ de duplici Angelo, bono & malo. Accedit de Iobo, ad quem destinatus fuit Dæmon ille, tantopere ipsum affligens, & tentans. Accedit Suar. lib. 8. de Angel. cap. vlt. num. 30. pluresque.

3 Ex opposito tamen Prosper in opusc. cõtra Collatorem, aduersus collationem tertiamdecimam, sententiã de malo Angelo vti falsam reijcit. Præcipuè autem quia Cassianus sententiã suam fundat super authoritate libri Pastoris, quem librum nullius authoritatis esse dicit: Attamen de eo scribens Hieronymus in Prol. Galeato sic habet. *Asserunt Auctorem esse libri, qui appellatur Pastor, & apud quasdam Græciæ Ecclesias etiam publicè legitur; Reuera vtilis liber, multiq; de eo Scriptorum veterum vsurparunt testimonia: sed apud Latinos penè ignotus est*. De quo etiam Baron. tom. 3. Annal. ad ann. 150 Xistus Senens. Bellarm. de Scriptor. Eccles. talem vero librum D. Gelasio Pontifice, inter apocryphos recẽseri, ait Gazæus in Comment. collat. 8. cap. 17. quo in loco, fauere sententiam hanc, ait, errori Gentilium de duobus Genijs cuique hominum à natali die, attributis, altero bono, altero malo. Et Hẽricus Cuykius in Annotat. super collat. 8. cap. 17. & collat. 13. cap. 12. vlterius idipsum probat, quandoquidem non opus est, Dæmones incitari vt nos infestent, & & prouocent ad malum, ac ruinam, sunt namque, absq; extrinseco promotore, semper ad se intenti, & parati ad nostram perditionem: ergo absque quo destinentur, ipsimet ex propria cuiusq; peruersa, atque salutis nostræ inuida natura, semetipsos vrgent, & instant ad nostra damna. Item si Deus talem destinaret ad nos tentandum, videretur in ipsummet Deum refundi inde peccatum, dum cadimus. Præterea, multiplicius grauaretur humana natura, tùm intus per fomitem, & rebellionẽ sensuum: tùm extra per homines alios alterutrum tentantes: quod si etiam destinaretur malus Angelus ad insuper tentandũ, graui onere premeretur homo, triplici vinculo irretitus. hinc cõcludunt isti ambos Commentarij Collatoris, vna cum Prospero, non dari, seu non destinari talem Angelum malum.

4 Hinc respondẽs Henric. ad obiecta, ait, Dæmonem, qui Iob tentauit, nõ fuisse talem Angelũ specialiter à Deo deputatum: sed fuisse Sathan, seu Luciferum, à Michaele prostratum, & è Cælo eiectum. Similiter de Iuda, nec fuisse specialem Diabolũ sibi destinatum, sed aliundè ipsum tentantem, & protestantem &c. consimiliter responderet ad cætera scripturę loca.

5 Post responsiones ad obiecta, ita in fine scribit, *Vnicum igitur Angelum Custodem, ac veluti Nutritium, & Pædagogum nobis dedit Deus: maligni autem sæpè plures, & varij nos infestant: quibus ille Sathan, & Serpens antiquus, velut satellitibus vtitur ad nos expugnandos*. Ex his autem vltimis verbis videtur sibi contradicere, prius namque negarat destinari Angelum malum; modò vero ait, Sathan; siue Luciferum, (sic enim intelligit) vti satellitibus ad nos expugnandos: hinc arguitur, si Lucifer inferioribus Angelis vtitur ad nos expugnandos, ergo eos destinat, nisi namq; destinaret, quonam modo ipsis vteretur? Saluari tamen potest à contradi-

traditione, vtramque quæstionem non decidit in sensu ordinario, & communi, qualis est, vtrum Angelus malus destinetur à Lucifero; sed in sensu longè diuerso, vtrum destinetur à Deo; & in hoc sensu procedunt suæ probationes, & conclusio: quo fit, vt ad eum sensũ loquatur consequẽter, nec sibi contradicat, negando destinari à Deo.

6 Hoc autem stante, existimo, ipsũ quoque venire in sententiam oppositam, quæ quidem communis censetur. Et quod in hanc incidat, apertè colligitur ex ijsdem allatis verbis, ait, namque, *Maligni autem sæpè plures, & varij nos infestant, quibus ille Sathan, & Serpens antiquus, velut satellitibus, vtitur ad nos expugnandos*. Loquitur verò de Lucifero, talibus enim potitur nominibus in Scriptura, *Sathanas, & Serpens antiquus*, de quo inquit, *Malignis spiritibus vti, velut satellitibus ad infestandũ nos*, quorum verborum sensus est, destinari malos Angelos à Lucifero ad perdendum nos, hoc autem est, quod desiderabatur. A primo ergo ad vltimũ, Commentarius hic Cassiani non aduersatur suo Collatori.

7 De tempore tamen deputationis huiusmodi Dæmonis, nõ est ambigendum, tunc primum fieri, cum Dei clementia bonũ Infanti destinat Custodem: tunc quidẽ, vt continuo, & semper euertere nitatur per Satellites Lucifer, media ad æternam hominibus parandam: Vtrumque enim Tertullianus expressit, tum destinationem, tum tempus, inquit enim, *Cui hominum non adhæret spiritus nequam ab ipsis etiam ianuæ natiuitatis, animas aucupabundus?* Confirmaturq; ex Socrate, & Gentilibus de Genio: de quo re abundè diximus supra.

8 Vtrum vero sufficiãt ad tot homines, atque, & Ciuitates, Prouincias, speciesq; rerum, & Regna, euertenda? Sicut enim de Sanctis Custodibus diximus non destinari solis hominibus, sed recensitis etiam; ita dicendum de Dæmonibus: Ratio, quia dum Deus res illas creauit propter hominem, & hominem propter seipsũ, nititur è contra, Dæmon, & hominem infestare, & cuncta alia, in obsequium creata Dei, & in beneficium hominum. Eo magis vrget dubitandi ratio, nam si tertia sola pars cecidit Dæmonum, quomodo sufficiens erit ad destinandũ tot rebus, eoque magis vrgetur, quo August. lib. Cur Deus Hom. cap. 18. ait, homines saluandos excedere numerum Angelorum cadentium. Respond. vel sufficient, & vtrũque bene reducendo singulos singulis: si non sufficient, redibunt iidem, adueniente hominũ morte, ad infestandos homines alios.

QVÆSTIO VIII.

Vtrum Dæmones cognouerunt Christum esse Messiam, Deum, Redemptorem, & Euersorem tartarij Imperij.

1 EGimus quidem supra disput. 7. q. 11. vtrum fuerit Angelis in via reuelatũ mysterium Incarnationis: nunc tamen singulariter de Dæmonibus quærimus, vtrum post Verbi incarnationem, cognouerint, Christum esse Messiam.

2 Tria continet præsens quæstio: Primum est, vtrum cognouerint Dæmones Christum esse Messiam. Secundum, vtrũ nouerint, ipsum esse Deum. & Tertium, vtrum cognouerint esse Mundi Redemptorem, atque eorundem Dæmonum Euersorem: singillatim vero agemus de singulis.



ARTICVLVS I.

Vtrum cognouerint esse Messiam, asseratur sententia.

Affirmant plures, Dæmones cognouisse Christum.

3 Diuus Thomas 3. par. q. 47. ar. 5. & q. 44. art. 1. Lyranus Marci 1. Ambros. 1. Corinth. 2. affirmant cognouisse esse Messiam: inquit nanque D. Thom. de Maioribus Iudæorũ, ait tum ipsos, tum vero Dæmones eum cognouisse. Ambrosius insuper inquit, *Sciebant Dæmones ipsum esse, qui in lege promissus erat.* idem fere habet Gloss. ordin. 1. Cor. 2. Euthym. Marc. 1. *Loquendi Dæmonibus ... quoniam norerant, ipsum esse Christum.* Aug. 9. de Ciuit. cap. 21. *Christus Dæmonibus tantum innotuit, quantum voluit: tantum vero voluit, quantum oportuit.* Ex his vero dat intelligere, semetipsum manifestasse Dæmonibus; quod cõfirmatur ex verbis, quæ subdit, *Dæmones hoc ita sciunt, vt Domino dicerent: Quid nobis, & tibi Iesu Nazarene, venisti ante tempus perdere nos? Clarum est in his verbis, quod in eis & talis scientia erat, & charitas non erat; pœnam quippè suam formidabant.* Beda Marc. 1. *Dæmones sciebant, ipsum esse Christum.* Gregor. 33. moral. cap. 10. *Hostis humani generis Redemptorẽ ante ... vidit, ... cognoscendo confessus, confitendo pertimuit, dicens, Quid nobis, & tibi fili Dei? ... quasi ... est, quia & nouit, & memoratur.* Idemque colligunt ex citato loco Luc. 4. *Non sinebat ea loqui, quia sciebant, ipsum esse Christum.* Huius autem textus duplex affertur sensus: primus quo elicitur, vere sciuisse, ipsum esse Christum; & quod Christus præcepisset eis, ne id hominibus propalarent: & consonat expositio hæc textui Matt. 16. vbi Christus præcepit *discipulis suis, vt nemini dicerent, quia esset Christus.* Sicque exponunt D. Thom. Beda, Euthym. Lyran. plurésque. Sensus alter est, quod nõ sinebat Christus Dæmones dicere, q̃ ipsi sciuerunt hoc, nempè, esse Christum, ita Hector. Clar. in Luc. orat. 11. Iansen. Vatabl. ibid. Doctores ergo hucusque recensiti, absolutè aiunt, Dæmones cognouisse esse Messiam, & Christum in lege promissum.

4 Est vero sententia altera D. Bonauent. Lucæ 4. dicentis, sciuisse quidem, at non certa scientia, sed coniecturali; ait enim, *Sciro quis sis, sanctus Dei; ille nempè, de quo Dan. 9. dicitur,* inquit Bonauent. *Vngatur sanctus sanctorum. Hoc autem non sciebat certa scientia Dæmon, tum dicatur 1. Cor. 2. Si cognouissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.* Sequitur expositionẽ hanc Iansen. *Non putandum est, Dæmones vere sciuisse quod se scire dicebant; si enim,* inquit Paul. *cognouissent, nunquã Dominum gloriæ crucifixissent: sed quod coniecturis quibusdam suspicabantur, id se scire, mendaciter asserebant.* Lodulph. 1. par. cap. 43. *Dæmones per vehementẽ coniecturam sciebant ipsũ esse Christum, non tamen per scientiæ certitudinem.*

Coniecturaliter sciuisse.

5 Caietan. vltra ea, quæ habet in 3. par. ad loca citata D. Thomæ, sic tamen locum præfatum Lucæ 4. explicat: *Non sinebat ea loqui quod sciebant esse Christum. Ratio,* inquit, *tum quoniam dicebant mendacium, quoniam dicebant se scire quod nesciebant: tum quoniam nolebat testimonium ab illis: tum quoniam sciebat, quod tentando hoc dicebant, ad explorandum, an ipse esset vere Christus.* In prima autem ratione si absolutè negare intendit, ipsos sciuisse omnino, siue certo, siue coniecturaliter, erit singularis expositio, & contra communem, paucis demptis, vt dicam: at non puto, negasse ab eis cognitionem, saltem coniecturalẽ: quod colligo ex sua vltima ratione, dum inquit, *tentando id dixisse ad explorandum,* igitur tacito innuit coniecturis innixũ fuisse Dæmonem, vt tentaret, & exploraret, an esset Christus.

6 Dionys. Carthus. Marc. 1. scientiam absolutam, & certam ab eis negat: admittit ergo coniecturalem: Et insuper addit, potuisse certo cognoscere, nisi Deus eos impediisset, ne Christi passio impediretur: scribit enim: *Dæmones Iesum esse Christum, id est Messiã, non sciebant certitudine absoluta, ac stabili: Poterant tamen hoc certius agnouisse, quàm homines, imo certo hoc sciuissent, nisi diuina dispensatione fuissent prohibiti, ne passio Christi impediretur.*

7 Accedit ad hanc Dionysij sententiam Bannes 1. par. quæst. 57. art. 3. dub. 2. inquiens, nec cognouisse esse Filium

Exceptores fuisse ne cognouerint.

lium Dei, nec fuisse Messiam in lege promissum, ante consummationem mysterij Crucis, sed excęcasse eos malitiam ipsorum, Deique prouidentiam sic postulasse, ac disposuisse, sicut postulabat hominum redemptio. Idemque habet Molin. ead. quæst. art. 5. disp. 11. qui asserit quidem cognoscere potuisse, esse Deum, & Messiam, attamen denegauerit eis Deum concursum generalem ad hoc &c.

ARTICVLVS II.

Vtrum cognouerint Christum esse Deum, referuntur opiniones.

Non plene cognouisse Christum esse Deum.

1 ALexander Alens. part. 2. q. 100. memb. 3. art. 1. sequens Hieronymum, docet non plenè, & perfectè Dæmones cognouisse Christum esse Deum, sed solummodo suspicatos id fuisse: vnde cognitionem de hac re appellat potius suspitionem, quam notitiam, inquiens. *Cognitio, qua Dæmones cognouerunt Filium Dei existentẽ in carne, magis dicenda est suspicio, secundum Hieron. quã notitia.* Consensit D. Tho. 3. par. q. 44. art. 1. *Dæmon visis miraculis ex quadam suspicione coniecturauit, Christũ esse filium Dei.* D. Antonin. par. 1. tit. 5. cap. 2. § 18. *Clamabant Dæmonia non ex certificatione, sed ex coniectura, Tu es Filius Dei.* Gregor. cap. 2. Iob. *Malignus Spiritus, cum Redemptorem nostrum miraculis coruscantem conspicit, clamat, scimus quod sis sanctus Dei: sed tamen vim supernæ pietatis ignorans, dum passibilem considerat, hominem purum putat.* Chrisost. homil. 5. in Marc. *Fingis Dæmon te scire, sed nescis: aut enim scis, & dolose taces, aut certè ignoras.* Glos. 1. Cor. 2. *Quod legitur, quod Diabolus Christum recognoscebat, & dicebat, Quid venisti nos torquere ante tempus? sciendum quod nõ ideo dicebat, vt esse Deum intelligeret, sed dubius erat, & taliter exterquere veritatem, vtrum Deus esset, volebat: vel hoc magis ex suspicione, quam ex cognitione dixisse credendi sunt: sciuerunt enim ipsũ esse, qui promissus erat in lege, non tamen mysterium eius, quod Filius Dei erat.* Beda Luc. 4. *Quem Diabolus ieiunio fatigatũ hominem cognouerat, nec tentando, valebat experiri an & Filius Dei esset; nam per signorum potentiam, vel insolitis, vel potius suspicatus est esse Filium Dei.* Leo serm. 11. de Pass. *Ignorauit Diabolus Christus sententiam sue Maiestatis occultando, & in infirmitatem vestis humanitatis obiicit.* Hieron. Marc. 8. *Tam Dæmones, quam Diabolus, idest, Princeps Dæmonum suspicari magis Filium Dei, quã nosse, intelligendi sunt.* Autho. quæst. noui Test. q. 66. *Videns Diabolus aliquando diuinam virtutem, aliquando hominis infirmitatem, ambigens quis verbum esset, torquebatur.* Et Isid. lib. 1 de Sum. Bon. cap. 16. *Christus ostensa sua carnis mortalitate, abscondit diuinitatem.* atque Lyranus Marc. 1. *Sciebat Dæmones esse Messiam non tamen sciebat esse Deum.*

Quare non plene cognouerint.

2 Quare autẽ ignorauerint mox relatus Lyranus adijcit rationem Pauli, quia *Si cognouissent nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.* Antoninus, quia Deus occultauit; ait enim, *Sed Christus occultabat eis suam diuinitatẽ, addendo aliquid, quod erat humanitatis, vt comedendo, famesciendo &c.* Idem Chrisost. indicat deceptum fuisse in cognitione diuinitatis ex proprijs verbis, aiebat enim Dæmon, *Scio qui sis, sanctus Dei.* vbi sanctus Doctor ait, *Non est enim sanctus Dei, sed sanctus Deus.* Vtique iusti sunt sancti Dei, attamen non sunt sanctus Deus; vnus est namque Deus, atq; Sanctus per Essentiam, & per naturam, homo tamen iustus est, & sanctus per gratiam, ideoque homo iustus nõ dicitur sanctus Deus, sed sanctus Dei, quatenus possidens gratiam, & sanctitatem à Deo, seu cuius sanctitas est per participationem, participat enim sanctitatem Dei: talis est sensus verborum Dæmonis, inquit Chrisost. vt dicat, Christum esse sanctum veluti Creaturas, at ipse Christus est sanctus Deus: Ad quod etiam aduertens Euthymius ita scribit, *Non simpliciter Dæmon dixit sanctus, sed cum adiectione articuli: Ille sanctus; siquidem & Prophetæ sancti sunt, sed per participationem: solus autem Deus propriè, & natura sanctus est.* Item Genitiuũ denotans subiectionem, & seruitutem, atq; distinctionem omnimodam, ac differentiã, qualis est inter seruũ, & dominum: Christus autem, licet ratione humanitatis, *formam serui accipiens, factus fuerit obe-*

Affirmat aliq.

dicens vsque ad mortem, vt loquitur Paulus, tamen ratione diuinitatis erat non inferior, non subditus, sed consubstantialis, & aequalis Patri.

2 Absolutè tamen Christū cognouisse Deum esse, fatentur plurimi, inter caeteros D. Bonau. in 3. d. 13. q. 3. *Quia Daemones videbāt mirā Christi virtutē in suis obsessis, cui nullatenus poterant resistere, cognoscebant ipsum nō purum hominem, sed etiam Deum esse*. Gregor. 33. moral. cap. 7. *Diabolus Deum incarnatum agnouerat*. Euthym. Marc. 1. *Scio*, inquit Daemon, *quod sit factus ille per naturam, filius Dei*. Nazianz. orat. 42. *Daemones Christum à quo fugabantur, Deum agnouerunt, doloribus vincentibus, quos sentiebant, fidem facientibus*. Tertull. lib. contra Prax. cap. 26. idem docet, & Sim. de Cass. lib. 5. cap. 10. Dum autem Gregor. hom. 25. in Euang. ante passionem ait, eum nouisse vt Deum; dum verò Christum vidit pati, dubitare de diuinitate coepit. *Prius miraculis Deum cognouerat; sed de cognitione sua ad dubitationem recidit, quando hunc passibilem vidit*.

ARTICVLVS III.

Vtrum cognouerint esse Saluatorem Mundi, atque Daemonum euersionem per suam mortem. Referuntur placita.

1 ALensis supra citat. mem. 3. art. 1. negat hoc, inquit enim, *Si aliqua certitudo Daemoni fuit, quod Christus Filius Dei esset per potentiam signorum; non praeuidit tamen eius morte se esse damnandum, vel potestatem sibi auferendam*. Consentit D. Thom. vbi supra ad 2. Accedit Gregor. 33. moral. cap. 7. *Daemon Filium Dei incarnatum nouerat; sed redemptionis nostrae ordinem nesciebat; sciebat enim, quod pro redemptione nostra incarnatus Dei Filius fuerat, sed omnino, quod idem Redemptor noster illum, moriendo transfigeret, nesciebat*. Beda Marc. 1. *Non ideo Iudaeis Christū crucifigere persuasit Daemon, quia Messiam, seu Dei Filium non esse putauit, sed quia se morte illius nō praeuidit esse damnandum*. Glos. 1. Cor. 2. *Si cognouissent Daemones sapientiam de redemptione humani generis, per Christi mortem, implenda, non suggereret Diabolus, illum crucifigi*. Leo serm. 9. de pass. *Nec Diabolus intellexit, quod saeuiendo in Christum, suum destrueret principatum*. Item serm. 11. *Si inimicus consilium Dei nosse potuisset, Iudaeorum animos mansuetudine potius temperare, quam odiis studuisset accendere, ne omnium captiuorum amitteret seruitutem, fefellit ergo illum malignitas sua*.

2 Ex opposito, cognouisse ait Euthym. Matt. 8. *Audierant Daemones à Prophetis, quod post Mundi consummationem descensurus esset Christus in terram, ac iudicaturus mundum, & afflicturus Daemones per aduentum Domini aliquando in abyssum mergendos*. Tertull. lib. 5. aduers. Marc. cap. 6. *Daemones nouisse, Christum ad perdendos eos venisse*. Et confirmatur, nemini ex scripturis poterat id optimè noscere: nam Io. 3. habetur. *Non enim misit Deus Filium suum in mundum, vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per eum*. Matt. 15. *Ecce ascendimus Hierosolymam, & filius traditur ad flagellandum, & crucifigendum*. Ioann. 13. *Nunc princeps huius mundi eiicietur foras*. Audiuit Christum dicentem, *Exaltari oportet filium hominis, vt omnes, qui credit in eum non pereat*. Item Matt. 1. *Ipse saluum faciet populum suum à peccatis eorum*. Luc. 2. *Natus est nobis hodie Saluator mundi*. Audiuit dimittere peccata Magdalenae, *Remittuntur ei peccata multa*. Item Paralitico, ob quod Iudaei indignati dicebant, *Quis est hic, qui etiam peccata dimittit*. subiicientes, blasphemauit, quoniam solius Dei est peccata dimittere. Expellebat Daemones ex obsessis. Audiuit Patrem dicentem, etiam secundo. *Hic est Filius meus dilectus*; ipsumque dixisse, *Venit filius hominis, animam suam dare in redemptionem &c.* Item Daemones euidenter cognoscebant veritatem miraculorum Christi. Audierunt Christum dicentem, *Ego sum qui loquor tecum* Ioan. 4. Martham Ioan. 17. Christo dixisse, *Ego credidi, quia tu es Christus Filius Dei viui, qui in hunc mundū venisti*, ipsummet Christum Patri dicentem, *Vt cognoscat te solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum*. Responsionem quam

dedit

dedit discipulis à Baptista missis, & interrogantibus, an esset ipse Messias. Annunciationem Angeli ad Mariam: cum impositione nominis. *Vocabis nomen eius Iesum*, causamque reddens subiecit, *Ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum*. cum plurimis ex scripturis ipsis de facili desumendis.

ARTICVLVS IV.

Resolutio Quæstionis, & Articulorum.

1 Llatis iam sententijs varijs circa prædictos articulos; nunc breuitèr resoluenda venit tota quæstio cum articulis.

Cognoscere potuerunt Dæmones multa de Christo.

2 Dicendum ergo Primo, loquendo de re hac, secundum se spectata; siue de Incarnationis, & Redemptionis mysterio, secundum se, suosq; principaliores effectus quales sunt, liberatio Generis humani de potestate Dæmonis, Triumphus de eodem Dæmone partus per Christum; euersio Imperij Dæmonis, eiusque expulsio: hæc, & similia poterant de se Dæmon necnon coniecturalitèr, verum & absolutè cognoscere, postquam Incarnationis mysterium fuit positum in actu. dixi, postquam fuit positum in actu; etenim vtrum ante potuerit, visum fuit supra. Item cognoscere absolutè potuit, Christum & fuisse Deum, & Redemptorem, & Messiam, Regniq; tartarei euersorem. Non quidem ex sua naturali indagine, sed ex Prophetis, scripturis, alijs, Christi miraculis, & huiusmodi. Hæc quidem probata remanent in præfatis articulis: vt in articulo primo, pro prima Parte: In secundo, pro secunda parte: & in tertio etiam pro secunda parte. Accedit ad hæc, quod naturalitèr cognoscere poterat integritatem Mariæ, simulque, pariendo remansisse Virginem: etenim de Virgine nasciturum Messiam prædixerat Isaias, & in eo legere poterat oraculum, *Ecce Virgo concipiet*. Audire item potuit voces Angelorum, Natiuitatem Christi annunciantium Pastoribus, & cantantium *Gloria in Excelsis Deo*. His pluribusq; capitibus recensitis in articulis, poterant cognoscere Christum, Deum, Messiam, Redemptorem, Dæmonum euersorem, eaque præstiturum per Crucem, passionem, & mortem.

3 Cæterum, vtrum potentia hæc reducta fuerit ad actum, an vero impedita: vtique impeditam ait Molin. & Bann. & citatur Carthus. Luc. 4. Marc. 1. & ad Rom. 10. art. 4.

4 Verum, hac in re distinguendū puto: vnde quæri potest, an fuerit de toto impedita, vt nullam prorsus, seu qualemcunque, habere potuissent notitiam: vel ne cognoscere potuissent cognitione certa, definita, & absoluta. Stante hoc, non placet assere ex omni prorsus capite impeditos fuisse, ne vllo modo agnoscerent, etenim capita plura per articulos allata, tùm ex Patribus, tùm ex Scripturis, concedunt illis aliqualem, saltem cognitionem, vt prima sententia articuli primi: prima quoque articuli secundi: & secunda articuli tertij: igitur, dicendum, cognouisse omnia in articulorum titulis proposita, at non *certitudinalitèr, sed coniecturalitèr*. Hoc probat secunda sententia Diui Bonauenturæ, ac cæterorum in articulo primo pro secunda sententia: & hoc, insuper probat prima sententia Alensis relati initio articuli secundi, cum sequacibus. Hac autem decisione stante, mediamus inter eos, qui absolutè negant, eosque, qui absolutè affirmant: Cum vero capita valdè vrgeant pro vtraque, censui sic esse mediandum, & ita concordari possunt Doctores: Ergo impediti quidem fuere Dæmones ne *certo* mysteria hæc norint; non tamen impediti ne *omnino*, saltem *coniecturalem* notitiam de eis adepti fuerint.

An de facto cognouerit.

5 Dices, aduersatur Scotus in 4. dist. 10. quæst. 8. inquiens, Dæmonem impeditum à Deo fuisse ne agnouisset integritatem *Virginis*. Respond. ad hunc sensum loqui: non tamen negasse tùm de hoc, tùm de cæteris spectantibus ad mysterium redemptionis, coniecturalem cognitionem. imo ipse ibidem ait, quod sibi derelictus, potuisset naturalitèr cognoscere integritatem.

6 Sed

Dæmones an impediti à cognitione Christi, & quanto tempore.

6 Sed numquid impediti semper fuerint pro toto tempore vitæ Christi Domini, ne eum certo agnoscerent? Gregor. 33. Moral. cap. 7. innuere videtur, saltem tempore passionis certo eum agnouisse, inquit enim, *In ipso traditionis tempore tarde iam cognouisse Dæmon intelligitur, quod ipse Christi morte puniretur: vnde & Pilati coniugem somnijs terruit, vt vir illius à iusti persecutione cessaret.* Verũ obstat Paulus, *Si cognouissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent:* Hoc est, vt Scotus ibi explicat, *Nunquam, Dominum gloriæ crucifigi permisissent*. Alij volunt, tunc passionis tempore incępisse Dæmones aliquid suspicari, ita Lyran. Anselm. Caetan. Matth. 27. Petr. Comest. in Histor. Euangel. cap. 166. ac Bernard. serm. 1. de Resurrect. & ob id, tunc instigasse vxorem Pilati, vt eum auerteret à nece Christi: Verum non desunt, qui non Dæmonem, sed bonum Angelum fuisse illum, autumant, à Deo missum, non quidem, vt filij sui mortem impediret, sed vt causam magis iustificaret, ex quo nulla Pilato relinqueretur excusatio: & quidem Dæmon impedire tentasset potius per Iudæos, quam per fœminam illam: ita August. serm. 121. de Temp. Athanas. serm. de Pass. Ambros. Luc. 23. ibique Origen. Hieron. Hilar. Chrisost. Theophil. Euthym.

An Dæmõ, an bon' Angelus instigauit vxorem Pilati, vt auerteret eum à nece Christi.

Quidenam certo cognouerint.

7 Quod passionis tempore cęperint cognoscere, seu suspicari, non dicimus: etenim iam diximus ante etiam coniecturasse, Quod vero tunc circa finem vitæ Christi Domini certo, & non amplius coniecturaliter cognouerit, admittimus cum Gregorio: & hinc Athanasius subdit, Dæmonem incitasse Iudæos, vt Christo, iam in Cruce acto dicerent, *Si Filius Dei est, descendat de Cruce, & credemus ei:* ratio, inquit, Sanctus Doctor, *Quia Domini mortem vitare cupiebat, ne alijs salus efficeretur*.

8 At si cum Gregorio dicimus; tunc certo nouisse, quomodo locum habebunt Apostoli verba, *Si cognouissent, nunquã Dominum gloriæ &c.* Item Apostolus idem inquit, *Loquimur sapientiam Dei in mysterio, quæ abscondita est*. Insuper: *Quam nemo Principum huius sæculi cognouit*. Item, *loquimur sapientiam non huius sæculi, neque Principum huius sæculi, qui destruuntur*.

9 Ad Primum respondet Tertull. lib. 5. contra Marc. cap. 6. inquiens, *Superest, vt credibile sit, scientes virtutes, & potestates Creatoris, Deum gloriæ Christum suum crucifixisse; quia desperatione, & malitia redundantia, scelus quoque scelestissimi Domino suo inferre non dubitant*. Quo etiam in loco 1. Cor. 2. Caetanus hæc habet. *Etiam si Dæmones cognouissent Dominum gloriæ verum Deum Iesum Christum, nihilominus conati fuissent crucifigere eum, ex odio*.

Quid per Pricipes pa. D. Paulũ intelligitur.

10 Ad Secundum, per *Principes* Chrisostomus Iudæos intelligit: Theophilactus, Herodem, Pilatum, & Principes sacerdotum. Theodoretus per *Principes* exponit Philosophos, Sophistas, Oratores, Poetas, Historicos, & huiusmodi: de quibus cap. 1. *Perdam sapientiam sapientum, & prudentiã prudentum reprobabo: vbi sapiens? vbi doctus? vbi scriba?* Item, *Non multi sapientes, non multi potentes, non multi nobiles, &c.* ac propterea *loquimur Dei sapientiam inter perfectos*, nempe inter Fideles, qui Christianam perfectionem profitentur. Hieron. Dan. 10. Beda Marc. 1. Luc. 4. Tertullian. lib. 5. contra Marc. cap. 6. Ambros. & Glos. 1. Cor. 2. per *Principes* exponunt Dæmones: quibus abscondita sit &c. At quomodo hoc, dum ipsimet Dæmones, tempore, quo Paulus prædicabat, & hæc scribebat, eundem Paulum audiebant, cæterosque Apostolos explicantes mysterium Incarnationis, & Redemptionis? si namque, teste Hieron. Angeli didicerunt ex prædicatione Apostolorum, quomodo audiendo eos prædicantes, poterant ignorare? Responderi tamen posset, loqui Paulum de tempore ante prædicationem, tunc enim ignorasse: Ad rem tamen nostram redeundo, soluendo argumentum dicimus, ante prædicationem, & ante consummationem redemptionis, nouisse solummodo coniecturaliter, post vero certitudinaliter, præcipuè post Resurrectionem.

11 Confirmo denique discursum, siquidem idemmet Christus Dominus

Matt.

Matt.16. prohibuit Apostolis, ne cuiquam dicerent, ipsum esse Christum. Vnde arguitur; si prohibuit Apostolis ne dicerent: impediisse quoque fatendum est, nè certo, & infallibiliter Dæmones eum cognoscerent: ac propterea noluerit Dæmonem illum loqui, dum aiebat, *Scio qui sis, sanctus Dei*: & hinc *Non sinebat ea loqui, quia sciebant, ipsum esse Christum*. Et hoc currit iuxta Bedam lib.2. in Luc. 2.4. *Dæmonia Filiū Dei confitebantur: & attestante Euangelio, sciebant ipsum esse Christum* vna cum pluribus Patribus supra allatis.

Dæmonib. etiā vera dicentibus an credēdum.

Siue etiam alio fine nō sinebat ea loqui, quia *Non indigebat immundorum testimonio*; ait Theophil. Luc. 4. tùm etiā quia *Nolebat accendi inuidia Hebræos videntes Christum ab omnibus honorari*. Ex eodem Theophil. tùm ex ipsomet Marc.1. quia docuit nos Christus hoc exēplo, ne credamus Dæmonijs, etiam si vera dicant, ne inde sumant ansam decipiendi, subseminando errores: Vel ex Chrisost. *Nolo me laudet vox tua, non veni, vt tuo testimonio comprobarer*. homil.5. in Marc.

Laus non excipienda à Dæmonibus.

Finis Decimaquintæ Disputationis.

DISPVTATIO XVI.

De pœna Angelorum malorum.

QVÆSTIO I.

Vtrum mali Angeli puniti fuerint statim atque peccauerint.

Non fuisse hucusq. punitos, sentiunt aliqui



1 FVit sentētia dicentium, nedum in eodem instanti, in quo peccauerūt, punitos non fuisse, verum nec vsque modo vltimū supplicii accepisse. Fundantur Primo in Petr. Apost. qui Epist. 2. cap. 2. de Dæmonijs ait, *Adhuc reseruari in iudiciū &c.* idemq; habet Iudas Apost 3. *Reseruari in iudiciū magni Dei*. Insuper Matt. 25. de Christo iudice refert. dicturo, *Ite in ignem æternum, qui paratus est Diabolo*. quod si paratus, seu preparatus est Diabolo, non ergo hucusq. pœnam subijt. Præterea; Ijdem Dæmones idem confirmare videntur, dum Matt.13. ad Christum aiunt, *Venisti huc ante tempus torquere nos*; quo in loco Hilar. Can.8. inquit, *Proclamant, cur sedem inuideat, cur ante tempus iudicij infestet*. Idem, Iustinus in Triphon. Iren. lib. 5. cap. 33. Euseb. 4. histor. cap. 17. Nicephor. 4. histor. cap. 6. Lactant. lib. 7. cap. 26. his accedere videtur Bonau. in 4. d. 47 ar. 1. q. 2. docens, recepturos Dæmones in iudicio complementum pœnæ; ergo hinc sequitur, non iam de toto, saltem, fuisse iudicatos, & vltimo supplicio addictos.

In instanti quo peccarunt fuisse damnatos, sunt aliqui.

2 Senserunt aliqui alij pauci, in eodem prorsus instanti, in quo peccauerunt, fuisse damnatos, ac supplicio affectos: hi sunt Caet. 1. par. q. 63 art. 4. & Ferrar. lib. 3. Contra g. cap. 110. Probant vero, quoniam in eodem instanti Angeli boni receperunt premium, quo mali supplicium; at boni in eodem prorsus instanti, quo meruerunt, præmiati fuerunt, ergo & mali in eodem, quo peccauerunt, puniti fuerunt. Confirmatur, eodem instanti, quo peccat homo,

homo, priuatur gratia: est autem maxima pœna priuatio diuinæ gratiæ, ipsa namq; priuatio causa est æternalis interitus, supplicijq; æterni: ergo eodem instanti, quo peccauerunt, fuerunt puniti. Confirmatur item, siquidē potuit Deus ordinare, non vltro expectare ad pœnitentiā, & etiam statuere remansuros in tali priuatione gratiæ æternalitèr, sicut inde tandem fecit in instanti alio, ex sententia opposita, si autem non implicat, ita factum putant. Fundantur etiam in D. Thom. ibid. docente, in eodem secundo instanti meruisse, & præmiatos fuisse, ergo idem à pari de malis, vt in eodem secundo demeruerint, & damnati fuerint.

3 Sententia hæc impugnata remāsit à Scoto, dum agebamus de moralis, & via Angelorum: & ea poterūt huc adduci, ac sufficiūt pauca: siquidem arguitur, instans supplicij nō potest esse instans meriti, ergo &c. Prob. assumptum, tempus, seu instans demeriti, est tempus viæ, etenim in termino cessat meritum, & demeritū, vt patet: igitur non demerebantur in instanti, quo puniebantur. Item, terminus, & via non sunt simul. Demeritum spectat ad statum viæ; pœna ad statum termini. Insuper sequitur, quod vel instans pœnæ non erit instans demeriti, vel si sit instans demeriti, iam nunc ijdem Dæmones demerentur: Imò amplius, in eo instanti, in quo quis demeretur, potest, & mereri per Dei gratiā, etenim liber est, vt cæteris concurrentibus, possit ad vtrumlibet; ergo status meriti erat status pœnæ, meriti, inquam possibilis, ratione viæ. Rursus, ergo status meriti, & beatitudinis acquirendæ, atque status demeriti, finalisq; damnationis stabunt simul. Præterea voluntas non vult simul mutabilitèr, & immutabilitèr, ita vt non possit in oppositum: at quando præmiatur, & vltimo supplicio, seu damnatione afficitur, tunc vult immutabilitèr, quoniam, *Vbi ceciderit lignum, ibi erit*, Eccl. 13. quādo autem meretur, vel demeretur, tunc vult mutabilitèr, ergo non stat simul damnatio, & demeritū. Confirmatur, etenim ratione termini, seu damnationis, se habet immutabilitèr, ratione obstinationis in malo; ratione autem demeriti, seu viæ, se habet mutabilitèr, quatenus potens conuerti à malo. Effugia Caietani redarguta fuerunt ibi. Accedit, quod in sententia negantiū remanere fidem in damnatis, valet hæc sequela: etenim sequeretur fidem, & carentiā eius esse simul in eodem instanti: Prob. habuerunt Angeli omnes in via, fidem: ergo in secundo instanti habuerunt insimul, & non habuerūt. Primum sequitur, quia dum poterant mereri, & demereri, habuerunt eam: erant enim in eo instanti viatores. Secundum quoque, quandoquidem, dum illud erat instans etiam punitionis, & per consequens termini, non habuerunt eam dato fidem destruī in damnatis. Quidquid tamen sit de fide, id omnino sequitur, saltem de spe: habebant eam dum erant in statu merendi, & demerendi in illo instanti: nō habebant simul eam, dum tale erat instans punitionis, & termini, & per consequens desperationis. Redeundo etiā ad fidem, hæc non amittitur, nisi per oppositum errorem: at quis in intellectu angelico admisit in via actum, vel hæresis, vel infidelitatis contra Fidem, imo Iacobus ait, *Dæmones credūt, & contremiscunt*: amisisse autem fidem aiunt plures, in statu damnationis, non autem in statu viæ; imo per credulitatem etiam Verbi incarnandi, Lucifer occasionem sumpsit rebellandi, vt fuit dictum ex Bernardi *vidit, & inuidit*, vidit per reuelationem, & Fidem, alias non inuidisset, si nequaquam id credidisset. Rursus, dum Dæmon demerebatur, poterat adhuc pœnitere, Deusq; neminem, nec quidem Angelos malos in via, destituit gratia excitāte ad conuersionem, quandoquidem, illud Apostoli, *Deus vult omnes homines saluos fieri*, etiam ad Angelos extenditur: imo iam diximus disp. 10. quæst. 14. potuisse in via conuerti, & pœnitere, si voluissent: eoque magis, si statuamus, Christum fuisse Caput etiam Angelorum, eisque meruisse media ad salutem, de quo in materia de Incarnat. agendo de Gratia Capitis, & de Merito eiusdem Christi: at vocatio, & excitatio, siue gratia quæcunque ad conuersionem non confertur existētibus in termino, & vltimo supplicio addictis. Præterea,

Instans punitionis, & præmij, an instans meriti, & demeriti.

Dæmones in via potuerant pœnitere.

nequit

nequit ſtare cum obſtinatione, voluntas indifferens proximè ad bene, & male operandum, ſiue deſiſtendum à malo: in termino autem, ſeù in illo damnationis inſtanti iam remanet obſtinata, & inflexibilis, vt etiã ipſi loquuntur. Item, quando quæſo, ſeù vbinam puniri cœperunt? an in Cœlo, vbi peccauerunt, an extra: incongruum videtur aſſerere, in Cœlo cœpiſſe, ignis pœnam ſubire: id autem, non ratione ſui, etenim quocunque ierint Dæmones, ſecũ infernum portant, ſed ratione loci, Cœlum namque non fuit deſtinatum ad ſupplíciũ, ſed alibi puniuntur: eo magis ſi creati fuerint in Cœlo Empyreo; iuxta opiniones varias, de quibus ſupra. Et denique, minimè decet ſummam prouidentiam, & ſapientiam Dei. Accedit recepta ſententia, *Quod hominibus eſt mors, in Angelis eſt caſus:* illi in morte æternaliter puniuntur, ergo iſti in caſu.

Quod hominibus eſt mors, Angelis eſt caſus

4 Quando igitur damnati fuerũt, ſeù ſupplicio affecti? Recurrendum ad quæ diximus ſupra, agendo de morali, & via Angelorum.

5 Ad Primum vero in oppoſitum, negatur minor, vt ibidem diximus, eſt enim idem vtrobique iudicium: alias in eodem inſtãti fuiſſet in bonis ſimul fides, & viſio beatifica, ſpes, & tentio: illæ, ratione viæ, & meriti; iſtæ, ratione præmij: vna cum cæteris ibi.

Via, & terminus omnino ſimul implicant: nõ ſic diſpoſitio, & forma.

6 Sed obſtabis, non repugnat præmium, vt præmium ſimul cum merito, vt ſic: imo ſe habent, tanquam diſpoſitio, & forma, quæ ſunt ſimul, vt calor in ligno diſponens illud ad ignem; ergo nec repugnabit ſimul demeritum, & pœna. Reſpondeo, vt dixi ibi, Hæc duo non repugnare ſimul inter ſe, ratione ſui, & ſecundum ſe ſpectata, ſed ratione adiuncti, nempè, Viæ, & Termini: hæc autem duo adeo implicant, vt nullo pacto eſſe poſſint ſimul: igitur, vt ſic, implicant, non autem gratia ſui.

7 Ad illud de gratia, & priuatione, non mirum eſt, quoniam tùm gratia, tùm eius priuatio eſſe poſſunt in via, vt patet: at meritum, demeritum, præmium, & pœna variant rationem ſtatus, dum differunt per terminum, & viam: quies autem, & motus nequeũt eſſe ſimul. Et ad Confirmat. vtique poſſet Deus relinquere peccatorem in perpetua gratiæ carentia, vt contingit obſtinatis: Dices, illa foret pœna. Reſpond. pro tunc eſſet pœna viæ, quæ pœna non implicat cum ſtatu viæ, etenim eſſet pœna durans per tẽpus, quod patet in illis de poſtmodum iuſtificatis, quo quidem iuſtificationis inſtanti, ſinitur pœna illa obcæcationis, & carentiæ luminis gratiæ; cæterum, loquendo de eadem carentia gratiæ, inflicta in ordine ad finalem impœnitentiam, erit tunc pœna æternalis: at vero æterni rationem non conſequitur, quouſque peccator fiat in termino: & vt ſic, cõſiderata carentia, non ſtat ſimul cum gratia, illa namq; pertinebit ad terminum, iſta ad viam. Et dato etiam, quod nuſquam reſipuerit peccator, ſed diu in peccatis degat, carentia hæc appellabitur ſemper pœna viæ, etiam ſi talis de numero ſit reproborum: fert namq; ſecũ ſtatus viæ mutabilitatem, ac propterea Viatores appellamur, nunc ad Deum per gratiam accedendo, nũc ab eo per peccatũ abſcedendo, nunc vero per conuerſionem, ſaltem poſſibilẽ, ſi non actualem, redeundo; ac tunc rationem veræ vindictæ, vltimique, ac finalis ſupplicij ſortietur, cum peccator fiet in termino, ideoq; Spiritus ſanctus ait, *Vbicunque ceciderit lignum, ibi erit, ſiue ad Auſtrum, ſiue ad Aquilonem.* dicit quidem, *vbi ceciderit*; per caſum enim exprimitur ſtatus termini, eo in loco; non autem caſus viæ: ideoque ſubdit, *ibi erit* quoniam poſt viam, in termino nulla ſit conuerſio.

8 Dices, operans per charitatem, meritoriè, in eodem inſtanti meretur præmium: ergo, ex oppoſito, operans demeritoriè Angelus, in eodẽ inſtanti demerebatur, & ſimul finaliter puniebatur. Argumentum petit quæſtionẽ, vtrum neceſſe ſit, ad præmium, tempore præcedere meritum, an ſufficiat ſolus ordo naturæ: Rem hanc ibi quoque attigimus, referendo affirmatiuam de tempore, ex Scoto: negatiuam vero plurium, dicentium, ſufficere præcedentiam naturæ: Cæterum Scotiſtæ negarent antecedens, apponendo præmium tempore poſt. Verum, amplius eſt reſpondendum ab eis, & ponderanda

Operãs meritoriè, vel demeritoriè, an ſtatim in eodẽ inſtanti ſit præmiãdus, puniẽdus.

da phrasis argumenti. Aliud namque est dicere, quod operans, in eodem instanti mereatur præmium, vel pœnam; & aliud, quod in eodem instanti præmietur, vel puniatur. Loquendo de primo, vtique verum est antecedens, etenim operatio talis, talisque, in eodē instanti, in quo fit, fert secum meritū, vel demeritum, nisi sit indifferens, vt supponimus ex materia de Beatitudine: quod eodem prorsus temporis instanti præmietur, vel puniatur, negandum est Scotistis.

Meritum, et demeritum quo præcedit præmiū, & pœnam.

9 Dices, iam assertū est, stare simul in via demeritum, & pœnam: & gratiam, eiusque priuationem, ergo & meritum, & præmium. Resp. Primo, iam dictum fuit, hæc non implicare ratione sui, sed ratione viæ, & termini. Secundo, cum dictum fuit, pœnam, quæ erat carētia, stare simul, dum quis peccat, pœna illa erat priuatiua, vt est priuatio gratiæ, quæ priuatio statim consurgit, peccāte homine, siue opponitur gratia, & peccatum demeritoriē, siue priuatiuē: At loquendo de pœna positiua, habetur postea; & ita, inquiūt Scotistæ, premium charitatis haberi tempore post, licet meritum habeatur in eodem instanti. Alia responsio data fuit de augmento ipso charitatis sup. agendo de Moralis, non implicare dari simul augmentum charitatis, cum eius merito, etenim & sunt eiusdem rationis essentialis gratia, eiusque incrementum, tum etiam, quoniam augmentum illud est præmium viæ, non termini.

Meritū charitatis, eiusque præmiū an in eodē instanti.

10 Quoad alteram vero quæstionis partem, de dilatione præmii, siue supplicij Angelorum: Est communis sensus Theologorum, statim, peracto, & consummato cursu viæ, seu mortalitatis, damnationem accepisse vltimi supplicij. Et suadetur, siquidem ita accidit bonis, vt post consummata merita viæ acceperint gloriam, ergo & mali supplicium. Item, æqualis fuit omnium, bonorum malorumq; via, & mora, ergo sicut boni, ita & mali in termino talis moræ stipendia receperunt. Insuper non contigit Angelis, sicut hominibus, quibus tempus viæ non vnum, nec æquale, sed alterum altero est diuturnius; alterq; alter prius, ociusque

Dæmones, peracto cursu viæ, illico puniti.

moritur, vnde & præmia, siue supplicia non simul suscipiunt ipsorum animæ è corporibus abeuntes: Angeli autem non sunt mortales, igitur non expectarum fuit vt vel boni, vel mali, prius, posteriusq; obirent, et inde supplicia, & præmia acciperent. Cum namque viæ tempus fuerit vtrisque commune, statim peractis meritis, vel demeritis, præmiati, vel puniti fuerunt. Rursus animæ hinc obeūtes, statim proprijs coaptantur locis, siue præmij, siue pœnæ æque siue temporalis, siue æternalis: pro Dæmonibus autem non contingit, nisi æternalis, quia statim demersi fuerunt, & eiecti è Cælo. Insuper, ad quid tam longa intercapedo, & mora in differendo supplicio. Iam enim communis est doctrina, supplicium, & præmiū subsequi peracto cursu viæ subsequi, inquam, absque mora. Denique quidnam egissent tunc, siue quidnam agerent nunc, vsque ad supplicium cum ferendum ipsis in iudicio merentur, aut demerentur? neutrum dandum, de merito, & demerito essentiali: an forte pœnitebunt? dictum autē supra fuit, potuisse quidem in decursu illarū morularum pœnitere, de nullo tamen sciri, quod pœnituerit. Et confirmatur ex Apocal. vbi Ioannes testatur, proiectū fuisse Draconem, qui vocabatur Diabolus, in Infernum, peracto iam bello. & Luc. 10. aiebat Christus, *Videbam Sathanam sicut fulgur de Cælo cadentem*: quem locum ponderans Hieronymus ait, *Videbam non inquit, modo video, sed prius videbam, quando corruit*. Item Sap. 2. *Inuidia Diaboli mors intrauit in mundum*. Apoc. 12. *Ille homicida fuit ab initio*. pœna quoque Serpenti inflicta, in iudicio Adæ, & Euæ, ipsum contestatur *supra pectus tuum gradieris &c.* quæ corporea Serpentis pœna, indiciū fuit pœnæ prius ipsi Diabolo inflictæ. dixi *Corporea Serpentis pœna* siquidem Effrem, & Moyses Barcefa, lib. de Parad. cap. 27. aiunt, Serpentem corpore pedibus erectum, colloq; extento creatum fuisse, inde vero reptantem supra pectus incedere, ex diuina Iustitia, & punitione: taliter namque se Lucifer gessit, dum extento superbiæ collo, erectoq; capite ambitionis, dixit, *In Cælū conscendam*, ad quam rem alludēs Ambros.

Serpens creatū cū pedibus.

Negat Rupert. & Pererius lib. 6. in Gen.

broſ lib. de Parad. inquit, *Homines, qui terrena ſapiunt, nec tamen interiori affectu erigantur ad Cœlum, utero, ſicut ſerpentes, videntur repere ſuper terram*. Et denique aperta ſunt Petri verba, *Angelis peccantibus non pepercit, ſed rudentibus inferni detractos, in tartarum tradit cruciandos*; Cum pedibus creatũ Serpentem confirmant Dydimus, & Toſtat. q. 68. in Gen. & Plin. lib. 11. cap. 46. viſos ait Serpentes pedibus anſerinis.

Incarnatio quomodo accelerata ex Ven.

11 Oppoſita autẽ, de facili ſoluuntur. Et quidem ad querelam Dæmonũ, quod venerit ante tempus &c. Georgius Venetus explicat, quia fere circiter trecentũ annis accelerata fuit Incarnatio, iuxta Danielem. Vel inſuper lamentabantur, quoniam eorum poteſtas, & tyrannis ſupra humanũ genus fuit per Chriſti aduentũ de die in diem, magis, magiſque attenuata, imo audierant minas Chriſti dicentis, *Princeps mundi huius eijcietur foras*. Siue etiam, quoniam expellebat eos ex energumenis; Siue quia timebãt deſtinandos fore, ac detrudendos in Inferno. Ac denique, hæc, & plura deplorabãt ex eius Aduentu, quem non credebant debuiſſe tunc, ſed dilatandum in longiùs, ideoque aiebant, *Veniſti ante tempus*.

Chriſtum venisse ante tepus quid ſignificat.

12 Dum vero dicitur reſeruari in iudicium: ex fine vltimæ diſputationis aliqualiter patebit ſolutio: etenim D. Bonau. 4. d. 45. art. 1. q. 2. docet, complementum damnationis recepturos in iudicio: loquitur autem de pœna accidentali: & ita ex vtraque complecè iudicabũtur, nunc enim, licet habeant totam pœnam eſſentialem, deeſt tamen illa, quæ tunc deſtinanda erit accidentalis. Item iudicandos tunc fore iudicio publico, coram toto Orbe, qui tamen aliunde, & non ita nunc coram iudicati ſunt, iuxta Apoſt. 1. Cor. 6. *Neſcitis, quoniam & Angelos iudicabimus?* Item iudicij complementum erit finaliter, omnes detrudi in Inferno. Apoc. 22. adhæc, & huius generis referuntur verba illa *Reſeruari*. Et ad illud, *Paratus eſt Diabolo* non indicatur, de facto, non torqueri actu, & præſentialitèr, ſed indicatur æternitas talis ſupplicij, ſiquidem ly, *Paratus* eſt nota verbi indefiniti, quod quidem æquipollet æternali, & infinito, nempè durabit ſupplicium duratione infinita, nec finietur, verbum namque indefinitum æquiualet vniuerſali, & infinito. Ampliùs diſput. vlt. quæſt. 2.

Iudicij Dæmonum complementum quando?

QVÆSTIO II.

Vtrum in Dæmonibus ſit dolor, & triſtitia?

1 DOlorem quidam ſumũt amplè, & latè, vt D. Thom. pro quacunque diſconuenientia, ſeu paſſione, tùm animæ, tùm corporis: & hoc modo loquendo, admittendus, eſt dolor in Dæmonibus, ſicut ipſe admittit 1. par. q. 63. art. 3. cęterum preciſè, & rigoroſè ſpectando illum, contrahitur ad ſolum ſenſum, & corpus. Ita ſanè docet Ariſt. 2. de anim. loquiens, *dolor eſt offenſio animæ ex carne*. Igitur exigitur caro, & ſenſus ad verum dolorem, eſt namque paſſio ſenſus, ſicut triſtitia eſt paſſio animæ: vnde Auguſtinus eam deſcribens, inquit, *Triſtitia eſt de ijs, quæ nobis nolen-*

Dolor triſtitia quid.

tibus accidunt. Quam rem ex Auguſt. ponderans Scotus in 4. d. 44. q. 2. §. *Ad quæſtionem*, ſic ſcribit. *Ad quæſtionem dico, quod ſecundum Auguſt. 14. de Ciuit. cap. 15. Dolor carnis, tantummodo eſt offenſio animæ ex carne, & quædam ab eius paſſione, diſſentio, ſicut animæ dolor, qui appellatur triſtitia, eſt ab his rebus, quæ nobis nolentibus accidunt*. Ex hoc apparet, quod *Dolor eſt paſſio conſequens apprehenſionem ſenſitiuam, & in appetitu ſenſitiuo: Triſtitia autẽ eſt propriè in appetitu intellectiuo, ſiue in voluntate, & conſequens apprehenſionem euentus alicuius obiecti noliti*. Hoc quidem habito de natura, & quiditate do-

loris, & tristitiæ, quæstionem resoluit, inquiens, *Primum, scilicet, dolorem propriè dictum, non oportet quærere in Spiritualibus, siue Angelis, siue in animabus separatis, nisi fingatur, quod in spiritu separato sit appetitus sensitiuus, & pars eiusdem sensitiua: & tamen nisi possit inesse passio, tam secundum appetitum animi, quàm secundum sensum, quod transfatiuum est, secundum Arist. 1. de anim. Nihil aliud est dicere, animam tristari & gaudere, quam texere, & ædificare: quod utique verum est, prout sunt passiones appetitus sensitiui, quia illæ sunt passiones totius coniuncti, sicut & sentire, ad quod sequitur passio: est ergo tactus coniuncti, ex de sensu, & de somn.* Ex quibus apertè, & complectè elicitur, dolorē, propriè loquendo, esse ad sensum, tristitiam ad spiritum.

Ad dolorē, & tristitiam requisita.

2 Item ad vtrumque requiritur, vt obiectum vel sit disconueniens, vel nolitum, vt causet tristitiā: Fames namque, sitis, glacies, ignis, mors, & huiusmodi, disconuenientia sunt, ob idque, dolorem causant in sensu, & tristitiam in anima coniuncta, vt sic namque tristatur, quia nata est, condelectari, & conqueri appetitui sensitiuo: vbi vero talis sensus deest, vel ratione obiecti nō disconuenientis, poterit tristitia causari ab eodem obiecto, non quidem absolutè tento, sed vt nolito: sicque, si Michael esset in igne, minime tristaretur, non enim de se causare potest in spiritū tristitiam: attamen causat eam in Dæmonibus, ratione, quia, contra propriam voluntatem detinentur ibi ex diuina vindicta: ita quoque nec si in loco profūdo, aut carcere, esset Michael, tristaretur, non enim contra voluntatem foret ibi, sed voluntariè exequendo voluntatem Dei: at Dæmon est ibi velut in carcere, vbi potentia eius motiua detinetur, & arctatur; cum vero hoc fit contra suam inclinationem, quæ cuperet, potentiam motiuā sibi dimitti, nolendo talem detentionem, sed incarcerationem, inde tristatur. Rationes vero aliunde huius passionis causatiuæ afferentur infra.

In Dæmonibus tristitia

3 Hoc habito, ad quæstionem dicendum, in malis Angelis reperiri veram tristitiam: dolorem vero eatenus, vt explicatum est, abstrahendo à sensu, & sumendo passionem in ipsis Dæmonibus causatam: Absolutè vero Doctores aiunt, in ipsis esse dolorem, quod nullum D. Thomas recensitus, sed & Sc. vnus quisque admittit, nisi quod ipse subdit, *Dolorem propriè dictum nō oportet quærere in Spiritualibus*. Et Picinus lib. 4. cap. 27. de quodā Marco, eximio Dæmonum cultore, refert dixisse, *Dæmones non pati solum, sed valde pati*. Quidquid tamen sit de modo loquendi, probatur ex Apocal. 18. *Quantum glorificauit se, & in delitijs fuit, tantum date illi tormentum, & luctum*. Hæc autem, quæ de hominibus dicuntur, quadrant quoque Dæmonijs. Item 2. Petr. 2. *Si enim Deus, Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos, in tartarum tradidit cruciandos &c.* torqueri vero, & cruciari, non contingit absq; tristitia, & dolore vtcumque sumpto.

4 Obstari posse, scripturæ loca, vel nō loqui de Angelis, vt est primum: vel falsè intelligi metaphoricè: Prob. passiones doloris dicuntur quidem de Deo, sed metaphoricè, vt Gen. 6. *Tactus dolore cordis intrinsecus, dixit, pœnitet me fecisse hominem*. Est autem Angelus natura spiritualis, vt est Deus, hac enim ratione non videtur Deus esse capax veri doloris, quia spiritus, ergo nec Angelus. Nihilominus de fide est, Deum incapacē esse passionis, aut doloris, vt tom. de Immutab. Dei ostēdimus: Angelus tamen, quia creatura est, obnoxius est mutationi, & huiusmodi passionibus.

Dolor, & tristitia de quo nam, & an sit in Deo

5 Causam vero exquirunt aliqui huiusmodi differentiæ: Aliqui aiunt, in ijs sequi dolorem, quæ accidunt contra voluntatem; nil vero contra Dei voluntatem euenit, cum tamen accidit plura contra voluntatem Dæmonum: At minor est falsa, cum peccata eueniāt contra voluntatem Dei: Occurrūt, euenire contra voluntatem inefficacem, non autem efficacem: dolor autem euenit in ijs, quæ accidunt contra voluntatem efficacem. Contra, pœnitens dolet quidem, attamen efficacem non habet voluntatem circa præteritum peccatum, impossibile est enim non peccasse, quia præteritum. Alij, dolorem, aiunt, esse de malo, siue proprio, siue coniuncto, quemadmodum gaudium est de bono proprio, vel

Quæ nam eius causa.

con-

coniunctū: at Deus nullum habet malum, nec vt proprium, nec vt coniunctū, omnia enim alia sunt extra ipsum, cū sint alterius naturæ ab ipso, nec ipse egeat creaturis, ideoque nequeat dolere: Angelo tamen contingit habere malum, etiam vt proprium, ergo hinc tristatur. Cæterum, quidquid sit de rationibus, locus ille Scripturæ, sicut & consimiles, necessario exponendi sunt metaphoricè, vt ibi diximus, dum ipse nullius est capax passionis, aut mutabilitatis. Angelus vero, quia huiusmodi accidētibus obnoxius est, hinc in sensu reali, non metaphorico, accipiendæ sunt passiones in eo.

Dæmones an ita tristentur, vt non possint cessare.

6 Ex quo autem in Angelis reperitur tristitia, seu dolor, ad sensum allatum, quæritur; Vtrum adeo necessario tristentur, seu doleant, vt non possint non tristari, & dolere? Vasquez 1. par. disp. 242. cap. 4. refert, Scotum arbitrari, posse damnatos ab omni voluntatis actu cessare: Ex qua sententia inde sequitur, posse etiam cessare à tristitia subsequente ad actum, seu à tristitia, quatenus, cessante actu, cessat & tristitia: refertq; ita ipsum docuisse in 2. d. 7. q. 1. §. *Restat nunc dicere*, quam sententiam tūm Ariminensis, tūm Bassol. ad eum locum, censet esse falsam, quoniā posset damnatus cessare à tormentis, & pœna suspendendo actum &c. Quem errorem, ait Vasq. fore peiorem errore Origenis, dicentis, damnatorum pœnas finiendas tandem, id vero non ex ipsorum voluntate, sed Dei misericordia: at ex sententia illa, ipsimet damnati propria voluntate, propriaq; facultate liberarent se à pœna, suspendendo omnem actum. Affert insuper, eundem Scotum in report. ad 3. quem, inquit, docere, posse cessare ab omni actu. Itē, quodque 3. report. dixerit, actum tristitiæ à solo Deo produci, & conseruari, & vt sic, necessario tristantur.

Vasquij calumnia in Scotum.

7 Vasquez, vt solet, calumnias ingerit Scoto: non enim percipit mentem Scoti, idque vel mentis, vel animi praua dispositione: eligat quod placet, vel vtrumque amplexetur. Ostendamus autem qualis sit Scoti mens.

8 Et in primis, loco citato in 2. sent. intendit quærere, vtrum Angelus malus possit bonum aliquod morale agere: quam quæstionem resoluendo inquit, quod attenta natura voluntatis, quatenus est essentialiter libera, non vult necessario male: vnde infert, quod nullum non necessario male vult, sed potest omnem proorsus suum suspendere, & cessare ab omni operatione: probatq; ex Aug. dicente, *Nil est tam in potestate voluntatis, quam ipsa voluntas*, quod explicat, *quoad actum secundum*, probato autem hoc per suum discursū, concludit tamen, inquiens, *Probabile est tamen, quod secundum hanc potentiā, non exeunt in actum, propter vehementē malitiam, secundum quam magis probabile est, quod agunt, quam secundum potestatem naturalem, secundum quam possent in actus oppositos.* Ex quibus id elicitur, quod, aliud est loqui de natura voluntatis in se, aliud, quatenus in termino, & statu dānationis, primo modo cōcedit: secundo vero negat, quod vero hic sensus, referam antecedentia verba ad hæc, ait enim aliquanto priùs, *Mirum videtur negare potentiam naturalem in natura illa excellente, vbi non apparet aliquid propter quod sit negandus* Imo est frequens Scotus in tali modo loquendi de voluntate: semper namq; tūm loquens de Beatorum impeccabilitate, tūm de gratia, deque huiusmodi, semper quæstionis expedit, expendendo quidnam possit, vel non possit, voluntas ex sui natura, quid vero cū gratia, siue cæteris concurrentibus.

8 Cuius etiam ad præsens resolutio, ad terminos communes reducitur, vt voluntatem mali Angeli spectemus, vel physicè, vel moralitèr: primo potest ea omnia, & carere omni actu, licet hic, metaphysicè dubitat, inquiens, *De indeterminata, siue vaga, probatur idem, vel quod possit se suspendere ab omni volitione, sicut præcessit vna ratio, quæ tamen assumit dubium, quia non videtur, quod possit se suspendere ab omni volitione.* Secundo autem modo, negat, propter vehementem malitiam, vt loquitur. Item loquitur Scotus de voluntate quoad potentiam remotam, nō proximam: taliterque, & optimè penetrauit Scoti mentem, Tataretus ibidem in 2. parte ante solutionem argumentorum principaliū, vbi præsentiens difficultatem, & soluens eam, sic

scribit,

scribit, *Et ideo, resolutio Scoti est ista, quod Angelus malus est in potentia remota ad suspendendum quamlibet volitionem malam, quam habet, sed non in propinqua, quia indiget alia volitione ad suspendendam eam, ad quam Deus nō vult concurrere*. Item loquitur secundum affectionem commodi, vt habet in 4. loco citando.

9 Ad locum de Reportatis, planè non legit, vel impugnandi feruore Vasquez excutijt, non enim Scotus negat actum nolitionis elici à voluntate, cum apertè affirmet, sed addit, quod ad hoc, vt continuet talem actum, seù vt continuetur ipsa in ijs actibus, hoc pendet extrinsecè à Deo, quatenùs nō concurrente ad actum oppositum, seù ad cessationem à talibus actibus, alias tunc cessaret tristitia: quod autem ita sentiat, accipe eius verba, q. 3. §. *Vel sustinendo aliam opinionem*. vbi sic habet, *Vel sustinendo aliam opinionem superius positam, quam credo veriorē, scilicet quod obstinatus permanet in actu malo elicito, ita actualiter, sicut si nunc eliceretur primo*. Quærens vero, vndenam habetur illa permanētia, seù continuatio? Respondet, *Tunc oportet dicere, quod illa permanentia non sit à causa intrinseca*. Aduerte, ita legendum cum præpositione, *A* vt permanentia non sit à causa intrinseca; etenim, clarum est, permanentiam nō esse causam intrinsecam: imo idē esset causa sui, si namque quęrit, vnde nam sit illa permanētia, non est respondendum, permanentiam esse causam, vel non causam, sed quærendum à quanam causa sit illa permanentia, & ideo, inquit, non est à causa intrinseca, nempè voluntatis, quia voluntas intrinsecè libera est, igitur intrinsecè potiùs vellet Dæmon oppositum, & non permanere, vt dixit in sententijs. pergit autem, *Et tunc oportet dicere, quod Deus influit ad substantiā actus*. & paulo infra. *Et tūc, sicut Deus conseruat actum elicitum bonum in bono, in quo inuenit ipsū, ita conseruat substantiam actus in malo*. Et rursus, *Et quod secunda opinio sit probabilior prima, videtur mihi, quia aliter nō posset poni, quod aliquid esset contristans Angelum effectiuè, & continuè; quia ex apprehensione ignis, non actu cōtristaretur, nisi quod habet nolle respectu eius*: explicans vero causam continuationis, subdit, *Si non remanerat in actu elicito deformi continuè à causa extrinseca, posset dimittere nolle illius obiecti noliti, & tunc actu non contristaretur*. Et rursus, expendens quidnam Deus causet tunc, inquit, *Oportet dicere, quod Deus immediatè causat tristitiam, sine nolitione præcedente vel quod Deus conseruat nolitionem, quantum ad substantiam actus; & vtroque modo est necessitas ab extrinseco*: Notat Vasquez, ex Scoto hic, Deum causare tristitiam, non autem nolitionem, quomodo ergo impingit Scoto, quod Deus causet actum voluntatis damnatorum ex se solo? Fallitur quoque, quia passiones doloris, & huiusmodi, ipse non putat esse passiones, sed actus, ideoque dum Scotus dixit, quod Deus causat tristitiam, putauit, causare actum voluntatis: at dato quod in ea sententia, saltē aliundè id colligere debuerat, dum dixit, *causat tristitiam sine nolitione* indicans, nolitionem causari à voluntate Angeli: Vbi quoque animaduertendum occurrit, non quod velit Scotus, haberi tristitiam absq; nolitione, esset enim dicere dari passionem absq; causa, sed id refertur ad Deum, vt sit causa passionis tristitiæ, non autem nolitionis: Quod si dixeris, tristitia de se subsequitur, vt quid ergo ponitur Deus vt causa? Resp. 1. sicut Deus est causa omnium ita & panę, ille autem dolor & tristitia à Deo authore infligitur: Item passio, licet naturaliter emanet à subiecto, non tamen emanat, absque concursu Dei. Rursus ideo causalitatem posuit supra tristitia, vt indicaret, nō causare nolitionem; Pondera insuper quod inde subdit, *Et quia nolitio nō oritur, nisi ex volitione alterius, credo, quod cōtinuè remanet in malitis actibus elicitis*. Nota, *elicitis* ostendens, voluntatem damnati elicere. Quod si subdit, *Deo agente ad substantiam actus*. non inquit, Deo totaliter producente actum illū, sed Deo agente, q idem est, ac cooperante cum voluntate damnati, producente actum. Item sic dicit de Deo, vt ostendat deformitatem, non esse à Deo, quia est à creatura, quod vero à Deo est, vtiq; est actus quoad substantiam; Et paulo infra decidit intentē prin-

Tristitia cō intrinseca, & extrinseca;

Vindicatur Scotus ab imposturis Vasquij,

principale, quod non potest desistere à nolle, inquiens, *Continuè determinatur eius intellectus in consideratione ipsius, ita quod non potest dimittere nolle, propter causam extrinsecam Deum*. Hinc vero repetit quod supra, indicans, voluntatem, spectata sua naturali libertate, posse ab omni actu cessare: attamen minimè poterit aliundè, quia detinetur in tali consideratione à Deo.

10 In confirmationem vero huius, (vt omnis via recludatur Vasq. sicut & Ariminensi, atque Bassolio, qui licet Scoti doctrinæ, nõ ignarus, alioqui Auditor Scoti, in hoc tamen, sua pace, nõ percepit Scotum, ideoque declinat ab eo:) afferam apertissimum eiusdem de re hac Scoti locum in terminis; ipse namque

11 In 4. d. 46. q. 4. §. *Ad quæstionem* sub lit. A. inter alia hæc habet, *Imo generaliter omne nolitum, causat tristitiam, hoc assumitur, quæ nolita est immediata consideratio ignis, sicut dictum est dist. 44. q. 2. quæ est contra imperium voluntatis, volentis liberè vel intelligentiæ suæ, ad applicandum, nunc ad illud obiectum, nunc ad aliud: determinatur autem intelligentia contra illud velle, ex semper intensa consideratione ignis, per quod impeditur à perfecta consideratione obiectorum aliorum*. Item in eadem quæst. lit. H. §. *In quarta*, sic scribit, *In quarta etiam est instabile, quia sicut intellectus Beati determinatur ad videndum nobilissimum obiectum, Essentiam scilicet diuinam, & concomitatur voluntas ad fruendũ illo obiecto, stante tamen libertate considerãdi alia obiecta, & amandi, quorum consideratio, & amor non impedit tale bonum*: Sic intellectus mali determinatur ad intensè considerandum aliquod obiectum disconueniens, quia nolitum, & imperfectum, quia corporale: & voluntas ad nolendum aliquid positiuũ intensè, quod est contristatiuum, & aufertur libertas considerandi, & volendi alia, per quæ considerata, & volita, posset illa puniri *diminui &c.* & rursus, citata dist. 44. q. 2. lit. C. sic loquitur, *Sic Angelus malus habet nolle detineri perpetuo ab igne*: & specialiter sub ista ratione, ex sententia diuina, vel voluntate diuina, illic effectiuè detinente: Et ad istud nolle, inclinat affectio commodi, secundum quam appetit liberũ vsum potentiæ; vt sicut natura sua est indifferẽs ad quodcunque corpus, sic posset se facere præsentem cuicunque corpori: Promouet autem superbia, propter quam appetit vti propria potestate. Consummat inuidia, propter quã vellet determinate esse, propter sententiam, vel actionem diuinam: istud nolle, præcedit detentio, & apprehensio *detentionis &c.* En quomodo hic apertè declarat Scotus quidnam intelligat per idquod dixerat in secundo, *Posse cessare ab omni actu*. Sumit namque voluntatem, secundum affectionem commodi, secundũ quam vellet esse libera &c. quia de sui natura indifferẽs est ad operandũ, & ad cessandũ ab operari: attamen subdit, aliundè determinari, quæ si Vasquez perpendisset, nõ ita temerariè loquutus fuisset de Scoto, inquiens, Scoti sententiam esse peiorem sententia Origenis. Et lit. N. faciens Scotus argumentum Vasquij, respondet, *Non est in potestate eorum, illud nolle, vel nõ nolle*. Sic enim aduersus dicta Scotus arguit, *Si non vult, vel non odit, sic detinetur, vel ab obiecto sic immutari, non tristabitur, ac per hoc, cum in potestate eius sit nõ nolle, in potestate eius erit non cruciari*. Ad hoc autem respondẽs paulo infra, sic loquitur, *Ad Secundum, non est in potestate eorum, illud nolle, vel non nolle*: Putaueram Vasquez quid noui attulisse in messem, cum tamen Scotus antiquitus difficultatem hanc præuidens, optimè resoluit: idque etiam, quatenus videbatur opponi suis dictis. Accipe insuper quæ habet in 4. d. 50. q. 6. lit. P. §. *Respondeo*, inquiens, *Si quilibet damnatus, & præcipuè Dæmones, possent stare in quieta cognitione sua, & dilectione sua propria, & non determinarentur ab hoc, vel ab alio, reputarent se beatos, beatitudine naturali, & ideo in cognitione sua maximè quiescerent, & credo, quod ab hoc impediuntur, quod est eis maxima pœna*. Item in eod. 4. 44. quæst. 2. §. *Sed videtur*, inquit, *Obiectum tristabile propriè causa est ipsius tristitiæ, quia non voluntas immediatè, tunc enim esset in potestate eius immediatè tristari, vel non tristari, quod non est verum &c.*

12 Petes, qualis est ista voluntatis determinatio, & cõtinuatio sic necessaria?

faria? Resp. est determinatio, & necessitas moralis, quoniam dum intellectus sēper stat in consideratione obiecti disconuenientis, Deo non concurrente ad distractionem ab eo, sequitur, vt voluntas inde tristetur; nolens talē considerationem: nec potest à tali nolitione cessare, quia Deus non concurrit ad actum oppositū, & hęc est impotentia moralis, quam Scotus appellat extrinsecam: siue etiam impotentiam proximam, stante opposita potentia remota. Vulpes tamen ait, determinari voluntatem Dęmonis physicè, & intrinsecè in 2. disp. 5. art. 9. nu. 15. & disput. 6. art. 7. per totum: idque sustinet ad mentem Scoti: Verum de re hac, supersedimus. Notet vero præcipuè Scotista, Scotum in Report. loc. cit. dicere, permanentiam in actu illo non esse à causa intrinseca.

13 At abstrahendo ab his, quænam erit ratio talis tristitiæ? iam dictum, id euenire, quia intellectus mali Angeli apprehendit statum, in quo est, esse sibi disconuenientem, veluti instrumentū diuinæ vindictæ: & quia non potest nō considerare, Deo non concurrente ad actum oppositū, siue ad considerationem aliorum obiectorum delectabiliū; siue, dato, quod delectabilia cōsideret, impedit tamen Deus redundantiam delectationis; & quia obiectum, vt sic apprehensū est contra amorem commodi, & concupiscentiæ voluntatis, hinc nolente illud voluntate, sequitur passio tristitiæ: de quibus hucusque satis Scotus, & dicemus amplius infra. Dices, quonam modo intellectus necessario perseuerat in cogitatione illius, si ibi nullam reperit rationem boni. Iam Scotus respondit, necessitatem stare ab extrinseco, à sententia, à Deo, non concurrente ad considerationem alterius obiecti, vel si intelligat aliud, non tamen abinde distrahitur, Deus continuat conseruando talem, vel tales actus intellectus, & nolitionis, ob quod sequitur tristitia: Cæterum spectata facultate voluntatis de se posset, remotè quidem, abstrahere inde intellectum, & conuertendo illum ad obiecta alia minimè tristabilia. Cætera habebuntur, agēdo, quonam modo ignis cruciet Dæmones.

Plura diximus, agendo, verum in Dæmonibus esse possit gaudium, & lætitia, supra disp. 10 quæst. 17.

An vero dolor, tristitia, & huiusmodi, sint passiones, an operationes, patebit ex materia de Beatitud. Verum delectatio sit operatio.

QVÆSTIO III.

De pœna damni, & sensus Dæmonum?

1 QVia duplici pœna torquentur mali Angeli, damni, & sensus: hinc de vtraq; singulariter erit discurrēdū.

2 Ad Primum vero quærendum, quid sit, & in quonam consistat pœna damni. Ex placito Theologorum omnium, pœna damni est carentia visionis Dei. In hoc quidem nulla controuersia: Attamen illud erit explicandū. De qua re varie sentiunt Scholastici.

3 Et quidem aliqui aiunt, carentiā absolutè sentam, esse pœnam damni: eisq; veram pœnā: inter hos est Suar. lib. 8. de Angel. cap. 5. num. 3. inquiens, pœnam damni sufficienter saluari in sola priuatione: Additque, quod & si non cognosceretur etiam esse pœnam: Item, etiam si separata foret ab omni tristitia, & dolore, adhuc esset pœna damni: quin etiā subbit, esse communem sententiam Theologorum. Probatq; Primo, tristitia non est de ratione pœnæ, ergo stat pœna damni absque dolore, & tristitia: assumptum supponit, tanquam verū. Secundo, exemplo puerorum in solo originali decedentium, etenim priuantur gratia, & gloria, nullam tamen sentiunt pœnā. Confirmat, quia in humanis pœna pecu-

niaria

ntaria pœna damni est, siue de illa tristetur, siue non tristetur, pecunias soluens. Tertio infert, etiam si pœna illa inuoluntaria nō esset, adhuc foret pœna, quia ad rationē pœnæ sufficit, quod sit malum aliquod, propter culpam inflictum; Quarto addit, cuncta mala, quæ vel intrinsecè, vel necessario ad pœnam damni sequuntur, omnia illa comprehendi sub eadem pœna damni. Insuper pœna infamiæ, vel priuationis honorū, per se primo infertur ad causandum damnum, seù nocumentum, tristitia autē inde sequutus, non est per se intenta, sed est quid consequens. Et ob hoc ait pertinere ad pœnam damni, quia accessorium sequitur naturam sui principalis. Denique, si in priuatione visionis Dei, vltra pœnam damni, apponeremus quoque pœnam sensus, ergo similiter in ipsa pœna ignis duæ erunt pœnæ, damni quidem, propter damnū, seù malum illatum, quidquid illud sit, & sensus, ratione tristitię, & doloris insurgentis. Adhæc aliundè addi potest tristitia illa oritur de carentia visionis: at carentia hæc est pœna damni, ergo tristitia spectabit ad pœnā damni: Item, sicut delectatio de visione diuinæ Essentiæ in Beatis pertinet ad pręmium essentiale, veluti complementum illius; ita oppositus dolor, & tristitia orta ex carentia, seù ex pęna damni, ad illam vtique spectabit: addunt Paludanum, & Domin. Sot. in 4. d. 46. quæst. 1. art. 1.

In pœnam dāni est priuatiuum, & positiuum.

4 Aliter tamen sentiunt Scotistæ, & quidam Recentiores, vt Molin. 1. p. q. 63. art. 3. cum Vasquez 1. par. d. 242. cap. 2. Dicendum ergo Primo, in pęna damni spectanda esse duo: Primum est, carentia visionis, vt sic, & absolutè tenta: Secunda spectatur, quatenùs cognita, & nolita à damnato. Primum esse pœnæ talis consistit in priuatiuo: Secundum in positiuo: De Primo patet, quoniam est sola priuatio; De Secundo probatur, etenim actus ille nolitionis est quid vere positiuum, reale, actuale, verè namque voluntas talem nolitionis actū elicit. Item dum actus ille est quid positiuū, dumque est actus nolitionis, sequitur, vt obiectum nolitum, quod est carentia nolita, sit vtiq; inuoluntaria: at quia *Tristitia, ex Aug. est de ijs, quæ nobis nolentibus accidunt,* hic dum pœna illa est inuoluntaria, & nolita, consequenter tristantur.

5 Ad quidditatem pęnæ damni pertingentes, vtrū tristitia, & dolor sit de quidditate pœnæ damni? ita prima facie videtur, prob. alias non esset pœna: Item, alias, etiam dormientes, siue lethargo affecti, vel ebry, vel amentes, vel pueri ante rationis vsum, possent pœnam damni pati: at nullam experiuntur, si namque interrogarentur, responderent, nil prorsus passos fuisse: igitur requiri videtur ipsamet afflictio, & dolor.

Tristitia an de quidditate pęnæ dāni.

6 Ne tamen videamur verbis cōtendere, reddendo singula singulis, dicendum Secundo est: etiam nulla habita, siue cognitione, siue nolitione ipsius carentiæ visionis, vtique vere carentiam illam esse pœnam damni: vltra autem allata, probatur insuper, vere dānatus caret visione illa, ergo vere habet pœnam damni. Item vere infantes carent visione, etiam si nullam haberent de ea cognitionem, ergo. Insuper, dato, quod damnatus, cognoscēdo carentiam, nullam tamen haberet nolitionem de ea, nihilominus vere damnū hoc sortiretur priuationis visionis damni. Item in temporalibus: ignoret paterfamilias, totam domū suam esse igni traditā, filiosq; flammis consumptos, nihilominus, vere damnum à parte rei patitur, etiam tunc, antequā de ijs certus fiat: vbi tamen postea insurgit pœna sensus, dolor, & tristitia, adueniente scientia, & stante inuoluntario in aduersis illatis. Deniq; per Dei potentiam, separari posset, etiam stante cognitione, tristitia, & dolor à tali apprehensione, & inuolūtario in damnatis, & nihilominus vere haberēt pęnam damni, non habendo pęnam sensus tristitiæ, & doloris. Durum videtur aliquibus, dum volunt, pęnam, eatenus esse pęnam, quatenus cognitam, & sensibilem: at hoc spectat ad aliud caput pęnæ, non enim hoc ingreditur primario in ratione pœnæ damni: Quod amplius declaratur, quia sicut in beatitudine prior est actus visionis, ad quem tamen inde succedit delectatio: ita in statu damnatorum, prior est carentia, inde tamen succedit tristitia. Et sicut

in sententia multorum, de potentia Dei separari potest visio à delectatione, de quo in materia de Beatitudine, quemadmodũ & Cano docuit, passionis tempore, à visione beatifica Animæ Christi Domini separatam fuisse, siue impeditam solitam delectationẽ, ita si separetur in damnatis tristitia à carentia visionis, adhuc vere dicerentur habere pœnam damni.

7 Dices, pœna hæc esset tantum verbalis, siue nominalis, quia careret tristitia, in qua consistit vera ratio pœnæ, quemadmodum & in dolore, afflictione, tormentis &c. Resp. fore verissimam pœnam, realemque, nedum verbalem. Dices, saltem fore metaphoricam: Resp. nec hoc concedendum est; Dices, fore materialem, non formalem: Resp. fore vtrumque. Dices, fore incompletam, deficiente tristitia: Resp. fore completam, tamen in genere suo, quoniã in genere sollus pœna damni nil deficeret, & si quid vltro adueniret, transiret de genere in genus, de pœna damni ad pœnam sensus, ergo sibi nil deest, vt sit vera pœna damni, vt damni: alias infantes non baptizati, minimè, & verè punirentur; at verè carent visione Dei, verè habẽt hoc damnum, vereque hoc pœnæ genere sunt damnati, ergo: quod vero nõ doleant, nõ tristentur, hoc aliundè prouenit, & spectat ad alterum pœnæ genus, quod est sensus, non pertinentis ad eos.

Obiectio ex Scoto.

8 Dices, Scotus docet, pœnam damni carentiã esse pœnam, quatenùs carentia visionis est cognita, & non volita: ergo non de se sola est pœna, sed prout admittit inuoluntariũ. Item habet, omnem pœnam in natura intellectuali, esse essentialiter tristitiam: ergo non erit damni, abstrahendo à tristitia: ita in 4. d. 49. q. 7. ad 3. & d. 50. q. 6. Ad Primum respond. non negat, pœnam damni de se sola esse pœnam, etenim iam diuisit pœnam in damni, & sensus: voluitq; membra ista esse alterius rationis, esseq; distincta: Sed loquitur de pœna sensus, vt sit sensus, sola carentia, absque cognitione, & inuolontario, nõ affert secum tristitiam, & dolorem, quæ est pœna sensus. Cum ergo ait, *Sola carentia non est pœna*, intellige, *Non est pœna sensus*. vide Tatar. in d. 50. q. 6. §. *Arguitur sic pœna damni*. Secundo, loquitur de pœna completa, & adæquata, atque in habentibus peccatum actuale, siquidem in his, diuina Iustitia pœnam damni, scil. carentiam causat, & insuper pœnam sensus, sicq; completur ipsa pœna; & propterea pueris deest pars altera pœnæ: patet ex facto beatitudinis, cui non satis est actus vitalis, scil. visio, ac tentio beatifici obiecti, etenim subsequitur insuper delectatio, & gaudium, quod beatitudini det complementum, vt loquitur Aug. 1. de Trin. *Hoc est plenum gaudium vestrum, quo ampliùs non est, frui Trinitate*. Tertio, iam diuiserat Scotus pœnam in priuatiuam, & positiuam: Primam explicuit per solam carentiam: Secundam per tristitiam sequentem ad inuoluntarium: dum ergo quandoque ait, solam carentiam non esse pœnam: modis his loquitur: Nec dubitandum est de eius mente, etenim d. 46. q. 4. §. *Ad quæstionem*, inquit, *Secunda vocatur pœna damni, vel damnum, vel damnatio*: Paulo autem prius dixerat, *Ergo in natura intellectuali duplex est punitio, per priuationem dupliciboni*. Rursus vero paulo infra subdit, *Nihil vero inuenitur ibi, quod sit positiuum &c.* ergo pœnam damni vere æstimat esse pœnam, imo *damnum*, seu *damnationem* nõ tamen de se sola, consistere in positiuo, sed in sola priuatione. Ampliùs vero id repetit sæpiùs: quo fit, vt pateat, quantopere labantur plurimi in intelligentia Scoti, in hoc autem singulariter errat Suarez supra recensitus, id Scoto imponens: nec enim omnia legit, seu potiùs impugnãdi calore ductus, nõ penetrauit, nitens Scotum capere in sermone. Et profecto ita est, vt Scotus docet. Ratio vltra allatas, quia si de ratione, & quiditate pœnæ damni esset tristitia, iam pueri haberent pœnam sensus, non enim potest Deus separare rationem formalem alicuius, integro eo remanente: Vnde est, vt carentia, quatenùs carentia, afferat quidem damnum, ob quod appellatur pœna damni, cæterum afflictio sentitur, quatenùs illa est cognita, & nolita.

9 Ad Secundum, minimè de pœna

damni

damni loquitur, vt visum est: Secundò, nec intendit id quod verba sonant, sed mens eius aliundè est erucnda, docet namq; apertè, tristitiam, doloremq; sicut & oppositum gaudium, oblectationemque, nequaquam esse de essentia operationis, siue beatificæ, siue poenitiuæ, sed passione esse consequentem, vt apertè docet in 4.d.49.q.47.& in 3.d.15 q. vnic. §. *Tertiò aliter dici*. & in 1.d.1. quæst. 2.

10 Circa locum vero recensitum de tristitia, vbi concedit, pœnam esse essentialiter tristitiam, cuius oppositũ ait de gaudio, seù delectatione, quod non sit de essentia beatitudinis: vt habet ibi *Ad tertium sub lit. D.* talisque est expositio Scotistarum: Cæterum non acquiesco ipsorum expositioni: Inprimis autem quæro quidnam intelligitur per tristitiam, aut quidem operatio voluntatis, aut passio subsequens: non Primum, de mente Scoti, ex locis citatis, igitur Secundum: Dices, intelligi, v. g. in sensu, flagellationẽ, vulnera, morbum, & huiusmodi: hæc autem pœna sunt, siue iudiciariæ, siue effectus peccati originalis: At quæro, quidnam pœna talis in Angelis? vtiq; inuoluntarium, seù nolitio illa detentionis, siue velut incarcerationis, siue considerationis ignis, quatenus noliti: an erit ipsa nolitio pœna, an passio sequens? Quidquid tamen respondeat, dicamus, pœnam considerari, vel fundamentalitèr, siue materialitèr, vel formalitèr: Primo modo erit omne id, ad quod sequitur passio illa: vt tortura, incarceratio, detrusio, expoliatio bonorum, eiectio è dignitate, flagellatio, abstinẽtia violenta à somno, cibo, potuq; necessario, & huiusmodi: loquendo de his, sicut & in Angelo nolitio considerationis, detentionisque, & consideratio ipsa hæc vtique, pœna appellari non poterint, nisi materialitèr, sũt namque materia pœnæ, tùm obiectum nolitum, tùm cõsideratio nolita, tumq; ipsa nolitio: at loquendo de passione inde insurgẽte, quæ est tristitia, seù dolor sumptiq; his pro formali, erunt formalitèr, & essentialitèr dolor, & tristitia pœna: ergo sumpta tristitia materialitèr, importabit, quæ diximus; sumpta vero formalitèr, est essẽtialiter pœna: sumimus autem eam in ordine ad peccatum. Sic & consimilitèr pœna in se, vel spectatur materialitèr, iuxta dicta; vel formalitèr: in secundo quidem sensu pœna erit formalitèr, & essentialitèr tristitia: His explicatur germana mens Scoti: ex quibus cessant, quæ aduersus Scotũ congerit ibi Suarez: qui poterat vtique sic distinguere, & penetrare sensum Scoti, sicque argumento allato factum est satis.

Pœna materialiter in sit tristitia, & dolor.

11 His actis, habita iam ratione, & quiditate pœnæ damni, capita Suarij non obstant, ex dictis. Ad illa autem vltima duo, pœna sensus, siue dolor, & tristitia, iam dictum est, subsequitur ad pœnam damni, & hoc non vniuersalitèr, propter pueros, sed militat in Angelis, & in adultis hominibus; subsequitur, inquam, compleťq; statũ damnationis, qui ex vtraque pœna consurgit, damni, & sensus, non tamen est de quiditate pœnæ damni, cum illa antecedat, hæc insurgendo subsequatur.

12 Quantum vero ad id, quod Suarez aiebat, tristitiam de carentia visionis spectare ad pęnam damni: Fallitur, est namque tristitia, & dolor pęna sensus, igitur erit formalitèr hæc, non illa: Imo aduersatur sibi ipsi, aiebat namq; pœnam damni abstrahere à tristitia, & dolore, quæ si non essent, posset, nihilominus adesse pœna damni: hoc autem stante, quonam modo spectabũt ad ipsam. Possunt tamen aliundè, aliquo pacto ad eam spectare, non formalitèr, cum sit pœna sensus, sed occasionalitèr, seù obiectiuè, quatenus carentia, seù pœna damni, obiectum est nolitionis, seù occasio tristitiè, & doloris.

Tristitia est pœna sensus

13 Circa eandem pœnam damni quæri potest, vtrum pœna hæc extendatur quoque ad carentiam gratiæ. Videtur ita esse: Prob. magnum damnũ est, gratia Dei priuari: ergo pertinet ad pœnam damni: Item magnum incommodum affert, damna multa &c. Nihilominus dicendum, quod vtique damnum, imo magnum est, & incommodum, gratia Dei priuari, attamen hinc non deducitur, nisi quod largè sumpta hæc pœna, poterit sic appellari: sumpta tamen strictè, & in rigore, nequaquam: Ratio, quia propriè damni pœna spectat ad statum alterius vitæ,

Pœna damni an spectet ad carentiã gratiæ.

ergo non erit sic appellanda in via: Item diuina visio promittitur post-futura vita in Christo namque facta fuit hic dispensatio per totam vitam, vt simul esset beatus, & viator, in quibusdã vero aliis, vel ad modicum tempus, per transcennam &c. quod si beatifica visio spectat ad statum alterius vitæ, carentia quoque eius, quæ est pœna damni, pertinebit ad statum alterius vitæ. Insuper, pœna damni includit nedum carentiam gratiæ habitualis iustificantis, verum & carentiam omnis, in vniuersum, gratiæ, vocantis, excitãtis, præuenientis, adiuuantis, operãtis, cooperantis, omnisq; auxilii specialis, inspirationisq; ad salutem: at quandiù homo est in hac vita, non derelinquitur de toto à misericordia Dei, sed pro loco & tempore excitat, vocat, ergo &c. Rursus, quod Paulus ait, *Deus vult omnes homines saluos fieri*, locum habet in præsenti vita, non in futura; quandiù enim viuit peccator, spes est salutis, si velit, at dum est in termino, ibi peruenitur, & destituitur omni spe, & auxilio salutis. Consentit Scotus d. 46. q. 4. litera B.

Ad Pœnam damni an sequatur pœna sensus.

14 Circa id quod diximus, pœnam sensus, seu tristitiam, sequi ad pœnam damni: non est intelligendum, sequi ad eam, nudè acceptam, etenim ad pœnam damni puerorũ non sequitur: sed sequi ad eam, quatenus cognitam, apprehensam vt sic, & quatenus nolitã.

Pœna sensus an sit complementum damnationis.

Insuper, dum fuit dictum, pœnam sensus, seu tristitiam, esse complementum, non intelligimus, esse complementum pœnæ damni, in genere suo, etenim de se completa est in genere pœnæ damni, alias pueri non essent integrè, & complete damnati hoc genere pœnæ damni, sed quatenus de Angelis, & de adultis agimus, spectando eorum statum damnationis, quoniam vtrumq; pœnæ genus sibi ipsis debetur, hinc tota ipsorum damnatio integrè, & cõpletè constat ex pœna damni, & sensus.

15 Sed vtrum pueri noscant puniri tali pœna damni? si namque norunt, ergo tristantur, quoniam talis pœna non est obiectum volitionis, ergo erit inuoluntaria, & nolita. Respond. bene nosse, cognoscent namque quare

Infantes cognoscũt suã pœnam.

priuati remanserant Dei visione: negatur vero inde tristari, Deo nõ concurrente ad pullulationem tristitiæ: ita plures: Non tamen desunt, qui pœnã sensus ab eis auferentes, afficiunt nihilominus eos tristitia: Aliis quoq; opinantibus vtraque pœna affici: de qua re diximus in mater. de Beatitud. agendo de Beatitudine naturali, & quærendo, vtrum paruuli taliter decedentes sint tali beatitate donandi. disp. 1. q. 14. Scribit autẽ Tataret. loc. cit. inquiens, *Pueri decedentes in originali aut nolunt habere pœnam damni, aut habeant nolitionem illius carentiæ visionis Dei: Dico, quod si nolint carentiam visionis diuinæ, sequeretur mirabilis tristitia, nisi fiat miraculum nisi Deus suspendat causalitatẽ secundarũ causarũ: quia ad nolle illud, sequitur tristitia, & nõ habẽt nisi vnã pœnã, scilicet damni, ideo melius est dicere, quod non habeant nolle, & dato, quod haberent nolle, diceretur, quod Deus suspenderet causalitatem causarum secundarum respectu illius tristitiæ*. Hæc ille.

16 Ad pœnam sensus accedendo: Pœna sensus dupliciter capi potest: vel quidem proprie, quatenùs est afflictio sensus, siue partis sensitiuæ: Vel largè, pro quacunque afflictione, tristitia, dolore, mœrore, ac huiusmodi: Prima reperitur in sensu, atque sensatis, & corporeis animatis, quales sunt homines, & bruta: Secunda reperitur in omnibus siue sensu, siue sola ratione pollentibus: prima nõ est in Angelis, secunda nec: sicut nec prima reperitur in anima rationali, etenim conscientiæ morsus, siue vermis conscientiæ, est pœna sensus, & tamen nõ est in sensu sed in anima. De hac Matt. 25. habetur, *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo, & Angelis eius*. Aug. 21. de Ciuit. cap. 10. *Cur non dicemus, quamuis miris, veris tamen modis, spiritus incorporeos posse pœna corporalis ignis affligi*. & Gregor. dialog. 4. cap. 30. *Si Diabolus, eiusque Angeli, cum sint incorporei, corporeo sunt igne cruciandi, quid mirum, si animæ antequam corpora recipiant, corporea possint sentire tormenta?* Et hinc fit, vt pœna sensus non sit necessario in solo corpore. Prob. vermis damnatorum sedem habet in anima, eamque affligit, anima autem est spiritus, ergo pœna sensus in præsenti

materia,

materia, permeat omne subiectū, tūm spirituale, tūm corporale. An vero vermis ille sit futurus etiā corporeus, tradimus in tract. de damnatis.

17 Singularius tamen ad eius explicationem accedendo, dicendum est, in damnatis multiplicem oriri tristitiam, quæ est pœna sensus: duplicem quidē priuatiuam: & duplicem positiuam: loquendo de priuatiuis, Prima est de priuatione gratiæ propter peccatum: tristantur namque priuatos remansisse gratia, cuius priuationis causa fuit peccatum, & obstinatio: de quo quidem peccato tristantur, non vtique quatenus est offensa Dei, sed quatenus causa æternæ damnationis, vnde fit, vt detestatio eius nō sit ex affectione iustitiæ, sed proueniat ex affectione commodi, quatenus in tale damnum, & incommodum incurrerunt ob peccatum, quę pœna appellatur etiam vermis, ac remorsus conscientiæ. Secunda tristitia est de carentia beatitudinis, ad quam tantopere aspirat creatura: talisque, ac tanta est tristitia, ista, vt Scotus d. 46. q. 4. sit & appellet eam *absortiuam*, quia contristat totaliter *absorbendo*, subditque, *Vel nominatur pœna damni, vt sit consequenter transitiua, idest pœna de damno, nam, vocando solam carentiam commodi, pœnā damni, contractior est & transitiua*. Nota autem obiter ex his, qualiter Scotus carentiam visionis, seu pęnam damni nominat, *pœnam de damno* aliurtius Suarez recensitū circa mentem Scoti. Circa vero tristitiam antecedentem; quod in eis sit vermis, & conscientiæ remorsus de peccato: non est vtique de peccato, vt Dei offensa, sed prout causa talis status, & pœnæ. Huius vtriusque pœnæ causa positiua non est Deus; ratio, consistunt in carentia, & priuatione gratiæ, & gloriæ; est vero Deus causa negatiua, nō conferens gratiam, & denegans gloriam: causa itidem reperta ex parte damnati demerentis, & indignum se reddentis gratiæ, & gloriæ. Hæc de pœna priuatiua: Duplex insuper insurgit pœna positiua, atque tristitia, vna est tristitia de ipsius damnati detentione perpetua in igne, & hanc Scotus appellat, pęnā incarcerationis, quatenus namque vti vellet ad libitum Dæmon potentia sua motiua, videns, quod ibi ligatum detinet diuina Iustitia tristatur. Altera est de intellectus eiusdem detentione in consideratione intensa talis ignis, quā idem appellat pęnam *cruciatiuam*, quatenus vel obiecta alia non possunt intelligere ita intense, vt distrahantur à consideratione ignis; vel vt ex obiectis alijs intellectis, nullam oblectationem capiāt reuelantem pęnam ignis. Verum quia omnia hæc quatuor, tam negatiua, tam positiua, sunt inuoluntaria Dæmoni, hinc tristantur, *est enim tristitia de ijs, quæ nobis nolentibus accidunt*. Et hæc duo positiua sunt positiuè à Deo, quia Deus alligat Dæmonem ibi, siue per se, siue per Angelum bonū, vt ex Apocalypsi: ipsumq; detinet in cōsideratione ignis &c. Cætera vero spectantia admodum hæc fiendi, habebantur infra, quærēdo, quomodo ignis torqueat damnatos.

Triſtitia multiplex in damnatis.

18 Quia tamen in peccato duo sūt, auersio à Deo, & conuersio ad creaturam: merito duplex pęna correspondebit: damni quidem, quę auertit peccatorem à visione Dei, ac propterea talis pęna est carentia visionis Dei: sensus etiam, dum torquetur igne æternali.

Auersio duplex.

19 Remaneret quærendū, quæ nam istarum pęnarum nō sit maior. Tatar. d. 46 q. 4. *§. Quæritur, quæ est maior*. Respondet, in ratione pęnæ, esse maiorem pęnam sensus, quoniam ratio pęnæ est affligere. Inde vero obijcit, quare dicitur, pęnam damni esse maiorem cæteris, respondet, maiorem esse, ratione maioris incommodi, quia incommodū enim maius habere non valemus, quā carere æterna beatitudine. Loquitur consequenter, quatenus ait, pęnam sensus nō esse de qualitate pęnæ damni, magisq; ad mentem Okam, plurimumq; statuentium pęnam damni in ratione priuationis commodi, ad quod natura inclinat: Cæterum, pęna damni adeo magna est, vt pęna sensus quasi nihil reputetur in ordine ad eam: vnde Chrisost. homil. 13 ad Philippens. *Tantum malum malum videtur de tanta gloria decidisse, vt gehennam pro nihilo habeant pro hoc damno, & ruina*. & August. lib. de Tripl. Habitat. cap. 2. inquit, *Absentia præsentia Christi, quoad visionem eius*,

Grauior pęna an damni, an sensus.

Carentia visionis Dei quā magna pœna.

sola

sola omnia prædicta mala superat & omnibus pœnis est intolerabilior. id autē dixit, posquam plura mala descripsit, idemque in manuali 15. si pactum initetur non fore visurum Christum in gloria, nisi prius Inferni pœnas toleraret, de facili eas sustineret, vt visione inde Christi frueretur. Et D Bonauent. exaggerans pœnam hanc, confirmat insuper testimonio eiusdem Chrisostomi homil. 24. in Matt. oper. imper. inquientis, *Cælorum amissio pœna maior est, quam cruciatus flammarū: & ideo quod plurimi pertimescant tantam gehennam, ego tamen huius gloriæ amissionem multo amariùs, quam ipsius gehennæ, dico esse supplicium.* Plura idem Bonau. in diet. tit. 10. cap. 1. & Pharetra lib. 4. cap. 50. atq; Innoc. 3. lib. 3. de contempl. mund. cap. 7. scribit in hac priuatione consistere tenebras illas frequenter in scripturis commemoratas. quod cōfirmat ex verbis Isa. 26. *Tollatur impius, ne videat gloriam Dei.* Amplius tract. de damnatis, tomo de Beatitud.

QVÆSTIO IV.

Vtrum pœna damni Dæmonum sit æqualis in ipsis omnibus.

1 DE pœna sensus nō est controuersia; etenim apertè docent Scripturæ, in damnatis omnibus, sicut & in hominibus, esse inæqualem. Sed sermo est de pęna damni. Qua in re, in primis sese offert sententia, in omnibus esse æqualem: Alensis par. 4. q. 57. memb. 5. Durand. Bonau. Gabr. Capreol Bassol. in 4. d. 50. Medin. C. de pęnit. q. 8. Azor. t. 1. lib. 4. cap. 15. q. 5. Angles de pęnit. art. vlt. diffic. 2. Victor. in sum. q. 100. Vasq. 1. 2. quæst 87. art. 4. & disp. 100. cap. 5. plurimique: item Salas 1. 2. q. 87. disp. 15. sect. 7. probatur autem Primo, priuatio totalis non suscipit magis, & minus: pœna autem damni est priuatio, ergo erit æqualis in omnibus, maior patet in tenebris, quæ de toto sunt priuatio lucis. Confirmatur, tenebræ, quamuis ex diuersis, maioribusq; causis inducantur, non ob id erunt maiores, vel minores, licet enim plura adessent impedimenta, & obstacula lucis, nihilominus æquanimiter tenebræ omnes priuatio essent lucis: Pœnā vero damni esse priuationem totalem, patet, priuat enim totali visione Dei, siue totali luce, vel lumine gloriæ. Secundo, pęna dāni est æqualis, quia priuatio gratiæ est æqualis: vnde arguitur, priuatio gratiæ est æqualis in omnibus damnatis, ergo & pœna damni: Prob. antec. non dicitur peccator peccando, priuari gratia, in certo, ac determinato gradu, sed dicitur priuari gratia absolutè, & simpliciter de toto: ergo pęna damni non stat in gradu certo, & determinato taliter, vt in vno sit maior, minor in altero. Confirmatur, cum quis ex hac vita discedit, sufficit ei, vt decedat in gratia, absolutè, & simpliciter non enim tenetur decedere cum tanta, vel tanta, maiori, vel minori gratia, ergo sufficit damnato decedere in priuatione gratiæ simpliciter, vt inde dicatur pati pęnā carentiæ visionis Dei. Confirmatur quoque, siquidem per accidēs est, vt cum tanta, vel maiori, minoriq; gratia decedat iustus, sufficit namque decedere simpliciter in gratia, ad hoc, vt dignus sit visione Dei: ergo, ex opposito, per accidens erit, quempiam damnatū decedere in minori, aut maiori demerito, ad hoc, vt visione Dei priuetur, satis ergo erit decedere in priuatione gratiæ, vt priuatus remaneat facie Dei. Confirmatur Iac. 2. *Qui in vno offenderit, factus est omnium reus.* hinc vero infert. quod ad minora crimina non correspondebit minor pœna damni; sicut nec maior ad maiora; ergo erit æqualis in omnibus.

2 Almaynus ait, pœnam hanc in esse

esse quidem priuationis, esse æqualem: inesse tamen pœnæ, inæqualem; quia inæqualia sunt demerita: Aiunt alij, in esse negationis, esse æqualem: in esse tamen priuationis, inæqualem.

Pœna dãni est inæqualis.

3 His tamen non obstantibus, dicendum Primo, pœnam damni non esse in omnibus æqualem, sed diuersificari iuxta quantitatem, & qualitatem delictorum. Ita Scot. in 4. d. 50. q. 6. ibique Richar. Palacius in 4. d. 22. q. 1. Dominic. Sot. 4. dist. 16. art. 2. Medin. 1. 2. q. 87. art. 4. Zumel ad eundem loc. pluresque. Herrber. in 2. dist. 32 q. 2. acceditque Suar. de pęnit. disput. 13. sect. 2. num. 30.

4 Probatur autem, dã oppositum, esse in cunctis damnatis æqualem, ergo sequitur pœnam damni puerorum æqualem esse pœnæ adultorum: Item pœnam Iudæ, & crucifigentium Christum, æqualem esse cum pœna cæterorum, inferiorum genere peccatorum peccantium: Item æqualem pœnam pati Arium, Macedonium, Donatum, Sabellium, Lutherum, Bucerum, Caluinum, cæterosque hæreticos, & hæresiarcas, cum pœna damnatorum fidelium: sicque inferiores Dæmones coæquari in pœna Lucifero, Turcas Machometo, ac denique peccatores, etiã infimos, æquandos fore in hac pœna ipsimet Antichristo. Confirmatur, fore enim pœnam Purgatorij æqualem pœnæ Inferni: videntur hæc absurda, ergo non est omniũ æqualis. Respondent, non esse inconueniens esse æqualem in his omnibus *intensiuè*, præscindendo tamen ab effectibus, & extẽsione: sicut etiam in Purgatorio æqualis erit *intensiuè*, licet non extensiuè, cum illa sit perpetua, hæc ad tempus. At contra, Visio beatifica, etiam vt præscindit ab effectibus, & à duratione, non est omnibus æqualis: ergo nec erit æqualis carentia visionis, præscindens ab effectibus, & ab extensione; Patet anteced. siquidem visio confertur diuersimodè, pro diuersitate meritorum: at visioni opponitur carentia eius, quæ est pœna damni, cum oppositorum sit eadem disciplina, dispar erit vtrobique gloria, & pœna damni. Confirmatur, prior natura est quidditas rei, posterior natura, passio, duratio, & huiusmodi: ergo in illo priori natura, cum gloria essentialis, tum pœna damni opposita, erunt tales, talesque; maior, ac minor in singulis, iuxta naturã suarum causarum, hæ autem sũt merita, & demerita. Illud vero de Purgatorio, quoad pœnam damni: nequaquam pœna damni est apponẽda in Purgatorio absolutè, & simpliciter, sed secundũ quid: etenim de rigore, & propriè competit damnatis, ideoque *damni* vocatur, seù *damnatio*, vt diximus supra, quia tamẽ in Purgatorio Deum nõ vident, secundum quid dicitur esse ibi, non simpliciter, quia cum perfuncta iam pœna ignis, facialiter videbunt: quod si ita est, ergo pœna talis nequaquam æquabitur pœnæ damni Inferni.

Pœna dãni vtinam.

5 Probatur insuper, pœna damni non est pœna, nisi relatè ad culpam: Prob. si namque Deus, ex. gr. priuaret Beatum quempiam visione sua beatifica, nequaquam esset ei pœna, quoniã id non fieret propter culpã, nulla enim culpa est in Beatis, qui nec possũt peccare: esset autem sola negatio, priuatio namque est pœna iudicialis, fundata supra demeritum, & culpam, vnde priuari dicuntur Superiores, ac Ministri, gradu, & ministerio ob demerita: quod si pœna damni est priuatio faciei Dei, præsupponens culpam, vtique vbi maior culpa, maior correspõdebit pœna priuationis: sequela tenet, culpa namque vna est maior altera, ergo & pœna priuationis maior. Salas respondet, quod sicut actio, & passio non est maior, aut perfectior ex eo, quod sit ab Agente, & passo perfectiori, vel imperfectiori, ita pœna licet respiciat culpã, non tamen confertur præcisè ex eo, quod maior sit culpa. Solutio hæc destruit totam rationem iustitiæ, & iudicij; hæc namque est essentialis ratio iudicij, & iustitiæ, vt *iuxta mensuram delicti, sit & plagarum modus.* Apoc. 13. & Matt 15. *Quantum se glorificauerit tantum date ei tormentum, & luctum.* alias si vel citro, vltroque, Iudex puniendo se gesserit contra leges, & contra iustitiam faciet: vt quid ergo ait, non conferri pœnam damni, præcisè ob culpã? Item, qualis ergo erit causa altera talis priuationis visionis Dei? an ne ipse Deus, abstrahendo à peccatis, nequaquam,

quam, quin potius vellet, quantum est de se, omnes saluos fieri, igitur damnatos sua visione priuat, causa præcisa est culpa, & demeritum: at demerita nō sunt æqualia, ergo nec talis pœna erit æqualis. Exemplum vero de actione, & passione non facit ad rem, etenim illa dicunt ordinem ad agens, & passum, priuatio vero, & pœna ordinē ordinem dicunt ad Deum Iudicem infligentem talem pœnam, & ad damnatos eam subeuntes pœnam, verum, ordinem essentialem dicunt ad culpam, ad demeritum, quo non existente, cessaret pœna, & priuatio, vnde per Isaiam 14. ait Deus, *Perditio tua ex te Israel.* & Psal. 25. *Noluit benedictionem, & elongabitur ab eo.* Item illud de actione est falsum.

6 Præterea ad principale, gloria essentialis, præcisa delectatione subsequente, nō est æqualis in omnibus, sed inæqualis, iuxta diuersitatem meritorum; cur ergo pœna damni, præciso cruciatu, dolore, & tristitia, erit æqualis in omnibus, stante diuersitate delictorum? Respondent, pœnam damni nō suscipere magis, & minus, ideo stabit æqualitas. At contra, id gratis dictum habemus congruētias vrgentiores pro sententia hac, vnde videtur magis affirmatiua sententia esse grati asserta, quam negatiua: Et quidem, dum oppositorum est idem iudicium, vnde est, vt pœna essentialis damnatorum, quæ est carentia visionis Dei, non suscipiat magis, & minus, à cōtrario vero, gloria essentialis, præmiumq; Beatorum, quod consistit in visione Dei, suscipiat magis, & minus? sicut enim se habet præmium essentiale, quod est visio, ita & pœna essentialis, quæ est visionis priuatio: illa est inæqualis, ergo & ista.

7 Item, peccator maximas reportaret, aliquo modo lucrum, saltem negatiuè, de sua maiori, & minori peruersitate: tanto enim punitetur hac pœna qui mille scelera cōmisit, quanto qui vnum: & vice versa, tam acriter punietur qui vnum patrauerit, quā qui mille: sicut tam pueri in Limbo, cum solo originali decedentes, quam peruersissimus Antichristus, & è contra. Respondent ita fore, quoad pœnā damni, licet non quoad pœnam sensus, in hac enim sunt dispares, pro disparitate culparum, in illa pares. At contra, ergo, secundum illam pœnam non sūt obiectū, & terminus diuinæ vindictæ, & iustitiæ Dei: Prob. iustitia non debet esse vna, & æqua in omnibus, sed inæqualis, ad inæqualitatem meritorū, & demeritorum, alias, si ad meritorum, & demeritorum inæqualitatem, æqualitas sequeretur præmij, & supplicij, iam non esset iustitia, sed iniustitia (præcisa tamen potentia absoluta, & stante lege ordinaria) at ita Scriptura docet, præmiari, & puniri singulos, iuxta mensuram meriti, & delicti. Respondent loqui Scripturas de pœna sēsus hæc enim est inæqualis ad inæqualitatem demeritorum. Contra, ergo quoad pœnam damni, pro illo tunc, saltem priori natura, non sunt proportionaliter puniti, seu etiam nunc, dum vtraque pœna plectuntur, non puniuntur pœna damni *ad iustitiam*, vt ita loquar, sed *ad pœnam* nempe ad æqualitatem, at hoc non est seruare vndequaque leges iustitiæ, quæ requirit, vnicuique conferri quod suum est, proportionaliter, iuxta mensuram meritorum, & demeritorum.

8 Rursus, quo maiora sunt, & plura impedimenta habendi formam, eo materia magis elongatur à tali forma, magisq; dicitur priuata illa: ergo, quo maiora, & plura erunt peccata, eo magis elongabitur damnatus à Deo, priuatusq; remanebit magis visione Dei: Insuper qui à maiori gratia, & meritis maioribus excidit, maius ius ad gloriā perdit, magisq; dicitur gloria priuatus: tales sunt damnati, quorum vnus altero à maiori gratia decidit, maiusq; ius ad gloriam perdidit, & consequenter magis remanebit visione beatifica priuatus. Præterea peccatum est auersio à Deo: cui auersioni correspondet pro supplicio pœna damni, quæ consistit in auersione visionis Dei: at auersio à Deo, in peccando non est æqualis, ergo nec auersio à visione Dei. Rursus, illuminetur hæc aula de die lumine Solis, & lucernæ: illuminetur altera solo lumine Solis: dum vero sero occidit Sol, priuans illam suo lumine, extinguatur lucerna illa, remaneantq; ambæ aulæ obtenebratæ, nonne dicetur

tur priuata magis lumine illa, quæ duplici lumine illustrabatur, quam hæc, quæ vno lumine: vtique: ergo maiora habens peccata priuatus remanebit magis visione diuina, quam habens minora.

9 Ad hæc, & similia respondet Primo probare esse maiorem secundum effectum, in vno, quam in altero. At contra, effectus iste, vel est sola carentia, vel dolor, & tristitia, ignis, vermis, & huiusmodi: Si Primum, ergo pœna damni erit maior in vno, quam in altero, & sequetur intentum: Si secundum, id quidem est extra naturam pœnæ damni, dictum est enim, hanc pœnam sensus distingui à damni, nec esse de intrinseca ratione eius, vt patuit in pueris cum solo originali decedentibus, in quibus est sola pœna damni, non sensus. Item pœna damni est prior, illa autem sensus posterius. Vlterius patent discrimina vtriusque ex quæst. præced.

10 Respondent secundo, quod licet qui habet plura peccata, sit magis elongatus à gloria, magisque incapax illius, vere tamen non est magis priuatus gloria: sicut qui habet plura impedimenta videndi, quamuis sit magis elongatus à visione, magisque incapax eius, non tamen magis priuatus dicitur visione. Responsio est magis apparens quam vera: vnde arguitur, impedimenta illa plura, aut aliquid operantur, aut nihil: non secundum, alias non essent impedimenta, vel non impedirent, remoto omni obstaculo: Si primum, cum finis, & effectus formalis illorum sit tollere, & priuare, vtique priuatio augebitur, & subiectum priuatum dicetur magis, magisque priuatum: oppositum autem asserere, est contra philosophiam: item vnum v. g. lucis impedimentum, causa est vna priuationis illuminationis huius aulæ: impedimentum alterum est causa altera: alterum erit causa tertia: aliorum, quarta, & sic deinceps: & vnumquodque illorum impedimentorum, supponamus esse sufficiens impedimentum talis illuminationis, quid namque agerent tot, totque impedimenta, vltra primum, si nihil, non ergo erunt impedimenta, vel frustrabuntur fine suo: ergo aliquid id vero erit maior priuatio luminis. Aiunt, ita esse, vt aula de toto priuetur lumine à primo repellente lumen, cætera vero, priuationi nil addunt, quia iam de toto priuatam lumine inueniunt.

11 At esto, ita contingere in physicis, ac naturalibus, cæterum sumus modo in moralibus, vnde est, quo magis quis Regem offendit, eo priuetur magis gratia sua: sic qui amicus amico offensus aliquo modo vadit, aliquo etiam modo priuatur gratia amici: qui vero magis offendit, magis priuatur, ita vlterius. Item signum, quod quis Regi offensus, magis Regis gratia priuari dignus sit, inde colligitur, quod vltra eiectionem à facie Regis aula regia, pœna quoque corporali, etiam maiori afficitur: est autem peccator supremo omnium Regi Deo offensus peccatis maioribus, & pluribus, ergo, eo maiori deiectione à facie eius, maiorique carentia suæ diuinæ visionis plectitur: signum vero huius est, quod subsequentur, maiori quoque pœna sensus mulctatur.

12 Hinc ergo in casu distinguerem, priuationem spectandam esse, vel physicè, vel moraliter: Primo modo est æqualis, quia omnes reprobi patiuntur hanc pœnam, omnesque sunt damnati: Secundo modo, inæqualis, quia demerita inæqualia: Item vel sumuntur materialiter, vel formaliter: Primo modo nequaquam suscipit magis, & minus: Secundo sic: Exemplo rem illustremus: Mors est priuatio vitæ: cæcitas visus &c. quandocunque ad mortem infligendam concurrunt causæ plures, quarum vnaquæque non sit partialis, sed de se sola, sufficiens, & totalis ad inferendam mortem, non diceretur tunc mors esse magis mors, quatenus inflicta per decem causas totales, quam per vnam totalem: sicut nec diceretur homo priuatus vita magis, ac magis per decem, quam per causam vnam, quia ita per causam vnam æque totaliter moritur, ac per decem: pariter de cæcitate infligenda per tot, easdemque totales causas: sicut quoque de gratia habituali penes quosdam: & de actuali etiam per alias: peccatum vnum priuat gratia sufficienter, & de toto: hoc autem stante, quidnam faciunt peccata subsequentia? non pri-

Priuatio supra materialiter, & formaliter.

priuationes an suscipiant magis, & minus, vide Scot. 2. d. 7. q. 5. ex ista, & quodlib. artic. 3. & in responsione ad Secundum.

tilitatem pœnæ, quantam meretur offendens in duobus, tribus, decem, &c. vnde est, vt ly *Omnium* non se teneat *Collectiuè*: non enim punietur pro omnibus, qui in vno tantū offenderit, sed est loquutio *Accomoda* intelligitur namque puniendum fore pro eo, pro quo deliquit: Habetur etiā, quod per *Omnium* sumitur pœna absolutè, & simpliciter, etenim dignus est pœna; siue sumitur pœna quantum ad substantiam, quia vere damnabitur: nō autem quantum ad modum pœnæ, siquidem gradus pœnarum sunt diuersi, varijque puniendi modi, iuxta Scripturam, *Iuxta mensuram delicti erit & plagarū modus*. non longè abest Scotus, qui in 4. d. 22. q. 1. lit. S. *Ad secundum, inquit, Illo modo intelligenda est authoritas Iacobi, scilicet quantum ad damnationem, quæ est generalis pœna omnium peccatorum mortaliū, factus est omnium reus. Vel aliter, & in idem redit, quantum ad auersionem à fine vltimo, quæ est communis omni peccato mortali. Sed non est intelligendum, quod factus est omnium reus, quantum ad grauitates speciales singulorum peccatorum.*

QVÆSTIO V.

Vndenam proueniat inæqualitas pœnæ damni in Dæmonibus.

1 ABulensis super Matth. 25. q. 619. inæqualitatem pœnæ damni desumit ex eo, quod quis deciderit à maiori gratia, maiorique iura ad gloriam. Modum tamen hunc assignādi inæqualitatem respuit Zumel q. 87. art. 4. dub. 2. Vasq. 1. 2. disput. 100. c. 3. & 5. Almayn. lib. 3. moral. cap. vit. & Salas tom. 2. tract. 13. disput. 15. sect. 10. in fin. eundemque modum assignauerat prius Gabriel, quem & exēplo declarauit Vicarij, & Canonici, quando propter absentiā ab Ecclesia priuantur distributionibus quotidianis: qua in re, æqualem quidem negationem habent ambo, non tamen æqualem priuationem, & pœnam, quia maiori iure debebantur vni, quam alteri: ita quoniam cadēs à maiori gratiā, cadit etiam à maiori iure ad gloriā, hinc maior pœna. Impugnant vero modum hunc, dicentes, inde sequi, maiori pœna puniendū illum, qui habuit antea merita maiora, inde tamen in peccato mortali moriens. Item Secundo, sequi eum, qui nulla habuerit merita, & gratiam, nulla pœna damni, fore mulctandum, quoniam nullū habuerit ius ad gloriam: vel qui pauca habuerit, & perdiderit, multumq; peccauerit, minus fore puniendum eo, qui plura merita habuerit: Prob. etenim in illo ius ad gloriam fuisset minus, quā in isto, & consequenter perdendo illud minus, minus punireur, quam hic, perdendo maius. Hæc Vasquez. Addit idem Abulensis modum alterum, quē mox afferemus.

2 Impugnationes vero istæ parum vrgent, etenim concederēt puniri maiori pœna, quatenus maiorem tristitiā habent quod maiorem gloriam amiserant, ad quam ratione maioris gratiæ, disponebantur. Vnum tamen interest, quod pœna ista non foret damni, sed sensus; ratio, quia non sequitur de necessitate, maior pœna damni ad eum, qui maiora merita habuit, imo minor, quia minus peccauit, sed quia percipit se cecidisse à tali statu, & amisisse tantum bonum, quod erat maius, hinc tristatur, ergo pœna erit sensus, non damni; nisi dicas, damni, occasionaliter, vt supra attigimus de hac difficultate.

3 Ad Secundum vero negatur illatio, non enim illa est causa præcisa inæqualitatis pœnæ, est quidem vna ex causis, sed non præcisa, si enim esset causa adæquata, sequeretur intentum, & declaranda venit, vt diximus.

4 Caput alterum addit Abulensis idem, nempè diuersitatem, & inæqua-

litatem dispositionis naturalis ad virtutem, & ad meritum vitæ æternæ; et inde quoq; desumatur inæqualitas priuationis visionis Dei, seu inæqualitas pœnæ damni, quatenus priuatio est. At quidnam intelligit per dispositionem naturalem, an forte talem, qua homo viribus naturæ dispositus sit ad vitam æternam, seu ad meritum vitæ æternæ: hoc esse nequit, vt patet ex materia de Gratia: Quod si sumat dispositionem meritoriã, vtique hæc erit vna ex caussis, sed remota: quod ipsa quoque natura dispositionis indicat; erit ergo caussa dispositiua. Vasquez cap. 3. in fine, ait, ex hoc capite nõ rectè assignari priuationẽ gratiæ, sed ex debito habendi eam: Satis tamen fuisset dicere, nõ assignari adæquatè, & præcisè, nam sicut dispositiones caussæ sunt in genere suo, ita eãrum negatio impedit, seu destruit formam: & quemadmodum Beatus lætatur de meritis viæ, quatenus dispositiones meritoriæ, & caussæ fuerunt suæ gloriæ, ita damnati tristantur, quod eas nõ habuerint, vt promereri potuissent gloriam. At quia dispositiones tales, æquales non sunt, inde etiam pœnæ inæqualitas.

5 Exemplum Vicarij, & Canonici diluit idem Vasquez cap. 5. inquiens, si Vicarius maius damnum patitur, quam Canonicus, non ideo est, quia priuetur maiori stipendio sibi constituto, sed quia omittit opus, cui si fieret, daretur stipendium maius. Cur tamen hoc, nonne verè sentit priuationẽ maiorem, stipendij maioris? quod tamen priuatio procedat ratione operis omissi, caussa hinc indicatur, propter hoc namque denegatur stipendium: ergo pœnas vtrumq; stat priuatio, operis quidẽ, seu seruitutis Ecclesiæ, & insuper stipendij: imò, cæteris paribus, deberetur potius maioritas priuationi stipendij, quam omissioni operis, ratio, quoniam opus est vnicum, illud quidẽ vtrisque, ad quod obligantur Canonici, stipendium verò duplex, ergo priuatio hinc se tenet: Verum est tamen, quod id dicendum erit relatè ad personam, quæ veluti eminẽtior, duplici honore digna est.

Vasquez nõ percipit Scotum.

6 Vasquez idem cap. 4. referens sententiam Scoti, ita sentire Scotum ait, nempè, quò grauius quis peccat, eo actum suum maiori rectitudine priuat, ergo consequenter priuat se maiori gloria: & hinc inæqualitas. Impugnans vero modum hunc, Primo, inquit; peccatũ commissionis non constitui priuatione rectitudinis debitæ, sed id contingere peccato omissionis, vt fatetur probasse disp. 95. Cæterum, quam gratis, & cõtra torrentem Scholasticorum, & Patrum, seu contra rationem loquatur, patet ex citata disp. cap. 1. vbi Auctores plures, Patresq; citat: plura tamen affert Salas, cum innumera ferè caterua Theologorum, inter quos vltra Bonauenturã, & Scotum, affert quoque plus, quam viginti loca D. Thomæ: Dixeris autem, Scotum contraire, prout Aluarez in sui eũ affert sententiam in quodl. 18 art. 1. at optimè soluit apparentẽ contradictionem idem Salas, citatq; plura eiusdem Scoti loca pro communi sententia, consistere pro formali, in negatione: quam Salas ipse appellat communem, & veram 1. 2. tom. 2. q. 71. sect. 3. disput. 2. tract. 13. ad quod accedens Valentia tom. 2. disp. 2. q. 13. part. 3 & disp. 6. q. 1. part. 2. inuehitur aduersus Caietanum, inquiens non percipisse mentem Diui Thomæ: At quidquid sit de hoc, redeundo ad nostra, gratis assumit Vasq. non consistere peccatum in priuatione rectitudinis, quæ deberet inesse, & non inest: At dico, & non concesso, non debuerat hic immorari, verum namque est, in omni opinione, in peccato reperiri priuationem aliquã, qualitercunque spectet ad peccatum, semper namque difforme est opus illud ad mentem Legislatoris, & rationis: quo stante, iuxta quantitatem talis difformitatis erit & pœnæ qualitas: ita enim ait Scriptura, *Quantum in deliciis fuerit, tantum date ei tormentum, & luctum.*

7 Secundo, impugnare pergens, subdit, qui intensius vellet omittere Missam, non propterea intensius peccaret, quia maior rectitudo ei debita esset, sed quia actu debito magis voluntatẽ careret: actus autem debitus, nõ erat in certa mẽsura debitus, quoniam actu quocunque, quouis modo intenso, posset præceptũ impleri: sic loquitur: Fallitur tamen, vt solet, in penetranda

trãnda

tranda mente Scoti: afferam vero verba Scoti: ipse itaque d. 10. q. 6. §. *Ad primam quaestionem*, sub lit. O. sic scribit, *Quanto actus elicitur cum maiori conatu, tanto debet habere maiorem rectitudinem. & per consequens, tanto magis debet ordinari ad maius praemium: qui ergo grauius peccat, priuat se maiori bono: & sic patet, quomodo poena damni esse inaequalis*. Ex modo autem loquendi de debito, Vasquez non bene ponderans verba, & sensum, elicit, Scotum sentire quod actui bono debeatur omnimoda, & omni prorsus modo integra rectitudo: at non hoc Scotus sensit: Cum namque inquit, *Quanto actus elicitur cum maiori conatu, tanto debet habere maiorem rectitudinem*, debitum hoc nō concernit actum bonum, vt bonus est, vtrum sufficit ei omnis rectitudo, sed concernit conatum, quoniam bonitatem maiorem actus habet & à gratia, & à conatu, vnde maiori conatui subsequitur maior rectitudo, sicut & maius meritum: hic ergo stat debitum. Item, dum subdit, *Et per consequens, tanto magis debet ordinari ad maius praemium*, per hoc ostendit debitum retributionis, & praemij: Verum quia conatus est maior, & maior & rectitudo, ratione maioris conatus debita fit maior, & maior, stante quod peccatū grauiùs priuat rectitudine maiori, & maioris dum priuabit quoque gloria maiori, & maiori, hinc poenae inaequalitas in damnatis. Ex his constat, apertè decipi Vasquez, & sepissimè in Scoto,

Vasquez affictus est in ignorantia mētis Scoti

cui nunc impingit docere actui, vt sit bonus, deberi ex eius mente, omnimodam, integramq; rectitudinem: turpe autem est falso citare Doctores, quod si Scoti mentem non capit, consulat Scotistas vel iterato textum legat, nec enim semel aspexisse satis est, praecipuè vbi textus glossamine non eget, vt in eunti, quae adduximus, patet, nisi tamē impugnandi calore caecutiat.

8 Impugnat insuper, inquiēs, peccatis contra virtutes morales non esset debita rectitudo meritoria vitae aeternae: neque enim debet homo semper esse in gratia Dei, & vitam aeternam promereri, ergo, hoc ipso, quod opus alicuius caret tanta debita rectitudine, non caret beatitudine in eadem mensura, sicut putauit Scotus: haec ille. Ponderemus tamen loquendi modum primo loco: sic quidem, dum ait, peccatis cōtra virtutes morales non esset debita rectitudo vitae aeternae; qualem quaeso sensum reddunt ista verba? an, quod vita aeterna non debeatur peccatis? quis hoc negat? est namq; de fide, vitam aeternam conferri iustis, non reprobis: at sic non est in hoc, igitur in subiecta materia loquēdi modus est incongruus, debebat enim scribere, peccatis contra virtutes morales non esset debita priuatio rectitudinis vitae aeternae: nota ly *priuatio* quandoquidem, sicut ex opposito, non debetur vita aeterna solis virtutibus moralibus, seu bene solummodo moraliter viuentibus, ita peccatis solummodo contra virtutes morales, nec debetur priuatio rectitudinis meritoriae: at quaenam ergo, siue cuiusnam rectitudinis priuatio debetur peccatis aduersus virtutes morales? debetur priuatio rectitudinis moralis: sicut ex opposito, virtuti morali debetur rectitudo moralis. Dices, actui moraliter malo inest etiam priuatio rectitudinis meritoriae. Respond. inesse negationem, nō priuationem in rigore, ratio quia sistendo intra virtutes morales, & vitia moralia, sumus extra genus gratiae, priuatio namque est in subiecto apto nato: vnde bene excluduntur taliter viuentes à merito, & vita aeterna: at, reddendo singula singulis, virtutes morales, & vitia moralia sunt intra naturam, seu ordinis naturalis; gratia autem, & merita sunt supra naturam, & ordinis supernaturalis: ad quos ordines spectant etiam propriae oppositae priuationes, loquimur de virtutibus solummodo, quae vt morales sunt, intra genus moris, & abstrahunt à supernaturali, & meritorio vitae aeternae, absque enim gratia ad id nō attingunt: at loquendo de ipsismet hominibus sic male viuentibus moraliter, ex quo inde rebelles sūt lumini, & gratiae, iustè priuati remanēt praemio aeterno. Et dum deniq; concludit, hoc ipso, quod opus alicuius caret tanta debita rectitudine, non caret beatitudine in eadem mensura, sicut putauit Scotus. Nunquam putauit Scotus, vt vidimus, actui, vt bonus sit, deberi tantam, vel

maiorem, & intensam beatitudinem. Dum namque opus, & actus continet maiorem bonitatem, vtique debetur ei maior beatitudo.

9 Dum vero subdit, opus carens tanta rectitudine, non caret beatitudine in eadem mēsura; quid per hæc intelligit? forte nē, quod tanta polleat beatitudine opus non habens tantam rectitudinem, quanta opus habens tantam? si sensus est, vt verba sonant, videat ipse si veritatē contineat, hucusque, vel inuitos, nos traxit Vasquez contorquens mentem Scoti.

Causa inæqualitatis ex Scoto. 10 Quæ vero sit mens Scoti circa inæqualitatem, in primis ipse eam refundit in peccata diuersa, & inæqualia, inquiens. *Dico, quod erit, secundum inæqualitatem culpæ, quia qui habet grauiorem, habebit carentiā maioris boni, ad quod fuit ordinatus*, sub lit. O. Item ratio altera esse poterit, ordinatio vnius ad maius bonum, quam alterius: quod apprehendens inde damnatus, magis tristatur, ex quo, maius bonum, maioremq; gloriam amisit: hoc autem indicat idem Scotus in verbis vltimis, inquiens, *Habebit carentiam maioris boni, ad quod fuerat ordinatus*. & hoc spectat ratio initio allata, de maioritate pœnæ, eo quod quis ceciderit à maiori iure ad gloriam, sicut & à maiori gratia, & merito, supra quibus tale fundatur ius. Nec opposita, quæ afferunt, obstant, vt soluimus. Insuper, alia Scotus addit, quo grauius peccator peccat, eo magis amat seipsum: at quo magis amat se, eo magis odio habet pœnam, debitā peccato, igitur hinc, vnus altero, magis tristatur: qui namque parum diligit se, parum curat de opposito incommodo, & damno: qui vero magis diligit, magis appetit commodum, & bene esse: ergo grauius peccans maiorem tristitiam, maiusq; incommodum sentiet de pœna inflicta. De facili autē adduci possēt causæ plures, singulariter spectando cuncta, quæ concurrerūt ad aliorum damnatorum perditionem.

Et alijs. 11 Insuper de angelicis Spiritibus loquentes aliqui, id ad nobilitatem quoque referunt, & eminentiam Naturæ: quo namque Spiritus nobilior fuit, eo torquetur magis, vt si in eodem carcere detrudantur Princeps, & Rusticus, dato æqualia esse amborū demerita, æqualemq; carcerem materialiter spectatum, maiori nihilominus afficitur pœna Princeps, quam rusticus. Verum, spiritus hunc inæqualē sortiri pœnam, declaratione indiget; siquidem, de se solo spectatus in hac differentia, vnius ab altero ratione eminētiæ, difficultatem parit cur inæqualiter puniri censeantur nobilior, sed superior, & inferior, ratio, quia *Deus nō est acceptator personarum*. & secundū demerita iudicat, non secundum naturam. Confirmatur, quoniā taliter se habet in præsentando, vt ad merita aspiciat, non ad naturam, alias Angeli omnes essent beatiores quibuscunque animabus, etiam Christi, Virginis, &c. dum natura præcellunt Angeli omnes cunctis hominibus. Insuper de damnatis Christus ait, *Quantum se glorificauerit, tantum date illi tormentū, & luctum*: diuersitas ergo, siue præmij, siue pœnæ, tribuitur operibus, sicut & Ioānes, *Opera illorū sequuntur illos*. Quorsū ergo pro Spirituū nobilitate maiori, & minori, stabit pœnæ inæqualitas. Recolendum est ex supra de Gratia Angelorum, gratiam initio differenter collatā Angelis fuisse, nempe, primam, in qua creati fuerunt, idq; iuxta diuersitatem Spirituum vt superioribus maiorem; inferioribus minorem Deus gratiam contulerit, iuxta diuersitatem naturalium. Hoc stante, applicatur etiā, suo tamen modo, Spiritibus malis inæqualitas pœnæ ex capite hoc; etenim quia Lucifero, veluti Antesignano, collata fuerit gratia maior, alteri, veluti inferiori, minor, & sic de singulis: hinc, excidentes à tanta, & tanta, maior, minoriq; gratia; vtique inæqualiter puniuntur, idque efficitur, non ex diuersitate solius naturæ, quia nobilior, vel ignobilior, sed ex diuersitate gratiæ, quam perdiderunt: vtrumque vero amplectendo, efficitur ex diuersitate vtriusque, cum differentia tamen, etenim, ex diuersitate naturæ, *occasionaliter*, ratio, quia naturalium diuersitas in Angelis nō quidem meruit tantam gratiam, imo nec vllam gratiā ex naturalibus puris, sustinctis solo naturæ, sed desumpsit Deus inde occasionem conferendi gratiam diuersimodē

pro

pro diuersitate naturarum, complacés sibi maiori gratia honestare Angelos illos, quos maioribus, ac nobilioribus naturalibus decorauit se habuit: quo stante, hinc elicitur caput vnum, alterum vero est demeritum, quod cum nō sit æquale in omnibus, cessat æqualitas: Ex vtrisque vero simul, ex naturę quidem diuersitate, *occasionaliter*, ex demeritis tamen *causaliter*, ex illa, quia fuit occasio habenti tantam gratiam; & ex istis, quia per ea demeruerunt, & hinc inæqualitas. Quod vero illa non sufficiat, patet etiam, alias in animabus non adesset differentia pœnæ, quia omnes sunt eiusdem speciei.

22 Confirmant vero inæqualitatem August. 21 de Ciuit. cap. 16. *Nequaquā negandū est, ignem illum, pro diuersitate malorum meritorum, alijs leuiorem, alijs futurum esse grauiorem: siue ipsius vis, pro pœna cuiusque digna varietur, siue ipse æqualiter ardeat, sed non æquali molestia sentiatur*, Et Gregor. 9. moral. 7. Exemplum quoque Solis, eiusdemque ignis in hæc sublunaria, quæ non pariformiter, ratione temperamenti, complexionis, & mistionis persentiunt eorum calorem, licet de se inuariabiliter calefaciunt: Aqua namque non ita statim percipit calorem, nec ita intense retinet, sicut percipit, & tenacius retinet lignum, ita de singulis.

Ignis Inferni differenter torquet.

QVAESTIO VI.

Quonam modo ignis Inferni torqueat Dæmones.

QVæstio communis est, tum Angelis improbis, tum animabus reprobis: Ergo decisio se tenebit pro vtriusque: sigillatim vero recensebimus opiniones, & defendabimus verisimiliorem.

ARTICVLVS I.

Varia referuntur placita, & impugnantur.

1 IN primis extitit sententia dicentium, non vere ab igne torqueri spiritus illos, attēta natura ignis, quantum est de se, sed torqueri ab eo, quatenus sub ratione disconuenientis, apprehenso: non ergo actione reali ab illo torquentur, sed sola apprehensione, veluti disconuenientis. Apparentem autem possibilitatem huius sententiæ eliciunt ex Auicenna 9. Metaph. cap. vlt. & Alogazel 5. Phis. cap. 5. qui licet Inferni ignem negauerint, nihilominus ex tristitia, quam in somnio rei alicuius disconuenientis experimur, elicitur consimiliter, ex apprehensione rei alicuius disconuenientis id aduenire. Probari etiam potest ex Gregor. lib. 4. dial. 29. dicente, *Eo patitur, quo videt: & quia cremari se respicit, cruciatur.* hinc vero deducitur intentum; nam si in tantum patitur, in quantum aspicit cruciari, ergo non re vera patitur absq; apprehensione: quo modo de animabus separatis loquebatur Auicennas, sola apprehensione pœnarum quas in hac vita perpessæ sunt, separatas inde tristari. Ad hoc accedit Albert. in 4. dist. 44. art. 20. nec improbabile putat Bonauent.

2 Modus hic impugnatur vniuersim à Scholasticis: & Primo, ratione communi, quæ tamen originarie fuit Scoti: est autem hæc: Apprehensio ista aut est vera, aut falsa: si vera, declarare oportet modum talis disconuenientiæ ignis ad Spiritus; non enim videtur suæ naturæ disconueniēs, quia ignis de se non est cōtrarius, nec offensiuus spiritus; sicut enim nec Spiritus frigidus est, aut humidus, nec corporeus, ita nec contrarius sibi esse poterit ex sui natura ignis, nō enim est caloris, vel alicuius alterius qualitatis corporeæ susceptiuus, vt inde, veluti à contrario, spiritus destruatur, combu-

ratur.

ratur, insineratur: igitur nō vere à parte rei, attenta natura ignis, & Spiritus aderit contrarietas, siue disconuenientia inter eos. Itē, nec in ratione obiecti, est namque in ratione obiecti, potius conueniens, quam disconueniens, obiectum namque, vt obiectū, est conueniens potentiæ, vt potentiæ: Si autem apprehēsione falsa, igitur opinione solummodo, non autem vere, cruciatur ab igne: igitur fictitie, & non vere cruciatur: Sed sicut nemo, falsa opinione est beatus, ita & nullus, falsa opinione est miser: insuper falsa hæc existimatio à quonam erit? ab Angelo, an à Deo? à neutro quidem: non ab Angelo, siquidem deciperetur: at ex Dionys. 4. de diuin. Nom. *Naturalia in ipsis sunt splendidissima*: ergo decipi nō poterunt: præcipuè quidem viget hoc in naturalibus, in quibus Angeli sunt scientissimi, dum perioptimè norunt naturalia rerum: sique philosophiæ innitimus Auicennas negabat, separatas animas torqueri ab igne, sed sola existimatione, melius quidem id norit Dæmon, minimè ignem de se corrumpere posse, vel sic agere, alterando materialiter spiritum: non igitur error hic ab Angelo: Nec insuper à Deo, alias falsa illa existimatio erit immediatè causata à Deo, at Deus neminem fallit, nec decipit. Accedit, quod animæ in Purgatorio torquentur quidem, at non falsa existimatione, sed vera: & vltra talem apprehensionem, torquentur vere per ignem, licet de modo inquiritur: vnde Gregor. 9. moral. cap. 38. loquens de Inferni claustris, sic ait, *Quos pauores accipiant, nequaquam pœna transitoria, vel phantastica imaginatione, sed vitione solide cruciant*.

Apprehēsio requisita ad pœnam. 3 Hinc vero respondetur ad locū in oppositum adductum eiusdem Gregorii, non fuisse sui mentem negare, vere, & in re cruciari, quod autem ita sit, ipsemet seipsum explicat, dum dixit, *Non phantastica imaginatione, sed vitione solida cruciant*. Solidum autem indicat existentiam, & consistentiam veram à parte rei atque 4. dialog. cap. 30. ait, *Si Diabolus, eiusque Angeli sunt incorporei, corporeo sunt igne cremādi: quid mirum, si animæ, antequam recipiant corpora, possint corporea sentire tormenta?* & confirmat August. 21. de Ciuit. Dei cap. 10. *Cur non dicamus, quamuis miris, veris tamen modis, spiritus incorporeos posse pœna corporalis ignis affligi*. Item dum aiebat, *Eo patitur, quo videt*. aliud est videre, & intuitiuè videre, aliud vero phantasiari: vere vident, & etiam videndo dolent, imo Scotus in præcedentibus dixit, pœnam sensus eatenus affligere, quatenus apprehensa, & nolita: ex hoc tamen non inferebat, in sola apprehensione consistere: at quia Dæmones pœnas illas, & tormenta vident, & bene percipiunt, hinc quoque tristantur, adeoq; concurrit apprehensio, vt membrum animalis obstupefactum, sensusq; perceptione carens, minimè doleat si feriatur, vel incidatur: at quia talis Dæmonum visio, seu apprehensio non est phantastica, sed vera, hinc, ad hunc sensum loquitur ibi Gregorius: de quo amplius infra. Qui insuper, vtrumque amplectens, & rem ipsam, siue ignis actionem, atque apprehensionem, ita loquitur, *Colligere ex dictis euangelicis possumus, quia incendium anima non solum videndo, sed etiam experiendo patiatur*. Accedit quoque Bonau. qui in 4. d. 44. part. 2. art. 3. q. 1. §. *His visis*, comentando dictum Gregorij, inquit, *Non tamen intendit dicere, quod visio sit tota causa ardoris, sed perceptio ignis præsentis cum horrore generat dolorem*. Item rationem reddendo, ingeniosissime subdit, *Quia non est cognitio speculationis tantum, sed experientiæ*, & ita quidem est, talis enim visio, seu perceptio, non est speculatiua, sed practica: praxis autem terminatur ad rem extra, ergo, dum apprehensio non est phantastica ex eodem Gregor. dumque non est speculatiua, sed experimentalis, & practica ex Bonau. bene stat, quod ex vtroque causatur tristitia, de mente Gregorij. Quod vero Vasq. citandus in eam sententiam trahat Bonauent. apertè constat, Doctorem Seraphicum, illam impugnare, inquiens, *sed nec illud fideli animæ sufficit &c.* an verò inde, vel ex parte in eam incli-net, videmus infra. Et denique, ad illud de somniantibus, non est par ratio in casu nostro, etenim solum ibi phantasiando tristantur, siue enim fugam capiant, siue verberibus, ferroq; trans- Dormientes quandoque tristantur.

 uerbe-

uerberentur, aut Serpentibus venenentur, siue à Canibus ac Leonibus diicerperentur, & deuorentur, tortem id apparens est, & ex sola imaginatione promanens, non tamen à parte rei id proueniens: at Dæmones verè à parte rei, & non phantasticè, igne cruciantur, vt experiendo lamentabatur Epulo Matt. 17. *Crucior in hac flamma*, non negatur tamen, quandoque veram fugam, aut deambulationem, cum huiusmodi, etiam dormiendo incidisse, præcipuèq; de se ipso enarrat Galen. lib. 2. de motu musc. cap. 4. aliquando, *integrum fere stadium, dormiendo percursisse*.

Galenus dormiendo stadium peregit.

4 Altera sententia ex Henrici, qui Quodl. 8. q. 32. post plurimorum relatis dicendi modos, ita tandem sensum suum explicat, vt dicat, immitti à Deo in Dæmonem, habitum quendam supernaturalem, quo mediante, Spiritus subijciatur corporali agenti, vt possit ab eo pati. Pro explicatione tamen aduertendum, non admittere Henricum, aliquid igni superadditum, sed superadditum Spiritui: remanente namque igne, in virtute sua naturali calefaciua; superadditur soli Spiritui habitus supernaturalis, habilitans eum ad posse calefieri, & vri. Improbatur tamen modus iste dicendi: & Primo: habitus iste aut est corporalis, aut spiritualis: si corporalis, ergo poterit quoque Angelos fieri albus, & lapis sapiens. Prob. sicut namque Spiritus angelicus susciperet habitum talem supernaturalem corporalem, ita subiectum quoque esse posset coloris, albedinis &c. & consimiliter ex opposito, posset in lapide recipi sapientia, quæ est forma spiritualis; sicut namque in subiecto spirituali reciperetur forma corporalis informans, ita in subiecto corporeo recipi posset forma spiritualis fierique lapis sapiens: hæc autem implicant, nō ergo habitus ille erit corporalis. Si spiritualis, ergo subiectum nō erit per talem habitum magis dispositum, quam immediate per se ipsum; nam etiam ipsemet Dæmon est spiritualis: quod si tum habitus, tum Dæmon sit spirituales non magis erit de se Angelus dispositus, quam per talē habitum. Responderi posset, animam esse spiritualem, non tamen in Patria perfici visione, & fruitione beatifica, quæ est spiritualis absque præuijs in hac vita, Virtutibus Theologicis Fidei, Spei, Charitatis, quæ etiam sunt spirituales, ergo similiter hic, non obstante spiritualitate ex parte vtriusque, prærequiri talem habitum spiritualem. Occurritur, esse disparem rationē, siquidem ad Patriam non peruenitur absque meritis præcedentibus in via: vnde virtutes in via sunt dispositiones ad formā gloriæ assequendā in Patria: at habitus ille nequaquā inducere valebit dispositionē, sine nec ipse esse poterit dispositio ad calorē, & cōbustionē, ergo cessat obiectio. Item habitus nō est, quo simpliciter, & absolutè possumus, sed quo aliqualiter possumus: ergo nō per habitū illū absolutè, & simpliciter pati poterit Spūs angelicus. Insuper, repugnat Angelo ex sui natura, pati corporaliter ab igne, ergo nequit per habitum vllum disponi ad illud. Prob. conseq. nulla dispositio idonea est ad id, quod omnino repugnat naturæ, nisi violentia fiat naturæ, & agatur contra naturam. Præterea, per habitum disponitur Dæmon ad combustionem, ergo habitus erit tota ratio talis cruciatus, igitur pœna recipietur magis in ipso habitu, quam in Angelo, quod est absurdum. Et hinc sequitur, Angelum neq; etiam mediate, esse subiectum tale, cum omnino ei repugnet. Rursus, qualitas illa corporalis aut informat Angelum, aut vnitur ei absque inhæsione, & informatione: Primum repugnat, vt patet, alias spiritus informaretur à forma corporea. Secundum etiam nec obstat; nō enim corpus cum spiritu pugnat physicè, sicut nec corpus humanum cum anima rationali, quæ est spiritualis, non enim Spiritus dispositionibus scatet repugnantibus corpori. Confirmatur; quoniā si Michael ingrederetur flammas, & ardentissimum ignem, vel Purgatorij, aut Inferni, nil tamen inde pateretur, & id quidem absque miraculo. Satis verò indicat Henricus qualitatem istam ex modo dicendi.

Habitus Henrici impugnatur.

Habitus nō est, quo simpliciter possumus, sed quo sic, vel sic, &c.

5 Vnde est insuper dicēdi modus, ignem immittere qualitatem caloris, & ardoris in Spiritum, & eatenus affligere, quatenus calidus est, eodemque afflictionis genere, quo affligit corpus;

Bario-

Rationem reddit, quoniam si ignis nō affligeret, vt calidus est, nō magis cruciandus foret Angelus per ignem, quam per aerem, addi posset, & per aquam: igitur propria calidicate cruciat: Verum quia prævidit obijci posse non valere corpus torquere spiritū, sicut nec agere in spiritum; ideo recurrit ad habitum recensitum, à Deo immissum, quo pati posset.

6 Dominicus Sotus non distat ab Henrico, etenim in 4. dist. 50. q. 1. art. 2. ait enim, ignem agere in animam eo modo, quo ageret in eam, si esset corpori vnita: At quia separata iam reperitur à corpore, nec potest cruciatū recipere per corpus, hinc, diuina virtute ignis in eam causat cruciatum, talem quidem, qualem ignis causaret in eam, si esset corpori vnita: Sentit vtique in corpore doloriferam illam qualitatem ab igne, eandemque, diuina ope, sentit separata à corpore: igne sic operante, tanquam instrumento diuinæ Iustitiæ: Verum est tamen, quod non admittit in anima separata illum dolorem corporis, sed afflictionem, atq; tristitiam. Differunt tamen Henricus, & Sotus, & aliquatenus conueniunt: Differūt quidem, dum Sotus ait, virtutem esse communicatam igni veluti instrumento diuinæ Iustitiæ. Henricus vero inquit, propria virtute ignē agere, cæterum Dæmoni ipsi communicatam facultatem ad posse cruciari, ob quod ponit habitum illum: itaut, alter ex parte ignis, alter ex parte subiecti recognoscat communicatam virtutē: Conueniunt tamen, vt ambo facultatem aliquam admittant ope diuina.

Qualitas superaddita impugnatur.

7 Sententiam hāc impugnat quidam, inquiens, esto possit ignis eleuari à Deo ad immittendum calorem in spiritum, nihilominus non potest Deus supplere vicem subiecti receptiui talis caloris, quale subiectum est spiritus, est namq; repugnantia ex parte passi, quā Deus nequit supplere; ratio, quia concursus eius est per suam entitatem, se communicando, non autem aliud causando. Item, calor excedēs est disconueniens animæ coniunctæ, quia lædit carnē, & destruit organi temperamentum, disponendo ad corruptionem: at in Angelo non potest ignis habere tales effectus, ergo. Insuper, membrum aridum, in quo non est sensus, quamuis vratur ab igne, non tamen dolet, quia non sentit, vnde nec tristitia causatur inde in voluntate animæ coniunctæ, ergo minus causabitur in anima separata, & Dæmone. Prima tamen probatio non obest, etenim quando Deus animam sanctificat, facit id mediante forma gratiæ, non tamen inde Deus dicitur vel animam informare, vel supplere vicē causæ intrinsecæ informando animam per se ipsum: ergo nec dicetur hic, spiritum informare per se ipsum, siue supplere eius passiuitatem, seū receptiuitatem. Ad illud autem, quod concurrendo, præuiam formam non immittat, hoc gratis dicitur in via Thomistarum negantium: de qua tamen re non agimus: inde enim sequeretur, Deum veluti causam efficientē, producere combustionem ligni, absq; tamen præuia forma caloris, de lege ordinaria: Scrupulus forrasse ei insurgit propter Scotum negantē talem præuiā formam, at non est talis Scoti mens, sed est, vt loquatur de præuia motione per formam nouiter receptam, puta in igne, ad hoc vt calefaciat, non autem de calore recepto, iam enim patet, ignē non calefacere absque forma caloris. Ratio igitur hæc nō vrget in via Scoti; Secunda, nec militat in sententia etiam omnium, etenim cum cæteris Scotus negat sine organi corruptionē, siue temperamenti, viuent namque in æternum damnatorū corpora in igne, & non consummabuntur, vt in 4. ibid. q. 3. non obstante autem hoc, etiam dolebunt, ergo & Dæmones, non obstante carentia organi, seū corporei temperamenti. Item locū habet propositio illa in naturalibus, cæterum potest dolor immitti absque corporis, & temperamenti deuastatione, vt patebit in corporibus damnatorū transeuntium à calore nimio ad frigus nimium, & tamen non dissoluentur.

8 Ad id denique de membro arido, & si Angelus careat sensu, præstat tamen intelligentia, & voluntate, atq; amore sui, commodi, & concupiscentiæ, quo refugit obiecta tristantia: inter cætera autem capita allata à Scoto, de modo, quo tristentur, hoc est vnum, &

fere primum, amor proprij commodi, in via Scoti, vt attigimus supra, & amplius habebimus infra.

9 Ergo aliunde impugnatur, quærendo, virtus ista in Dæmone, vt patiatur, aut est corporea, aut spiritualis: corporea esse nequit, non enim corpus esse potest forma spiritus: nec spiritualis, esset enim frustranea, vt namque diximus, si Dæmon, cum sit spiritus, nō est subiectum idoneum susceptiuum doloris, & passionis corporalis, quonā modo ad id disponi posset per virtutē illam, est enim æquè, vt Angelus, spiritualis. Dices, & redit obiectio prætacta, anima non est idonea ad formam gloriticam, nisi disponatur per formam gratiæ, quæ nequaquam frustranea est, vt dicebat Pelagius, sed omnino necessaria, vt ex materia de Gratia. Resp. esse disparem rationem in casu nostro, etenim gratiæ necessitas se tenet in ordine ad operandum, & merendum, hic autem loquitur in ordine ad recipiendum, vt namque spiritus recipere valeat passionem ignis, inquiunt, dari debere qualitatem disponentem ex parte ignis actiue, & Dæmonis passiue: si tamen qualitas hæc est spiritualis, æquè spiritualis est ipse Dæmon. Item si gratia in ordine ad recipi in subiecto, exquirit gratiam aliam disponentē, quæro de illa antecedenti disponente, aut recipitur de se immediate, aut mediante alia: si primum, habetur intentum, si secundum, daretur processus in infinitum, igitur dabitur prima gratia, inde subsequens, vsque ad gratiam consummatam, gloriam &c.

10 Redeundo tamen ad Dominic. Sot. In Primis, virtus illa ignis aut est spiritualis, aut corporalis; non Secundum, quia non posset agere physicè in spiritum, vt est dictum, nec passionem corporalem immittere, cuius incapax est Spiritus, nec spiritualis. Prob. nil agere potest virtute, & facultate superante propriam naturam, superat vero facultas spiritualis naturam ignis. Dices, assumptum dupliciter esse falsum: Primum, quia corpus exercet opera superantia vires suas, vt intelligendi, volendi, & huiusmodi, at hæc præstat virtute animæ rationalis sibi infusæ. Item non potest homo viribus naturæ mereri, & beatificari, qui tamen potest ope gratiæ, & auxilij Dei: ergo & ignis cruciare poterit virtute spirituali recepta à Deo. Resp. aliunde argumenta hæc continere veritatem, sicut & ipsamet deseruire poterunt in confirmationem nostræ sententiæ: at modo nō vrgent ex capite, & fine alio, etenim quæro quonam modo ignis tali virtute supernaturali præditus agat in spiritum, vel physicè, vel moraliter: non Primum, alias qualitas illa dolorifera immissa in spiritum, informaret ipsum, & torqueret corporaliter, cum tamen spiritus nō sit cruciabilis nisi spiritualiter: Deus autem informationem talē supplere nequit: ergo moraliter, sed si moraliter, igitur nō per impressionem doloriferæ qualitatis, sed vel intentionaliter, vel modis alijs &c. Item qualitas illa vel est corporea, & reddunt quæ prius: si spiritualis, ergo spiritualiter vrit, at quomodo saluat scripturas dicentes vere comburi, ignemq; illum esse corporeum: Confirmatur, si namque Dæmones spiritualiter solum cruciarentur, cessaret lis inter Theologos: at quia quærunt, quomodo potest corporeus ignis spiritus cruciare, hinc eorum sensus alienus est à modo tali agēdi: Insuper nec Soto dicere id potest, ait enim immittere ignem doloriferam qualitatem, eiusdemque rationis cum illa, quam immittebat in animam, proüt sensui alligatā, at vt sic, non est qualitas spiritualis: Item nec actio spiritualis, quia nec terminus actionis, nēpè, de genere actionis, est spiritualis, sed est qualitas dolorifica corporalis. Idem de actione morali, qui agēdi modus est etiam contra ipsum, abstrahit enim, seu non necessario, & vndequaq; coniunctus est cum modo agendi corporali.

11 Arguit item Durandus, instrumentum non agit virtute superioris agentis, nisi præuia sua actione naturali: at ignis nequit de se habere actionem in spiritum, ergo nec vt instrumentum Dei, nec ope, & virtute Dei. Argumentum autem hoc non magis militat contra Sotum, quam aduersus modos alios dicendi: vnde solui posset, primo, falsum esse assumptum; præcipuè loquendo de potentia proxima

ma &c. quidquid tamen sit, de quo infra satium est; loquendo in moralibus, signa enim nutus, & huiusmodi, fundata super pacto contrahentium, nullam de se habent actiuitatem physicam, habent tamen moralem: sicut & in Sacramentis, verba, & materia nil agunt, nisi prout assumuntur, & determinantur à Christo Domino ad significandum hoc, vel illud; cæterum possent etiam ad aliud signandum assumi; attamen de se non potius hoc, quam illud præstitutum significant, sed solum id, quod physica demonstrat ipsorum entitas, & natura: ita ignis agere posset, non de se, sed veluti Dei instrumentum moraliter. Dices, per hoc confirmari sententiam Soti, minimè quidem quoniam vult ipse, ignem immittere dolorem, corporeamq; passionem virtute Dei in spiritum, hoc tamen negamus ignis cruciat, attamen absque tali immissione, sed aliunde, vt dicetur.

Signa, & pacta nō agūt physicè, sed moraliter.

12 Item probatur. Non potest oculus corporeus eleuari ad videndum visione spirituali, & intellectuali: sicut nec potest eleuari Angelus ad videndum visione corporali: nec eleuari poterit aqua ad comburendum, stante aqua, in sensu composito, si namque aqua calida id faciat, nō vt aqua facit, nec naturaliter, violēter enim stat sub calore illo, quod inde patet, quia paulatim per calorem illū destruitur, euanescit, ac tandem dissipabitur: quemadmodum nec ignis, qua ignis, poterit eleuari ad frigefaciendū, pugnat enim cum sua natura: quod si Deus potest aquam, & ignē simul conseruare, sicut & conseruare potest simul contraria, perinde non facit, vt vnius natura vertatur in alterius naturam, remanente in illo suo esse, poterit quidem ignem conuertere in aquam, nam & Agens naturale conuertit aquam in aerem, & aerem in ignem: at, quod aqua perseuerans in esse aquæ sit insimul & ignis, eiusque agat functiones igniendo, hoc non erit rerum naturas conseruare, sed destruere, sunt enim species rerum sicut numeri, quorū species vna ex additione, vel subtractione vnitatis alicuius, variatur essentialiter, ac destruitur: sicut nec brutū in sensu compositionis esse valebit Homo; vnde arguitur, nequaquam eleuari poterit brutum in genere bruti ad intelligendum, & volendū, quæ munia sunt Angeli, & hominis, ergo nec eleuari poterit corporeus ignis ad torquendū Dæmonem, qui est spiritus, considerando ignem, qua corporeus, & Dæmonem qua spiritus: Miracula vero, quæ supra vires causarum secundarum sunt, assumunt creaturas tales, veluti instrumenta, instrumenta autem carent vi agendi, vt Scot. in 4. d. 1. q. 1. recipiunt vero solam motionem à principali Agente: quam quæso virtutem habuit petra illa, quæ à Moyse percussa protulit aquas? erat namque sicca, arida, de sui natura, non ergo de se apta erat ad dandas aquas: sicut nec Asina Balac ad loquendum, & tamen si hæc loquebatur, & illa aquis fluebat, non quidem vim vitalē loquendi accepit Asina à Deo, sed ab Angelo formatus fuit in ea sonus ille, atque vox, agitante quoque eodem Angelo maxillas, & os eiusdem Asinæ, quo videretur ipsa loqui: nec silex ille vim recepit, aquas producendi, sed Deus inibi, vel creauit aquas, vel silicem illum, tanquam per canalem, deduxit foras eas ibi latētes, vel eo transferendo ipsas, & exinde faciendo eas emanare ad Hebræos; vel ibi creando eas: vel denique virtutem conferendo, producendi ibi illas.

Aqua qualiter calefacit.

Asina Balā qualiter loquebatur.

Petra quomodo dedit aquas.

13 Ad opposita autem illa de corpore, & anima cum gratia &c. dicendum, ita esse, ac differenti principio, quoniam anima, vna cum gratia, est vere effectiuum principium merendi; vereq; vna cum lumine gloriæ, producit beatificam visionem, non enim anima se habet ad meritum, solummodo veluti instrumentum, prout à vera causa distinctum, sed est vera causa, & concausa, vna cum gratia, ad actū meritorium, posse Sacrum Tridentinum Concilium declarat sess. 6. can. 4. inquiens, *Si quis dixerit liberum arbitriū nihil cooperari, sed esse veluti inanime, & mere passiue se habere, anathema sit.* Quia etiam operationes sunt totius coniuncti ex anima, & corpore, quod est homo: Et quia pro statu viæ, concurrit etiā corpus, dum omnis nostra cognitio ortum habet à sensibus, vnde dicitur totus homo intelligere, non dicentur

Anima cum gratia est vere principiū effectiuum meritorium

tur

tur fieri hæc supra, Imo secundum vires humanæ naturæ, naturaliter enim totus homo ex vtroq; constans, intelligit: at vt ignis comburat spiritũ, adeo superat ignis facultatem, vt dum sic assumitur, vt dolorosam qualitatem producat, non nisi instrumentaliter ad id habere se poterit, dumque actiuitas talis sibi competere nequit in spiritum, non erit instrumentum physicum, sed morale, quatenus explicabitur infra.

14 Item, dato, vere phisicè calorem immitti ab igne in Angelum, nequaquam affliget eum, patet, calor est afflictiuus subiecti habentis qualitates oppositas calorificaret vero Angelus corporeis qualitatibus. Insuper Michael si ignem ingrediatur, nec à calore lædetur, nec à flamma cruciabitur, est enim spiritus etiam ipse: Quod si stante eodem principio, ijsdemq; subiectis eiusdem rationis, in vno sequitur passio, & non in altero, profecto, non à principio per se, & de se, siue ex sui natura, spectato id conuenit, sed aliunde, æquè enim torquere deberet Dæmonem, ac Michaelem, si Michael in ignem descenderet, igitur, à primo, ad vltimum, immissio illa qualitatis doloriferæ non satis est ad rem explicandam: at torquet solum Dæmonem, non Michaelem, si descenderet.

15 Suarez de Angel. lib. 8. cap. 15. in parte conuenit cum Soto: ait enim Primo, ignẽ, quatenus Dei instrumentum immittere qualitatem aliquam, in hoc conuenit cum eo: Secundo autem ait, qualitatem illam esse supernaturalem: Verum vero in hoc etiam conueniat, non videtur, siquidem qualitatem admittit Soto ab igne sibi naturalem, quæ & sit eiusdem rationis cũ ea, quam ignis immittit in sensũ, licet addat, ignem eleuari à Deo, vt possit immittere in spiritum: ergo discrepat, Insuper Tertio inquit, qualitatem istã esse spiritualem: in hoc autem non ita manifestè discrepat, licet namq; Soto qualitatem statuat, nõ tamen explicat, sit ne spiritualis, an corporalis: Et denique subdit, qualitatem illam fœdare, & maculare spiritum: ex qua macula, & fœditate concipit inde spiritus tristitiam, nõ secus, ac tristatur anima coniuncta corpori de macula aliqua defœdante, ac turpante corpus. Sentit ergo, ignem, veluti Dei instrumentum, immittere in Dæmones qualitatem supernaturalem, spiritualem, maculantem spiritus, & exinde eos tristari. Meminit sententiam hanc Vallisoleti, inde que Romæ docuisse, & Auditoribus virisq; doctis placuisse, eique adhærere Malonium in 2. d. 6. disp. 50. sect. 1. Zamel, & Pesant. 1. par. q. 64. art. 4. disp. 3. Pro hac autem sententia, pauca quidẽ fundamenta adducit, ac putat esse sufficientia, ne dicam efficacia. In primis vero ait, eam fauere magis veritati, quoniam negari, inquit, non potest, esse consentaneam Patribus, Gregorio, Augustino, & alijs: imo & scripturis Lucæ 16. Apocal. 20 Item quia ignis vere cruciat spiritus, ergo per qualitatem immissam, sicut corpora cruciantur ab igne, per calorem immissum, à sensibilibus namq; insurgere debemus ad insensibilia. Præterea, nulla reperitur hic repugnantia, siquidem ignis, veluti Dei instrumentum, eleuari potest ad producendam qualitatem hanc spiritualem, ac supernaturalem. Confirmatq; de Sacramentis, vbi aqua eleuatur in Baptismo ad producendam gratiam in anima, sicq; in Sacramentis cæteris: Insuper, quamuis spiritus nequeat recipere qualitatem corpoream, potest tamen spiritualem: hæc vero, quatenus ipsi disconueniens sit, causet in eo tristitiam. Præterea circa deformitatem, maculam, & fœditatem, inquit, quod sicut in anima per gratiam, causatur pulchritudo, ita ex ex opposito, apponi debet in spiritu, & anima damnata, fœditas, & macula, seu turpitudo, hanc vero causabit ipsa hæc qualitas supernaturalis, spiritualis. Confirmatur, quoniam gratiæ opponitur qualitas hæc, dum oppositum effectum producit, qui est fœdare animam. Ac deniq; concludit, hanc sententiam esse veriorem, à sufficienti cæterarum enumeratione, itaut, cæteris impugnatis, hæc superest, tanquam vera sententia.

16 Sententiam vero hanc, tanquam magis singularem, libentius reijciunt Theologi: In primis autem ipsemet Suarius fatetur, non habere fundamentum in Theologis antiquis: ergo noua est.

est,ad sui inventum. Secundo,inquit, à sufficienti enumeratione cæterarum, nil posse assignari factum ab igne, nisi hanc qualitatem : grates dictum aiunt siue Thomistæ,siue Scotistæ, ac quiq; exteri, cum modum istum, vt minus probabilem,relinquant. Tertio, demum autumat, magis consentaneũ esse modum istũ Patribus, & Scripturæ, id fuerat probandũ, at non æquè bene probauit.

Suarez confutatur.

17 Confutatur autẽ Primo, si ageret ignis per qualitatem illam immissam, ergo non vere ignis combureret spiritus, hoc autẽ est cõtra Scripturas, & Patres: Prob. assumptũ,quærendo ab eo, quare admittat qualitatẽ hanc superadditã, dicet, quia ignis de se agere nequit in spiritum; igitur bene inferimus, non ignem cruciare Dæmones, sed illam qualitatem : videat vero si id est consonum scripturis dicentibus, ignem esse,qui cruciat. Item, quare apponit qualitatem hanc præuiam, vel quidem, vt igni vim præbeat comburendi, velut ipsum disponat : quocunque modo dixerit,sequitur,ignem non esse illum, talemque, qualem Scripturæ, Patresq; docent,comburere,sed esse ignem alterum, siue alterum, siue alterius rationis, nec à Scripturis sanctis, nec à Patribus, consequenter ad Scripturas excogitatum. Insuper, si vis comburendi habetur per hanc qualitatem, poterit per eam Deus, spiritus comburere absq; igne,patet hoc, nam per te non est idoneus ignis, sed per qualitatẽ comburit, ergo sola illa qualitas comburit, igne non concurrente, contra Scripturas. Dices negãdo consequens, Artifex enim mediante securi scindit,& in simul cum ea, non tamen securis de se sola scindit,ergo nec qualitas absque igne, sed simul cum eo : Contra, ideo, vna cũ securi scindit Faber Lignarius, quoniã habet vere in se artem, & facultatem actiuam scindendi : ignis vero, de se,vt & ipse cõcedit, vim talem non habet contra Angelũ. Præterea, instrumentum præsupponit in principali agente virtutem agendi, calamus namque iste, ad scribendum, vt tanti, instrumentum, assumptus, præsupponit in scriptore, vim, & facultatem scribendi : at ignis, qui est agens principale, nullum de se,facultatẽ possidet ad comburendum spiritũ ex ipso. Rursus, cur potius per ignem, mediante hac qualitate, cruciabitur spiritus, quam per aquam, per aerem, perque corpora alia ? nam,dum ignis de se virtutem hanc non habet, sed per qualitatem illam supernaturalẽ immittitur, æquè bene immitti posset in aquam, in aerem,virtus talis, quæ æquè bene comburerent. Responderet,in moralibus non necessario præsequiri virtutem in agente principali, vt aqua in Baptismo abluit animã, attamen moraliter,veluti Dei instrumentum, non physicè ex natura sua, quæ de se solum corpus physicè abluit : At cõtra,quoniam Scriptura ait, ignẽ vere torquere, esseque vere combustiuum Dæmonum, & animarum, licet non destructiuũ, vnde id erit extorquere Scripturas, & Patres : de aqua autem non dicunt Theologi, vere abluere animam, quatenus corporeũ agens est, sed quatenus à Deo assumitur,& ordinatur ad abluendam spiritualiter animam; de igne vero loquuntur Patres in esse corporeo, propterea enim quærunt, quonam pacto corpus torquere valeat spiritum. Atque hinc consequenter impugnatur quod ait, qualitatem illam esse spiritualem, si namque est spiritualis,ergo non erit verum, ignem corporeum Dæmones cruciare, ergo cruciabit ignis incorporeus,& spiritualis, ergo sufficiet,saltem sola illa qualitas spiritualis,ad comburendum, etenim spiritus comburatur à re spirituali,his autem stantibus,euerent scripturæ,& Patres dicentes, ignem illum esse corporeum, non spiritualẽ, inquit enim Gregor.4.dial.30. *Si Diabolus, eiusque Angeli sunt incorporei, corporeo sunt igne cruciandi : quid mirum, si animæ, antequam recipiant corpora, possint corporea sentire tormenta.* & August.21.de Ciuit. cap.10. *Cur non dicamus, quamuis miris, veris tamen modis, spiritus incorporeos posse pœna corporalis ignis affligi.* Ex quibus liquet,mediante illa qualitate spirituali, non fore corporaliter affligendos, at Patres aiunt,sic esse,ponderando verba &c.

18 Quantum vero ad illam maculam, seu fœditatem,quæritur,à quonam produ- Fœditas, & macula impugnatur.

producitur, sequit. à Deo: item quero, est ne naturalis, an supernaturalis? nō Primum: si Secundum; & est à Deo, ergo malū hoc est physicè à Deo, malum utique, est namq; macula, fœdans, & maculans animā: Item negat esse habitum, quia, inquit, esset habitus prauus, qui non potest esse à Deo: est vero, sub dic, dispositio, & est à Deo: at quæro, nunne ista dispositio mala est? utique: quomodo ergo hæc mala est à Deo, & non habitus prauus, ergo si nō est à Deo habitus talis, nec erit dispositio maculans Angelum, & animam à Deo: quod enim animam fœdat, minimè bonum est, sed essentialiter malū, ergo malitia hæc est effectiuè, immo totaliter, & physicè à Deo: cum tamen macula, & malitia, seu fœditas Dæmonis, & animæ proueniat à peccato: Item quidnam agit macula ista? destruit animæ pulchritudinem: hoc stante, pulchritudo animæ habetur per gratiam, ut constat: turpitudo vero, & fœditas habetur per peccatū: at Deus per te causat talem fœditatem, maculam, & turpitudinem, ergo Deus causat vere, physicè peccatum: & nedum sumptū pro substrato, sed etiā pro formali, nam fœditas, & macula hæc, seu turpitudo capitur ab eo, pro formali, & pro per se significato: Nedum insuper erit à Deo permissiuè, sed vere physicè, & effectiuè, dum inquit, supernaturaliter à Deo produci: Magna quidem suốt, inconuenientia hæc: Præterea, potius maculæ, & fœditatis istius causa erit dicendum peccatum, siquidem ipsum fœdat, maculat, & deturpat animam, ut patet ex Scripturis, ergo non à Deo: Insuper, fœditas ista opponitur pulchritudini, tanquam effectus namque gratiæ est venustas, effectus peccati est fœditas, ergo hinc elicitur oppositio causarum, ut sicut pulchritudinis causa est gratia: ita deformitatis erit peccatū; & sicut venustati opponitur fœditas, ita gratiæ opponatur peccatum: Ex hinc vero deducitur, oppositionem effectus efficient, prouenire à peccato, vnde & causa turpitudinis erit ipsum peccatū; nō igitur in qualitatem illam supernaturalem refundenda erit. Insuper, peccator est ille, qui per peccatum maculat animam: ipsaq; anima fœdatur formaliter demeritoriè per peccatū, nōn est autem Deus; quia potiùs ex parte sua intendit honestare animam, & decorare animam. Item pulchritudo hęc, quā à Dæmone qualitas illa tollit, vel est naturalis, vel supernaturalis: neutrū erit: non Primum, quoniam ex Dyon. in Dæmonibus naturalia remanserunt integra, ergo non ea tollit, nec aliquid ipsorum qualitas illa: nec secundum, quia dona supernaturalia à Dæmonibus, & principaliter gratia, ablata fuerunt per peccatū: quid ergo auferendum remanet per qualitatem illam supernaturalem? Præterea, qualitas illa supernaturalis (quatenus supernaturalis secundum substantiam, quoniam non nisi à Deo produci posset) qualitas, inquam illa, potiùs decoraret, quā deturparet, etenim Fides, Spes, cæteraque supernaturalia secundum substantiam, sunt qualitates, habitusq; condecorantes subiectum, in quo recipiuntur. Occurri posset, qualitatem hanc non esse quidem fœditatem, maculam, & turpitudinē essentialiter, seu intrinsecè, ac formaliter, sed extrinsecè, prout taliter apprehensam à Dęmone. Verum inde sequitur, cruciatum Dæmonum pendere ab opinione, à sola existimatione, ut quia ita eam concipit Dæmon, veluti afflictiuam, fœdantem, contaminantem: at sicut nullus, falsa opinione est beatus, ita & nemo, falsa existimatione erit miser, & cruciatus.

19 Denique, dum aiebat, ignem veluti instrumentum, seu qualitatem illam, esse in potentia obedentiali ad Deum, atq; ita comburere; gratis hoc asserit de combustione, & actione; etenim negat Scotus, potentiam obediētialem dici de potentia actiua, solum vero, dici, ait, de potētia passiua: exemplificat de Natura humana, quæ assūpta fuit à Verbo, in qua assumptione nō se habuit actiuè, sed passiuè; etenim Trinitati competit agere, seu vnire; ipsa vero, veluti in potentia obedientiali passiuè se habuit, dum fuit Verbo vnita, ut habet in 3. d. 1. q. 4. §. *Respondeo.* Esto autem, dici etiam de potentia actiua, nequaquam eleuari poterit ad comburendum spiritum, ea ratione, quia est, seu esset vere agens, est namq; corporeus ille ignis, at corpus physicè

& ma-

& mathematicè, non posset affligere spiritum: nec potest Deus facere quod naturæ repugnat, nisi destruat illam, vnde si Dæmonis naturam destrueret, & de spirituali conuerteret in corporalem, nullo labore affligeret eũ ignis: nequit enim lapis in sensu composito eleuari ad intelligendum: nec spiritus eleuari poterit ad esse album, nigrum, qualem corporaliter, vel quantum mathematicè, nõ enim foret amplius spiritus, sed corpus, ergo nequibit ignis per potentiam obedientialem eleuari, tanquam agens materiale, & mathematicum ad flagellandum, cędendum, & torquendum spiritum, qua spiritum.

ARTICVLVS II.

Explicatur mens D. Bonau. contra Suar.

1 DIuus Bonau. in 4. d. 44. part. 2. art. 3. q. 2. vltra modos plures ab eo impugnatos, proponens tandem suam sententiam sic scribit. *Ad hoc respondent quod dolor generatur in anima ab aliquo, quo concurrunt ex parte animæ, scilicet quantum ex parte cognitionis, & detestatio ex parte affectionis: Similiter duo concurrunt ex parte Agentis: Vnum est, quod immutet animam per receptionem alicuius, aliquod violenter, & inseparabiliter adhæreat contra repugnantiam voluntatis: Ex his quatuor, duo sunt secundum ordinem naturæ; & alia duo, secundum ordinem diuinæ Iustitiæ; quod enim ignis immutet cognitionem animæ, & anima percipiat ardorem, & calorem ignis, hoc est de potentia naturali vtriusque, & hoc patet sic: Cum enim ignis agit in compositum ex anima, & corpore, ibi duplex est passio, vna est naturalis, & hæc est calefactio corporis: alia animalis, & hæc est immutatio sensus: Prima passio est à natura, quia est passio vera ab igne, & vere agente: Secunda est ab anima, seipsam mouente; & ab igne, occasionem præbente, secundum Augus. 6. Mus. Sicut ergo, postquam separatur anima, corpus potest pati ab igne, passione naturali, quia potest calefieri, & inflammari, & hoc per naturalem potentiã vtriusque, sic spiritus pati potest passione animali, ut ab igne præsenti immutari, naturali potentia ignis, & animæ: duo sunt igitur ibi per ordinem naturæ, alia duo per ordinẽ diuinæ Iustitiæ. Quod enim ignis animæ indissolubiliter alligetur, & anima in eo recludatur, vt in carcere diuinæ Iustitiæ est, ad quã spectat malefactores recludere: quod vero anima refugiat ignis calorem, qui per naturam nocere non potest, & trepidat timore vbi timor non est, hoc diuinæ Iustitiæ est, quæ facit trepidare peccatores, immittendo terrorẽ, & horrorem eius rei, quæ per naturam sunt superiores: & quamuis sit illud diuinæ Iustitiæ, hoc tamen non est contra ordinem naturæ, scilicet spiritum trepidare, vbi trepidandum non est: siue spiritum alligari corpori: & hoc est, quod induit Aug. 21. de Ciuit. cap. 10. quod sicut anima in hominis conditionem iungitur corpori, vt dans ei vitam, quamuis illud sit spirituale, hoc corporale, et ex illa coniunctione vehementer concipit ad corpus amorẽ; sic spiritus ligatus igni, vt accipiat ab eo pœnã, ex illa coniunctione vehementer concipit horrorem, ac per hoc dolorem, qui verus est &c.* Retuli sancti Doctoris verba, vt sigillatim legenti patere possit, quam torto sensu explicet eum Suarez, quamque inutiliter laboret in impugnando: Summa vero textus Bonauenturæ est, ignem immittere speciem intelligibilem, sui in Angelum, seu Angelum abstrahere speciẽ à tali obiecto. Item, quod ignis moueat intellectũ Dæmonis, & animæ, hoc est de potentia naturali vtriusque; Insuper, quod includatur, seu alligetur igni, hoc pendet à diuina Iustitia: Cuius etiam iustitiæ est, facere quod anima fugiat calorem ignis: Item igni, per naturam non potest ei nocere: Præterea, trepidat timore, vbi timor non est: Quod vero trepidet vbi non est trepidandum, hoc à diuina pendet Iustitia, quæ facit peccatores trepidare, immittendo terrorem eius rei, qua ipsi spiritus sunt superiores: Rursus, quamuis hoc sit effectus diuinæ Iustitiæ, non tamen est contra ordinem naturæ, scilicet trepidare vbi timor non est, &c.

2 Impugnat vero Suarez, & præmissa primum, vt ait, *Reuerentia grauissimo Patri debita*, vtrumque dictum, inquit, difficile creditu est: Primo autem dicit, nequaquam ignem, sicut & alia materialia imprimere speciem in Angelum, seu animam separatam: ca- Suarez non recipit mentem D. Bonauenturæ.

ret namque Angelus intellectu agente: Anima vero speciem quidem recipit per sensus, dum est coniuncta, separata tamen, nequaquam. Impugnatio, inprimis, hæc gratis assertur, adsunt enim circa id opiniones, vt propria disput. vidimus: ergo nil obstat, quod si is credito existimat difficile dari intellectum agentem in Angelis, & species abstrahere; adsit quoque Scotus cum plurimis, qui id minimè difficile creditu autumant: dum insuper subdit, *Nullo fundamento non posse saltem illustrationem* scilicet, animam separatam recipere posse species ab igne, tantundem decerent Bonauent. & Scotus, de eo, qui tamen, sobriè, & modestè scribentes, non ita obloquuntur de opposita opinione. Subdit Suar. *Quare etc., si ignis immutationem facit in Angelo, longè probabilius dicitur, facere illam, vt instrumentū Dei, vel aliter cogere Angelum, vt semper illa specie vtatur, si aliquā iam habet illam infusam, vt est probabilius.* Ex his dat intelligere Suarez, nequaquam ignem immutare, veluti instrumentum Dei, in sententia Bonauenturæ, hoc tamen est apertè falsum, ait namque, ignem de se nō posse nocere spiritui, sed alligari ad ignem, & trepidare de igne, id effectus est diuinæ Iustitiæ; quæ verba bis affert: quid vero est, ignem non de se, sed ex diuina Iustitia torquere, nisi assumi veluti instrumentum diuinæ vindictæ; si namque de sui natura vel spiritum detineret ligatum, vel torqueret, iam opus non foret addere, detentionē talem, effectum esse diuinæ Iustitiæ: verum, quia idem Bonauent. ait, ignem vere torquere, dum negat, id de se solo facere, dumque combustionem, ait, effectū esse diuinæ Iustitiæ, planè docet, torquere vt instrumentum Dei. Dum insuper probabilius esse, Suarez inquit, dari de tali igne speciem infusam, vt acquisita, & abstracta, sit minus probabilis, an ita sit, vidimus suo loco.

3 Subdit itē impugnando id, quod Seraphicus Doctor dixerat, *Dæmonem timere, & trepidare vbi timor non est:* Hinc vero Suar. infert, de mente Bonauenturæ, timorem Dæmonum non esse verum, sed apparentem, & phantasticum: tale enim videtur elici ex verbis istis. Verum, Suarez leuissimè lapsus fuit in intelligētia Doctoris sancti; debuerat namq; librare mentem eius, nec solis verbis fidere, vt sonant: Iam quidem dixerat Bonauent. ignem non habere naturalem facultatē igniendi spiritum; Hoc supposito, bene infertur, igitur Dæmon non potest timere ignem, *vt sic de sui natura spectatum*, igitur bene ait, *vbi non est timor*, quia ignis de se solo nō causat in spiritu timorem: & patet amplius ex eius mente, quoniam dixit, *Eius rei, quæ per naturam sunt superiores* ostendens, spiritus esse nobiliores igne, minimèq; naturaliter subiacere eius facultati: dum vero subdit, *trepidant timore* hoc ad diuinam Iustitiam refert, inquiens, *Hæc diuina Iustitia est, quæ facit trepidare peccatores, immittendo terrorem &c.* quapropter, dum ait, *Trepidant timore, vbi timor non est*: sensus est: Timor quidem nō est, spectato igne naturaliter, seu vt agens naturale: at trepidant timore, spectato igne, veluti assumpto à diuina Iustitia ad comburendum. Hæc clara sunt penès sanctum, ideoque textum eius huc attuli, vt liceat legenti ponderare quam aliena sit Suarij interpretatio, & inutilis labor: Ergo deducitur, minimè esse de eius sententia, ignē phantasticè, & apparenter solum torquere: cum tamen apertè doceat, vere ignem torquere, inquiens, *Credimus quod pœna illa infernalis sit per veram ignis actionem, non per phantasticam imaginationem.* Et infra, *Ex illa coniunctione vehementer concipit horrorem, ac per hoc, dolorem, qui verus est &c.*

4 Insuper, idem Sanctus inquit; *Non est contra ordinem naturæ, spiritum trepidare vbi trepidandum non est: siue alligari corpori.* Hinc vero Suarez firmatur magis in suo inuēto de opinione Bonauent. inquiendo, *Vtique quia vera talis trepidādi non existit:* sic enim explicat Sanctum; subditque, *Igitur est ille timor de malo tantum apparente, ergo est per phantasticam apprehensionem, & non per realem actionem*. hæc Suarez de Bonau. Falsissima tamen interpretatio, pace sui: quod vero ita sit, ecce mens Bonauenturæ: iam dixerat, ex diuina Iustitia prouenire, quod ignis torqueat, & quod in eo alligati maneāt spiritus: Verū quia obijci posset, ignis

de se

de se facultatem non habet alligandi, & comburendi spiritus, quomodo ergo poterit hoc præstari imperio diuinæ Iustitiæ ? vt torqueat, & timorem immittat in eum præcipuè, cuius suis, & natura minimè igne ipso inferior est? Huic quidē tacitæ obiectioni respondendo, inquit Bonauent. non esse contra ordinem naturæ, spiritum trepidare, detineri, & comburi, quare autem hoc? quia est in potentia obedientiali ad Creatorem : hæc est germana mens eius : dum vero ignis obedit Creatori, non est contra naturam eius affligere spiritum, quatenùs à Deo assumptus ignis ad torquendum: Ex hoc in Bonauentura inter cætera desiderabatur in quæstione illa : omnes namq; penè Scriptores mentionem hic agunt de potentia obedientiali ignis ad Deum vt torqueat, sicut & ipsemet Suares de ea meminit : vt vero, hoc quoque ad quæstionis complementum Bonauentura præstaret, dixit nō esse contra naturam, innuens, quoniā est in tali obedientia ad Deū, vt torquere possit spiritum, quē virtute propria nequit torquere. Hæc de Bonau. Quid vero dicendum de eius sententia habebitur infra.

5 Defessi tandem alij inuestigandi labore, concludunt, quod dum nec ratione, nec reuelatione nobis constat cruciandi modus consultiùs foret fateri, modum esse mirum occultum, & inexplicabilem, iuxta phrasim August. 21. de Ciu, cap. 10. *Cur non dicamus, quamuis miris, veris tamen modis, spiritus posse pœna ignis affligi?* & silentio rem terminant.

ARTICVLVS III.

Proponitur sententia Scoti, declaratur, & comprobatur.

Dæmon detinetur in igne, eiquā in carcere.

1 SCotus in 4. d. 44. q. 2. quem plures sequuntur, ita sententiam suam declarat: ait enim, in primis, Dæmonē detineri in igne tamquam in carcere. Secundò ex tali detentione, voluntatē eius tristari : Detineri ibi in Inferno, in igne, apertè docent Scripturæ, vt Petr. Epist. 2. cap. 2. *Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos, in tartarum tradidit &c.* & Apoc. 20. *Angelus de Cœlo missus apprehendit Draconem, & Serpentem antiquum, qui est Diabolus, & Sathanas, & ligauit illū per annos mille, & misit eum in abyssū, et clausit &c.* ac Cyprian. ad Demetriād. *Manet postmodum carcer æternus, & iugis flamma, & pœna perpetua.* pluraque infra.

2 Qualis vero sit detentio ista, explicat. Non esse ex naturali facultate ignis, veluti locantis, ideoque disconuenientis; ratio, quoniam nullum corpus, est spiritui conueniēs, siue disconueniens de se; quia docuit, vt & nos supra disp. propria, tradidimus, Angelū esse in potentia neutra ad locum; non enim in eo prædominatur Elementum aliquod, iuxta cuius naturam, inclinetur, vel ad deorsūm, vt lapis ad centrū terræ; vel sursum, vt corpus leue: ergo Infernus, seù ignis, in ratione locantis, nulla in eum, conuenientiā habet, vel disconuenientiam, & viceuersa, naturaliter. Idemque dicendum de Angelo bono, prout exemplificat de Michaele, qui si à Deo alligaretur perpetuo alicui loco, nō tamen inde tristaretur &c. — Detentio ignis de Dęmone qualisnam.

3 Quod si disconuenientiam non habet, ex sui natura, ad Infernum, ad ignem, in ratione locantis naturaliter diffinitiuè, vnde ergo tantopere tristatur, detentus in eo? Hoc pertinet ad Secundum, quod proposuimus : vnde, inquit : Dæmon de sui natura, quia liber est, vti quoq; vellet propria libertate ad libitum : Habet insuper potentiam motiuam, eamque expeditam, & celerem : hoc stante, vti vellet motiua potentia ad sui nutum, qua seipsum transferret quocunque liberet: verum quia à diuina Iustitia impeditur ei talis vsus, & igni, Infernoque alligatur, hinc tristantur: sequitur hoc ex descriptione tristitiæ, quæ est *de ijs, quæ nobis nolentibus accidunt*, cum autem sic alligari, impediri etiam suæ libertatis vsū ad se transferendum alio, sit totum hoc contra propriam voluntatem, hinc tristatur. — Dęmō quia impeditur vsu libertatis ad eundū quo vellet, tristatur

4 Adhuc ad talem tristitiam duo concurrunt, ex parte quidem intellectus, & ex parte voluntatis : Intellectus namq; primo apprehendit, Deum velle eius peccatū punire : Insuper punitu-

di medium esse ignem, & carcerem: at quia eius voluntas refugit pœnam, nostras eam refugit, media & instrumenta pœnalia, abhorrens, & detestans ea, quia insuper euadere nõ potest de manu Omnipotentis Dei, hinc tristatur: Ergo apprehensio ignis, & carceris, sub ratione noliti, contristat eum, sicque tristatur. Sunt item, omnia hæc contra proprium commodum, quod esset, nolle puniri, nolle motiuam facultatẽ detrudi, & alligari, ergo hinc tristatur. *Tremenet autem superbia*, inquit Scot. *propter quam appetit vti propria potestate: Consumit inuidia, propter quã nunquam vellet determinate esse, propter sententiam, & actionem diuinam: istud nolle præcedit detentio, & apprehẽsio detentionis: isto autem nolle, licet moraliter posito in voluntate eius, sequitur apprehensio certa de euentu istius noliti, & ex hoc sequitur tristitia.*

Michael si in igne collocaretur, non tristaretur.

5 *Sed* obstatur circa illud de Michaele, dixit namq; Scotus, si Michael loco alicui à Deo alligaretur perpetuo, idque apprehenderet intellectu, nõ tristaretur, ergo nec Dæmon tristabitur, dum alligationem suam ad ignem, seù ad Infernũ, apprehendit. Respond. ideo tristari Dæmonem, quia contra voluntatẽ suam detinetur ibi, Michael autem, si casus contingeret, nequaquam contra voluntatem propriam esset ibi, sed voluntarié, tum acceptando diuinum decretum, tùm conformando se diuinæ voluntati: vnde ad Dæmonum tristitiam non sufficit apprehendere, sed requiritur amplius, scilicet, apprehensum ab intellectu, refugi à nolente voluntate, contradicente, renuente, reluctante &c. quod non contingeret in Michaele.

Intellectus, & voluntatis Dæmonis pœna.

6 Redeundo autẽ ad intellectũ, determinatur Primo intellectus ad perpetuo, & inter se (iuxta tamen gradus demeritorũ) considerandum illũ ignem: Secundo apprehẽdit hanc determinationem sibi factam in ordine ad talem considerationem: Tertio, odio habet determinationem illam; Adde, & considerationem: Odium vero illud oritur ex affectione cõmodi, qua vellet, considerare posse quodcunque obiectum, præcipué delectabile: eleuatur in superbia, qua nollet subesse Deo, imperio eius, ac sententiæ de cruciando ipsum sic, & sic: vel etiam quia appetijt Lucifer æqualis esse Deo; at hoc de ipso solo: cæterum, cùm alij nequaquã subesse vellent Deo, vt iudiciũ, & punitiuam sententiam euaderent: Insurgit inuidia, qua mediante inuident alterius bono, est enim *Inuidia dolor de bono alterius*. Sicque nollent, Sanctos Angelos facultate, & libertate vti, qua ipsi priuantur: sicc ipsimet Deo inuident, dolendo de eius potestate, & imperio supra nos: Radix vero istorum est inclinatio ad proprium commodũ, siue inordinatus amor sui, seù amor concupiscẽtiæ, quo refugit incommoda, pœnam, & cruciatum. Sunt ergo in eis tria, Superbia, Inuidia, & affectio proprij commodi: & hæc faciunt, vt nolint ibi detineri, ac subesse diuinæ Iustitiæ: at quia non euenit quod desiderant, sed potiùs id, quod maximopere oderunt, hinc tristantur.

7 Amplius vero explicandum hoc est, quærendo, quonam modo ignis detineat spiritũ, & animam, an effectiué, an aliter. Respondet Scot. detinere in loco aliquo aliquem, euenire posse vel effectiué, vel formaliter: Primo modo fit per actionem de genere actionis, collocando, seù intrudendo, quidquam in tali loco, prout carceris custos collocat, atque intrudit delinquentem in suo carcere. Secundo modo contingit non quidem per actionem talem, sed per respectũ extrinsecus aduenientem loci ad locatum, seù vbi ad vbicatum: qua in re locus talis, dicitur, tùm positiué locare, quatenus continẽs, seù circundans, & circumstans, locatum; tùm negatiué etiam, impediendo exitum, quales sunt parietes, fenestræ, foresque clausæ &c. & vt sic, carcer dicitur detinere reum, formaliter. Applicando autem ad spiritus, Deus est, qui effectiué detinet ibi spiritum: siue posset quoque Superior Dæmonem sic, potestate sua maiori intrudere inferiorem Dæmonem, habendo actionem talem intrusiuam super eum: vt sic vero non agit ignis, nec locus vllus in spiritum, patet ex dictis, nullam enim actionem talem, physicam habet de se corpus in spiritum: nec positiuam quidem, imo nec negatiuam v. g. impediendo, etenim,

Locus detinet formaliter: locans effectiué.

Locus qualiter detinet spiritum.

nim, clausis quoque ieris, fenestrisque, poterit parietes penetrare, indeq; exire: ergo Deus est, qui effectiuè detinet ibi: quam actionem committere quoque poterit Angelo alteri, vt Dæmonē alliget, & intrudat, prout de Apocal. fuit dictum, quod *Angelus de Cœlo missus apprehendit Draconem, & Serpentē antiquum, qui est Diabolus, & ligauit illum, & misit in Abyssum, & clausit.* Loquēdo vero de detinere formaliter, detinet sic formaliter, ignis spiritus, & animas: quid vero sit hoc, est spiritus in igne, seu loco pœnali esse definitiuè, itaut inter eos insurgat relatio præsentialitatis vnius ad alterum dumq; sunt simul coniuncti, insurgit inter eosdem relatio locantis ad locatū, quibus concluditur, ignem sic formaliter detinere, & continere spiritum. Et proinde Deus dicitur spiritum ibi locare effectiuè: ignis vero locare formaliter: sicut etiam quandocunque idem spiritus loco alicui se applicat, dicitur ipsemet spiritus locare se effectiuè, locū vero locare ipsum formaliter. Verum quia talis detentio, cum impedimento vlius potentiæ motiuæ, est contra voluntatem Angeli, hinc tristatur. Non esse autem impossibilem talem detentionem, apertè docent Patres, nam Gregor. 4. dial. cap. 30. *Si viuentis hominis spiritus incorporeus tenetur in corpore, cur nō post mortem, incorporeus spiritus corporeo igne non detineatur?* & Aug. de Ciu. 21. cap. 10. *Si spiritus hominum profecto incorporei, & nunc potuerunt includi corporalibus membris; & tunc poterunt corporum suorum vinculis insolubiliter alligari.* Et Cyprian. ad Demetr. *Manet postmodum carcer æternus, & iugis flamma &c.* prout etiam patuit ex Apocalypsi. At quia è tali carcere exire vellent, siue ex igne, & non possūt, hinc tristitia; vnde Bernardus hinc etiam eorū colligit pœnam: inquiens, *Quid tam pœnale, quam semper velle, quod nunquam erit, & semper nolle, quod nunquam non erit?* Et hinc, Dæmon ille, penes Luc. 8. aiebat Christo Domino, *Venisti ante tempus torquere nos.* Matt. 8. & insuper Lucas ait, quod rogabat Christum, inquiens, *Obsecro te, ne me torqueas.* Erat autem legio illa, de qua idem refert, quod *Rogabāt illum, ne imperaret illis, vt abirent in Infernum*: timebant enim detrudi in carcere Inferni ante tempus vniuersalis Iudicij: de qua re diximus hac eadem disp. q. 1. Exemplo rem illustremus, solent plerique odisse longius viuere in hoc mundo, ob quod vellēt mori: at quia fraudari solēt, pro tunc, tali desiderio, hinc tristantur: odisse autem euenit diu viuere, sæpissimè propter incommoda, ærumnas, & afflictiones præsentis vitæ, gratia cuius, oderunt inde propter eam corpus, in quo, veluti carcere quodam, inclusa anima cōmoratur: taliter se gerunt Dæmones, odio habēte Infernū, & ignē, e quibus solui, & egredi cupiūt.

Deus detinet effectiuè Dæmonem in loco

Ignis detinet Dæmonem formaliter localiter.

Tristantur Dæmones ex detentione in igne.

8 Rursus aliundè quoque explicatur intentum: siquidem tristitia eorū oritur, nedum ab igne in ratione detinentis, veluti in carcere; verum & in ratione obiecti immutantis: In quo autem consistat immutatio hæc, ecce, intellectus Dæmonis determinatur à Deo ad perpetuo, & intense considerando ignem illum: inde apprehendit talem determinationem: postmodum, odio habet istam: cuius odij fundamētum cōsimiliter est affectio commodi, qua vult, considerare posse quodcunq; aliud obiectum, quiescere in obiecto delectabili, & auerti à tristabili: at quia hæc eis non contingunt, hinc tristantur de adempta libertate voluntatis, qua imperare vellet intellectui percurrere intellectualiter de obiecto ib obiectum, pro libito.

Ignis cōtristat etiam obiectiuè.

Dæmones vellent feré per cogitare de igne.

9 Est vero modus iste dissimilis aliqualiter à primo: et quidem differunt, quandoquidem circa detentionem suæ Essentiæ in igne, ignis non detinet Dæmonem effectiuè, vt diximus: at circa eiusdem perpetuam considerationem, ignis detinet effectiuè in ratione obiecti, quia, vt aiebat D. Bonau. ignis mouet ipsū ad sui intelligentiam, immittendo speciem intelligibilem: Verum est tamen, quod in genere hoc, non est ignis causa totalis, nec magis principalis, prob. siquidem Angelus posset se eximere à consideratione eius quotcunque, & quantascunque species intentionales in eius intellectum immitteret, sed Deus erit Agens principale, detinens, ignis vero, minus principale, & instrumentale. Esto exemplū, sicut

intel-

intellectus agens, & phantasma se habent ad mouendum intellectum possibilem in nobis, ita in proposito, Deus similem modū habet intellectus agentis, & ignis modum phantasmatis esset autem omnino simile, si vterque intellectus esset agens liberum: tunc autem intellectus agens determinaret possibilem ad considerandū tale phantasma, quod si intellectus possibilis esset liber, tristaretur de tali obiectiuali detentione, vellet namque se extendere ad alia, vel quiescere in delectabilibus, & non posset. Differunt item prædicti modi, siquidem magis edit Angelus detentionem intentionalem intelligentiæ, & considerationis ignis, quam odio habeat detentionē localem: Ratio, quoniam etsi in eo sit perfectio vtriusque potentiæ intellectiuæ, & motiuæ, nihilominus perfectior est illa: ideoq; magis appetit expeditum vsum illius, quā istius, sicque, dum vtriusque, ad sui libitum, vsu priuatur, tristatur magis de illa, quam de ista: Nec mirum, quia Aristoteles etiam cognouit prædominium, & eminentiā illius supra istam, ob quod Angelos nominauit Intelligētias, desumere autem denominationē poterat à potentia motiua, & appellare Motrices, quia tamē illam existimauit excellentiorem, inde sumpsit denominationē, appellando Intelligentias: & ob id, magis tristantur, dum priuantur libero vsu intelligentiæ, quam magis appetunt.

Dæmones, etsi delectabilia concipiant, non tamē Deus sinit capere inde oblectamenta.

10 Verum nō ob hoc totaliter præpediuntur, quin & obiecta alia considerare possint, possunt enim, attamen non ob id, auerti vel in momento possunt à iugi cōsideratione ignis, ac propriæ miseriæ, in qua sunt: Itē & obiecta cætera nec poterunt perfectè considerare, non enim possunt æquè bene plura fieri: & insuper, etsi obiectum aliquod delectabile concipiant, nihilominus, ex diuina Iustitia, vel nō permittuntur ibi sisti, vel nullā inde consolationem capiunt, nec oblectationē desumunt.

Animæ Purgatorij cōtristētur de igne.

11 Hucusque de Dæmonibus, & animabus damnatis: Quid tamen dicendum de animabus Purgatorij? ipsæ quoque detinentur formalitèr per essentiam in igne: ipsæq; detinentur in consideratione ignis, vt sic, veluti instrumenti punitionis; Vnde petitur, vtrum tristentur: si negas, ergo neque tristabantur Dæmones, est enim par ratio de igne vtrobique: si affirmes, quomodo id esse poterit, dum namque sunt in gratia, nec poterūt amplius peccare, dumque diuinæ conformes sunt voluntati, quonam pacto tristabuntur, alias discreparent à Dei decreto, statuente, illas ibi torqueri. Respondetur de facili, considerando in ipsis appetitum naturalem, & appetitum elicitum: loquendo de elicito, vtique conformantur diuinæ voluntati, appetendo, & libentèr perferendo quidquid Deus decreuerit: loquendo de naturali, vt sic adest tristitia, portio namque inferior, & affectio commodi refugio naturalitèr incommoda, & tristabilia. Item loquendo etiam de elicito, tristari possunt, quatenùs dolent de peccatis commissis in via, & de offensa Dei: seū dolent de ipsis, quatenus causa fuerunt punitionis, afflictionis, & huiusmodi. Disputat etiā de hoc Bonau. in 4. d. 20. art. 3. quæst. 3.

ARTICVLVS IV.

Occurritur obiectionibus in oppositum.

1 OBstatur autem in primis aduertis, quæ diximus de alligatione intellectus Dæmonis in cogitādo semper de igne: contra quod arguit Suar. *Naturalia in Dæmonibus remanserūt integra* ex Dionys. ergo remanet adhuc, quātumuis alligatus igni, angelicus intellectus integer, & libera volūtas eius, ad imperandū intellectui, vt cogitet de quibuscunque ei libuerit. Item expeditissimus est angelicus intellectus ad intelligendum, vt loquendo de Angeli intellectu, ex Patribus tradidimus. Insuper, quamuis detineatur in consideratione ignis, nihilominus non adhuc exhausta est tota facultas intellectiua, quin valeat cætera intelligere. Confirmatur, siquidem de facto plura cognoscunt, pluribusq; intendunt, præcipuè vero in tentandis hominibus, ac torquendis animas damnatas.

2 Respondetur, remāsisse quidem integra Dæmonum naturalia, ac nihilomi-

Naturalia in Dæmonibus remanserunt integra, declar.

sominus in pluribus impedita: multa namque possent circa, & contra homines à quibus tamen exequendis impedit eos Deus: Possunt siquidem cogitationem cordium penetrare: potuerunt cognoscere integritatem Beatissimæ Virginis: possuntq; mala plurima aduersus Orbem moliri, integra iam remanente ipsorum facultate cognitiua, & motiua, à quibus tamen terret, & impedit eos Deus: Illud de perscrutatione cordium, & integritatis Virginis tradidimus iam agendo de his quæstionibus proprijs Disput. de Intellectu angelico. Confirmatur ex eodem Dionys. 4. de diuin. Nomin. dicente, *Mali dicuntur, quod circa naturalem operationem infirmentur*: Ecce impedimentũ. Rationemq; afferens, subdit, *Auersio est illis malum, quod exciderint, positiq; non sint naturalibus bonis*, ecce quomodo potiri impediuntur naturalibus. Ergo licet integra remanserint quoad actum primũ, præpedita tamen in plurimis, licet nõ in omnibus, quoad actum secundum. Ita etiam respond. ad alia.

Dæmones an, & qualiter alia considerare.

3 Respondetur quoque tum ad id, tum ad singula capita: Dæmonis intellectum intelligere vtique & plura alia, attamen non ita perfectè, sicut intelligeret, nisi esset eius intellectus alligatus igni; non enim ad tanta potest, ita, & æquè perfectè, virtus finita, valdè namque detrahit ignis intensa cogitatio à perfecta cæterorum conceptione. Rursus, cogitat de plurimis, at non ita intensè, sicut de igne, sicut namque Beati de re nulla, ita intensè cogitant, sicut de eorum felicitate, & beatitudine, ita & Dæmones de nulla re ita intensè considerant, sicut de sua ipsorum summa miseria. Insuper, de obiectis, etiam oblectabilibus cogitant, præcipuè qui ob segnis intendunt, quales sũt Dæmones succubi, & incubi, de quibus supra, attamen nequaquam inde sumere sinuntur oblectationẽ: sicut & cogitant vindictam sumere de hominibus, siue tentando, & vincendo; siue de eorum casu gaudendo, eosque in Inferno cruciando, nihilominus impedit Deus resultantiam gaudij, & oblectamenti ex tali victoria parta, ex cruciatu hominũ, & huiusmodi, prout propr. quæst. tradidimus disput. 10. q. vlt. Præterea, possunt & alia cogitare, talis tamen cogitatio non eos distrahit à iugi cõsideratione ignis. Item nec minuit in tantillo. Fallitur autem Suarez, & cum eo plerique, putantes, negare Scotum, posse Dæmones, & alia cogitare, loquitur enim ad sensus allatos.

4 Obstatur, ex tali positione detentionis in igne: & cõsiderationis ignis, sequitur, damnatos omnes fore in sua damnatione æquales, patet, siquidem omnes nolunt ignem, cupiuntq; eximi è tali detentione, & consideratione, id vero est contra August. 21. de Ciuit. cap. 16. dicentem, *Nequaquam negandum est, ipsum æternum ignem alijs leuiorem, alijs futurum esse grauiorem.* Resp. nequaquam cunctorum damnationem fore hinc æqualem, etenim etsi omnes nolint id, nihilominus vnus non vult intensiùs, & remissius altero, iuxta qualitatem, & quantitatem demeritorum; aliundè tamen stare æqualitatem pœna, penès æternitatem, & huiusmodi.

5 Obstatur, consideratio creaturarum affert potiùs oblectationẽ, quam tristitiam Angelo consideranti, eorum namque Angelorum munus est intelligere, ob quod ab Aristotele appellantur *Intelligentia*; non ergo consideratio ignis causabit tristitiam. Respond. actus ille considerandi si ex se solo, & obiecto spectetur, afferret vtique oblectationem, vt probatur: attamen, quia consideratio illa spectatur vt nolita, hinc insurgit tristitia: nollent enim alligari ad talem perpetuum considerationem, & sub tali modo.

Consideratio creaturarum an oblectamentum afferat Dæmoni.

6 Hinc occurrit dubitatio, vtrum tristitia, & gaudium oriatur ex obiecto; oriri vtique, ait Scotus: At cõtra, Elias cogitabat de morte, inquiẽs, *Tolle tolle hanc animam*. Et Dauid, *Educ de custodia animam meam*. qui tamen non tristabantur. Item Michael apprehendit ignem Inferni, nec tamen tristatur, ergo. Respond. Primo, ignem, seu quodcunque obiectum, de se solo, nec causam esse tristitiæ, nec oblectamenti, nisi remotè: patet, quia Michaeli ignis nõ affert tristitiam, affert tamen Lucifero: si namque de se solo affert tristitiã, ergo Michael tristatur: si de se non affert eã, ergo nec Lucifer tristatur. Similiter

Tristitia, & gaudium an oriantur ex obiecto.

mors,

nam si de se tristitiam affert, cur igitur tantopere affectant eam beati? de Apostolis enim habetur, quod *Ibant gaudentes à Conspectu Concilij*. de Agolliis *ibat [illegible] ad martyrium*, de Agatha *[illegible] ad [illegible] invitata* cum ibat ad carcerem. de Andrea dicente, *ô bona Crux tam diu desiderata & iam concupiscenti animo praeparata*: denique Seraphico Francisco, *Tam magnum est bonum quod expecto, quod omnis amaritudo mihi [illegible]*. Sicut & de obiecto delectabili, vt Thesaurus, [illegible] possidenti namque oblectamentum pariunt; non habenti vero, & [illegible], cruciatum pariunt. Ex his igitur [illegible] obiecta, sive delectabilia, sive tristabilia, ex se radicaliter, & [illegible] huiusmodi passionum oblectamenti, & tristitiae; Caeterum formaliter, & proxime, causam esse volitionem, seu nolitionem: & ita [illegible] obiectum tristabile est, radicaliter, attamen quatenus concupitum, & amatum, obiectum erit gaudii, & ita Apostoli ad mortem [illegible]: quatenus vero odio habita, tristitiam affert & dolorem. Idem docet Scotus ad Prim. princip. inquiens de igne, *In causando tristitiam ignis est principale agens, sed volitas valens obiectum; magis enim ex hoc, quod obiectum est volitum, sequitur tristitia, quam ex ratione obiecti in se*. Hinc constat, quantum de Scoto sapiat, vel sobrie de eodem loquatur Bannes, qui 1. par. q. 64. art. 3. dub. 4. § *Tandem ultima sententia*. ita scribit, *Praesupposuit Scotus, dolorem voluntatis non effici ab ipsa voluntate, sed ab obiecto apprehenso; ut malum, & nocivum, voluntati [illegible]: quae sententia est omnino falsa, & quod dolor [illegible] à voluntate elicitus; quare, explosa hac expositione, ut impertinenti, & non satis explicante &c.* Ipse quidem Bannes nō satis percipit mentem Scoti [illegible] enim Scotus, obiectum non de se solo, sed vt nolitum, causare tristitiā quo casu concurrit voluntas, vt principale agens, inquit Scot. una cum obiecto, quo loco eadem voluntas se habet active, producendo actum volitionis. Circa vero tristitiam, verum sit actio, an passio, primum aiunt Thomistae, secundum Scotistae: Quod vero ipse dicat, sententiam hanc esse falsam, atque ipse non probavit, nec probando devicit: cum vero sub iudice lis est, non est pars altera damnanda, donec terminetur iudicium. Verum quia ipse velut iudicis personam gerens, inquit ipse, inquiens *Scoti sententia est falsa, & impertinens*: Scotistae inde appellantes, respondebunt, tantundem dici posse de sua, atque modestia non decuit.

7 Redeundo autem ad pristina, iterum obstabit, apprehensio prima ignis, utique delectabilis est. ergo, saltem pro tunc afferet oblectamentum Daemonibus; Probatur consequentia; prius namque natura apprehenditur ignis in se, & posterius odio habetur, indeque concipitur, ut instrumentum vindictae, ergo, dum tristitiam causat in secundo, vel tertio instanti, tamen non causabit eam in primo. Resp. omnia haec, unico fieri temporis instanti, licet diversis naturae. Respondetur ergo, esse adeo magnam, & intensam tristitiam habitam in secundo instanti naturae, ut omnino excludat gaudium in illo antecedentis. Dices, prius natura est ignis causativus oblectationis, vel saltem non tristitiae; ergo in illo priori aderit oblectatio. Resp. quod licet haec habeant esse ordinate, ordine naturae, nihilominus sunt simul realiter in eodem instanti temporis: stante autem hac simultate, cum posterius natura est vehemens, & efficax, impedit à sua operatione primum: sicque tristitia impedit oblectationem, quae antecedenter oriri posset. Verum mens non quiescit, si namque vere praecedit in signo naturae talis apprehensio, ergo pro tunc, antecedenter ad posterius, delectabitur. Dices, esset parva delectatio, durans solo instanti naturae: Contra, quia hinc apponis delectationem, quantacunque sit in tormento Daemonum, quod adversatur omnibus. Dicere insuper, quod posterius impediat, utique impedit pro quanto advenit tale posterius, non autem pro quando nondum est, non est autem in primo signo naturae illa vehemens tristitia, ergo nō potest impedire. Ideo resp. si illud prius esset prius tempore, vel instanti temporis, utique oblectari posset pro tunc: at quia est solum prius natura, non temporis; & ambo instantia sunt simul tempore,

nusquam

nusquam dicetur à parte rei, carere aliquando tristitia. Quod si demum protervias, concludendum erit, dato, quod oblectatio posset euenire, Deus tamen impediret.

8 Obstatur. In potestate Dæmonum est nolle, vel non nolle sic detineri, & cogitare; igitur nolendo cogitare, non tristabitur. Resp. negando assumptum: De hoc autem, sicut & aduersum Vasquij impostutam, egimus supra hac eadem disput. q. 2.

Agens præstantius passo; declar.

9 Arguitur item: Agens est præstantius passo: ex August. 12. de Gen. cap. 29. corpus autem non est præstantius spiritu, ergo ignis nequit agere in Dæmones. Secundo, ex eod. ibid. *Ea, quibus animæ afficiuntur, non sunt corporalia, sed corporibus similia*. ergo non afficiuntur siue Dæmones, siue animæ pœna corporea, & igne corporeo. Tertio, 1. de gener. t. 44. corpus non agit, nisi per contactum; corpus vero non potest tangere spiritum. Prob. illa tangunt se, quorum vltima sunt simul, spiritus autem non habet vltimum, nempè superficiem, quia non est corpus: Confirmatur, agens, & passum debent esse simul: spiritus autē non potest esse simul cum corpore, quoniam non est in loco, vt corpus. Quarto, agens intendit sibi assimilare passum: corpus autem non potest assimilare sibi spiritum, alias spiritus esset capax formæ alicuius corporeæ, cuius gratia fieret assimilatio. Quinto, Agens principale, & instrumentum debent esse in eodē supposito, Deus autem, & ignis distinguuntur suppositaliter. Sexto, si ignis se habet veluti instrumentum diuinæ Iustitiæ, & vt sic cruciat, quatenus ordinatus à Deo ad torquendū; pariformitèr assumere posset Deus Terram, Aquam, Aerem, pluraq; alia corpora, quę quidem pariformitèr, velut Dei instrumenta, cruciarent.

10 Ad Primum, verum de Agente æquiuoco totali, talis est Deus: ignis autem est æquiuocum partiale. Item verum de Agente principali, non autē instrumentali, ignis enim est instrumētum, non principale agens.

Ea, quibus animæ afficiuntur, nō sunt corporalia, declaratur,

11 Ad Secundū, intelligitur de iis, quæ spiritum afficiunt immediatè, veluti sunt species intelligibiles, & intellectiones, ac huiusmodi, ad quas causandas concurrunt quoq; obiecta corporalia, immittēdo species, & concausando partialitèr per species cognitionem non vero de ijs, quæ mediatè se habent, qualia sunt eadem corporalia obiecta, quæ agunt in spiritum, & in animam separatam mediante specie intelligibili: Species quidem sunt similitudines obiectorum corporalium, & sunt entia intentionalia, informantia animam, non enim lapis est in intellectu, inquit Philos. sed species lapidis: & ita ignis remanet vt sit verum agens corporale.

Corpus nō agit nisi per contactum declaratur;

12 Ad Tertiū, illud Aristotelis valet in corporibus, in quibus, quantitas ratio est, qua inuicem se contingant mathematicè: quo etiam modo sunt in loco commēsuratiuè, quorumq́ superficies, seù vltima ipsorum, vt Aristoteles loquitur, sunt simul: Cæterum deficiente in spiritibus quantitate, & & contactu mathematico, adest mutua præsētialitas ipsorum ad ignem, & vice versa, qua mediante, simul vultæ, simul coexistunt inter se: ergo adest contactus vnionis, & mutuæ coexistētiæ. Item adest contactus virtualis, quatenùs spiritus existens ibi, recipere potest effectum virtutis, & facultatis ignis, à Deo destinati ad torquendos spiritus.

13 Ad Quartum, in primis valet de Agente vniuoco: Secundo, æquiuocū agens, etiam assimilat, at suo modo, & eo modo, quo potest: hinc ignis calefaciendo manum, assimilat sibi manū in caliditate. sicq; de plurimis: & hoc, loquendo de agente, quod agit per formam actualitèr existentem in eo, vt ignis, qui formalitèr est calidus: de eo autem, quod non est formalitèr tale, sed virtualitèr: sicque idem ignis, qui non est formalitèr obiectum tristabile, sed virtualitèr, assimilat sibi passum combustibile ab ipso; passum namque erit quidē ex combustione contristatum formalitèr, ignis tamē in se subiectum tristitiæ esse non poterit, tristari namque competit sensatis, non insensatis; sed qua ratione est obiectum nociuum, ea ratione contristando spiritū, dicitur in genere contristationis assimilare sibi passum: sicque Astra, licet

Agēs assimilat sibi passum, declar.

calida, frigida, & huiusmodi alterius qualitatis, formaliter, talia non sint, nihilominus immittẽdo influxus assimilitant quoquo modo passum; ob quod inter Iouem & Aerem; inter Saturnũ, & Terram, datur aliunc predominium vnius super alterum, atque qualitates easdem possidere Elementa, quas astra immittunt: quin, & in Montanis Sannitium nascuntur lapilli, quos, Stellatos appellant, in quibus, vndique, intus, & extra, Stellæ, veluti ab Artifice impressæ, melius dicam, congenitæ astrorum virtute, apparẽt. Item propositio currit de Agente principali. Insuper de instrumentali, at suo modo: Dices, Scotus negat de instrumentali, explica, non est intentum eius absolutè negare, sed loquitur de assimilatione simplice, & de assimilatione principali, nõ autem secundum quid, & imperfectè, ac minus principaliter: siue negat de assimilatione formali, non autem virtuali, calamus namque iste quam quæro similitudinẽ sui imprimit in papyrũ nulla sanè apparet: vnde si loquamur de similitudine formali, planè nulla est, vt constat; loquẽdo tamen de virtuali, adest; dum namque temperiem habet, siue adaptationẽ ad efformandos characteres, eosque sic, vel sic; ecce, non aliter formati hic apparent; ergo tales è calamo prodierunt, qualis erat calami idoneitas ad eos formandos: quod autẽ ita sit, nequeunt vtiq; characteres hi formari à securi, ab ascia, ab huiusmodi: Dices, negat Scotus in 4 d. 1. q. 1. Instrumenta Artis habere actiuitatem de se, sed ab Agente principali non recipere nisi motionem. Resp. vtique ita est, at non negat Scotus, instrumentum debere habere, ac temperamentum conueniens suo ministerio afferq; exemplum de Serra, in qua necessario incidendi sunt dentes, alias non secarent: hoc ergo non negat, sed solum habere virtutem de se ad opus: quatenus vero instrumenta concurrunt, suo etiam modo dicitur, licet minus principaliter, minusq; perfectè, assimilare sibi opus: vnde dici solet, Artifex v.g. ad opus hoc, vsus fuit talibus optimis, vel minus aptis, siue ineptis instrumentis: fuit opus tale fabrefactum, tali quidem instrumentorum genere, non alio: Insuper, dum opus tale formatum fuit mediante instrumẽto hoc, nonne idoneitas instrumenti concurrit ad id, sic, vel sic formandum, politius v. g. seu minus perpolitè? quod si idoneitas instrumenti, (qualiscumque sit) impensa fuit in formatione operis, quomodo non dicetur opus, quodammodo assimilari suo instrumento, ea quidẽ ex parte, quæ pertinet ad instrumentum? Ensis idoneitatem habet, seu attemperamentum ad feriendum, transuerberandum; vtatur autem eo quis, & occidat, nonne dicetur gladio quidem vulneratus interijt: alter vero, sclopo, tormento bellico obijt: alter pugione: alter illa aquis præfocatus; alter tandem veneno, vnde David de gladio Goliæ aiebat, *Non est huic similis*, & Iacob, *Fera bestia* [illegible] *filium*. Concludendum ergo, omne agens assimilare sibi passum, tùm principale, tùm instrumentale, suo tamen modo, reddendo singula singulis. Specialius vero considerando mentem Scoti negantis de instrumentali, dicendum est, ibi, in fine huius quæstionis, in secunda solutione, considerare ignem ex sui natura, quo supposito, nequaquam ignis assimilabit sibi spiritum, quoniam de se virtutem nõ habet agendi in eum; quo stante, assimilatio veniet à Deo, qui est Agens principale: Cæterum spectando eundem ignem, veluti instrumentũ diuinæ Iustitiæ, ordinatum à Deo, non negabit Scotus, vt sic assimilare sibi passum: Ex Epulo in Inferno de igne clamat, *Crucior in hac flamma*: Curque so non ait, frigesco in hac flamma? ratio, quia effectus flammæ talis est, cruciare igniendo, non frigefaciẽdo, ergo flamma & ignis, ignitũ, & inflammatum reddebat Epulonem, in hoc autẽ stat assimilatio, siquidem inter ignientem, & ignitum consurgit relatio, eaq; etiã similitudinis, est vero impropria.

14 Ad Quintum non est necesse esse simul in eodẽ supposito, siue esse eiusdem suppositi, patet de Fabro, & ascia, quæ differunt suppositis: Sufficit vero esse simul vnita, & coniuncta. Locum vero habere posset in instrumẽtis Naturæ, etenim Intellectus, Voluntas, oculi, cæteriq; sensus, sunt instrumenta totius

Instrumentum an debeat esse in eodem supposito cum principali Agente.

tius

tius hominis, quæ omnia vnico claudontur supposito tali.

13 Ad vltimum, potuisset, & posset Deus ita facere: quare autem non facit, fortè quia, dum humanum Tribunal solet per ignem quandoq; torquere pro grauitate criminũ, etenim grauissimis criminibus, putat hæreticalibus, ignem infligit, ipseq; Deus igne perierit Sodomam, & Gomorrham; vt
Quare igne torquet Dæmones.
quia ignis sit actiuior cunctis, omnibusq; tormentis præstet, à quo magis, quam ab alio vnusquisque refugit: Vt quia ergo existimatur tormentum grauissimum, eoque magis, quo intensius, & diuturniùs: hinc volens acerrimè punire Deus rebelles, & apostatas Dæmones, sicut & obstinatas animas, & inde ipsarum corpora, ignem elegit: taliter, quod considerantes Dæmones, ignem adhiberi veluti maximum tormentum in humana politica, concipiant ipsi, eundem à Deo adhiberi, ad ipsos, prælato, siue præfatis modis, cruciandos: Cætera vero tormenta comparatione ad ignem, minora vtiq; sunt. Sicut quoque de frigore in supplicium Iob ait, *Transibunt ab aquis niuium ad calorem nimium*, quod insuper erit tormentum maximum. Ergo existimantes, se fore pœna tali puniendos, quæ est maxima, ea quidem puniuntur; At ad phrasim istam, quatenus supra impugnatam addenda est positio, & cætera sententiæ præcedentis, ita quoque, quia in politicis carcer diuturnus, fœtidus, & tenebrosus quam maximè affligit; hanc apprehendentes hæc sunt sibi ipsis pœnæ: & quia delinquentes carceri destinantur, cum priuatione facultatis exeundi, & pergendi quo libuerit eidem carceri, obscuriori, fœtidiori, ac profundiori emancipantur Dæmones, vt ita torqueantur. Item, quamuis fœtores non afficiant physicè Dæmones, nihilominus, quia superbi sunt, dedignantur, imo indignantur aduersus eos, qui ventris crepitus in eos iaciunt, vel huius generis spurcitias. Bannes 1. p. q.64. art.4. dub.4. *ad secundum*, §. *Secundo respondetur*, inquit, *Secundo respon-*

Dæmones ventris crepitus agrestium, immunditiose iactos in eos, sicut & fœtores [illegible]

detur, quod de facto assumptus fuit ignis ad torquendos Dæmones, & non aer, vel terra, vt esset commune afflictiuum spirituum, & corporum damnatorum post Iudicium: Hæc solutio est D. Thom. in disput. quæst. de An. art. 21. ad 18. Verũ, responsio hæc non soluit vndequaque difficultatem: etenim, cur, per Dei potentiam non posset esse etiam Aer, & Aqua commune afflictiuum eorundẽ? æquè .n. hæc assumi possent, vt ignis, & terra ad affligendum: ipse tamen Bannes vel replicam istam nõ præsensit, vel minimè præsentire, finxit, ne coactus fuisset respondere, sicque suum reliquit Magistrum indefensum.
Cur nõ terra, & aer assumitur ad torquendos Dæmones.
Respondens vero ipsemet inde, ad principalem difficultatem, inquit, *Tertio tandem respondetur, quod non solum ignis, sed etiam terra concurrit ad cruciandos Dæmones, licet aliter, & aliter, vt expositũ*. Modus tamen, quem supra attulit in explicatione tertiæ sententiæ, talis est, ait enim: *Itaq; duo Elementa concurrũt quasi vice totius Naturæ corporeæ ad puniendos damnatos & infimũ, scilicet terra, et supremũ, nempè ignis: quorũ primum passiuè tantum se habet, tanquam locus, in quo Dæmones detinentur, secundus vero habet se actiuè; detinendos & in hoc seruatur debita proportio Elementorum; terra etenim aptior est ad patiendum, & sustinendum, ignis vero, quia maximæ est actualitatis, aptissimus est ad agendum*. Vtrum vero & ipse sua hac responsione satisfaciat, constare potest intuenti, etenim, dum quæstio mouetur etiam de aere, prout ipsemet obijcit ibidem §. *Secundum argumentum*: attamen ad id de aere non respondet: sicut poterat quoque difficultatem augere de aqua: Dices, solutum putat per id, quod ait, terram, & ignem concurrere vice totius Naturæ, sicque vice Aeris, & Aquæ: at hæc figmenta sunt penès inuentorem. De Aere namque patet ex Paulo, Petro, & vberius infra, detrusos plures Dæmonum fuisse in isto aere caliginoso, quomodo ergo Terra, & Ignis stant vice totius Naturæ, in qua Natura includitur Aer?

QVÆSTIO VII.

Quinam, & qualis sit locus pœnalis Dæmonum?

1 NOn est quæstio de pœna damni, sed sensus. Item non de pœna accidentali, sed essentiali. Vbi agemus tùm de collatione pœnæ, tùm de loco, vbi sint, & vtrum omnes, & singuli &c.

2 Nondum Dæmones igne torqueri, sed in iudicij tempus reseruari, probatur ex Iustino qui apolog. 1. 2. dicit, non esse adhuc igni traditos, sed fore tradendos: Irenæo lib. 5. aiente, Diabolum, ante Christi aduentũ nunquam Deum blasphemasse, eo quod ignorauerit tunc suam damnationem: sed à Christo inde, & Apostolis prædicantibus, id didicisse, nempè paratum sibi esse ignem æternum. Quam sententiam, à Iustino accepisse ipsemet retiam refert: Accedit ad hoc idem Oecumenius in 1. Petr. vlt. id ipsum asserẽs. Insuper, Epiphan. in hæres. Sethianorum, amplius addit, Dæmones nedum propriam damnationem ignorasse, verum & salutem, per Christum, sperasse: at videntes, nequaquam id euenire, demũ de propria salute desperasse, atque per hæreticos, prauosq; peccatores, Deum blasphemare incœpisse. Nec desunt Patres, alij ducentes, iudicij tempore fore in abyssum proijciendos, ac tunc fore torquendos.

3 Ex Scholasticis tamẽ fuit Cano, qui in Scholijs 1. par. q. 64. art. vlt. probabile putauit, ac dici posse, pœnam essentialem sensus, fore augmentandam post diem Iudicij in Dæmonibus. Verum est tamen, quod distinguit de eis, ait enim aliquos iam inclusos esse in Inferno, & in his non augmentabitur, eo quod totam ab initio pœnam receperint: in ijs vero, qui adhuc inclusi non sunt, fore postmodum essentialitèr augmentandam. Caietanus insuper super 1. Petr. 2. videtur dicere Dæmones in aere versantes, nõ adhuc recepisse vltimum Inferni supplicium. ... pènes Bannes 1. par. q. 64. art.

4 ...le. ... vero in primis, Dæmones recepisse iam, terminato cursu viæ, supplicium essentiale, siue pœnam essentialem damni, & sensus: atque iudicatos plenè fuisse quoad supplicium essentiale: Potuit hoc, & probatum remansit disput. hac, q. 1.

Dæmones iam iudicati sunt, pœnamq; essentialem receperunt,

5 Dicendũ Secundo bene cognouisse hanc suam ipsorum sententiam, & damnationem. Colligitur autem inter cætera, ex loco cap. 8. Lucæ, vbi Dæmones Christum rogabant, *ne imperaret illis, vt irent in abyssũ*. insuperq; aiebant, *Quid nobis, & tibi, Iesu fili, venisti huc, ante tempus, torquere nos*. fatebantur sanè, destinatos esse ad Infernũ.

6 Addendum vero, quod licet de damnatione ad Inferos, certi fuerint, non tamen certi erant de tẽpore, quo detrudendi forent in Inferis. Patet, quoniam ignorant diem Iudicij, dixerat namque Christus Matt. 8. *De die autem illa nemo scit, sed neque filius Dei*. puta, *ad reuelandum*. ergo tempus futuræ detrusionis ignorant. Dices, dum aiunt, *Venisti ante tempus torquere nos*, idest, detrudere in Inferno, ante tẽpus, ergo tempus non ignorant.

De tempore detrudendi in abyssum certi fuerunt.

7 Resp. Primo, negando sequelam, sciebant quidem nõ esse tunc tempus, quando autem futurum foret, ignorabant: At vnde noscere poterant, non fuisse tunc tale tẽpus? Resp. ex signis, & apparatu, quæ præcedere debent ad illud, quæ tamen tunc temporis nondum aduenerant, sicut nec aduenerat Antichristus.

8 Dicendum Tertio, omnes Dæmones, statim, atque è Cœlo eiecti fuerunt, detrusi sunt in Inferno inferiori, siue in abysso infernali. Assertio, velut i collectã ex Isaia 14. adducitur: ait enim, *Detracta est ad Inferos superbia tua*: Item, *Veruntamen in Infernum detraheris, in profundum laci*. Vbi Hieronymus per *profunditatem laci*, Infernũ imum interpretatur. Ratio, quoniam talis locus debitus erat eis, ergo statim ipsum consequuti fuerunt: Item initio Orbis, antequam creatus fuisset homo,

Dæmones cadentes ab Empyreo, vbinam intrusi fuerint.

mo, non fuisset occasio collocãdi Dæmones in hoc aere caliginoso, ergo, saltem pro tunc, erant omnes in loco supplicij, qui principalitèr est Infernus subterraneus: Supponit autem probatio, sex illos dies creationis Orbis fuisse veros, quo fit, vt ante primorũ Parentum creationem non fuerit opus esse extra Infernum: Sequela tenet, ratio namque Dæmones destinandi ad aerẽ hunc, est vt hominibus occasionem præbeant exercendi se in comparatione virtutum, & meritorũ, per tentationes, & persecutiones Dæmonum: ante vero creationẽ primorum Parentum, nullus aderat homo, ergo tunc non in aere, sed in Inferno suas pœnas habẽt: ita credibile putat Suarez lib. 8. cap. 16. nu. 17. & affert sententiam D. Thomæ, qui in 4. d. 44. q. 3. art. 3. siue 70. & Ad. art. 3. ad 8. dixit, *Dæmones nunquam sunt extra Infernum, nisi ex dispensatione diuina ad exercitium Electorum.*

Creatis primis Parentibus dispẽsatũ fuit, vt aliqui Dæmones ex Inferno exirent ad tentandũ &c.

9 Dicendum Quarto, creatis iam hominibus, præcipueq; primis Parentibus dispensatum à Deo fuit, vt ipsorum plures exirent inde, & incolerent aerem istum caliginosum, ad exercitationem, & meritum hominum, ita prędicti Doctores, cũ Alensi, & Communi cæterorum Scholasticorum, & Patrũ. In primis autem Paulus Ephes. 6. ait, *Induite vos armaturam Dei, vt possitis stare aduersus insidias Diaboli, quoniam non est nobis colluctatio aduersus carnem, & sanguinem, sed aduersus Principes, & Potestates, aduersus Mundi Rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cælestibus.* Per *Cælestia* vero, siue per Cælum quandoque sumitur Aer, vt Iobi 7. *Volucres quæ, Cæli* sunt idest, volucres aeris: & Paulus idẽ Ephes. 2. idipsum explicat, inquiens, *Principem potestatis aeris huius.* Item Chrisost. homil. 4. ad Ephes. *Deus ideo Diabolum hic reliquit, vt te fortiorem, & clariorem Athletam efficeret, & vt complura etiã certamina nobis essent: Si quis igitur obijciat, quamobrẽ Deus Diabolum hic reliquit? hoc pacto ipsi respõdeo, quia sobrijs illis, & circumspectis non solum nõ obfuit, sed etiam profuit.* Vgo Victor. in summa tract. 2. cap. 4. *Deiectus est in aerem caliginosum cum omnibus illis, qui ei consenserunt, ad nostri probationem, vt sint nobis administralli exercitationis.* Et iuxta D. Thomam allatum, dispensatur cum Dæmonibus ad inde exeundum, & ad hunc aerem perueniendum ad exercitium Electorum.

10 D. Bonau. 2. d. 6. q. 1. art. 2. Primũ ait, *Vtrum aliqui detrusi sint in Infernũ, hoc ego nescio, nec inuenio à Sanctis determinatum.* Et in argumento vltimo pro parte opposita, inquit, *In Inferno nulla est redemptio, vnde qui descendunt in Infernum, nunquam ascendunt: ergo si Dæmones deiecti essent in Inferno, nunquam possent ad nos venire: sed veniunt, ergo in Infernum nunquam descenderunt.* Et in corpore, *Hoc autem bene credo, quod aliqui descendant ad torquendas animas, secundum quod inter se habent deputata maledictionis officia.* Ratio autem, quare in hoc aere sunt, est propter *humanũ exercitium.* In primo asserto contradicit tertiæ nostræ Assertioni, quæ profecto rationabilissimo est: quam docuit prius Alensis 2. part. q. 100. memb. vlt. art. 3. vbi habet, omnibus fuisse Infernũ destinatum, sumit autem Infernũ, quatenus distinctum ab aere caliginoso, concludendo, ignem Inferni omnibus fuisse deputatum in pœnam. Et in fine ait, esse in aere tenebroso non esse pœnam principalem, quoniam cessante occasione tentandi post Iudicium, nõ erunt amplius in loco isto caliginoso: dices, modo in Inferno Dæmones plures sunt, quia ibi torquent animas, vel quatenus ad Infernum deducunt damnatorum animas: tunc temporis, ante creationem hominum, non erant ibi animæ, ergo nec ibi Dæmones. Resp. fuisse tunc ibi, tanquam in loco supplicij, vt ipsimet suas luerent pœnas, & vt ibi torquerentur ab igne, & loco infernali: descendentibus vero postmodũ animabus, sunt ibi tum vt suas luant pœnas, tum insuper, velut Tortores animarum. Ad rationem vero in oppositum ex D. Bonauent. de exitu ab Inferno: Resp. quod qui in Infernum à definitiua Dei sententia semel iactatur, vtique, de lege ordinaria inde non amplius exit: dispensare tamẽ Deus potest, vt exeat, sicq; factum, ait D. Thom. recensitus ob causam adductam. Item axioma illud, *In Inferno nulla redemptio* habet & aliam expositionem, vt

In Inferno nulla redẽptio declar.

nedum

nedum intelligatur de Inferno materiali, sed & de Inferno formali: ille quidẽ est locus detinens: iste vero est pœna: quo stante, vbicunque fuerint, & quocunque ierint Dæmones, semper sunt in Inferno formali, vnde sicut de Angelis bonis, sanctissimisque Custodibus nostris Christus ait, quod licet hic in terra nobiscum degant, nihilominus *Semper vident faciem Patris, qui in Cœlis est*, ita super Iacobi 3. Glossa inquit de Diabulo, *Vbicunque sit, secum fert tormenta suarum flammarum*. Nihilominus D. Bonauent. existimauit, potius etiam ab initio, in illo aere collocandos, quia iam collocandi erant in eo.

Dæmones non possunt de se exire ab inferno.

11 Et hinc Quinto dicendum adeo alligari, seu alligatos à diuina primitus sententia, fuisse Dæmones Inferno, vt in ipsorũ facultate minimè situm fuerit, vel sit, inde exeundi; sed exitum ipsis dispensari, vt loquitur D. Thom. à Domino. Probatur, quia Apocal. 20. dicitur vidisse *Angelum, habentem clauem abyssi, & catenam magnam in manu sua: Et apprehendit Draconem, & ligauit eum per annos mille*. & infra, *Et post hæc, oportet illum solui modico tempore*. Ex quo loco insinuantur plura capita id probantia. Primum est, Angelum, nempè Christum Dominum, vt habet communis sententia: habere clauem abyssi: quod idem met Christus de seipsum fatetur, Apocal. 1. *Habeo claues mortis, & inferni*. Item, catenam esse in manu sua: Insuper ligasse per annos mille: Eundemq; fore, qui ipsum Draconem soluet ad modicum tempus, quod si ipse Christus habet claues, & catenam, ligat, soluitque, non ergo à se ipsis inde solui possunt Dæmones: minusq; seipsum soluere poterit Lucifer, de quo dicuntur hæc Ioannis verba: Nec ipse quoque de se destinare inde, hoc valet Satellites Dæmones, nisi annuat Deus. Item, dum licentiam petierunt à Christo eundi in Porcos; veniamq; ne in abissũ ante Iudicij tempus, eos religaret, idipsũ amplius constat: Sicut etiam de Asmodeo religato in deserto superioris Aegypti, legitur Tobiæ 8. religato, inquam à Raphaele.

Raphael religauit Asmodæum in Aegypto.

12 Ante Christi aduentum, & passionem, nedum de reliquis Dæmonibus, verum & de ipsomet Lucifero, verum erat, quod ex Inferno ad homines tentandos veniebant, vltra eos, qui destinati fuerunt ad aerem hunc incolendum: Quod autem ita sit, de Lucifero ait Bon. in expositione textus Magistri d. 6. §. vltimo, atque ipsum tentasse primam nostram Parentẽ Euam, dicendo, comedite, ipsumq; fuisse, qui Christum Dominum tentauerit in deserto. Nihilominus cæteris permittuntur hic incolere inter homines, vt apertè patuit ex Paulo; tum quoq; ex Dæmoniis, quæ eijciebat Christus ab obsessis, de Dæmonibus in Porcos, & modo etiam de Exorcizatis: qui quidem vel saltem plures degent in hoc mundo vsque ad iudicium, quo peracto, detrudetur in Abyssũ: nec opus erit amplius inde exire, cessante occasione tentandi, & impugnandi homines. Inquit autem Aegyd. *Alternatis vicibus Dæmones sunt in Inferno: nunc isti, nunc illi, ad cruciandum, & detinendum animas ibi*.

Primos Parentes, & Christum Lucifer tentauit.

13 At, loquendo de Lucifero, de eo verificabãtur verba illa, *Nunc princeps huius mundi eijcietur foras* Ioan. 12. & Matt. 12. *Nemo potest intrare in domum fortis, vt vasa domus eius eripiat, nisi prius alligauerit fortem*. vnde est, vt ligatus fuerit, per virtutẽ Christi Domini in abysso infernali, vnde exiturus non sit ad tempus statutum, *Cum consummati fuerint mille anni, soluetur Sathanas de carcere suo, & exiet*. erit autẽ tempus Antichristi. Per mille autem annos non intelligitur spatium prorsus mathematicale mille annorum, contra Millenarios, sed totum reliquum tempus vsque ad Antichristum. Adest Ambrosij expositio, & Augustini aliter sentientis, vt per *Abyssum* intelligant contra infidelium respectu quorum, maiorem habeat tentandi facultatem, itaut non sit propter eos ligatus, siue non adeo tenacitèr, sicut propter electos, & fideles, non quod omnino, saltem per suos Satellites, nos non teneri, sed quia post Christi aduentum, & passionem non permittitur adeo nos persequi, & crudelitèr tentari, sicut magnopere faciebant prius: quin etiam pro infidelibus ligata est, seu diminuta est potestas eius, idque ex meritis, & misericordia Christi,

Lucifer in Infernum à Christo detrusus, vnde non exibit vsq; ad præfinitũ tempus.

Luciferi potestas attenuata p passionem Xpi

Christi, vt minùs, eos quoque vrgeant, quàm prius solebant: Verum, omnia proportionaliter, tùm pro electis, tùm pro cunctis, *iuxta mensuram donationis Christi*, attenuantis vires Diaboli, magis, minùsque, vt ipse disposuerit.

14 Verum, Ambrosius retractauit illud, quo ad corda Infidelium: vnde scribit, *Superius quorundam opinionem sequens, dixi, per abyssum, corda impiorum designari, in quibus Diabolus à cordibus fidelium expulsus, religatus tenetur. Si ergo per abyssum, corda reproborum designantur, quomodo de abysso, idest, de cordibus reproborum exire dicitur? numquid reprobos derelicturus est, & inuasurus electos? nullo modo; alligationem ergo Diaboli secundum literam intelligendam puto, vt in aliquo abyssi loco virtute diuina religatus teneatur, vel certè, in Infernum, vsque ad diem solutionis suæ.* Accedit vero Gregorius, qui sigillatim ponderans nomina Diaboli recensita à Ioanne, eiusque ligationem, ita ait 4. moral. cap. 5. super verba illa, *Maledicant ei, qui maledicunt, qui parati sunt suscitare Leuiathan*: quo in loco recolens illud Isa. 27. *In illa die visitabit Dominus in gladio suo duro, & grandi, & forti, super Leuiatan, Serpentem vectem, & super Leuiathan Serpentem tortuosum*: Quærendum ait, nobis est, *Cur, qui Serpentem dixerat, tortuosumque, illico subiungens, interposuit vectem, nisi fortè quod in Serpente est fortitudinis, flexa mollities; in vecte autem est duritiæ rigiditas: Vt ergo & hunc, durum signaret, & mollem, & vectem nominat, & Serpentem: durus quippe est per malitiam, mollis per blandimenta: vectis ergo dicitur, quia vsque ad necem percutit; Serpens, quia se, per insidias, molliter infundit. Sed hunc Leuiathan, Electi Angelorum Spiritus, nunc in putei abyssi clausum premunt, vnde scriptum est, vidi Angelum descendentem de Cælo habentem clauem abyssi, & catenam magnam in manu sua, & apprehendit Draconem Serpentem antiquum, qui est Diabolus, & Sathanas, & ligauit eum per annos mille: & misit in puteum, quem tamen in mundi fine ad aperta certamina reuocant &c.* Remanet ergo ibi ligatus Luciferusque ad tépus Antichristi: Accedit ex Collect. Sent. Ambros. *Tribus locis Diabolus cecidit: Primò, de Cælo per superbiam: Secundò de Paradiso per homicidium: Tertiò de terra, per iudicium in Infernum.*

Lucifer cur Serpens tortuosus dicitur.

De tribus locis Diabolus cecidit.

15 De cæteris tamen Dæmonibus quid dicendũ, an aliqui fuerint, & sint ibi alligati, ac futuri sint vsque ad Iudicium? Iam D. Bonau. respondit, se nescire, nec id penes Sanctos reperire: Item anterius dixerat, locum Dæmonum vsque ad diem Iudicij, non esse locum subterraneum, quem vocamus Infernum, sed aerem caliginosum. Hęc profectò est eius sententia, pro Inferno, intelligentis aerem illum, vsque ad Iudicium: patent verò, quæ nuper diximus, ponderando opinionem D. Bonauenturæ.

16 Imo tamen, quod idem Seraphicus Doctor subdit, aliquos Dæmones in Infernum descendere ad torquẽdas animas, satis, & bene rem explicat: ratio, quoniã ipsi sunt Tortores Animarum: quod colligitur ex eo, quod contigit penès homines, vt reperiantur homines carnifices, tortores delinquentium. Item, sicut in humana politica, carnifices ipsi reum comitantur vsque ad patibuli locum, ibique torquent: sic pariter, Dæmones, exeuntes è corporibus damnatas animas, veluti dicti lictores comitentur illas ad Infernum, ibique torqueant: sicut ex opposito contingit iustis, vt à Sanctis Angelis comitatum recipiant ad Cœlum, prout de Lazaro, *Factũ est, vt moreretur mendicus, & à Sanctis Angelis portaretur in sinum Abrahę.*

Dæmones comitantur Animas ad Infernum.

17 At desideratur, quodnã, seu quale tormentum animabus illis inferant Dæmones illi tortores: Et quidem nõ tormentum ignis, aut glaciei, seu huius generis: hæc enim subministrantur à virtute diuina, faciente eas detineri in igne tum localiter, velut in carcere, tum obiectiuè, sicut de Dæmonibus diximus: Item, quoniam ignis ille est instrumentum Dei, ob idque à diuina potentiã taliter ordinatum, & attemperatum, iuxta recensitos modos dicendi quæst. præced. vt id nequeat tribui posse virtuti Dæmonum. Item, tantã vel quantitatem, vel actiuitatem igni illi, eiusque conseruationẽ, virtutemque vrendi, non tamen consumendi damnatorum corpora, non vtique Dæmon,

Dæmones quomodo reprobos torqueant.

sed Dei omnipotentia tribuit, vt quid ergo ibi, dum torquere ad dicta non possint. Dicendum tamen, torquendi munus non esse rationem formalem collocandi Dæmones in Inferno, sed eorum peccata, iam hoc probauimus de peccatis eorum, quæ est pars affirmatiua: negatiua vero, sinē torquendi non esse rationem formalem, patet insuper ex iis, quæ diximus de tempore ante creationem, & damnationem hominum, etenim in Inferno aderāt, nullam tamen, pro tunc animam torquebant, quando nulla adhuc ibi erat. Dicendum tamen, quod etsi Dæmones virtutem non habeant in ignem, qualē attigimus, quæ soli Deo reseruatur, nisi tamen assumantur à Deo veluti tortores, transmutantes animas *à calore nimio ad frigus nimium*, nihilominus modis alijs torquere posse animas, & inde corpora: Primo sua præsētia, quæ horrore suo magnam pœnam affert damnatis, item per ea, quæ pijs viris reuelata fuerunt de pœnis Inferni vbi Dæmones videbantur modis varijs damnatos agitare, transuerberare, torquere &c. in ignem, ollasq; feruentes traijcere &c.

18 His actis, ad opposita respondēdo, Bellarm lib. 2. de Purgat. cap. 7. sic scribit, *Iustini, Irenęi, & Oecumenij sententiam non video quo pacto possimus ab errore defendere. Cæteri autem Patres affirmant, in die Iudicij ex hoc aere in abyssum esse præcipitandos, & adhuc expectare futura tormenta: Cæterum non oportet inde colligere eos hoc tempore non torqueri: non enim vere secum gehennam, patient tamen pœnarum suarum plenitudinem in die Iudicij habebunt, quando Infernorum carceribus concludentur.* Hæc Bellarm. de Cano affert Bannes 1. part. quæst. 64. art. 4. dub. 4. censurā Thomistarum quorundam, aientium sententiam esse temerariam, & periculosā in fide: ipse tamen Bannes non audet id asserere: Suarez vero inquit, ea esse propria ipsius Cani inuenta.

QVÆSTIO VIII.

Vtrum Dæmones torqueantur etiam in aere, atque locis alijs.

1 VErum prætacta difficultas expedienda est, vtrum Dęmones in aere degentes torqueantur igne infernali: Communis Theologorum sensus est affirmatiuus. Ita Alensis citatus, & citandus. D. Tho. 1. par. q. 64. art. 4. & recentiores. Damascen. 2. de fide cap. 4. *Quod hominibus est mors, Angelis est lapsus*. at homines reprobi, statim atque moriuntur, destinantur ad ignem, ergo & Dæmones. Beda in Iac. 3. *Dæmones vbicunque vel in aere volitant, vel in terra, sub terris vagantur, suorum semper secū ferunt tormenta flammarum: instar febricitantis, qui etsi in lectis ponatur eburneis, & in locis apricis, feruorem tamen languoris euitare non potest.* Et Glossa ibid. *Semper secum tormenta flammarū. Ita quidē concluditur, at modus* [illegible].

2 Est modus dicendi penè Aegydium in 2. d. 6. art. 2. q. 2. torquere ignē Inferni existente in aere Dęmones, sola apprehensione: apprehensio autem non impeditur à distantia Inferni. At obstatus, siquidem contra communē sententiam, sensumq; Scripturæ est, sola apprehensione torquere, etenim vere sunt in igne: quod si sunt, vt dicitur: *Ite in ignem, qui paratus est Diabolo*, non sufficit apprehēsio, sed requiritur etiā detentio. Alij aiunt, vt Malon. 2. d. 6. secum ferre portionē quandam ignis, quocunque ierint: At idem redarguit, etenim sequuntur inde plura miracula, primo oporteret, ignem talem videri, at non videtur. deberet vicinia calefacere, & comburere, at non comburit: deberetq; penetrare parietes, tecta, ianuas clausas, & huiusmodi, ad tan-

lentiatum, ingressum, & exitum Dæmonum, qui tali igni alligantur: at hæc non haberentur, nisi miraculosè, ad quid autem tot multiplicare miracula? Propter hæc autem mentiua, Argentinas in 4.d.44.q.2.art.4.ait, torqueri ab igne mentaliter, dum ignis cognitio ipsis imprimitur, etiam in eius absētia, ac propterea torquentur. Insuper idem Aegydius ait à Deo id fieri, vt ab igne absente torqueantur. Impugnat vero Suar.cap.16.in fin.inquiens, non decere, nec congruere æternitati pœnæ: Itē talis pœna non diceretur propriè tormentum flammarum, iuxta loquutionē Glossæ dicentis, *Diabolus vbicunque sit, secum fert tormenta suarum flammarum.* ideo respondet ipse, inquiens, Deum eleuare ignem ad agendum etiam in spiritum distantem: Modus Aegydij totus refunditur in diuinam virtutem, vt quia potest Causa prima de se sola, quicquid potest cum secunda: poterit de se solo Deus præstare effectum ignis Dæmonibus etiam ab igne absētibus. Quemadmodum enim virtus Dei non est alligata Sacramētis, & potest absq; Sacramentis saluare, ita & Dæmonem torquere, seù vrere, etiā absq; igne: vnde concludit, non ferre secum semper ignem materialē, sed experiri in se ipsis ignis effectum. Idem, ex parte aiebat Argentinas, inquiendo, diuinam virtutem non esse alligatam præsentiæ locali, licet in modo differat. Modus tamen Suarij est magis cōformis doctrinæ Scoti, docentis Agens agere posse in distans: quāuis vero in casu nostro, ignis non posset de se ita agere, absque speciali eleuatione Dei, nihilominus de facili Scotistæ ita responderent, nedum enim per Dei virtutem, sed & per naturam, potest agere naturale, agens in distans, ex ipsorum doctrinam, licet in subiecta materia, ob improportionatam distantiam non valet ignis ille, ex se solo vrere huc vsque ad aerem istum.

Ignis quali ter torqueat Dæmones aerem morantes in aere.

3 Dices, obstat Glosa recensita Iac. 3. *Sicut gehenna semper ardet, ita Diabolus vbicunque sit, secum fert tormenta suarum flammarum*, ergo portat secum ignem. Resp. non ait Glosa, portare secum ignem, seù flammam, sed portare tormenta flammarum, vbi effectum explicat, tacita causa: effectus autem flammarum sunt cruciare, torquere, tormentare; & hæc inquit Glossa, portat secum Dæmon, quod verissimum ex omnibus est, paucis exceptis, negantibus adhuc tormentū ignis experiri, sed reseruari in futurum, de quibus egimus tum quæst.1.tum hic, ergo torqueri Dæmonem tormento causato ab igne, ait Glossa, & illud secum ferre ait, an vero flammam, ignemq; secum portet, non dicit: Idque, fortasse quæstionem tacitus decidendo, quod cruciētur quidem, non tamen ignem secumferat, vt quia, diuina virtute, agere valeat, & torquere in tam magna distantia. Accedit Beda, inquiens, *Cum est in aere caliginoso, pœnam ignis gehennalis secum defert vbicunque mouetur*. poniteq; exemplum de febricitante ferente secum semper febris calorem. & D.Thom.1.par.q.64.art.4. ait, Dæmones aeris incolas non alligari actu igni gehennali, sed torqueri, quia sciunt esse sibi præparatum.

Diabolus semper portat secum ignem, declaratur.

4 Inter pœnam insuper, quam patiuntur in aere caliginoso, & pœnam ignis gehennalis differentia est, vt illa cessabit post iudicium: item illa non est pœna essentialis, sed concomitans, veluti potestatem existendi hic, & tentandi: pœna autem principalis nusquā cessabit: ideoque pœna ignis est principalis, quam omnes habuerūt ab initio, vt probat Alens. q.100.memb.vlt. art.4. improbans sententiam dicentiū, Dæmones aliquos habuisse pro pœna solum aerem caliginosum. At quia aer caliginosus, post Iudicium illuminabitur, cessante caligine, & peracto iam Iudicio, cessante quoque occasione, & potestate tentandi, non erit amplius in eis pœna concomitans huiusmodi potestatem, inquit Alensis. Qui insuper addit, tenebrositatem non fore penitus ab ipsis post Iudicium auferendam: quamuis enim habituri non sint tenebrositatem huius aeris, habebunt tamen tenebrositatem Inferni. & deiecti ex altitudine huius aeris, demergētur in profundum tenebrarum.

Pœna aeris caliginosi distincta à pœna ignis.

5 Verum, si in aere isto inhabitare permittuntur, semper in parte aeris caliginosa, ea quidem est media Regio Aeris, in qua caligines, tempestates, tonitrua,

Aer caliginosus quinā

nitrua, fulgura, pessimaque aereæ impressiones generantur: quod quidem, & si ita se habeat, valdè tamen distat à nobis: at vt tam distans est, quonam pacto tentare nos poterunt, incolentes in hac ima regione? potiùs autem hic inhabitare deberent: quin etiam ita factum colligitur ex Historijs, mulier namque quædam comedens lactucam, continuò à Dæmone obsessa fuit, vt in dialog. ratio, quia Diabolus erat in lactuca. Respondet D. Bonau. in exposit. Textus *Crisque cadentes*, cuius verba transcribam, inquit enim, *Respondeo, dicendum, quod Diuina Clementia, & Prouidentia, locum sequestratum prouidit Dæmonibus, ne nimis acritèr nos tentent, nec tamen nimis à nobis longinquum, vt possint nos exercitare: vnde, quod inhabitent in loco caliginoso, diuina sententia est: quod vero ad nos veniant, permissionis est. Vnde cum triplex sit aeris interstitium, si quæratur, in qua parte sunt, probabilitèr dicitur, quod sint in medio, vbi est turbulentia, & vexatio, & variæ impressiones, & hinc est, quod frequentèr commouent ventos, & tempestates.* Hæc Bonau. Accedunt vero ad nos sæpè. & de loco, ac pœna Dæmonum sit satis. Supersunt vero eorundem vexationes, & tentamenta in homines, at in sequenti.

Dæmon in lactuca comedentem obsedit.

6 At cōtra dicta de Dæmonibus in hoc aere tortis, arguitur, aiebant namque penès Luc. 17. *Venisti ante tempus torquere nos*, ergo ante tunc non torquebantur. Confirmatur, quoniam rogabant ijdem Dæmones Christum Dominū, *ne imperaret illis, vt in Abyssum irent*, ergo existentes in aere, non patiebantur pœnam Abyssi. Insuper 2. Petr. 2. *Si enim Deus Angelis peccantibus non pepercit, sed carceribus caliginis inferi detrudēs, tradidit in iudicium puniendos seruari*, ergo non torquentur igne in aere, sed torquendi reseruantur in Inferno post Iudicium: ex his autē Petri verbis August. lib. de Nat. Bon. cap. 33. colligit, ignis supplicium Dæmonibus deberi in Iudicio.

7 Ad Primū plures dantur responsiones, prima sit ad propositum: non negare Dæmones, etiam tunc igne gehennali torqueri: & hoc ad præsentem materiam sufficit: Qualis vero sint inde speciales sēsus eorum, verborum, tum etiam confirmationis, tradidimus supra q. 1. vbi etiam habetur sensus verborum Petri. Ad Augustinū patet ex dictis: vel namque ita sentit cum aliquibus, vel potiùs exponatur, vt loquatur de expulsione ex hoc aere in Abyssum, de incarceratione ibi, de ademptione libertatis eundi huc, & inque, siue tentandi, cum plurimis, quæ attulimus, cūm sup. tūm agendo de Beatitud. Angelorum.

8 In Terra, subterra, in Aquis, & in Aere, Dæmones inhabitare compertum est: Verum autem in Elemento ignis in Concauo Lunæ. Equidē Paulus, *in Cœlestibus*, idest, vt expositum fuit, in Aere eos collocauit: & Iudas in Canonica, *sub caligine*: idemque Paulus Ephes. 6. in tenebris, *Rectores tenebrarum harum*: de sphæra autem ignis mentio non reperitur, vt ibi inhabitēt. At quænam ratio esse poterit, hæc quidem, quoniam tentant vtique nos, qui degimus in terra, in aquis, & aere, & propterea illic sunt: at quia non incolimus nos in sphæra ignis, nec in concauo Lunæ, hinc non ibi collocantur, in ordine, inquam, ad hoc tētandi munus. Dices, ex supra recensitis, dantur Dæmones ignei, sicut & aquei. Resp. ita, quia in aquis tētant Nautas, remigantes, nauigantes per aquas, ibique tempestates, & naufragia machinātes: Item ignei appellātur, quia per ignem semper torquentur: semper secum ferunt tormēta ignis: seù ratione Inferni, ad quem destinati sunt ad ignem æternum; vt Christus dixit, *ite in ignē æternum, qui paratus est Diabolo &c.* vt patet ex dictis.

Diaboli an ignei, aquei &c.

An tententin concauo Lunæ, in sphæra ignis.

9 Licet vero varia sint ipsorum loca, antequam finalitèr omnes etrudantur in abysso, nihilominus nō semper vni affixi sunt loco, modo namque in aquis, modo in terris, modo in aere sunt, modo etiam totum circumeunt Orbem, iuxta illud Dæmonis tentantis Iob, atque interroganti Deo, *Vnde venis?* respondentis, *Circuiui terram, & perambulaui eam*, de quorum celeritate actum fuit supra Disputat. de Motu Angel.

10 Quamuis vero plura sint loca, in quibus Dæmones cōmorantur, sunt nihilominus singularia aliqua, in quibus

Deserta, & solitudines solent inhabitare Dæmonibus.

bus frequentiùs solent apparere: Sunt autem deserta, & incultæ solitudines: Meminit horũ Isaias 34. dum desertas Idumæorũ Ciuitates, futuras ait domicilia *Dæmoniorũ, Onocentaurorum, Pilosorum, Lamiarum*. Item Ioan. Apoc. 18. Babylonem appellat habitationem Dæmoniorum, inquiens, *Cecidit, cecidit Babylon magna, & facta est habitatio Dæmonum, & custodia omnis Spiritus immundi*. atque Isa. 13. *Requiescent ibi Bestiæ, & replebuntur domus eorum Draconibus, & habitabunt ibi Struthiones, & Pilosi saltabunt ibi &c.* vbi Hieronym. *Per quæ omnia demonstratur, quod tanta sit depopulatio Vrbis, vt præ multitudine Dæmonum, nullus in eam audeat intrare.* Idemque subdit, per Bestias illas intelligi Dæmones, etenim Isaias dixerat, *Et possidebunt illam Onocrotalus, & Ericius, & Ibis, & Coruus habitabunt in ea*: Et rursus, *Orientur in domibus eius spinæ, & vrticæ, & paliurus in munitionibus eius, & erit cubile Draconum, & pascua Struthionum: & occurrent Dæmonia Onocentauris, & Pilosus clamabit alter ad alterum: ibi cubauit Lamia &c.* Ad hæc autem Cyrill. ad idem cap. 34. Isa. scribit, *Cum dicit, Dæmonia, & Onocentauros sibi occurrere, summam velati Ciuitatum solitudinem subiecerit: habitare enim dicuntur libenter in desertis locis etiam mali Spiritus*. & Procop. in cap. 3. eiusdem. *Gaudent desertis, incultisque locis ipsi Dæmones*. At confirmat D. Thom. 13. Isa. *Per Pilosos interpretatur Dæmones in tali figura corpora assumentes*. atque Haymo, per Pilosos, Faunos, Syrenas, vel Satyros, intelligit Dæmones, in diuerso phantasmate apparentes. Et insuper, Christus in deserto tentamenta sustinuit.

Antonio facta apparitio de Fauno, Satiro, Incubo.

11 At quid dicendũ de ijs, quæ magno Antonio Abbati visa fuerunt, an fuerint, in aliena licet forma, Dæmones? scribit namque Hieronymus in vita Pauli Eremitæ, de Antonio, inquiens, *Conspicit hominem Equo mixtum cui opinio Poetarum Hyppocentauro nomen dedit*. Insuper inde. *Inter saxosam Conuallem haud grandem homunculum videt, aduncis naribus: fronte cornibus asperata: cuius extrema pars corporis in Caprarum pedes desinebat: Hic Antonio respondit, Mortalis Ego sum, & vnus ex Accolis Eremi, quos varie delusa errore Gentilitas, Faunos, Satyrosque, & Incubos vocans, colit*. Hoc autem in loco idem Hieron. dubitat an primum fuerit verum Animal, an Dæmon. De Secundo tamen certo affirmat fuisse verum animal, vel hominem, capturé allatum ad Constantinum Imperatorem, atque humano more loquutum. Cæterum Ribera ad cap. 18. Apoc ait fuisse Dæmonem, tali forma indutum.

Delitescũt in locis aquosis Paludibus: Specubus subterraneis.

12 Item inhabitare solẽt Dæmones loca humida, paludosa, & inaquosa: ita Luc. 11. *Ambulans per loca inaquosa, & requiem &c.* Idemq; testatur Rodiginus vnde penès Aquilonares, plures Dæmonum inueniuntur; & in Cracouiẽsi tractu lacus quidem omnino à piscatione cessauit: Cum vero aliquando iterum piscari tentassent, prima vice pisciculos tres cœperunt: altera nihil, sed rete conuolutum repererũt: Tertia denique Monstrum horrendum, caprino capite, oculisq; flammantibus de sub aquis apparuit, & terribilem strepitum, ac sonum edidit: ita Romerus in sua Polon. Item in Palustri Odeppe tanta erat Dæmonum infestatio, vt nõ nisi infantium ibi profuso, singulis annis, sanguine, placarentur. ex Mich. Ister. Item delitescere solent in specubus subterraneis: Primo, quia loca illa aptiora esse solent latibula hominibus ad facinora perpetranda: & maximè ad functiones superstitiosas, & necromanticas, *qui enim male agit, odit lucem*. Et Secũdo, vt terram superiorem commouentes, miseros, & incautos homines illic opprimant, viuosque sepeliãt.

In Arcis, & Ædificiis.

Solent & incolere arces, & ædificia, ob quod deseri ab hominibus alias incolentibus, necesse est, nisi tamen adhibitis exorcismis, diuinisq; imploratis auxilijs. Sunt & loca alia.

Eremitarũ infestatio p Dæmones.

13 Nunc autem quæritur, cur potius loca recensita, & præcipuè deserta inhabitent, cum potius inter homines inhabitare eos deceret, quo amplius tentando, lucrum faciant: Ob hoc Lyranus in cap. 13. Isa. negat vllo modo in desertis habitare: Verum non est negandum, ex dictis. Ratio vero duplex est, prima, vt veluti Dij à Rusticis nemora incolentibus, adorentur: atque ita Antiquiores colebant

Faunos, Syluanos, Satyros, Nimphas, quas Ouidius *rustica Numina* appellat. Et Secundo, vt Eremi cultores pœnitendi gratia, Dei seruos, à diuino famulatu inde exturbarent: ita namque scribit Cass. coll. 7. cap. 23. *Tanta erat eorum feritas, vt viri pauci, & admodum stabiles, atque ætate prouecti tolerare habitationem solitudinis possent.* Item. *Non audebant omnes noctibus obdormire, sed alijs dormientibus, vicissim alij orationi vacabant.*

QVAESTIO IX.

Vtrum in Dæmonibus sit Principatus, & Prælatio, ac subordinatio, in ratione imperandi, & exequendi.

1 DVbitandi ratio oritur, siquidem non videtur posse inter Dæmones statui Principatum, dominium, obedientia, subordinatio, & prælatio: Probatur autem Primo, in Canonica Iudæ, cap. 1. dicitur, Dæmones non seruasse suum principatum, *Qui non seruauerunt suum Principatum.* ergo per peccatum amiserunt illud, igitur non est in eis Principatus, & prælatio. Secundo, Prou. 13. *Inter superbos semper sunt iurgia:* Sunt autem Dæmones superbissimi, ergo nullus alteri subijci affectabit, quin potius reluctationem habebit cupienti principatum gerere. Tertio, Iobi 10. *In terra tenebrarum nullus est ordo*, ergo nec ordo prælationis, & subiectionis. Quarto, aut est ibi à natura, aut contra naturam, & violenter: non Primum, quia natura etiã post Iudicium remanebit eadem, & *Naturalia in Angelis remanserunt integra*, ex Damasc. at post Iudiciũ cessabit in Dæmonibus omnis prælatio, ex Magistro in 2. d. 6. ergo nõ à natura. Nec Secundum, quoniam vbi violentia, ibi reluctantia, & pugna, at concordat Dæmones inter se, cum aggredi intendũt homines: ergo nullo modo prælatio. Quinto, non potest esse in eis prælatio de iure. Probatur, dominium, & seruitus introducta sunt propter peccatum, ergo qui peccauit, seruus esse debet: igitur qui magis peccauit, magis deprimi debet, seu magis indignus erit dominio, & prælatione: ergo nullus inter eos erit princeps, & dominus. Sexto, si concordant, ergo pax inter Dæmones. Septimo, si à natura adest ibi prælatio, ergo etiam homo per naturam erit homini superior.

2 Cæterum, Magister loc. cit. §. *Et sicut inter bonos &c.* apertè docet reperiri inter eos ordinem prælationis, vt alij alijs imperent, & præsint: quam tamen prælationem, subdit, cessaturam fore in futuro. Eandem sententiam docet D. Thom. 1. par. q. 109. art. 2. D. Bonauent. in 2. d. 6. q. vlt. Richard. ead. dist. art. 3. q. 1. Guillelm. Parif. p. 2. de Vniu. cap. 14. cæterique Sententiarij ibid.

3 Verum, vt distinctiùs loquamur, distinguẽdo resoluimus, dicendum ergo, quod aut loquimur *de iure*, aut *de facto*. Si Primo modo sermo sit, nulla in eis reperitur prælatio, nec reperiri debet: Prob. quia quidquid Dæmones præcipiant, totum illud est contra ius, totumq; ordinatur ad ius omne euertendum: ordinant enim cuncta aduersus legem, & contra Deum, à quo omnis legitima lex. Cum ergo sint potiùs ipsius iuris corruptores, nullus obedire ipsis tenetur de iure; ergo consequenter nulla erit in eis prælatio, nullusque principatus de iure. Ita D. Bonau. in sin. & Richardus in corp. Si vero loquamur secundo modo, profectò est inter eos prælatio: talis, vt imperet quis, & obediat alter. Quinam autem sint, qui imperent, quiue obtemperent? dicendum, nobiliores in natura: maiores in potẽtia: strenuiores in agendis: ac perspicaciores in malitia, siue huiusmodi se habẽtes hos quidem imperare: cæteros vero, qui minores sunt in his, obtemperare. Verum quia in Lucifero nobilior est Natura, maior potentia,

In Dæmonibus, non de iure, sed de facto adest prælatio.

Quinam obediunt, quinam imperent.

tentia,

sentia, attentiore facultas naturalis, ac perspicaciore malitia, hinc ipse est aliorum Antesignanus, cui cęteri obediũt.

4 Probatur autem ex Iob penult. *Ipse est Rex super omnes filios superbiæ.* Matt. 25. *Discedite maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo, & Angelis eius.* Per Diabolũ intelligitur Caput, & Princeps: per Angelos intelligitur Dæmones inferiores ministrantes, & obedientes, idem namque sonat *Angelus, ac Minister, & Missus*, vt initio huius Tomi diximus, Luc. 11. Christus dixit, *Omne Regnum in se ipsum diuisum desolabitur: & si Sathan in se ipso diuisus est, quomodo Regnum eius manebit.* Apostolus Ephes. 6. appellat *Principatus, Potestates.* Item Glossa 1. Cor. 15. *Quandiu durat Mundus, Angeli Angelis præsunt; Dæmones Dæmonibus; homines hominibus, ad vtilitatem viuentium, vel ad deceptionem.*

Fundamentũ talis prælationis quęnam.

5 De fundamento tamen huius prælationis disquiritur, vbinam fundatur D. Thomas 1. par. q. 114. art. 1. ait, *Impugnationem Dæmonum ab eorũ malitia prouenire, & non à Deo, nisi vt permittente: ordinationem autem impugnationis esse à Deo ordinãte, & positiuè prouidente.* D. Bonauentura inquit, *Credo, quod natura, & diuina institutione: saga enim conditione data est eis una ministratiua: & potentior vnus, quam alter: & Deus ordinauit, vt minus potentes, ac sapientes, magis potentioribus, ac sapientioribus subessent in ministrando*, idemque D. Thom. q. 109. dixit, fundari in Natura. Conueniunt autẽ ambo Doctores Sancti in fundamento Naturæ: Sicut conueniunt quoq; in ordinatione diuina, quod tamen inde explicabitur.

6 Accedendo vero ad Primum, quod est Natura, non videtur, quo natura nobilior est, eo dominari debere super ignobiliora: hoc namque homini soli insitum videtur, tum vero etiã à Deo collatum, Genes. 1. *Dominamini piscibus maris &c.* Item, dum cuncta creata fuerunt propter hominem, mirum nõ est, si Bruta supposita sint seruituti hominum: hæc vero non militant inter Angelos, non enim vnus creatus fuit propter alterum: Item, si pro fundamento habet naturam, sequitur, duraturum quoque fore etiam post Iudicium, talem prælationem, patet, quoniam Natura perseuerabit eadem integra in naturalibus: consequẽs tamen est falsum, patet ex 1. Cor 15. *Deinde finis, cum tradiderit Regnum Patri, & euacuauerit omnem principatum, & potestatem, & virtutem.* vbi Glossa, *Collectis hominibus, iam omnis prælatio cessabit, quia necessaria non erit.* Arguit insuper Suarez lib. 8. de Angel. cap. 21. num 8. Angelus non habet originem ab Angelo, ergo cessat in eis prælatio. prob. conseq. Pater namque dominatur in filium, quia originat eum. Item nõ dependet Angelus ab Angelo nec in esse, nec in operari, nec vt directus, aut regulatus à dirigente. Obstatur autem, Bruta non dependent ab homine in esse, nec in operari: & tamẽ est dominus eorũ. Dices, hoc haberi à concessione Dei: verum; attamen idem ait Suar. quod instinctu peculiari indito à Deo, poterant apprehendere in seruitutẽ formata fuisse hominis: quo tamen obsequio priuatus remansit homo per peccatum, loquendo de Feris, quousque domentur: domestica enim iam aliter se habent, vt Canes, feles, & huius generis, vt idem Suarez probat lib. sex dier. lib. 3. cap. 16. præcipuè nu. 12. & num. 5. probat, vi creationis ad imaginem Dei, competere sibi dominium super Bruta: quo stante, dominiũ fundabitur in eius etiam sententia, etiã in Natura. Probari quoq; potest, quoniam nobilior, seu maior inter eos per naturam, erit quoque maior per potentiam: illa enim sequitur ad naturam: ergo nobilior cogere poterit minus nobilem, sicque erit eius Dominus. Nõ valet. Tigris enim, & Leo potentiores sunt viribus corporis, atque fortiores homine, & tamen nullum habent imperium in homines: vltra quod sunt, licet pauci, qui negant posse superiorẽ Angelum cogere, & ligare inferiorem, quod tamen nõ admisimus, agendo de potentia Angeli. Probatur insuper aliundè, posset namque Lucifer, facultate naturali, qua cunctis præstat cæteros sibi subijcere, sicut euenit tum in feris, tum etiam robustioribus hominibus, penès imbecilles corpore, & viribus, sibi subijcientes eos. Probatio tamen hæc assumit incertum, vtrum

possint

possint inferiora, etiam simul sumpta, deuincere superius: quod quidem negat Suar. num. 15. At obstatur, siquidem plures Leones deuincunt Leonem, veluti caput constitutum à Leonibus: Si negas capitis rationem in Leonibus accipe in Apibus, vbi Apes Regem habēt, inquit Plinius: pluresq; Apes inferiores occidere valent Regem ipsarum, eoque magis, quo, ex Hieronymo, *Rex apum caret aculeo*; ergo minus potens erit ad sui tutelam, carens armis, ita quoque in Gruibus, qui sequuntur Ducem magis; patet in hominibus, in humana politica, dum subditi rebellarūt quādoq; à suo Rege, eundē interficientes. Dices, ita sentire Philosophum. Resp. dum instantiæ allatæ tenent, Philosophum loqui de insensatis, vt de Elementis: exemplificatur autem de igne, siue de particularibus ignibus materiæ additis in sublunaribus, qui omnes, etsi plurimi essent, nihilominus pertingere non possent ad perfectionem, & intensionem Elementi ignis existentis in concauo Lunæ. At vtrum in Angelo supremo valeat, existimo etiam valere in ipso, supposito namque, contulisse Deum vnicuique, quod propriæ Naturæ conuenit, v. g. nobiliori Intelligentiæ nobiliorem intellectum, ac maiorem potentiam, & consequenter supremæ Intelligentiæ, correspondentem potentiam, nequaquam singulæ inferiores Intelligentiæ, etiam simul vnitæ, præualere poterunt aduersus illam: nisi tamen adiuuetur potentia Dei, Angeli namque inferioris Hierarchiæ cogunt, ligant, infrænant, & torquent Dæmones, alioqui natura naturalique potentia superiores: id tamen est effectus omnipotentiæ Dei. Probat idem Suarez, non posse dominium superiori Angelo competere quoad potestatem moralem; ratio, quia non habet vim directiuam, & regulatiuam Angeli inferioris, dum vnusquisque dirigitur à naturali sua ratione: nec consequenter, vim habebit coactiuam, præceptum illis imponendo; At nec hoc vrget, licet namque Natura, qua talis, non sufficiat ad hoc, quia tamen accedere posset pactum, & fœdus obtemperandi, & imperandi, hinc posset stare talis prælatio: Dices, sunt alterius speciei Angeli, quoniam ergo contrahere poterunt hoc fœdus inter se; etenim quod homo homini confœderetur, non mirum, sunt namque speciei eiusdem, at Lucifer haberet sub se Angelos plures nedum indiuidualiter, verum & specificè differentes. Respond. differentiam hanc non obstare: & quidem sufficit habere rationem, seu intellectum, quo dirigant, & cognoscant directionem: habere quoque voluntatem, qua pacisci possint, & fœderari, ac consentire in fœdus, & ita quidem euenit, vt simul conueniant, conciliabulum facientes aduersus homines, in qua re imperat vnus, vel plures, subordinatè tamen, veluti in humana politica, vbi plures sunt subordinati Duces, Ministri, & Rectores, alij vero obtemperent.

7 Ex his tamen concluditur, prælationis fundamentum, esse ipsam Naturam nobiliorem: patet, alias non daretur inferiori, posset autem dari, sicut contingit in humanis, vbi inferior, seu infimus quandoque in seculari Republica, siue in Comitijs regularibus, eligitur in superiorem. Et propterea D. Bonauent. dixit, *Sua conditione data est eis vis administratiua*, idest, consequenter ad conditionem, & nobilitatem Naturæ. Et Hugo, penes eundem, inquit, *In malum ministerium exercent, quod perficiendum ex conditione, acceperunt*, idem etiam fundamentum iacit in *conditione naturæ*. Insuper Magister ait, *Habent quoque secundum modum scientiæ maioris, prælationes maiores, vel minores*. Licet vero in humanis non semper officia, & prælationes committantur maiori scientia, pollentibus, nihilominus, Magister docet, in Angelis ita euenire. Et confirmat Richardus.

Prælationis fundamentum in Dæmonibus est Natura.

8 Verum, non dicimus, Naturam de se sola, sufficiens, & completum caput, & fundamentum esse talis Principatus, sed duo alia, insuper concurrunt, vnum est, prouidentia Dei: alterum, consensus, & confœderatio Dæmoniorum. Primum, expressè docuerunt Doctores Sancti recensiti: Angelicus quidem, dum dixit, *Ordinationem impugnationis prouenire à Deo* & Seraphicus,

phicus, dum ait, *Deus ordinauit, vt minus sapientes, & potentes, magis sapientibus, & potentibus subijcerentur.* Ratio est, quia nihil inordinatum Deus in Mundo relinquit; Et confirmat Augustin. lib.83. quæst. 69. cum inquit, *Euacuando omnem Principatum, & Potestatem, manifestat, & omnibus notum fieri, nullum Principem, vel Potestatem, siue Cœlestium, siue terrestrium, per se habuisse aliquid Principatus, vel Potestatis, sed ab illo, ex quo sunt omnia, non solum sint, verum etiam, vt ordinata sint.* Consensus item, & confœderatio complet prælationem, ex qua cōfœderatione completur Principatus.

9 Non est autem opus immorari in explicatione mentis, seu phrasis D. Thomæ, vt agit Suarez num. 20. etenim plenè semetipsum explicat Sanctus Doctor, inquiens, impugnationem prouenire à Dæmonibus, sed ab eorum malitia; à Deo tamen permissiue: *ordinationem autem impugnationis prouenire à Deo ordinante, & positiuè prouidente* quo in loco, de duobus loquitur, de impugnatione quidem, & de ordinatione, seu ordinabilitate impugnationis: primum euenit à malitia Dæmonum per se, & effectiuè, dum vero intendunt impugnādo nos euertere: Secundum autem est positiuè à Deo, qui certamen, meritum tentationis, eiusdemque victoriam, ordinat in vltimum finem: liceeque tētatus tentationi succumberet, nihilominus Augustinus ait, *Ne putetis, gratis esse malos in hoc mundo, & nihil boni de illis agere Deum: omnis malus aut ideo viuit, vt corrigatur, aut ideo viuit, vt per illum bonus exerceatur*. in Psalm. 54. Et vbi Paulus 2. Cor. 7. ait, *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*. ipsemet subdit, *etiam peccata*. Cum vero culpa ordinetur ad pœnam, & *Omnis nis pœna sit ordinatiua culpæ*, vt Scotus cum eodem Augustino docet; hinc est, vt ratione boni, quod ex tentatione elicit Deus, dicatur sic se habere Deus. Hoc etiam modo exponendus est D. Bonauent. dum ait, id euenire *ex diuina institutione*; & quod Deus *ita ordinauit* est enim idem vtriusque Doctoris sensus. Confirmatur autem ex eo, quod habet Chrisostomus homil. 4. ad Ephes. *Deus ideo Diabolum hic reliquit, vt te fortiorem, & clariorem athletam efficeret; & complura etiam certamina nobis essent: Si quis igitur obijciat; quam ob rem Deus Diabolum hic reliquit, hoc pacto ipsi respōde, quia sobrie illis, & circumspectis non solum non obsunt, sed etiā prosunt*. En qualitèr Deus reliquit hic Diabolum ex Chrisost. igitur stat diuina ordinatio tentationis in eo, vt nos, pugnando, & vincendo, clariores Athletæ euadamus; & non quidem id ordinauit, vt tentationes nobis obsint, sed prosint: hoc autem bonum est; imo melius, quatenus victoria talis, in Dei gloriam redundet, & gratiarum actionem igitur, abstracta malitia, quæ Dæmonis est, bonum tamen, quod inde intenditur, Dei est à quo est omne bonum. Talis est Bonauenturæ sensus, quem de facili, de mente Seraphici, ac sapientissimi Doctoris elicere potuerat Tanner. tom. 1. disput. 5. quæst. 6. dub. 7. num. 4. dum vero ait, non à Deo, vt Bonauent. sed vt Thom. quæst. 114 art. 1. inquiens, id prouenire à Lucifero: profectò deficit, & truncat sententiam D. Thomæ, vtrumque enim ait D. Thom. & esse à Dæmone, & à Deo: à Dæmone quidem ob maliciam; à Deo tamen permittente. & hoc loquendo de tentatione, quatenus mala est, inducens ad malum: Cæterum, loquendo de ordinatione impugnationis, hanc ait, *esse à Deo ordinante*, & positiuè *prouidente*. & vt sic loquitur quoque Bonau. dum inquit, *esse à diuina institutione*; cur namque difficultatem eandem nō mouit in phrasi D. Thomæ, sicut mouit Suarez, ob quod, ipsam explicat n. 20. quod si ad optimū sensum, ipsam retulit, cur non ad eundem sensum retulit Bonauenturam, alias, in sensu suo, Tannerius tacitè impingit Diuo Bonauenturæ, quasi doceat, demum velle malum culpæ, & peccatum qua tale, velleque tentari nos ad nostram ruinam, & perditionem; vtinam legisset eundem Bonauenturam in 2. d. 37. art. 2. quæst. 1. immo per quæstiones ibi plures, totamque fere distinctionem, alitèr namque de eo, licet parum scripsisset.

Diabolum cur circa nos reliquit Deus.

10 Ad opposita autem respondendo,

do, ad Primum, idem esse Principatum, ac originem: ita Tigurina; *Non seruauerunt suam originem*. Per hoc autem indicatur excellentia originalis, quam à creationis initio contraxerût, dum creati fuerunt in gratia: hoc autem stante, sensus est, non seruasse, siue non remansisse in gratia, in qua fuerunt creati. Gagneus legit, *suam dignitatem*. Adamus, *suam Magistratum, honorem, & præeminentiam*. Sistendo tamen in nomine Principatus, possident illum de facto, non de iure, quia indigni sunt.

Diabol⁹ cur alteri liberè subest.

11 Ad Secundum, licet superbus nolit alteri subesse, absolutè, & secundum se; nihilominus, vt alteri noceat, suumque sortiatur intentum, libentèr alteri se subijcit: taliter agunt superbi *Dæmones*, vt Genus humanum perdant, submittentes se capiti Lucifero, à quo dirigantur in perditionem hominum.

12 Ad Tertium, non negatur ibi ordo Naturæ, diuinæq; Iustitiæ, quoniam *redditur vnicuique iuxta opera sua*, vt ibi Gregorius, dicens, *Ipsa etiam supplicia, quæ ex lance diuinæ Iustitiæ prodeunt, inordinata esse non possunt*. & Apocal. 18. *Quantum glorificauit se, & in delicijs fuit, tantum date ei tormentum, & luctum*. Sed Richardus ait, nullum esse ordinem, puta *rectæ voluntatis*, quæ quidem requiritur ad iustam prælationis executionem. Vel, ex eodem; nullus est ordo *naturæ peruersæ*, quia qui sunt superiores per naturam, sunt inferiores per culpam: Hoc autem confirmatur de Lucifero, qui dum cunctis in natura erit superior, nunc est cunctis inferior, omniumque infimus, ligatus in centro Abyssi. Explicat vero Polychron ibi, inquiens, *Non est Solis ordo: nullus syderum Leteronum: vbi nullam licet rerum humanarum statum intueri: nullam, inquam, præclara lege, atque ordine institutam politiam*. fauet Septuag. *Vbi non est lux, neque est videre vitam hominum*. Vel ex tenebris, quæ ibi erunt, omnia deturpata, & absque candore, fuscaque apparebunt: Vel sicut per candidam lucem distinctio apparet rerum, & ordo, sic, ex opposito, in tenebris, omnia sub confusione delitescêt, quemadmodum

In Inferno nullus ordo declar.

perturbatam Rempublicam descripsit Cicero pro Roscio, inquiens, *Tanquam si effusis Reipubl. temporibus nox esset, ita ruebant in tenebris, omniaque miscebant*. Vel insuper, quia ordo in multis tenebris reperitur, vt signis sine splendore: succedit quidem ad videnda tormenta, & concitus, atque Dæmones, attamen lumen id non afferet lætitiam oculis, & cordi gaudium, existens lumen fuscū, & adeo languidum, vt languescat cor intuentium illud, itero aquæ nimium, calor nimius, eoq; magis, si simul necdantur simulque tormenta plura copulantur, iuxta illud Apoc. 18. *In vna die venient plagæ eius, mors, & luctus, & fames, & igne comburetur*.

Lumen Inferni quale, eam.

13 Ad Quartum, prælatio est quidem ibi à Natura, sed radicalitèr, & inadæquatè, seû incompletè: completur tamen per capita alia allata, per Dei prouidentiam, specialitèr spectantem ad hoc genus; & per consensum, & fœdus initum inter eos: Nec etiam erit per violentiam, quoniā liberè consentiunt ac hoc munus.

14 Ad Quintum, iam patet non sibi de iure deberi, sed de facto eam vsurpant.

15 Sed numquid ex hoc, appellandus foret Lucifer Tyrannus? Respond. in Tyranno considerari plura: Primum, Potestatem, quæ tamen sibi competit de facto, non de iure. Secundo, violentiam in subditos. Tertio, voluntatem imperandi non in bonum, sed in perniciem Reipublicæ: &c. Spectando Primum, vtique Tyrannus est Lucifer, dum legitimam potestatem non habet, nec ius, vt dictum est, sed de facto vsurpat, Deo solummodo id permittente. Spectando Secundum, cessat vt sic, Tyrannis, etenim non violentèr, sed sponte consentiunt, Dæmones in electionem sui Capitis, & Regis: in ordine tamen ad Genus humanum, quid non agunt, & quē lapidem non mouent, vt tyrannicè, & violentèr tentando, nos perdant. Spectando denique Tertium, absolutè tyrannus censebitur, dum in perniciem humani Generis vires suas exerit, ac potentiam expendit.

Tyrāni conditiones.

Diabolus in tyrānus.

16 Ad Sextum, concordant quidem, non gratia amoris, charitatis, & pacis,

pacis, quæ omnia longè sunt ab eis, sed ratione vnius tertij, quod est humanum genus, vt concorditer, & vnanimiter, simulq; fortiùs impingant in illud, ac destruant.

Dæmones concordant in tentatione hominum.

17 Ad Septimum negatur consequens, ratio, quia omnes homines sũt vnius, eiusdemque speciei, & propterea, dum natura est in omnibus æqualis, nequaquam à Natura vnus alteri dominabitur: quia primis de iure naturali omnes sumus liberi: seruitus vero & dominium introducta fuerunt de iure gentium: *Seruitus enim est constitutio iuris gentium, quæ quis Domino contra Naturam subijcitur*. Institut. de iure pers. §. *seruus autem*.

Plura vide infra disput. 19. quæst. 1. à num. 29. ad finem.

QVÆSTIO X.

De ministerio Dæmonum in tentandis Hominibus.

Dæmonis studiũ tentandi homines.

1 Dæmonis præcipuum studium, ac laborem, in eo situm esse, vt homines tentent, totoque conatu nitantur, vt eos succumbere tentationibus faciant, negari non potest. Hoc in primis ostendunt Scripturæ, vt de Serpẽte in Horto Paradisi tentante Euam: Genes. 3. vnde Ioannes 8. inquit, *Ille homicida fuit ab initio*. Ab initio quidem Mundi: fuerat namque Homo in statu innocentiæ, immortalis per gratiam, mortem tamen inde incurrit, succumbens Serpentis tentationi. Idemque Apoc. 12. *Ille Draco magnus, qui vocatur Diabolus, Serpens antiquus, & Satanas, qui seducit vniuersum Orbem*. Petrus Ep. 1. cap. 5. *Aduersarius vester Diabolus, tanquam Leo rugiens, circuit quærens quem deuoret*. Qui tantopere tentauit, & afflixit Iob: ac vt plura linquam, ipsummet tentauit Christum Dominum, Matt. 4. *Accessit Tentator, & dixit &c.* In quo munere adeo inuigilãt Dæmones, vt Irenæus lib. 5. cap. 24. dicat, *Diabolus nunquam quietus est, nec genus vult in tranquillo agere*. Damascen. lib. 2. fid. Orth. cap. 4. *Nullum vitium, nullũ impurarum affectuum genus est, quod non ab ipsis excogitatum sit*. Chrysostom. homil. 31. in Genes. *Mala Bestia est Diabolus, & multiplices machinationes struit*. ac Tertullian. Apolog. cap. 22. *Operatio Dæmonum est hominum euersio*.

Dæmon cur tentat.

2 Cur vero tantopere infesti sint humano generi ratio inquiritur. Aug. lib. contra Priscill. cap. 5. inuidiæ id tribuit, inquiens, *Non ab alio, nisi sæuientis malitia inuidentiæ agitatur, vt illos vincat, quibus in lucem reddimus, perire hos conatur*. Basilius in odium refert Dei, quo Dæmones ita ardescunt, ob quod, perdere nituntur homines, qui ad imaginem facti sũt Dei: velut Tigris imaginem quoq; hominis, siue sculptam, siue depictam discerpẽs, in odium eiusmet hominis: confirmat Theodoret. lib. 3. Græc. Affect. inquiens. *Malos Angelos rabie quadam contra humanum genus incitatos, quod ad imaginem Dei factum videbãt, atrox bellum aduersus hominem accepisse*. Redeundo tamen ad caput inuidiæ, qualis quæ sit inuidia hæc, & vnde ortum habuit, ac de quonam? Primo dicendum, vltra rationẽ de Imagine, inuidisse quam maxime vnioni hypostaticæ cõtractæ cum Natura humana: vnde Bernard. *Vidit, & inuidit, Insuper, inuidet de gloria parata* hominibus in Cœlo, è quo tamen ipse deiectus fuit absque redeũdi spe. Item inuidet, fore homines eleuandos ad sedes illas, è quibus Dæmones ipsi expulsi fuerunt. His, alijsque capitibus, inuident, ex quo nullum lapidem non mouent, vt homines impediant ab assecutione tanti boni: hincque nedum hostes, imo & crudelissimi euasere contra nos, prout loquitur Cyrill. Hierosol. Cathech. 16. *Vere hostes sunt hominum Dæmones, & absque misericordia*.

Inuidiæ Dæmonũ causa.

3 Tanto autem amplius inuident,

& crudeliores euadunt, quod etsi se superandos fore videāt, ab iis, quos tentant, nō tamen ob id desinunt tentare: ita Chrisost. hom. 1. de Lazaro, inquiēs, *Frequenter & illa tentat, quæ nequaquā fieri possunt: nec illos solū adoritur, quos omnino confidit, se supplantaturum, deiecturumque; verum etiam eos, quos probabile est, artibus illius fore superiores.* Quin maiora idem addit, tentāt enim, & si lucrum nullum quādoque de tentatione sperent: imo, quamuis norint, maiorem pœnam, licet accidentalem, inde promereri, non tamen ob id cessant tentare: sic idem Sanctus Doctor ibidem scribit, *Diabolus circumcursat, cupiens obsistere nostræ saluti, non solum ipsi nihil lucri inde reportans, verum etiam suo studio, grauissima detrimenta sibi concilians.* Circa id vero quod tentant etiam eos, quos præuiderint fore victores: vel non semper ita erit, etenim, cessāte fine, qui est victoria, si certiores fiant, fore deuincēdos, probabile est, nō fore pugnam, ac tentationem aggressuros, talis enim est ars militādi: Verum, potest quoque contingere, vt quamuis desperent de victoria, nihilominus adornent bellum, & aggrediantur, non quidē ob finē victoriæ, de qua desperent, sed quia rabie agitati, odio, ac ira efferuescentes, existimant quoquomodo, vt possunt, vindictam sumere de hominibus: vel saltem desideriū explent, sic, media tentatione, molestando: si namque victores non euadunt, exultant, nihilominus de nostra infestatione.

Tentant, & si vincēdos se sciant.

4 Munus autem tētandi vtrum ex seipsis sibi arrogent, an aliundè committendum expectent? vnde inquiritur, vtrum tentandi facultatem habeāt à seipsis, vt ad libitum tentare possint, an vero à Deo. Videtur quidem in primis, habere eam à Deo; probatur, Damascenus lib. 2. fid. cap. 4. inquit, *Nullam aduersus quemquam, vim, ac potestatem habent nisi ea, ipsis, Dei consilio, ac dispensatione concedatur.* Aug. in Psal. 100. *Diabolus nulli nocet, nisi potestatē acceperit à Deo.* Bern. lib. de Mod. viu. cap. 67. *Quamuis Diabolus semper cupiat tentare Seruos Dei, tamen, si à Deo potestatem non accipit, non potest implere quod quærit.* Idemque Aug. in Psal. 61. *Diabolo potestas quædam est; plerumque tamen vult nocere, & non potest; quia potestas ista sub potestate est:* rationemque reddens, quare à Deo dependeat tentandi potestas, subdit, *Nam si tantū posset nocere Diabolus, quantum vult, nō aliquis iustorum remaneret,* igitur à Deo est: At quonam pacto esse à Deo potest, cuius voluntas *est sanctificatio nostra* quinē *Vult omnes homines saluos fieri,* per tētationes vero sæpè succumbimus, & operamur contra nostram salutem, quia foret etiam, peccatum ex tentatione resultās, refundendum in Deum, vt Authorem, quod est impietas, & blasphemia.

Tentādi potestas an à Deo.

5 Responsio communis, & catholica est, potestatem tentādi in Dæmonibus esse à Deo, quidē, sed *permissiuè*: sicut enim permittit peccata, ita & permittit nos tentari. Hoc sufficeret: Nihilominus ad maiorem, & ampliorem explicationem ipsius nominis, *potestatis* potentiam, seu potestatem, more Scholasticorum, sumimus vel physicè, vel moraliter, quo stante: loquendo de prima, vtique à Deo est: creādo namque Deus Angelos, contulit ipsis, vltra Essentiam, intellectum quoque, voluntatem, potentiam exequutiuam, cæteraque naturalia, siue cognata ipsorum naturæ. Loquendo de Secūda, ipsamet potētia moralis iterum distinguenda venit, vel enim sumitur positiuè, vel negatiuè: sēsus primæ, esset, potestatem Diabolo tradere, qua tentanti voluntatem inclinaret ad peccatum, vel imperio, vel consilio, vel præmio, vel minis, & huiusmodi: & vt sic, nequaquam est à Deo, esset enim Author mali: Sensus autem secundæ esset, non impedire id, quod Dæmon agere intēdit, tentando &c. & talis est potestas moralis negatiua, quæ consistit in *permissione* nō impediendo: A primo ergo ad vltimum: potestas quidem physica est positiuè, & efficiēter ipsis collata à Deo: Moralis positiua non est à Deo: moralis vero negatiua, est permissiuè à Deo.

6 Totum hoc docent Patres, etenim Cyprianus in Explicatione Orationis Dominicæ, inquit, *Nihil Aduersarium contra nos posse, nisi Deus antè permiserit.* August. lib. 2. serm. 14. *Deus*

Permittit Deus nos tentari.

non

non inducit per seipsum, sed induci patitur, eum, quem suo auxilio deserit, ordine occultissimo, ac meritis. Gregor. lib. 3. moral. cap. 3. *Non inducit Dominus in tentationem, qui semper à tentatione subditos misericorditer protegit. sed tamen tentationē, quasi eius inducere, est à tentationis nos illecebra non munire.* Gloſſa 6. Matt. *Non quia ipse nos inducat, sed quia deserit, & ne in tentationē permittit.* Maximus ad eundem locum. *Non permittas voluptuosarum, & spontanearum tentationum nos experientiam pati.* D. Bonau. in Stimul. Amor. par. 3. c. 17. *Vti bone Iesu, vt sit petamus, ne nos inducat in tentationē; quia multoties permittit nos tentationibus stimulari.* Euthym. *Cum Deus sit animarum nostrarū moderator, interdum quidem permittit nos tentari, &c.* patet ergo quod diximus de potestate morali negatiua, quā tamen Patres appellāt, permissiua, explicando eam per verbum *permittere*, sic quoque vniuersim loquitur Theologi, agēdo de peccato, quonam modo se habeat ad eius formale Deus: Patet ergo quonammodo sit à Deo, & quomodo non ab eo.

Tētatio est à Dæmone: Ordinabilitas ad bonum, à Deo.

7 Item distingui insuper potest, aliud esse, loqui de tētatione ratione vero de ordinabilitate tentationis: loquendo de Primo, ea formalitèr, siue causaliter est à Dæmone, ratione prauæ voluntatis, qua ad malum tentat, & prouocat. Loquēdo de Secundo, erit à Deo, quoniam voluntas eius est, ex tentatione elicere bonum, quarendis patientèr sustinendo, & victores euadendo, gloriā canamus ipsi Deo, dicētes cum Psalmista, *Cantemus Domino, gloriose enim magnificatus est; Equum, & Ascensorē proiecit in mare.* Gratiasq; ei rependamus cum eod. Psalmista 127. *Benedictus Deus, qui non dedit nos in captiuitatem dentibus eorū. Laqueus contritus est, & nos liberati sumus.* & insuper premium assequamur, & coronam. Quam distinctionem innui i. usquest. praeced. explicando Diuum Thomam.

Potestas tētandi bona, et mala.

8 Et ex his, quoq; resoluitur quæsitum, verum potestas hæc bona sit, an an mala: Resp. quod diuersè spectādo, bona erit, & mala: bona penès Deum, ordinātem eam ad bonum: mala, spectādo malitiam tentatoris in ordine ad malum. Dices, etiam respectu Dei; quandoque erit mala, siquidem vere permittit ad ruinam tentari, sicut & quādoque excęcat, & obdurat peccatorem, atq; indurat: iuxta illud Isa 34. *Excęca cor populi huius, & aures eius aggraua; vt videntes non videant, & audientes non audiant:* & Exod 17. *Induratum est cor Pharaonis:* atque 2. Cor. 5. *Cui vult, miseretur, & quem vult, indurat.* Respondetur Primo, quatotum est ex parte Dei, *vult omnes saluos fieri* Roman. 4. Secundo, Oseæ 7. *Perditio tua ex te Israel*, est ergo induratio, & obcęcatio promerita à peccatore. Tertio, stante obduratione peccatoris, indurat merito eum Deus demerito quidem suæ obstinationis; indurat, inquam, negatiuē subtrahendo maiora conuersionis auxilia: hoc tamen totum, etiā in bonum dirigitur ab ipsomet Deo, tum ad manifestandam suam diuinam Iustitiam, reddentem vnicuique, iuxta ea opera eius; tum quia ipsamet iustitia, & pœna, bona est, quoniam, Augustinus inquit, *Pœna est ordinatiua culpę*, vnde Gregorius supra dixerat de Deo, *Tentationem quasi eius inducere, est à tentationis nos illecebra non munire.* Quænam vero sit causa talis desertionis, & indurationis, respondet August. loc. cit. *Deus non inducit per se ipsum, sed induci patitur eum, quem suo auxilio deserit, ordine occultissimo, ac meritis: Causa etiam sępè manifestis, dignum indicat ille, quem deserat, & in tentationem induci sinat.* Ad propositum tamen redeundo de potestate bona, & mala, idem Greg. 4. moral. cap. 26. 10. inquit, *Sathanæ voluntas semper iniqua est, sed nunquā potestas iniusta; quia voluntatem habet sed à Domino potestatem.* Rationem vero reddens, subdit. *Quod enim ipse facere inique appetit, hoc Deus fieri, non nisi iuste permittit.* Confirmatur ex Bernard. lib. 6. de Modo ben. viuend. cap. 67. *Omnis voluntas Diaboli semper est iniusta, sed tamen permittente Deo, semper iusta est potestas eius.*

Deus, quā te indurat, seu permittit.

Tentādi potestas frenata a Deo.

9 Ex quo tamen Dæmonum potestas sub potestate Dei est, vt loquitur August. sequitur, vt nō tantum tentet, quantum potest, frenāte Deo potestatem eorū; Rationem reddens idem in Psalm. 161. inquit, *Plerumque vult no-*

cere, & non potest, quia potestas illa sub potestate est. nam si tantum posset nocere Diabolus, quantum vult, non aliquis iustorum remaneret, aut aliquis fidelium esset in terra. Item Basil. hom. 23. *Maiorem publicè Diabolo non Dominus insolabili lege præsul: nec permisit, vt vno tempore mortalium genus à facie terræ deleret.* ac S. Ephrem Serm. de Patient. *Nouit Deus, quantum subire possit probationem, ac tentationem animus: & tantam quoque permittit.* idemque August. *Tantum permittit illo tentare, quantum tibi prodest, vt exercearis, vt proberis.* & insuper, *Permittit Deus, & Iudicis permittit:* sensus est, *iudicis*, nempè, iudicioso, & prudenter, ac sapienter, alteroque subdit, *Permittit, mensuram, pondere, & mensura.* sit recensitus Ephrem vtens exemplo figuli, inquit, *Nouit figulus quanto tempore oporteat vasa in igne relinquere, donec vtilia reddantur: & si homines discernere norunt, quanti ponderis atque oneris singula ferre queant animalia, velut Mulus, aut Camelus; tantumque addunt oneris, quantum vires animalis tollerent: quanto magis Deus, qui totus est sapientia plenus, nouit quantis probationibus, tentationibusque indigeant animæ, ipsi placere volentes.* & denique Gregor. 32. moral. cap. 2. Diabolum ligatum, ait, *Ne suis viribus tradatur, in multa, contra nos vitiis laxatur.* & 1. Cor. 7. *Benedictus Deus, qui non patitur vos tentari supra id, quod potestis.*

Verum tentandi potestas minor fuerit post Christi aduentum.

12 Verum quæritur, quantum, siue ad quantum signata remaneat potestas hæc Dæmonum: verum insignata solum remaneat, saltem post aduentum Christi, an vero de toto ablata? ita sonare videtur verba Cypriani, qui lib. 7 Epist. 76. sic scribit: *Diaboli nequitiam pertinaciam, vsque ad aquam salutarem valere: in Baptismo vero, omnes nequitiæ suæ vires amittere.* Insuper subdit. *Cum ad aquam salutarem, atque ad Baptismi sanctificationem peruenitur, scire debemus, & fidere, quia illic Diabolus opprimitur, & homo Deo dicatus, diuina indulgentia liberatur.* Sentire ergo videtur, omnem ablatum Dæmoni, post baptismum, facultatem. At vero oppositum docent communiter Patres, vnde Gregorius ait, præcipuè Dæmonem tentare sanctiores, atque perfectionis studiosiores, inquit enim 1. Reg. 7. *Cum altiori vita proficimus, maligni Spiritus nobis infestiores sunt.* Item ibid. *Contra perfectiores Christi milites non quorumlibet malorum Spirituum, sed fortiorum Dæmonum prælia excitantur.* Chrysost. homil. 1. ad Popul. Antioch. *Tunc Diabolus sæuior efficitur, tunc magis efferatur, cum viderit nos, cum diligentia, vitam nostram dispensare.* In casu vero Baptismi recensiti, Origenes homil. 9. in Iosue. dixit, *Baptismum initium certaminis, & pugnæ spiritualis cum Dæmone, esse censetur.*

11 Pro solutione tamen discurrendum de variis naturæ humanæ statibus, & conditionibus. In statu enim Naturæ institutæ, seu Innocentiæ non permissus fuisset Dæmon ita tentare, sicut in statu naturæ lapsæ; ibi enim solum exteriùs suadendo tentauit, inquit D. Thom. 2.2 quæst. 165. nec ita grauitèr tentasset, vt modo: item tentatus tunc fuisset ad exercitium virtutum, præcipuè obedientiæ de non comedendo pomum: nunc vero tentatio datur, nedum tanquam exercitatio virtutis, verum & in pœnam peccati. hic vero, etiam interiùs persuadendo. In statu naturæ lapsæ vsque ad aduentum Christi, acriùs, & spissiùs tentauit humanum genus. aderant enim tunc, totum ferè per Orbem Idola, Templa Dæmonum, Idolatræ, Tyranni plurimi, magnaque viuendi libertas, amplior vitæ laxitas, & huius generis, proptereaque maiorem inde inflammabant ad maiora facinora perpetranda, tentandi occasionem, Erant tunc frequentiores Elementorum perturbationes, tempestates, terrarum hiatus, terremotus, naufragia: Dæmonumque aggressus, etiam manifesti: quæ tamen magna ex parte cessare, seu diminui cœperunt ex aduentu Christi, maximeque ibi, vbi vel Crucis vexillum superimpositum est, vel sacra Templa erecta, vel Sanctissimum, ac tremendum IESV CHRISTI Domini nostri Nomen inuocatum: en variis in Orbis terræ plagis Idola confracta, simulacra diruta, fana deuastata, Idolatræ ad fidem conuersi, fidesque ipsa disseminata. Post item Christi aduentum, vel loquimur de baptizatis, vel de prorsus infidelibus, & hæreticis: aduersus quidem nostræ Fidei hostes ingra-

Ingrauescunt tentationes, præsertim apud Iudæos, quibus cum fecerit, vel ad manus, quandoque Dæmonem, Iudam, & pugnam adiuuit; præcipue vero vbi viget Atheismus; insuper, loquendo de Electis, scit bene Deus taliter attemperare tentationes, vt illis eos moneat, & præsidio, vt caueant, vnde & beneficium sortiantur prædestinationis; & propterea Christus dixit, quod *Propter Electos breuiabuntur dies* persecutionis Antichristi. Vnde in vniuersum, hinc quoque oritur & discrimen alterum inter tempora nostra, & futura Antichristi; tunc namque soluetur iterum Lucifer, Apoc. 20. & erit tentatio, tribulatio, & persecutio qualis non fuit, itaut, *inducantur in errorem etiam electi, si fieri potest*, ait ipse Christus. ergo concluditur, etiam post Baptismum accidere tentationes, verum non tales, tantasque, quales, quantæque prius.

12 Rationi autem ad Cyprianum qui videbatur oppositum sentire, respondendum Primo, loqui per excessum, vt fieri solet, eo quod enim attenderet ingentem, victoriæ esse magnam. Secundo loquitur comparatiuè, ante Baptismum fuisse tentationes acriores, inde vero per Baptismum temperari: Quod vero non absolutè negauerit id, clarè ex eiusdem verbis alijs, siquidem in Præfat. libri de Exhort. ad Martyr. sic loquitur: *Ne multis occursum tam grandè complectar [illegible] quos Diabolus homines impugnat [illegible] tentandi, & artes, atque insidias, [illegible] in ipso tentationis [illegible] dicit: si imparatum inuenerit militem Christi, si non sollicitum, si toto corde vigilantem, circumuenit nescium, fallit incautum, decipit imperitum.* Ex quo autem loquitur etiam de *Militibus Christi* cuiusmodi sunt baptizati, eosque, ait, tentari, patet non negasse tentari nos post Baptismum, ne vero dicamus esse sibi ipsi contrarium, dicendum est loqui comparatiuè, vt explicuimus. Hinc Aug. solil. 16, *Non vsque ad mensuram, Diabolum tentare permittis: vnde dando tentandi potestatem, seruas agnitionem.*

13 At si tam non modica est potentia Dæmonis in tentando, nonne poterat idem Deus, de toto ipsam compescere? etenim cessante omni prorsus tentatione, in peccata non rueremus, nec offendicula pateremus nostræ saluti: quare ergo tentari permisit.

14 Plures causas assignant Patres, potiores vero hic recensebimus. Prima fit, ad ostendendam suam potentiam, & nostram imbecillitatem; quamuis, ex nobis quidem euincere tentationes nō possumus, Dei tamen adiutorio valemus. Ita Paulo responsum fuit, dum suam in tentatione fatebatur imbecillitatem, *Virtus est mihi [illegible] mea.* ob quod & plura alia, se infirmū appellabat, *[illegible]*, in qua respondit Deus, *Sufficit tibi gratia mea.* Hinc August. in Solilo. cap. 16. *Tentator defuit, & vt deesset, tu fecisti: locus, & tempus defuit, & vt hæc deessent, tu fecisti. Affuit tentator, non defuit locus, non defuit tempus, sed vt non consentirem, tu me tenuisti: Venit tentator armatus, & fortis, & vt me non vinceret, tu eum restrinxisti, & me roborasti*, plura huiusmodi prosequitur ibi August. & in fine cū Psalmista concludit, *Benedictus Dominus qui non dedit nos in captionem dentibus eorum. Laqueus contritus est, & nos liberati sumus.* Item ad ostendendam suam sapientiam, etenim scit ipse etiam de malo elicere bonum, ex August. ac propterea *Rationem, & medicinalem, vt sciat reprobare malum, & eligere bonum*, plura namque bona ex tentatione proueniunt, ideoque Iacobus ait, *Fratres [illegible] in tentationibus [illegible]*. & August. Enchirid. cap. 100. *Magis ad potentissimam bonitatem suam pertinere iudicauit, ex malis etiam bona facere, quam nulla mala esse permittere.* dum vero ait, *iudicauit* hinc ostenditur sua sapientia.

Cur Deus tentari nos permittit

15 Insuper ad ostendendam suam charitatem, dum per auxilium gratiæ suæ, tentatis nobis succurrit, ne occūbamus: Hinc Paulus, *Omnia possum in eo qui me confortat: non Ego, sed gratia Dei mecum.* Insuper, *Sufficit tibi gratia mea.* Ambrosius autem licet dixerit, *Diaboli [illegible] hominibus impossibile est* Ephes. 6. Nihilominus subdit inde, *Dei solius virtute superantur, & destruuntur omnia machinamenta Diaboli.* dum autem ait, *impossibile est* imbecillitatem nostram attēdit, quam tamen impossibilitatem superat sola gratia Dei, & August. in Psal. 118. exponens

ponens verba illa. *Non dominentur mei inimici mei*, inquit, *Ab huius execranda dominationis seruitute liberantur ij, quibus Dominus Iesus dedit potestatem filios Dei fieri*. Item, gloriā proponit Deus vt coronam, & palmam, ergo tētatione opus est, vt vincendo coronentur. Hinc primo Paulus ait, *Non coronabitur nisi qui legitimè certauerit*. Iac. 1. *Cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ*. Tob. 3. *Vita eius, si in probatione fuerit, coronabitur*. ac Cyprian. lib. de mortal. *Nisi præcesserit pugna, non potest esse victoria: Cum fuerit in pugna congressione victoria, tunc dabitur vincentibus & corona*. Rursus tentamur, vt probemur. Sap. 3. *Tanquam aurum in fornace probauit illos*. Tob. 4. *necesse fuit vt tentatio probaret te*. Ambros. Psal. 37. *Dominus ideo dat tentatori potestatem, vt hominum probetur affectus: ideo persecutio fit, vt fides luceat, virtus excellat, mens interna omnibus manifestetur*. Origen. homil. 3. in Ierem. *Qui mercimonia lapidum exercent, cum probare voluerint adamantem, tunc persuadent sibi verissimum esse, si indomitus lapis, inter incudē, & malleum perseuerat: talis vir est ante tentationes, ab his, qui probare lapides nesciunt, ignoratur, Certissimè adamantinorum lapidum naturam nouit solus Deus, ergo ipse adhuc nescio, verū veniente malleo, & percutiente me, confringar, & conteram, conuictus, quia non sum adamas*. Præterea, tētamur, vt vigilemus, Marc. 14. *Orate, & vigilate, vt nō intretis in tentationem*. Chrisost. homil. 3. in Genes. *Opus nobis est magna vigilantia, quoniā continuum bellum nobis est, & induciæ nullæ*. Hieron. Epist. 1, ad Heliodorum. *Aduersarius noster tanquam Leo rugiēs, circuit, aliquem deuorare quærens, & tu pacem putas? insidiatur in occulto, sicut Leo in spelunca sua, & tu frondosæ arboris tectus vmbraculo, molles somnos, futurus præda, capis? Nolite credere, nolite esse securi*. Item tentamur, ne extollamur superbia: ita Paulus, *Ne magnitudo reuelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ, qui me colaphizet*. vbi Hieron. Epist. 25. ad Paulum, *Ad reuelationum humiliandam superbiā, monitor quidam humanæ imbecillitatis Apostolo opponitur, in similitudinem triumphantium, quibus in curru retro comes adhærebat, per singulas acclamationes dicens, hominem te esse memento*. Et August. in Psalm. 130. ait, *Ne extolleretur Paulus, colaphizzatur tanquā puer*: per colaphos autem intelligūtur tentationes. Plura passim produnt patres.

16 Quæres, an omnes tentationes sint à Dæmone? Distinguendum, de tentatione probationis, & subuersionis, seu deceptionis: Prima fit ad probandum, Secunda ad subuertendum, & decipiendum. Loquendo de Prima, potest esse bona, & adeo bona, vt sit etiam à Deo, qui tentare solet ad probandum, non quod ipse ignoret, sed vt alijs innotescat virtus tentati, & probati: ita exponit Glos. locum illum Abrahæ Gen. 22. *Nunc cognoui quod timeas Dominum*, idest, *Nunc cognoscere feci &c.* ideoque ait Aug. *Tentauit Deus Abraham, vt pia eius obedientia probaretur* lib. 16. de Ciu. cap. 32. quæ autem à Deo est, bona est, indeq; subdit, *Neque enim omnis culpanda est tentatio, quia & gratulanda est, qua fit probatio*. Idemque petebat Dauid Psal. 25. *Proba me Domine, & tenta me*. quod explicans idem lib. de Don. perseu. c. 16. inquit, *Tentatione vtique vtili, qua non decipimur, vel opprimimur, sed probamur*. Cum autem Iacobus ait, *Deus neminem tentat*, loquitur de tentatione subuersionis. Loquēdo vero de secunda, ea est Diaboli, & peruersorum hominum: & hæc peruersa est. Differentiam vero vtriusque breuitèr Ambrosius indicat, dicens, *Aliter tentat Deus, aliter Diabolus: Diabolus tentat, vt subruat, Deus tentat, vt coronet*. lib. 1. de Abrah. cap. 8.

An omnes tentationes sint à Dæmone.

17 Ad principale tamen redeundo, an vniuersa tentatio mala sit à Diabolo: variant quidem Patres: Etenim August. serm. 68 ad Fratres de Erem. sic ait, *Cum malum aliquod cogitamus, aut facimus, siue parum, siue multum: nulli dubium, quia malignum Angelum hortatorem habeamus*. Leo Pap. serm. 4. de Collect. *Quisquis Deū lęsit, huius fraude traductum, huius est nequitia deprauatum*. Dion. l. 4. de diuin. Nom. *Dæmonum turba, malorū omnium causa*. idemque habet Damasc. lib. 2. de fid. cap. 4. de Iuda proditore Ioannes 13. ait, *Cum Diabolus misisset in cor, vt traderet eum*

Iudas.

Iudæis. deq. Iudæis, idem Ioannes, *Vos ex patre Diabolo estis*. Ex aduerso tamen negant omnes esse à Diabolo: Et in primis facit historia, de querimonia Dæmonis ad Antonium magnũ, dum lamentabatur, dicendo, quare semper homines nomen meum maledicunt: Cui cum respondisset sanctissimus Abbas, et quæ digne maledicũt, siquidem tu causa es tot facinorum, quæ ipsi patrant: ad quem dum Dæmon idem respondisset, vtique ipsẽ hoc ago, at non semper, etenim ipsimet sæpissimè causa sibi ipsis inuicem sunt in peccata ruendi: quo audito, dixerit Antonius, *Benedictus Deus, quod, etsi tu pater mendacij sis, quandoque tamen veritatem fateris*. Hæc in eius legenda habentur penès Vigilegam. Item Basil. in reg. breu. *Numquid omnis peccati siue mente, siue dicto, siue facto concepti, causam rectè conferre in Sathan possũt? quod enim mala etiam ex nobis ipsis nascantur, manifestè Dominus ostendit, de cordis inquiens, exeunt cogitationes malæ*. Chrisost. homil. 54. in Act. Apost. *Multi absque Diabolo peccant*, Et in Matt. 24. homil. 49. *Scit namque, quod viderit hominem desiderantem aliquid, ex eo occasionem accipit tentandi*. Et consensit Nazianz. quibus accedit Gregor. in Iobi 13. *Iniunctata tentatio non semper, sed à semetipso nascitur* nempè ab homine, de homine enim ibi loquitur. D. Tho. 1. par. q. 114. art. 3. à Dæmone, ait, causari omne peccatũ remotè tamen, & mediatè: quod probat, siquidem ipse fuit causa peccati originalis, quod est caput, & radix omnium malorũ, ergo, vt sic, refundit omne in Diabolum.

Tẽtationes quandoq; à Dæmone, quandoq; à nobis.

18 Verum in duplicis causæ sensu quæstio resoluẽda breuitèr est: in sensu radicali, siue mediato, ac remoto: & in sensu causali immediato, & proximo. Loquendo de Primo, vere Diabolus causa fuit omnis peccati, ratione peccati originalis: Probatur ex Ioanne 16. *Ille homicida fuit ab initio*. Loquendo autem de Secundo, nequaquã ipse est author omnium. Probatur, initio ipse tentauit Euam, non Adam: at peccauit Adam, ergo non ex suggestione Serpentis: Dici potest, vel tacito instigasse Euã, vt tentasset Adam: sicut tentauit Iob per mulierem dicentem *Benedic Deo, & morere*. Confirmatur, quia dixit *Comedites eritis sicut præcepit vobis*: quæ quidem phrases numeri pluralis sunt, ordinata ad ambos, licet cum sola Eua colloqueretur: ergo etiã Adæ casus videtur, saltem mediatè per Euam, causatum à Serpente: Vtique discursus rationabilis est: Nihilominus nõ cogimur vniuersalitèr asserere, cæteras omnes alias tẽtationes semper esse ab eo; patet ex eodem Iacobo, dicente, *Vnusquisq; tentatur à concupiscentia sua abstractus, & illectus*. & Paulus, *dissensiones sunt inter vos*, & rursus, *inuicem provocantes, inuicem inuidentes*. In qua rẽ, dicendum est, multoties incipere tentationẽ ex nobis, ex propria concupiscentia, siue oculorum, siue carnis, siue superbiæ vitæ, iuxta diuisionẽ Iacobi Apostoli. Multoties quoque, videns Dæmon tale initium in nobis, capta inde occasione, vrget nos, vt opere compleamus inceptum. Multoties quoque ipsemmet incipere tentare, & prosequi. Quandoque vero nosmetipsos incipere, & complere: at hoc de cõplere, raro quidem, vel nunquam, nam initium fit complementũ, & executio, absque accursu Dæmonis, qui intuitus vel inclinationem, vel desiderium, ac passionem, vel initium praue operationis, illico occurrit, sollicitando ad finem: quasi accenso vel paruo igne, ipse ligna adijcens, totoque nisu persistit, vt amplius incendantur: & hinc est, vt tam magna facinora exinde prodeãt. dici enim potest ex eodem Iacobo, *Videte quantus ignis quam magnam syluam incendat*. Sine denique concludendũ cum Tertull. Apol. c. 22. *Auctores quidem sunt malorum, nõ nunquam bonorum tamen nunquam*: Et cũ Gennad. de Eccles. dogmat. cap. 82. *Non omnes malæ cogitationes nostræ semper Diaboli instinctu excitantur, sed aliquoties ex nostri arbitrij motu emergunt*.

19 Quæritur præterea vtrum vnus, idemque Dæmon tentet ad vnicum solummodo peccati genus, itaut singuli ad singula facinora suadenda destinentur, an vero vnus tentet ad plura. Hac in re Origenes homil. 15. in Iosue, sic scribit, *Puto, fornicationis Principem, spiritum vnum esse, innumeros tamen et in hoc officio parere: &* | Dæmones singuli an ad singula tentent facinora, an vnus ad plura.

per

per singulos homines, diuersos spiritus sub eo Principe militantes, qui ad eiusmodi eos peccata sollicitent. Similiter iracundiæ spiritum, Principem vnum esse arbitrat, innumeros vero esse sub ipso agentes. Similiter & auaritiæ vnum esse Principem sic & superbiæ, & cæterorum malorum: & ideo non vnus Principatus dicitur ab Apostolo, sed plures. Hieron. Ephes. 6. idem significat, inquiens, *Princeps Dæmonum est Belzebub, & singula eorum turmæ habent capita, & Principes sunt, v. g. spiritus fornicationis habet præpositum suum; item spiritus auaritiæ, vanæ-gloriæ, mendacij, & cæterorum.* & insuper, *sunt enim quidam Dæmones amoribus, & amatorijs canticis seruientes, vt Propheta quoque commemorat dicens spiritu fornicationis seducti sunt &c.* & rursus, *Alij vero iracundias, & furores, & bella immittere: Alij præesse inimicitiis, & inter homines odia concitare.* Cassianus quoque collat. 7. cap. 7. *Hoc tamen nosse debemus, non omnes Dæmones, vniuersas hominibus inserere passiones, sed vnicuique vitio certos spiritus incubare: & alios quidē immunditijs obsectari, alios blasphemijs, alios ira, furoriq; peculiarius iniciaceri: Alios pasci tristitia, alios cenodoxia, superbiaq; mulceri &c.* Singularius vero de plurimis discurrit cap. 32. Cōfirmatur, quia in Scriptura insinuatur hoc, nam Oseæ 4. mentio fit *spiritus fornicationis.* 3. Reg. 22. habetur, *spiritus mendax.* Ex opposito tamen Leuiathan agit hæc omnia, tentando ad superbiam, luxuriā, inuidiam, auaritiam, pluraque, ex Gregor. 32. moral. cap. vlt. Res quidem dubia est; nihilominus probabilior apparet sententia prior, ratio, quoniam iam diximus reperiri prælationē inter eos: igitur munia distributa sunt: item nō sunt adeo pauci, vt opus sit, vnum præficere pluribus tentamentis. Veruntamen, dicerem, eundem Dæmonem destinatū singulariter vnicuique à natiuitate, à Lucifero, eandem, inquam, sibi munus assumere pro euersione sui Alumni in quouis genere tentationum: Quod si tamen impotens fuerit, inuitet tamen Dæmones alios ad congressum, vt victoriā reportet. [Dicat melius qui plus sapit.

20 Quandoq; aggrediuntur sensum, & visibilitèr; quam vero formam assumant, non est vna, sed sibi eas format Diabolus, vt placet: de qua re egimus disput. de Assumptione corporum. De quo etiam varia, & plura penès Cassianum. Specialiùs vero inquiri posset de forma assūpta in tentando Christum in deserto, quam quæso speciem sumpsit. Carthusianus Matt. 4. ait, assumpsisse formam viri Religiosi, *vt simulata sanctitate circumdatus, citius falleret.* At contra hoc, etenim promisit Christo Diabolus omnia Regna mundi, inquiens, *Hæc omnia tibi dabo &c.* hæc vero indigna sunt viro Religioso, tùm ratione voti paupertatis, gratia cuius nil possidet; tùm quia nec quidquam, absque Superioris venia, donare potest; tùm denique, quoniam si quispiam audiret, Religiosum virum, præsertim Minoritam, veste alioqui lacera, discalceatum, peditemq; incedentem, promittere tamen aliundè cupitā omnia Regna Mundi, risum vtiq; inde perciperet, & de stultitia eum argueret, *Nemo enim dat quod non habet,* igitur, aliter dicendum videtur illarrade. Dæmon quā formā tentat.

21 Itaque aduocandum, Dæmonē plenè scire, se transformare, taliter, vt pro loco, tempore, & re subiecta, sibi fides præstetur; in generibus vero tentationum, quas admouit Christo, tentatio prima fuit de fame abijcienda: secunda, & tertia de auaritia, & superbia, fiducia nimia &c. ergo personas in tentando assumpsit, consentaneas ad materiam tentationū. Et quia in prima tentabat de conuersione lapidum in panes ad famem tollendam, hinc assumpserit speciē Anachoretæ, Eremitæ, desertum illum incolentis, vultu quidem præmonstrante, ob maciem diuturnam abstinentiam; simulq; panis ad propriam resocillandam vitā, indigentiam; ac insuper, nullum patere aditum aliunde panem emendicandi, hinc quidem veluti stupens adinuentis, rogasse Christum, dicendo, heu miserere communi vtriusque nostrum indigentiæ, dic vt lapides panes fiant, quorū simul tu occurrere valeas, & ego mea. Quoniam vero tentationum cæterarū scopus altior erat, inde nobilis alicuius, generosi, ac liberalis Principis formā præ se tulerit, sic æstimans Dæmon quam formā Christū tentauit.

mans

mans Christum decipere, promittendo diuitias, Regna, *Hæc omnia tibi dabo &c.* sic contemplatur Barrada tom. 2. lib. 2. cap. 3. de cætero, sensus sit penes Ecclesiam.

22 Dum vero dictum fuit, Dæmonũ potentiam fuisse valdè frænatam, de Lucifero tamen quid vltro addendum est, fuisse in Abysso Inferni ligatum, vsque ad aduentum Antichristi; ita Ioan. Apocal. 20. *Vidi Angelum descendentem de Cœlo, habentem clauem Abyssi, & catenam magnam in manu sua, & apprehendit Draconem, serpentem antiquũ qui est Diabolus, & Sathanas, & ligauit eum per mille annos, & misit eũ in Abyssum, & clausit, & signauit super illum, vt non seducat amplius gentes, donec consummentur mille anni, & post hæc oportet illum solui modico tempore.* Per mille etiã annos, multi intelligunt tempus sectæ Mahumetis, de qua ipse dixerat duraturam mille annis, ipsiq; Turcæ aiunt esse prope finem.

Lucifer ligatus in abysso vsque ad Aduentum Christi.

Mahumetis imperiũ prope finem.

23 Hunc vero Angelum, Doctores aiunt esse Christum, ipse enim clauem habet Abyssi, & catena imperij sui ligauit Dæmonem, vt innuit August. 20. de Ciuit. cap. 7. Quod vero attinet ad mille annos, Andr. Cæsar. explicat tempus decurrens à Christi morte, vsque ad Antichristum, vt etiam innuit idem Aug. & Gregor. 32. moral. cap. 12. dum autem subdit, *Post hæc oportet illum solui modico tempore*, per tempus hoc intelligitur tempus trium annorum cum dimidio; tanto namque tempore durabit persecutio Antichristi; & dum denique ait, *vt non seducat gentes*, Augustinus inquit, *Ad hoc ergo ligatus est Diabolus, vt non seducat gentes, ex quibus constat Ecclesia: quas antea seductas tenebat, antequam esset Ecclesia.*

24 Verum si ligatus est Dæmon, siquè Dæmonũ potestas valdè est frænata, cur est, vt tantopere tentent, & noceant: Respondet August. *Verum est, quod multum præualent, sed tepidis, & negligentibus. Alligatus est enim, tanquã innexus Canis catenis, & neminem potest mordere, nisi eum, qui se illi mortifera securitate coniunxerit. Iam videte fratres, quã stultus est homo ille, quẽ Canis in catena positus mordet: tu te illi per voluptates, & cupiditates sæculi noli coniungere, & ille ad te accedere non præsumit; latrare potest, sollicitare potest, mordere non potest, nisi volentem: non enim cogendo, sed suadendo nocet: nec extorquet consensum, sed petit.*

Dæmon si ligatus, cur nocet.

Serm. 197.

QVAESTIO XI.

Vtrum Dæmon tentando semel victus, redeat iterum ad tentandum.

1 QVæritur, vtrum Dæmon in tentãdo victus, redeat iterum ad tentandum. Qua in re sunt plures modi dicendi: Primus est dicentium, quod semel victus de vitio aliquo, non poterit ampliùs nec de eodem vitio, nec de alio, tentare iterum siue eum, qui vicerit, siue quemcunque alium. Secundus est, non posse nec vincentem, nec alium de eodem quidem vitio tentare, posse tamen de genere alio tẽtare tùm vincentem, tùm quemlibet alium. Tertius est, non posse vincentem, de eodẽ iterũ tentare, posse tamen de alio quidem tentare, cæteros tamen tentare posse tùm de illo, tùm de quouis alio. Sentit insuper Chrysost. homil. 13. de Dæmone tentãte Christum, deuictum iam prima vice recessisse, cæteras vero tẽtationes administratas ipsi fuisse per Ministros. Inquit enim, *Fertis Dæmonem in fugam Christus: neque enim aliquem per semetipsum, tentationibus appetit.* Et hoc verisimilius putat Barrad. t. 2. lib. 2. c. 5. *&. Recessit ab illo &c.* Magister in 2. d. 6. §. vlt. inquit, *Alij quoque qui à sanctis, iustis, & pudicis viris vincuntur, potestas alios tentandi, vltra adimit.* Et infra, modificando sententiam subdit. *Hoc autem puto quidem intelligi tantum de illo vitio, in quo*

An victus redeat, probatur negatiua.

superati sunt: vt si de superbia aliquem virum sanctum tentent, & vincantur, vlterius non liceat, illum, vel alium, de superbia tentare. Origenes homil. 15. in Iosue, omnino negat redire: & aliquid vltra addit: ait enim, *Puto sane, quia Sancti repugnantes aduersus illos incentores, & vincentes, minuunt exercitum Dæmonum, & velut quamplurimos eorum interimunt; nec vltra fas sit illi spiritui, qui ab aliquo Sancto, castè, & piè viuendo, victus est, impugnare iterum, alium hominem.*

Probatur affirmatiua. 2 Verum, contra arguitur, & quidem Iobi 1. Dæmon eum primo tentans, & victus, iterato rediit. Iterum rediit, tùm per se, tùm inde per ipsius Iobi vxorem, tentando eum ad desperationem, *Benedic Deo, & morere.* Tentauit eum, vlcerando personam: inde in occisione filiorum, inde in expoliatione bonorum. Item Matt. 12. Dæmon, inquit, *Reuertar in domum meam, vnde exiui.* Insuper ad Christum Dominum, iterum secundo, & tertio rediit: imo ampliùs, quoniam, & si Lucas 4. dicat, *Consummata omni tentatione, recessit Diabolus ab eo*, nihilominùs non de toto recessit, sed rediit inde tempore passionis, ait enim, *Recessit ab eo vsque ad tempus* nempè *Crucis*, ex Lyrano, cæterisque communiter. Insuper, si quoties victus est, recedit de toto, ergo valdè, tempore hoc, diminutus est numerus tentatorum, ergo valdè etiam diminutus numerus tentationum propter tot viros religiosos, pluresque aliundè Dei seruos, victores euadentes in tentationibus, imo de die in diem, magis diminuuntur, vnde fit, vt tēpore Antichristi, valdè debiles futuræ sint, imo paucissimæ tentationes; debiles quidem, etenim militantium lex ista est, vt fortiores, ac strenuiores milites sint, qui priùs aggrediantur, & dimicent, retro autem debiliores: ergo pro nunc, siue ad extremum mūdi, debiliores supererunt tentatores, tentationesque tenuiores: at aduersatur textui Matth. 24. dicentis, *Erit tribulatio, qualis non fuit.* Item, *Vt inducantur etiam electi, si fieri posset &c. Et propter electos breuiabuntur dies illi.*

Victus Dæmon pudet 3 Dum victus remanet tentator, solet vtique pudere, ob quod, veluti pudens, quandoque recedit: Nec tamen statim de toto recedit, sed supersedet; idque ob rationes plures: Primo, vt vires quoquo modo resumat: Hoc autem est sanè intelligendum, nō enim se habet veluti homines militares, egentes somno, requie, cibo, refocillatione, & huiusmodi, vt iterum congrediantur, sunt enim Dæmones spiritus, nec vires ex hinc resumunt: sed aliunde, expectantes maiorem quidem occasionem tentandi; siue vt cessante tentatione, Alumnū, quasi de victoria gloriabundum, & veluti in tuto viuentem, somno, ociisque deditum, siue remissiùs in vita spiritus agentem, inde repente, iterato aggrediatur: hæ enim sunt vires nostrorum hostium, & vt sic, vires dicuntur resumere: siue conuocando etiam spiritus alios in auxilium, prout de Dæmone recensito habetur, *Conuocans septem alios Spiritus nequiores se, dixit, reuertar in domum, vnde exiui: & tunc fiunt nouissima hominis illius peiora prioribus* Luc. 11. Secundo, quia pudet statim regredi, dum se victū agnoscit: pudor autem hic, non est veluti virtuosa erubescentia de malo: sed est pudor confusionis. Tertio, vel in pœnam sibi à Lucifero Principe impositam, quasi eum, veluti inertem, minusque idoneum repellat à munere tentandi: exemplo Ducis militiæ, repellentis ab exercitu desidiosos milites, & inermes. Quarto, quia præuidet, operam perdere, iterato tentando, dum Alumnus aggressus, est fortior virtutibus, ob idque victor. Verum contra hoc obstat Cyprian. Epist. 6. *Fortiorem magis aggreditur, & acrior factus: hoc ipso, quod victus est, superare conatur.* Et Gregor. 28. moral. ante med. *Hostis noster adhuc in hac vita nos positos, quanto magis sibi rebellare conspicit, tanto ampliùs expugnare contendit.*

4 Quidquid tamen sit, hinc resolutiuis respondetur, quod aut præuidet, operam omnino perdere in tentando; quod extrinsecè, ex coniecturis indagare, vtcunque poterit; & tunc, quasi desperata victoria, cessat de toto tentare: ita respondet Ægydius in 2. d. 6. q. 4. Verum, patitur difficultatem, tales enim coniecturæ non possunt certum reddere tentatorem; exempla namque Resolutio ex Ægid.

sunt


sunt plurima de viris, alioqui in extasim raptis, inde tamẽ nihilominus mirabiliter eos cecidisse in plurima facinorum genera. Iuda insuper, erat Apostolus, Apostolorũ comitatu stipatus, atq; ab ipsomet magistro Christo edoctus, & illuminatus, in iis præcipuè, quę ad primum Ecclesiæ gradum, qui est Apostolatus, pertinent, & nihilominus factus fuit filius perditionis. Quin, vt plura linquam, de ipsomet Christo Domino quantam viuendi normam, vitæq; sanctitatem auspicari Dæmon potuit, præcipuè in victoria trinæ tentationis: & nihilominus, consummata omni tentatione, non reliquit eum absolutè, & pro semper, *sed vsque ad tempus*, inquit Lucas, tẽpus vero fuit, *tempus passionis* ait Glos. Inter. in Ambros. Chrisost. homil. 13. Theophilat. Luc. 4. & omnes. Posset Aegydij sententia locum habere, quando v.g. per reuelationem id sciret Dæmon, fore Alumnum suum inuincibilem, tunc namque de toto, cessaret, eum tẽtare: Verum, contra hoc, obstat eorum peruersitas, & superbia, siquidem, etsi id certo sciret, non tamen cessaret à suo munere, non quidem vt vinceret, sed vt affligat, & molestet, tale enim est superborum conditio, quod etsi Aduersarium nequeãt euincere, nõ desinãt tamen molestare: idque nõ raro contigit Beatissimo Patriarchæ nostro Francisco, de quo in chronicis legitur dixisse, quod *Dæmones quando euincere animam tentationibus non valent, non cessant tamen corpus molestare*.

Resolutio ex Bonau.

5 Vltra autem dicta, vt finem imponam, adiiciam, quæ D. Bonau. scribit de re hac: Ipse ergo in Commentario textus Magistri in §. *Nec vltra fas sit*. sic scribit: *Innuit Magister, quod nõ est fas illi spiritui, qui victus est, impugnare aliquem: Contra, probabiliter creditur, quod Diabolus magnus, qui tentauit Adam, tentauit Christum, & omni modo est victus; ergo videtur, quod nunquam amodo tentat, quod est contra textũ Apos. Item, si hoc est verum, ergo videtur exercitus Dæmonum adeo diminutus in fine, quod tentare non possit: hoc autem falsum est, cum fortiùs tentet in fine. Respond. dicendum, quod circa hoc, difficile est, veritatem determinare: Quod autem fiat diminutio in eodem exercitu Dæmonum, non videtur improbabile, cum ita videamus contingere secundum legẽ belli, vt qui superatur, amoueatur à bello: Quantum tamen, & quando, difficile est determinare: vnde, quidquid dicat Origenes, melius est dubitare, quam super hoc, aliquid definire.*

Lucifer an à Dæmonibus lucra de animarũ victoria requirit: victores coronat, deuictos flagellat.

6 Ad hæc accedit quod Cassianus enarrat, Dæmoniorum Principem rationem à cunctis inferioribus Dæmonibus exigere de eorũ profectu in tentandis, ac euincendis animabus, deque parta victoria: quod si inertes quosq; reperit, ludibrio, & probro afficit; strenuiores vero, ac victores, palma, & corona decorat, ita enim collat. 8. cap. 16. de quodam fratre, cui sequentia apparuerint, scribit: *Repente cœpit cateruas Dæmonum vndique confluentium intueri; quæ infinita constipatione, atque ordine longissimo procedentes, alia præibant principem suum, alia sequebantur. Qui tandem aliquando, & magnitudine procerior cunctis, & aspectu terribilior aduenit, ac posito solio, cum in Tribunali quodam sublimissimo consedisset, vniuscuiusque actus cœpit diligenti examinatione discutere: illosque, qui necdum se circumuenire æmulos suos potuisse dicebant, velut inertes, ignauosque à conspectu suo, cum nota, & iniuria, iubebat expelli, spatium tanti temporis, & opus inaniter expensum, cum fremitu furoris exprobrans: illos vero, qui se nuntiabant, consignatos sibimet decepisse, summis laudibus, cum exultatione, ac fauore cunctorum, vt fortissimos bellatores, ad exemplum cunctorum, gloriosissimos coram omnibus emittebat.*



QVÆSTIO XII.

Vtrum Dæmones torqueant Animas Purgatorij.

1 PRo parte affirmatiua arguitur Primo, authoritate Magistri in 4.d.47. dicentis, *Habebunt tortores in pœna, quos habuerunt incentores in culpa.* Sed Dæmonum instigatione peccarunt, ergo eorundem ministerio cremabuntur. Secundo, Dæmones affligunt homines in hac vita, vt patet de Iob, sicut etiam ostensum fuit sup. 36. quæst. 4. ergo non implicat torquere eosdem in Purgatorio. Tertio, bonis Angelis permissum est affligere homines præsentis vitæ, vt ibidem ostendimus, & patet de Angelo, qui marcescere fecit neruum femoris Iacob, Gen. 32. ergo magis licebit id præstare per Angelos malos, quorum proprium nonquidem est benefacere, sed nocere. Quarto, in historia B. Martini legitur, Diabolum adstitisse ad eius obitum; cui Sanctus respondit, *Quid adstas cruenta Bestia, nihil in me funeste reperies.* Quinto, non decet, Tortoris munus exerceri per Angelos bonos, vt ait Chrisost. lib. de Pat. Iobi, Homil. 13. ergo Dæmones torquebunt animas ibi. Sexto, torquens, & affligens, vtique inimicum torquet, eumque odio habet: oderunt vero Dæmones animas, ergo ipsi torquent.

probabilius videtur nequaquam à dæmonibus purgantes animas puniri.

2 D. Bonauent. in 4. d. 20. art. 4. q. 5. duo ait, Primo, sententiam hanc esse probabilem: Secundo, rem esse dubiam, obidque nihil esse temere asserendum. Nihilominus idem Sanctus Doctor concludit, melius esse oppositum sentire.

3 Nos tandem consimiliter concludimus, vnde dicimus, esse magis rationi consentaneum, nequaquam Purgatorij animas à Dæmonibus puniri. ita cum Bonauentura docet quoque Richard. d. 20 quæst. 3. art. 2. D. Thom. Palud. pluresque in 4. d. 20. Probatur vero, non decet Victorem subesse Victo, atque affligi, & vexari ab eo post partam victoriam: nec decet triumphantem vexari ab eo, de quo triumphum gloriose reportauit: Animæ autem Purgatorij iam in fine vitæ vicerunt Diabolum, & triumphauerunt de eo, ergo nequaquam licebit eis, ipsas vitro vexare. Item, oderunt Dæmones Purgatorij pœnas inflictas animabus, ratio, sciunt enim, quod purgata iam animæ per Purgatorij ignem, euolant inde ad gloriam, de quo tamen tristantur quam maxime. Confirmatur, iam purgatæ tendunt in Empyreum ad replendas sedes Angelorum cadentium, de quo tamen maxime ipsis inuident: Hoc autem stante, quonam pacto velle, & desiderare poterunt animas illas torquere, dum bene norunt, quale, & quantum bonum foret exinde ipsis aduenturum? Atque hinc Augustinus aiebat, quod si sciuisset Dæmon, fuisse Iob patienter perpessurum tribulationes illas, atque merita ampliora inde acquisiturum, nusquam tentasset, nec afflixisset eum: Insuper, Dæmon non vexat, nec tentat vbi non sperat victoriam: nullam vero victoriam sperare poterit in Purgatorio; animæ namque decesserunt in gratia, nec amplius peccare possunt. Præterea, alius est qui punit filium, alius qui punit latronem: Pater quidem punit filium; carnifex vero latronem: at anima iusti est filia Dei per gratiam, ergo non Dæmones eam puniunt, sunt enim carnifices, & tortores Inferni.

Dæmon si præsciuisset patientiam, & merita Iobi, an tentasset eum?

4 Dicendum Secundo, probabile insuper est, neque torqueri per Angelos bonos. Huc magis trahenda est recensita sententia Chrisostomi, *lictores ergo sunt Angeli? absit.* Confirmatur, quoniam ministerium torquendi, ex sententia Iudicis, committitur infimo, & vilissimo de plebe, in politica humana. Vide tamen pro ijs, quæ aduersus hæc insurgere possunt, disput. citata. Hoc idem docet Bonauent. de Angelis bonis, vt nec ipsi puniant Purgatorij animas; quod etiam fatetur Richardus, & suadetur ex Bonau. non enim, inquit, videtur probabile, vt tam grauiter affligant, & puniant conciues suos: ita sane, etenim animæ illæ erunt domesti-

An puniantur per Angelos bonos

ca

ra Dei, & Conciues Sanctorum, & Angelorum.

A quo puniantur? 5 At si à neutris Angelis id fit, à quo ergo ortum habebit? Respondet Kich. *ut sola diuina Iustitia, ignem Purgatorij, sicut instrumentum, applicante ad punitionem earum.* Confirmat Bonau. inquiẽs, *Sicut diuina Iustitia iubente, & flatum ignis succendente, mali cruciantur in Inferno post Iudicium, sic etiã & in Purgatorio.*

6 Comitantur vtique animas Angeli tùm boni, tùm mali: reddendo tamen singula singulis, vt supra fuit habitum: bonas boni ad Purgatorium: malas mali ad Infernum. Et quemadmodum carnifex comitatur reum vsq; ad patibuli locum, vbi tandem eum suspendet, ita Dæmones suos comitantur alumnos ad vsque Infernum, qui est vltimi supplicij, & mortis æternæ locus. Sicut vero pij quondã viri, quorum Congregatio ad opus hoc laudabilitèr, & piè instituta reperitur, comitantur huiusmodi personas, eisque interim in via monita salutis tribuunt, & simul solatorijs verbis eos demulcent, vt sperent in Dei misericordia, patienterq; pœnam eam perferant, quatenùs satisfacto iam, & soluto debito diuinæ, & humanæ Iustitiæ, ad Cœlos inde euolabunt, ita & Angeli Sancti tale pietatis officiũ ergà alumnos suos gerunt, eorum animas talitèr consolantes, dum comitatum ipsis præstant ad Purgatorium: & insuper, vt patientèr perferendo pœnas illas, tempore congruo euolent inde ad sedes illas angelicas replendas: quin & diuina elargiente Misericordia, ipsimet Angeli, quandoq; adeas consolandas descendunt.

7 Ad opposita respondendo, Primum soluitur, dicendo, Magistrum loqui de animabus damnatis, de Inferno, non de Purgatorio.

Iacobi percussio ad qd 8 Ad Secundum de Iacob, Bonauentura ait, percussionem illam femoris fuisse factam potiùs ad concupiscẽtiæ repressionem, quam ad grauem afflictionem: idemque habet Richardus.

9 Ad Tertium, non est simile, etenim in præsenti vita adest pugna, & lucta, ideoque permittuntur Dæmones tentare, & vexare, ad exercitium virtutis, & cumulum meritorum, siue ad purgationem culpatum: quæ tamen pugna non erit ibi. Dices, est ibi purgatio, & si non pugna, ergo illa à Dæmonibus; Responsio patet, ex dictis: & insuper purgantur à diuina Iustitia &c.


10 Ad Quartum, Historia non refert, fuisse in Purgatorio à Dæmonibus tortum, sed adhuc viuenti Martino, & in cubili animam sanctissimam agenti apparuisse Dæmonem, prout cunctis in hora illa contingit.

11 Ad Quintum, de antecedẽti videndum in disputat. cit. Ad consequẽs vero, negatur id.

12 Ad Sextum, maior non semper est vera, etenim Ministri Iustitiæ in politica humana, christiane viuentes, absque odio exequi debent iniunctæ siue torturæ, siue supplicij erga reum, ministerium, alias peccarent grauitèr: possunt ergo, sicut tenentur munus suũ exequi, vt Iudici pareant, absque vlla tamen animi passione. Cæterum & si oderunt Dæmones animas illas, tamen non obest, iam enim eximerunt de sua ipsorum tyrannide, odiumque, & inuidia in ipsosmet retorquetur, ipsosque corrodit.

13 Superesset inquirere, vtrum torqueant animas Inferni, at de hoc in tom. de Beatitud.

Finis Decimæsextæ Disputationis.



DISPV-

DISPVTATIO XVII.

De potentia actiua Angeli in ordine ad sensum, intellectum, & voluntatem hominis.

QVAESTIO I.

Vtrum Angelus possit immediatè immutare sensum hominis externum.

Angelus potest sensibiliter hominem immutare, docendo &c.

1 Ngelum posse quidquam in hominem imprimere, potest contingere tripliciter: Primo visibilitèr: Secundo inuisibilitèr, siue alijs modis, sensibilitèr, & insensibilitèr, quæ phrasis est amplior, vtpotè superior ad visibilem, & inuisibilem modū; visio namque, eiusq; oppositum determinant specialem potentiam visus: ergo stando ad diuisionem allatam, primum membrum certum est, vnde potest sensibilitèr hominem illuminare, instruere, docere: exemplum sit Magistri, quo discipulum docet per voces, nuta, signa, scripta, & huiusmodi: sic autē & potest Angelus: Exempla patent in scripturis, etenim Gabriel loquendo instruebat Virginem, *Dominus tecum, Aue Maria Virgo, Spiritus sanctus obumbrabit tibi: Filius Altissimi vocabitur:* Exemploq; vtens cōcludebat, *Ecce Elisabeth cognata tua &c. Non erit impossibile apud Deum omne verbū.* Ita Raphael instruebat Tobiam, *Apprehende, & exentera illum:* docuitque, vt iecur reponeret ad infirmitates curandas &c. Id autem præstare potest Angelus, siue in corpore assumpto, docēs, siue absque corpore formans voces, vt de Samuele puero, dum inuisibilitèr quidem vocabatur, non tamen insensibilitèr, *Samuel Samuel* 1. Reg. 7. supponendo reuelationem illam factam fuisse per Angelum, de quo tom. 2. de Trinit. disp. 16. Id quoque præstari poterit per scripta, qualis fuit illuminatio, seu instructio Balthassaris Dan. 5. facta in pariete, *Mane, Tecel, Phares*, interpretante Daniele. Hoc ipsum docent Scripturæ, vt Zachar. 1. *Dixit ad me Angelus, qui loquebatur in me, Ego ostendam tibi quid sint hæc.* Dan. 8. *Ego veni, vt indicarem tibi. Ostendam tibi, quæ futura sunt &c.* Estque Scholasticorum communis doctrina vt D. Tho. 1. par. q. 111. Scot. 2. d. 11. q. 2. quæ veritas in testamento nouo per Paulū edocetur Hebræor. 2. *Si enim qui per Angelos dictus est sermo, factus est firmus.* Galat. 3. de lege veteri *Ordinata per Angelos in manu Mediatoris* & post ipsum suus discipulus Dionysius l. de Cœl. Hier. cap. 14. indeq; per Patres alios, vt Cyrill. l. 1. in Ioan. cap. 9. Aug. serm. 18. in Psalm. 118. Origen. homil. 11. in Num. sicut & patuit ex præcedenti quæst. Ratioq; suadet, si namque homo hominem illuminat, instruit, docet, siue per verba; siue per nutus, & signa; siue per scripturā, alijsque modis, cur non poterit hoc ipsum præstare Angelus, cum sit maioris virtutis. Poterit obiecta quoque repræsentare sensibilitèr, vt inde homo percipiat id, de quo Angelus velit ipsū instruere, siue obiecta visibilia, siue audibilia siue aliter sēsibilia: modus quidem hic certus est.

2 Inter autem hæc quæritur, an, dum Angelus sēsibilitèr loquitur, pos-

sit

Angelus an possit in homine causare actum videndi &c.

sit immutare immediatè sensum alloquuti, ita vt verè causare possit sẽsationem videndi, audiendi, tangẽdi, & huiusmodi in ipso homine alloquuto? Bassolius in 2. d. 8. q. vnic. art. 1. sic respondet, inquiens, *Sed de forma aliqua accidentali absoluta, non video rationem cogentem, quare Angelus non possit aliquod subiectum transmutare ad aliquam talem formam, educendo ipsam de potentia subiecti, quidquid sit de forma substantiali; vnde non video, quare non possit vnũ corpus mutare ab albedine in nigredinem: tarefacere, vel condensare, vel huiusmodi: tamen nescio si possit: nam licet habeat potentiam videndi, & actum videndi, dato, quod actus videndi sit sibi ratio agendi, tamen non est ordinato ad hoc talis potentia, vel talis actus*. hæc ille.

3 Nos tamen absolutè dicimus id non posse præstare. Ratio apertè suadet, quia sensatio hæc est actio vitalis: at Angelus non potest operationem vitalem in altero producere, vt illa sit ratio vitalitèr operandi. Probatur minor, non potest producere principium formale vitale, quod est anima, ergo nec effectum eius vitalem, qui est sensatio. Item non est forma informans, veluti anima, ergo nec operationes vitales in altero poterit producere. Demum fauet Scotus in d. 8. in fin. §. *Ad tertium*, inquiens, *Nullus actus vegetatiua, vel cognitiua competit propriè Angelo in corpore, vel etiam corpore assumpto, sed tantum actus potentiæ motiuæ*. Dum vero ait, competere actum solius potẽtiæ motiuæ, planè excludit nedum vegetatiuam, & intellectiuã, vt ibi nominat; sed & intellectiuam, quam reticet; Notandum tamen dixisse *in corpore, vel corpore assumpto*: quid quæso indicãt ista duo? nonne sufficiebat dicere, *in corpore assumpto*? idem namq; videtur importari per vtrumque: At respondetur, non importari idem dum namq; ait *in corpore assumpto*, indicat, non posse per corpus assumptum verè audire, verè sentire, verè comedere, & huiusmodi, sicut nec verè loqui, cum corpus illud non viuat, & consequentèr operationes illæ, quæ deberent esse totius conicti ex anima, & corpore, nõ sint vitales, de quo proprio loco dictũ. Cum autem inquit, *in corpore* significat, neque posse Angelum in tali corpore producere actum vegetatiuæ, intellectiuæ, sensitiuæ, &c. vnde hic habet rationem subiecti, quasi informabilis, dum ait, *in corpore*: ibi vero rationem instrumenti, per quod tales exerceat operationes, dum subdit, *vel in corpore assumpto*. Id ipsum docet in Reportat. in d. 11. q. 1.

Intellectionem potest producere, sensationem minime.

4 Dices, Scotus docet, vt constat ex mat. de loquutione angelica, Angelum loquendo Angelo, posse imprimere in intellectum eius actum intelligẽdi, & actus ille est operatio vitalis, ergo ex hac parte vitalitatis non repugnat producere in hominem sensationem vitalem. Resp. rationem vitalitatis non esse causam præcisam, præcisè in via Scoti, cur non possit sensationem producere, nam neque producere potest quantitatem, & qualitatem, atq; formam substantialem insensatam, vt suo loco dicemus, sed prouenire aliunde. Dices cur potest actum intelligẽdi producere, & non sentiendi? Confirmatur, quia idem Scotus concedit, posse Angelum, quantum est ex se, producere actum intelligendi in homine, licet ex parte hominis stet impedimẽtum propter ordinem potentiarum, vt ibi, & in Reportat. 2. d. 11. q. 1. § *Supponendo*: at hic talis ordo non est necessarius, posset namque ad sensum immediatè actionem dirigere productiuam sensationis: quo fit, vt mirum non sit, si non valeat intellectionem imprimere, quia homo non intelligit, nisi per sensus, & phantasmata: at nunc habetur pro subiecto immediato sensus, ergo posset in ipsum immediatè sensationem immittere. Respondetur tamen sensationem nõ posse intellectionem vero, tum in Angelum absolutè, tum in hominem, quantum est de se, vtique posse, ratio potest esse, quia intellectio continetur intra suum ordinem, sensatio minimè: patet, quia intellectio est spiritualis, sẽsatio non sic, est autem Angelus spiritualis, non sensibilis.

5 Dices, nonne Angeli induxerũt cæcitatem in sodomitas, hæc vero sensatio est. Item potest Deus sensationẽ immediatè producere, ergo & Angelus. Denique Angelus est altioris or-

dinis

dinis ad corpus, ergo poterit producere affectionem hanc corporis, quæ est sensatio.

6 Ad Primum, respondi: quod facilius est destruere, quam construere, vnde potest homo hominem excæcare, applicando media idonea ad hæc, non potest tamen excæcato visum seu visionem restituere, & effermare; bene autem norunt Angeli media naturalia idonea, siue interna, perturbando humores, spiritusq; animales, neruos opticos, cerebrumque; siue externa, vt naturalia, applicando actiua passiuis, quibus inducere potuerint cæcitatem.

7 Ad Secundum negatur paritas, est namque Deus super totum ordinẽ naturæ; & quod potest facere cum causis secundis, potest se ipso solo.

8 Ad Tertium, est quidem in multis altioris ordinis, at non in omnibus, licet namque sit perfectior Homine, & Bruto, non tamen potest generare, nutriri, augeri, & huius generis: vnde, nec ista, & similia potest producere in aliis.

9 In quæstione proposuimus de immutatione immediata, de qua quidẽ vertit discursus; nam de mediante nil implicat; sicuti enim homo homini proponit obiectum valdè mouendum, vnde talis, cui proponitur, vel delectationem capiat, vel horrorẽ, sic & Angelus proponere potest sensui, vt inde sensus moueatur ad huiusmodi passiones, quemadmodum de Baltasare loquitur Scriptura, cum namque vidisset manum scribentem in pariete, ait textus Dan. 5. *Tunc facies Regis commutata est, & cogitationes eius conturbabant eum, & compages renum eius soluebantur, & genua eius ad se inuicem collidebantur.*

QVÆSTIO II.

Vtrum Angelus possit immediatè immutare phantasiam Hominis.

1 Circa virtutẽ phantasticam, seu circa phantasma, tria possumus quærere: Primò, vtrum Angelus valeat nouum phantasma, speciem, & intellectionẽ homini imprimere immediatè, absque præuia sensus externi operatione: Secundo, vtrum possit phantasma transferre de organo vnius in organum alterius: & Tertio, an possit translationem facere in eodem organo eiusdem suppositi de parte in partem. De Primo agetur hic; de Secundo autem, & Tertio in quæst. 4.

Non potest phantasma immediatè imprimere.

2 Circa Primum, est sententia cõmunis non posse id facere. Ita Scotus d. 11 q. vnic. lit. C. & *sed de aliis affirmatiuis.* D. Bonauent. ibid. cum Richard. Dur. Aegid. quodlib. 6. q. 16. D. Thom. q. 111. art. 3. cæterique. Ratio facilis est, quia phantasma educitur ex præuia operatione sensitiua externa, ergo illa cessante, nõ poterit haberi phantasma. Discursus confirmatur, quoniam ita se habet phantasma ad intellectionem, sicut ad sensationem: at non potest haberi intellectio sine recursu ad phantasmata, quia *Oportet intelligentẽ phantasmata speculari*, ergo nec haberi poterit phantasma absque præuio recursu ad sensationem exteriorem. Item, si posset id fieri, sequeretur posse Angelum producere phantasma coloris in phantasiam cæci nati, at hinc sequeretur posse intelligere colores perfectè, cæteraque obiecta visibilia, absque recursu ad potentiam visiuam exteriorẽ: ita sanè, depurando namque phantasma illud, posset inde percipere cognitionem. Hæc de phantasmate.

3 Idem dicitur de specie intelligibili; talis namque est ordo speciei ad phantasma, qualis est phantasmatis ad sensationem; at phantasma non potest haberi sine sensatione, ergo nec species sine phantasmate. Similiter arguitur de intellectione, vt qualis est ordo speciei ad phantasma, talis sit intellectionis

Nec speciẽ intelligibilem nec intellectionẽ immediatè imprimere.

nis

nis ad speciem: at species nequit haberi sine phantasmate, ergo nec intellectio absque specie intelligibili.

4 Dicendum Secundo, posse immittere speciem, & intellectionē, quantum est de se: licet implicet ex parte hominis, propter dependentiam à sensibus.

5 Contra. Angelus bonus etiā in sōno docet, & instruit dormiētē: id vero fieri nequit absq; productione noui phantasmatis, ergo potest immediatè producere: Antecedens habetur tum in scriptura veteri, vbi passim fiebant apparitiones, & loquutiones per somnia, tum in noua, vt Matt. 1. *Apparuit in somnis Angelus Ioseph, dicens, noli timere accipere Mariam coniugem tuam, quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est*; Probatur minor, causæ naturales non possunt agere immediatè in sensus interiores, nisi agant prius in exteriores: ergo dum fit instructio in somnis ab Angelo, vtique fienda venit, mediante productione noui phantasmatis. Item Scotus, præcipuè in Reportatis q. 1. d. 11. ait, posse id facere Angelum. Insuper potest id præstare Deus, nec superat vires Angeli, ergo & poterit præstare Angelus.

Angelus ordinat, & applicat antiqua phātasmata, dum in somnis docet.

6 Ad Primum, non producebat nouum phantasma Angelus, sed ordinabat, & applicabat phantasmata per motum spirituum, & humorū, in quibus subiectabantur, vt sic, & sic ordinata, ostenderent inde quid continerent: idque apprimè scit, & potest facere Angelus, præcipuè bonus, vt dicemus.

7 Ad Secundum, Scotus seipsum declarat, vt dicat, non quidem implicare ex parte Angeli, sed ex parte hominis.

8 Ad Tertium, negatur paritas excedit enim Deus: vel non implicat ex parte Angeli, sed aliunde.

9 Hæc est communis sententia: At proponam quid mihi dubium facit: Iam Scotus apertè concedit, non implicare ex parte Angeli, posse causare immediatè intellectionē in intellectu hominis: ob idque, & posset etiā causare immediatè phātasma, est enim pro vtrobiq; ratio: hoc stante, demus iam de facto causare phantasma, quid inde implicabit, vt intelligat, siue phantasietur? Dices, non dependeret à sensu, non enim haberet ordinem ad sensum: Huic tamen obiectioni occurritur, nō esse necessarium talem ordinem, absolutè, nec in fieri, nec in conseruari: nō in fieri, quia fieret ab Angelo: nec in conseruari, quia cessante sensatione externa, nō per hoc cessant species intelligibiles, & phantasmata: sicut cessante visione coloris, non per hoc cessat phantasma coloris: & si phantasma, (loquēdo de ordine causarum naturalium) dependet à sensu externo, id verum erit quoad primam motionem, seu formationem: quemadmodum exponitur propositio illa, *Oportet intelligentem, phantasmata speculari*, quod intelligitur de *prima motione intellectus*, tunc enim solummodo eget recursu ad phantasmata, non autem de vlterioribus operationibus, hæ namque non egent tali recursu ad primum phantasma: quid ergo implicabit, vt dum potest speciem, & phantasma producere, non inde valeat homo phantasiari, & speculari? Adde, potest Deus idfacere, indeq; valeret homo phantasiari, & speculari, cur ergo non posset idipsum præstare, faciente Angelo? Dices, sequi inde posse phantasiari, & speculari circa colores, quorum phantasma habuerit: At quid implicat, vt id contingere possit: si namque Deus speciem talem, siue phantasma inmitteret, bene valeret cęcus phantasiari & speculari, vt notat etiam Bassol. 2. d. 11. q. 1. art. 3. §. *Et tunc dicitur*, ergo eadem erit ratio, id præstante Angelo. Dices, Aristoteles apposuit talem ordinē, vt nequeat haberi phantasma, nec phantasiatio absque præuia sensatione ergo nequibit præstare id Angelus. Regulam istā Aristotelis non esse talē, vt oppositum absolutè repugnet à parte rei, etenim Deus potest immediatè phantasma, & speciem intelligibilē imprimere absq; præuia sensatione, & sequeretur phantasiatio; igitur si non repugnat oppositum ex natura rei, non erit Aristotelis regula infallibilis, & omnino indispensabilis; sensus tamen ipsius erit, quod loquutus fuit iuxta ordinē consuetum causarum naturaliū, talis namque est consuetus ordo, vt per sensum

Oportet intelligentem phantasmata speculari, declar.

habeamus phantasmata, & per phantasmata speciem intelligibilem, ac denique per speciem intelligibilem, intellectionem: nec vtiq; venit in mentem Aristotelis, an Angelus posset talē ordinē supplere, & an Deus, quo sit, vt dum more, & cursu ordinario loquebatur, mirum non sit, si poterit Angelus, tum phantasma, tum speciem intelligibilem imprimere absque recursu ad sensum exteriorum operationes. Adde, ex eodē Scoto, qui in fine secūdi d. 11, paulo supra argum. princip. ait, Angelum, veluti causam partialem, per intellectum suum agentem posse coagere intellectui agenti hominis ad causandam speciem intelligibilem, eamque perfectiorem ex concursu, vtriusque intellectus agentis, qui ambo erunt causa totalis: Insuper in respons. ad Secundum, magis confirmat discursum, ait enim *Impotentia*, nempè recipiendi ab Angelo in intellectu hominis, *non est ex defectu potētia actiua Angeli, vel ex impotentia virtutis passiua intellectus nostri absolutè in recipiendo, sed ex impedimento pro statu isto.* & ad hunc sensum trahendus est Alensis part. 2. quæst. 49. memb. 2.

10 Dices, videri Scotum sibi contradicere, modo enim ait, modo negat, posse producere speciē, & intellectionem: Respond. ex dictis, negare quidē ex parte hominis ratione status, non tamen ex parte Angeli, & hominis absolutè: vide etiam in Report.

11 Arguit Suar. lib. 6. c. 16. n. 22. 23. Actus intelligendi Angeli non potest per modum obiecti imprimere speciē in intellectū coniunctum: ergo Angelus non potest speciem causare. Secundo anima non intelligit, nisi per phantasmata. Tertio, species illa vel est altioris ordinis, vel eiusdem ordinis: Si Primum, ergo sunt improportionatæ; Si Secundum, non poterūt haberi, nisi per infusionē à Deo, ergo non ab Angelo. Quarto contra id, quod Scotus addit, Angelum, veluti causam partialem, non totalē, posse concurrere cum intellectu hominis ad causandam speciem intelligibilē, arguit, Angelus non habet intellectum agentem, ergo non potest concausare speciem. Quinto, dato, quod haberet, non tamen posset speciem producere, quoniam illud est extra sphæram suæ actiuitatis. Sexto, anima separata non potest talem speciem in aliam animam, ergo nec Angelus. Septimo, Angelus nō potest efficere qualitates corporeas, ergo nec species spirituales.

12 Ad Primum resp. non esse quæstionē an intellectus coniunctus posse videre substantiam spiritualē in sua spiritualitate, qualis est Angelus, id enim implicat, sed an Angelus non obiectiuè, sed effectiuè posset talem speciē imprimere: in via implicat spiritualem substantiam videri ab intellectu coniuncto, quod tamen non implicabit in Patria, nam Matt. 20. erimus, sicut Angeli Dei, vide Scot. in respons. ad vlt.

13 Ad Secundum, verū est, spectando ordinem consuetum intelligendi: sic spectando vires suas, at si aliundè sibi species imprimeretur, posset per eam intelligere.

14 Ad Tertium, species illa non est altioris ordinis, quam altera, quæ ordinario modo imprimeretur. Cum dicis, habere esse per infusionē. Resp. si immitteretur à Deo, haberet esse per infusionem per accidens, at posset naturali facultate Angeli immitti ab Angelo.

15 Ad Quartum, gratis assumit, Angelum non habere intellectum agentē, vt suo loco fuit ostensum.

16 Ad Quintum, negatur esse extra sphæram suæ actiuitatis.

17 Ad Sextum, Scotus non negaret animam separatam posse animæ separatæ speciem immittere, est enim par ratio, ac de Angelo: licet id negandum sit de coniuncta, propter ordinem potentiarum in via.

18 Ad Septimum negatur paritas, & patuit quæst. antec. quia species spiritualis continetur intra ordinem spiritualium, est autē Angelus, & species intelligibilis spiritualis qualitas tamen corporea est extra hunc ordinem.



QVAE-

QVÆSTIO III.

Vtrum Angelus possit immediatè immutare intellectum hominis.

1 SCotus in materia de loquutione Angelica, apertè docuit, Angelum loquentem, in intellectu Angeli alloquuti posse causare, vel speciem intelligibilem, vel actum intelligendi; tum vero vtrumq; simul: loquens autem de custodia angelica, & quærens quidnam possit Angelus Custos causare in intellectu hominis custoditi, inquit, (vltra alios modos dicendi) posse etiam, veluti causam partialem producere speciem intelligibilem, itaut ipsius Angeli intellectus, vna cum intellectu hominis, veluti causa totalis possint efficaciùs operari, & producere speciem intelligibilem perfectiorem. ita dicta quæst. 1. in corpore, & paulò supra argumenta princip. In responsione vero ad Primum, Secundum, Tertium, & ad replicam subsequentem, apertè concludit id posse, ex parte sui: & ex parte etiam hominis absolutè, licet repugnet ratione status propter ordinem potentiarum. Id ipsum cū vniuersis Scotistis sequitur Bassol. art. 3. in fine impugnationis Auicennæ: Et quamuis videatur sentire oppositum, tamen loquitur ad sensum Scoti, attenta ratione status, siue peccati, siue ordinis potentiarum.

2 Vnum tamen aduerto, modum quendam loquēdi Scoti, etenim vnum est certum penès Scotum, aliud ambiguum. Certum est, quod possit Angelus amouere impedimenta intelligendi, si forte erant perturbati spiritus, vel humores, potest enim illos sedare, vt habet sub litera E. Cæterum an veluti causa minus principalis possit causare speciem, hoc sub dubio decidit, inquiens, *Posset etiam dici* & infra, *Vel non est aliqua via aliorum certa, nisi vltima de amotione impedimenti, aliquid possit operari circa intellectum possibilem &c.* ergo fatetur, vltra modum illum de impedimento, nil esse certum. Item infra respondendo ad Primum, ait, *Forte aliquid operando circa phantasiam, & forte circa intellectum possibilem.* Item subdit, *Dato, quod nullum illorum possit esse &c.*

3 Quid autem ex his, an ne Scotus fuit dubius, nequaquā: apertè namque infra in responsione ad Secundum, absque dubio docet id facere posse; quod insuper patet clarissimè ex sequentibus solutionibus argumentorū vsque in finem: At quid dicendum ad loca subdubia recensita. Resp. vltimam voluntatem testatoris esse præferendam, vt docent Iuristæ, sic & vltima determinatio Scoti est anteferenda; priùs quidem subdubiè procedebat, quia loquebatur disputando, de cætero inde vltimato decidit sine formidine affirmatiuè determinando.

4 Circa hoc etiam, quid possit Angelus, siue Intelligentia in intellectu hominis, fuit sententia Auicennæ 6. natural. par. 6. cap. 5. dicentis, quod Intelligētia separata creata producit aliā Intelligentiam, quæ secunda dependet à prima, tùm quoad esse, tùm quoad intelligere, & sic de singulis, vsque ad vltimam inferiorem: hanc autem influere in intellectum humanū species intelligibiles vt totalem causam: species autem istæ, post actum intelligēdi non maneant in intellectu nostro, vnde opus sit recurrere ad prædictam Intelligentiam, conuertēdo se ad illam, quotiescunque quæserit intelligere.

5 Impugnatur Auicenna à D. Thoma 1. par. q. 84. art. 4. & in 4. d. 50. q. 1. 2. sequeretur namque frustra animam vniri corpori. Prob. non vnitur propter corporis perfectionem, forma enim non est propter materiam, sed è conuerso. Nec vnitur corpori propter perfectionē suæ operationis, quia etiam separata posset recipere species tales ab eadem Intelligentia æquè benè, imo meliùs: Nec coniuncta corpori reciperet species mediante corpore, vel phantasmate, sed immediatè ab Intelligentia. ergo frustra vniretur.

Impugnat Scotus ibi hanc rationem, inquiens, si ratio hæc valeret, sequeretur animam beatā frustra reuniri corpori. Prob. non enim intelliget (semper necessario) mediante corpore, siue recursu ad phantasmata, erunt enim beati *sicut Angeli in Cœlo*. Matt. 20. Itē secundum aliquos, anima intelligit, in quantum est supra corpus; ergo hinc, non absolutè intelligit, in quantum vnitur corpori.

6 Ideo impugnatur aliter Auicenna: *Omnis nostra cognitio ortum habet à sensu*, ex 1. & 2. Post. 1. *Metaph.* 2. *Phys.* vnde est, vt qui caret aliquo sensu, impossibile sit, quod habeat operationem sensitiuam secundum illum sensum, atque hinc impossibile est, vt cæcus à natiuitate habeat scientiam de coloribus: at stante positione Auicēnæ, posset ab Intelligentia imprimi species coloris in intellectu cæci nati, atq; scientiam habere de coloribus. Item sequeretur, intellectum hominis fore semper in potentia essentiali ad intelligendum, quia careret specie intelligibili: id vero est contra Aristot. 3. de anim. quia speciem iam receptam in anima, intelligimus cum volumus. Dices, manet habitus derelictus ex frequentatis actibus intelligendi. Respond. habitus non est repræsentatiuus (saltem primario, & ex officio suo) sed inclinatiuus, & habilitatiuus. Pluribus autem impugnat eandem positionē de productione Intelligentiæ ab Intelligentia idem Scot. in 4. d. 1. q. 1.

Non potest immediatè causari intellectio, causare phantasma, speciē, &c.

7 His habitis, resolutè respondendo ad quæstionem. Primo dicimus, Angelum non posse causare nec speciem, nec intellectionem immediatè, & vt causam totalem, in intellectu cōiuncto. Assertio intelligēda venit sensu iam explicato, vt licet non implicet ex parte Angeli, & hominis absolutè, implicat tamen ratione status, sed viæ, mediis potentiarum, & ratione peccati, ex August. 12. Trin. cap. 12. idemque dicimus de phantasmate, vt nec sic possit immediatè causare: rationes iam allatæ sunt sufficienter quæst. antecad.

8 Hinc Scotus deducit hoc corollarium, sic inquiens sub lit. B. *§. Ex hoc sequitur*, inquit autem, *Ex hoc sequitur quoddam correlarium, scilicet quod Angelus non potest aliquem intellectum rapere ad intellectualem visionem: & quod omnis raptus factus virtute Diaboli est practicè ad aliquid intensè imaginandum, quam intensa imaginatio facit animum ita distractum ab omni alia cogitatione cuiuscunque actualis intellectionis, quod videtur ipsum intellectualiter videre: Et concomitatur fortè illam intensam imaginationem alicuius rei, intellectio illius imaginabilis, sed nulla est ibi intellectio alicuius mere intelligibilis, non imaginabilis. Ita etiam omnis raptus, ad quem potest homo seipsum disponere in hac vita per consuetudinem, non est ad aliquam visionem merè intellectualem, sed solum imaginariam &c.* Idem habet in Report. d. 11. q. 1. *§. Supponendo igitur.* vbi insuper addit, inquiens, *Ideo magis debent dici furia, quam raptus.*

Dæmon rapere potest ad fortem imaginationem, nequaquam ad visionē intellectualē.

9 Ex his infertur Primo, catenus videri hominem pati extasim, vel raptum ope Dæmonum, quatenus rapiunt ipsum ad fortem imaginem, & contemplationē alicuius obiecti, tunc namque dum inter se detinetur in cogitatione illius, euenit, vt sensus externi minus, vel nullatenus audiant, videant, sentiant &c. sicut contingit naturaliter etiam in nobis, dum namque detinemur in forti contemplatione rei alicuius, nequaquam aduertimus quid circa nos, vel in nobis agatur. Hæc quidem via non superat vires Diaboli, ideo potest eam exercere: Item vti potest altera via, nempè ligandi sensus externos, quemadmodum contingit & in somno, gratia cuius, externi sensus non experiuntur sensationes rerum, quæ circa eos fiunt. Insuper fieri potest, impediendo influxum spirituum animalium à cerebro in sensus ipsos, vtpotè obstruēdo meatus, & vias: vnde eueniret, vt remanētibus neruis priuatis huiusmodi animalibus spiritibus, carerent sensu, & motu ipsi sensus externi, etenim à cerebro per spiritus animales, & neruos habemus sensum, & motum, ipsique spiritus sunt instrumēta facultatis animalis, cuius signum est, quod deficientibus his spiritibus, deficerent pariter prædictæ operationes: norunt Dæmo-

Dæmones quid possint circa intellectum nostrum, & cerebrum.

nes

nes perfecte hæc, sciuntque ipsos impedire: nec operatio hæc excedit vires eorum: quare his, pluribusq; vijs possunt, quæ diximus, præstare.

Dæmones an transferant sagos, & sagas.

10 Infertur Secundo, non semper Dæmonem transferre corpora, vt sæpissime illudere constat; multoties namque apparet ita esse, at non est: causa autem talis existimationis est, quia videntur tales homines esse vere transportati, vtpote, quia viderint, audierint, attrectauerint ea plura, vt videatur ipsis vere corpore ibi interfuisse: at possunt hæc præstari à Dæmone, absque necessaria transportatione: modus autem talis est, nempe ordinant phantasmata, & applicant ad inuicem eo modo, quo opus erit ad aliquid repræsentandum: quo acto, vident talia homines, qualia repræsentantur, & ita clare, & ordinate, vt videatur ipsis vere ibi interfuisse: si namque intendat Diabolus repræsentare alicui factum, gestumque aliquod, siue factum militare terrestre, siue nauale, siue huiusmodi, ordinant phantasmata cum phantasmatibus, phantasma v. g. vasti maris, phantasmata nauium, militantium, occisorum, Equorum, pedestrium, armorum, & huius generis hæc autem omnia disponere valent ad inuicem, & taliter ordinare, vt vere videatur initum bellum, tali loco, & tempore, & adfuisse præsentem eum, cui fiunt hæc, cum tamen à longissime fuerit absens: qui Dæmon, quamuis præsentialiter trāsferre possit proprio corpore viros, ac mulieres sagos, & sagas, potest tamen eosdem illudere, taliter phantasmata loci, tēporis, & rei ordinando, & disponendo, vt vere ipsis videatur fuisse ibi præsentes, vt diximus supra propria Disputat.

11 Infertur Tertio, non posse rapere hominem ad considerationem alicuius mere intellectualis, immediate: vnde nequit rapere ad cognitionem immediatam substantiæ spiritualis, vt Dei, Angeli, Animæ, & huiusmodi; si autem de his quoquo modo vel loquimur, vel coloribus, & imaginibus repræsentant pictores, non nisi per phantasmata nobis notiora, & repræsentent, non vt talia sint, qualia repræsentant, sed ex operationibus nituntur repræsentare ea, & tali modo, licet imperfecto, quo possunt.

Non posse rapere ad considerationē alicuius mere intellectualis.

12 Infertur insuper, nec posse scientiam in intellectum audientis imprimere immediate: quemadmodum nec humanus Magister scientiam, seu habitum scientialē in mentem discipuli imprimit immediate: vterque tamen tum Angelus, tum Magister, per voces, motus, verba, & signa sensibilia, siue naturalia sint, siue ad placitum, possit hominem instruere, proponendo terminos, complexiones, & huiusmodi: Perfectius tamen id præstabit Angelus, & expeditius, si voluerit, vtpote perfectius callens naturas rerum, artem docendi &c.

Non potest scientia immediate imprimere.

Opposita dilata sunt quæst. antecedenti.

QVÆSTIO IV.

Vtrum Angelus possit transferre phantasma de organo in organum, & de parte in partem.

1 Circa phantasiam in particulari, duo quæruntur: Primum est, vtrum possit Angelus transferre phantasma de vno cerebro in aliud, vt puta de cerebro Socratis ad cerebrum Platonis. Alterum, vtrum intra idem cerebrū possit transferre de vna parte organi in alteram.

2 Quoad Primum arguitur quod non, & probatur, non potest accidens trāsire naturaliter de subiecto in subiectum: phantasma est accidens, ergo non potest migrare, etiam ex virtute angelica de organo in organum. Ratio hæc non conuincit, enim accidens hoc non separaretur à suo subiecto,

ctu, sed transferretur cum eo, subiectum autem esset humor, vel spiritus animalis.

3 Arguitur aliundè, si fieret talis translatio, tunc phantasma v.g. translatum in Platonem, non posset in eo esse principium attingẽdi, siue phantasiandi: Probatur, quia non haberet in eo eundem ordinem ad suam causam, vt puta ad sensum exteriorem, à quo fuerat causatum, etenim fuit causatum à sensu exteriori Socratis, non Platonis, in quo nunc esset, & per consequens non duceret in cognitionem in Platone, sicut ducebat sortem quando erat in sorte. Item ille Secundus, nempè Plato nõ potest per tale phantasma operari. Prob. quia non esset aliquid eius: & si in eo reperitur, est in eo, tanquam locatum in loco, non tanquam forma, seù principium operandi.

4 Nec istæ rationes concludunt: non Prima, quoniã sufficeret, vt phantasma habuisset ordinem ad causam suam in fieri solummodo, cæterum in facto esse, cum non dependeat ab ea, poterit esse in Platone principiũ operandi. Nec secunda, siquidem ad hoc, vt forma sit principium operandi, sufficit, vt recipiatur in subiecto apto, & conuenienti, si namque Deus imprimeret species coloris in intellectu cœci nati, optimè intelligeret colores, ergo à pari, posset Plato phantasiari per phantasma translatum ab Angelo in intellectum suum.

Sententia Scoti.

5 Aliter probat Scotus, si posset hoc Angelus, posset quoq; species coloris transferre in intellectum cœci nati, indeque naturaliter cognosceret colores. Posset insuper scientiam immediatè imprimere, seù transferre, nè para quæcunque prævia operatione sensus externi, vt in præced. diximus. Hinc in respons. loc. cit. §. *Item aliter prob.*, sic pergit, inquiens, *Probabiliter mihi videtur, quod Angelus non potest transferre phantasma ab vno homine in alium, & constituere speciem visibilem proportionatam, quam habuit in primo homine, quia vel nõ potest sic transferre speciem, vel si posset, adhuc non posset facere, quod sit aliquid eius, vel quod sit ei principium naturale ad operandum: & sicut dicit Philos. 2. de Cæl. t. cap. 56. Sicut si sanguinem velis transferre ad corpus alterius, conseruando qualitates naturales eius, non esset sanguis naturalis illius, sed solum esset in eo, vt in vase, sed in loco alieno. Si essent duo mundi, essent duo centra naturaliter: & si particula terræ vnius mundi esset in alio mundo, violentum esset sibi centrum illius mundi, ideo moueretur naturaliter ad centrum proprium. Sicut autem homo est minor mundus, & cor habeat rationem centri, ideo illud phantasma non haberet eandem dispositionem, vel approximationem ad centrum, vt ad cor, & ideo non eandem dispositionem haberet, quam habuit in primo homine, & ideo non duceret in cognitionem, quam prius &c.* hæc ibi, vbi ingeniosè, vt solet, adaptat exempla sanguis, & centri alterius Orbis. Licet autem in hanc partem magis inclinet, nihilominus dubius, & problematicus remanet in Sentent. d. 11. q. 1. lit. D. à sub. & & supra.

Potest Angelus phantasmata, & spiritus conseruare.

6 Verum, quid implicat, posse Angelum transferre phantasma huiusmodi? Dices, obstare rationes allatas; at ista bene solutæ sunt ab eodem Scoto, vt visum est: Item posset phantasma, & spiritus conseruare, fouere, itaut vel modicam, vel nullam patiantur alterationem: siquidem dici posset, phantasmata, & spiritus per motum talem alterari, & euanescere, ergo non potest. Resp. Angelum esse tantæ scientiæ, & virtutis, vt applicando actiua passiuis, valeat hæc fouere, & optimè conseruare, vt apta sint ad operationẽ; ergo nil implicat. Occurrit Vasq. disp. 248. c. 4. in fin. implicare ex parte cerebri, etenim subiectantur in organo, organum autẽ secundũ quaslibet partẽ sui viuit, et si transferretur, transferretur & pars organi, siue cerebri viuentis, idem habet Suar. lib. 6. c. 16. nu. 19. At respondetur, non subiectari species, & phantasmata in cerebro, species quidem intelligibilis in intellectu, phantasma autẽ subiectatur in spiritu, & humore, vt loquitur Scotus in sentent. quo fit, vt licet hæc sint in organo, non tamen ad translationem ipsorum transferenda sit pars cerebri, seù organi.

Phantasma in quonam subiectatur.

7 Nihilominus, quamuis Angelus possit quantum est de se transferre, & conseruare, tamen Plato, in quẽ fierit

tranf-

translatio, non intelligeret per illud rationes id probatum praecedentib. qq. propter ordinem potentiarum, & cetera, vt ibi. Item ratio illa de caeco nato optima est, & haec omnino concludit non posse fieri. Dices, iam concedis, ex parte Angeli posse fieri, item phantasia Platonis est receptiua illius, ergo nil implicat. Resp. etsi ex parte hac nō implicet, implicat tamen aliundè, vt est dictū. Additq; Bassol. d. 1. q. vnic. 9. *Et tunc dicitur*, quod phantasma sic pendet à phantasia, sicut radius pendet à Sole, & visus à visione: at radij non possunt conseruari sine Sole, nec visus sine visione, ergo nec phātasma absque propria phantasia.

Vtrum posse transferre de parte in partem. 8 Quoad Secundum, Vtrum posse transferre de parte in partem organi, itaut aliter ordinata phantasmata, aliā producant cognitionē. Aegid. respondet posse fieri, ratio, quia potest mouere spiritus, & humores, in quibus phantasmata subiectantur, & ita accidit in somnis virtute Daemonum. Impugnat Scotus dicendo, plura esse phantasmata, quam spiritus, & humores: & vnusquisque humor, ac spiritus proprio informatur phantasmate: at quia supersunt alia plura, non fiet translatio taliū phantasmatum, sed solummodo priorum. Item motus localis de se praecisè non est sufficiens ad faciendū, vt phantasma magis moueat nunc, quā prius, nisi fiat aliquid circa illud per alterationem, hoc idem alitèr impugnat in Reportat. Sed quid? numquid negabit Scotus, posse Angelū mouere phantasma in eodem organo, motis spiritibus, & humoribus? Resp. non hoc Scotum negare, sed reputare difficile, ita enim loquitur, impugnando Aegidium, inquiens, *sed hoc videtur difficile ad intelligendum*. Vnde autem difficultas Scoto oritur, an quia nō possit Angelus absolutè mouere; & phantasmata, spiritus, humoresq; nō sint mobilia? minimè hinc, cōcedit enim, sed quia inquit in Report. quod dum in organo sunt v.g. mille millia species, seu phantasmata, si vnicuique phantasmatum corresponderet singularis pars organi, oporteret organum, cerebrumq; diuidere minutatim in mille millia partes. At quid dicemus nos, dum eandē motionem cū Aegidio supra admisimus, & nunc iterū recolimus? Resp. quod phantasmata non subiectantur immediatè in cerebro, sed immediatè in spiritibus: possunt vero spiritus appositè correspondere phantasmatibus, & ita cessabit illa diuisio cerebri in partes millia millium.

9 Subdit tamen idem Scotus, posse Angelum circa virtutem phantasticam amouere impedimentum, puta, si impedimentū ordinatae immutationis à phātasmatibus erat perturbatio spirituum, vel humorum, Angelus potest illam sedare, qua sedata, occurrent ordinatè ipsa phantasmata.

10 Ex quibus omnibus cōcluditur, non posse alitèr imaginatiuam nostrā ab Angelo immutari, nisi per commotionem humorum, & spirituū animalium. Confirmatur ex Arist. lib. de insomn. cap. 3. dicente, *Descendente multo sanguine ad principium sensitiuum, excitari motiones sensibiliam*. per principium autem sensitiuum intelligit sensum communem, quod & existimauit esse eundem cum imaginatiua. quod etiam experimur in febricitantibus, ex commotione spirituum, & humorum fieri apparitiones phantasticas, & illusiones. Daemones quō mouet imaginatiuam hominis.

QVÆSTIO V.

Vtrum Angelus immutare possit humanam voluntatem.

QVia praesēs quaestio supponit principia spectantia ad ordinem gratiae, ideo, Deo dante, de ea agemus in materia de Gratia.

Finis Disputationis Decimaeseptimae.

DISPV-

DISPVTATIO XVIII.

De potentia Angeli in ordine ad Vniuersum.

QVAESTIO I.

Vtrum in Angelo sit admittenda potentia exequutiua.

1 N primis autem quæritur, an in Angelis, vltra intellectum, & voluntatem, reperiatur potentia quædã tertia, quæ appellatur Executiua: & vltra hoc, dato eam reperiri, an sit eadem, an distincta, & qualitèr, ab anima, & facultatibus eius.

2 Non dari potentiam talem executiuã, est sentẽtia D. Thomæ de malo q. 16. art. 1. & par. 1. q. 54. art. 5. ac q. 79. art. 1. atque opusc. 11. art. 3. & 13. vbi docet, Angelum mouere corpus solo imperio voluntatis. id ipsum prius sensit Auerr. 12. Met. com. 36. & post D. Thomam Durand. in 2. d. 2. q. 5. Heru. d. 14. q. 1. art. 4. Capr. d. 7. q. 2. Soncian. 12. Met. q. 35. Bassol. d. 14. q. 1. inclinat Molin. q. 54. art. 5. negatque absolutè Vasq. 1. par. disp. 218. num. 10. Probatur autem Primo, frustra fiunt per plura, quæ fieri possunt per pauciora: at sufficit intellectus vt dirigens, voluntas vt exequens, ergo frustranea erit potentia alia exequutiua. Secundo, quæ sunt dispersa in inferioribus, sunt vnita in superioribus: at in homine potentia motiua corporea distinguitur quidem ab intellectu, & voluntate, ergo non debet distingui in Angelo: Antecedẽs patet, nam ea, quæ dispersa sunt per quinque sensus internos, vnita sunt in vno intellectu: quæ intellectus hominis multiplici operatione discurrendo apprehendit, ea absque discursu Angelus vnico intuitu percipit: & denique, quæ sub duplici appetitu continẽtur, irascibili, & concupiscibili, ea in vnica facultate voluntatis vniuntur; igitur si virtus motiua organica in homine discernitur ab intellectu, & voluntate, reperietur vna, eademq; indistincta, & indiuisa ab intellectu, & voluntate in Angelis. Tertio, Angelus est pure intellectualis, ergo habet solummodo intellectum, & voluntatẽ. Quarto, solus intellectus, & voluntas sunt potẽtiæ rationales, siue intellectuales, at Angelus est totus intellectualis, ergo non dabitur vlterior potentia. Quinto nõ admittitur in Deo, ergo nec in Angelis: alias, si admitteretur in Angelis, apponeretur quoque in Deo, videtur enim par ratio cum ambo sint entia intellectualia, spiritualia. Sexto, præter intellectum, & voluntatẽ, quæ sunt potentiæ vitales, non datur alia facultas vitalis, ergo nec dabitur potentia exequutiua.

3 Nihilominus asserimus dari in Angelis potẽtiam hanc exequutiuam: licet autem Scotus in 4. d. 1. q. 1. lit. H. dubitatiuè loquatur, attamen absolutè ita asserimus, & in hanc inclinant magis cõmunitèr Scotistæ, præcipuè Tatar. sequitur Caetan. q. 54. art. 5. Aureol. 2. d. 8. q. vnic. art. 3. Conimbric. l. 2. de Cœl. q. 7. Mayron. 2. d. 43. q. 5. Suar. in Metaph. disp. 35. sect. 2. & de Angel. l. 4. cap. 29. Probatur autem, potentiæ distinguuntur per actus, actus intellectus, voluntatis, & potẽtiæ motiuæ sunt diuersi, vt patet; ergo potẽtiæ non erunt vna, siue duæ solummodo, sed plures, & ita dabitur potẽtia exequutiua. Dices, actus istos subordinari, tanquam actus imperans voluntatis, & imperati, vt intellectus, & potentiæ motiuæ exequutiuæ. At hoc nil obstat, etenim licet sit subordinatio huius potẽtiæ ad intelle-

Potẽtia exequtiua in Angelis.

telle-

tellectum sub ratione dirigentis, & ad voluntatem sub ratione imperantis, tamen sunt omnino diuersi; nam in homine sensus exterior subordinatur interiori, & vterque intellectui, & nihilominus omnes istæ potentiæ inter se distinguuntur: & in brutis potētia motiua subordinatur appetitiuæ, attamen inuicem distinguuntur, ergo non obstante subordinatione potentiæ huius exequutiuæ in Angelis, vtique inuicē distinguentur. Rursus ad principale, actus immanens non est per se operatiuus ad extra, nam actus immanentes sunt gratia sui, nō gratia alterius, sicut est actus transiens, prout habet Arist. 9. Metaph cap. 9. & 1. Ethic. cap. 7. ergo operatio motiua non potest promanare ab actu immanēti intellectus, & voluntatis, sed cum actio illa motiua sit actio transiens, postulabit potentiam exequutiuam transeuntem. Præterea posset Angelus velle, (nempè malus) commouere, & euellere à quatuor angulis totum istum Cœnobium, immo totum Orbem, attamen voluntas talis exequutioni non mandatur, signum ergo est, quod dum quidquam mouet, nō per solam imperantem voluntatem id agit, sed per potentiam exequutiuam. Insuper datur in anima, ergo & in Angelo: dari in anima, tum rationes allatæ probant, tum quia apertè constat esse in ea potentiam motricē exequentem, tum organicam, tum inorganicā ex Scoto in 4 d. 49. q. 14. Hoc ipsum multo faciliùs cōcedunt Angelo ii, qui eandem exequutiuam admittunt in Deo. Ac denique Bassolius in Prol. q. 4. art. 2. refert articulum Parisiensem damnantē hanc sententiam: licet autem articuli Parisienses non transeant Sequana, vt aiunt, nihilominus habemus pro sententia nostra confirmationem Doctorum Parisiensium. Item plura desiderat Angelus malus, etiam de naturalibus externis, at non omnia assequitur, ergo potentia exequutiua distinguitur à voluntate.

4 Potentia hæc an distinguatur formalitèr, realitèr, an sola ratione? qui distinctionem realem admittunt inter potentias, & subiectum, eandē admittent inter exequutiuam, cæterasque facultates, & essentiam Angeli: Scotistæ tamen, quia contenti sunt sola distinctione formali potentiarum ad subiectum, dicent consequentèr, & exequutiuā potentiā distingui formalitèr.

Distinguitur formalitèr ab eis.

5 Verum & in Deo ponatur potētia hæc exequutiua, examinauimus tom. 1. de Trinit. Disput. de Omnip.

6 Ad Primum resp. debere vniri eo modo, quo possunt vniri, vt contradictionem non implicet, alias intellectus, & voluntas, quæ sunt duæ potentiæ in homine, deberent esse vna in Angelo: implicat autem potentiam exequutiuam sic vniri in Angelo, vt sint omnino vnum ipsa, & cæteræ facultates Angeli, nec veniat multiplicanda vltra eas. Ad illud de discursu angelico, patuit suo loco, etiam discurrere.

7 Ad illud de frustra, valeret propositio, dum æquè bene fierēt per pauciora, at non æquè bene hic, ideo requiritur exequutiua.

8 Ad Tertium negatur consequēs.

Ad Quartum, quòd implicat, vna cum natura intellectuali reperiri potētiam motiuam, quæ non sit formaliter intellectualis, alias sequeretur in Angelo non dari voluntatem, quia facultas volitiua nō est facultas intellectiua, nō enim volūtas intelligit sed vult, amat, odit: ergo nec implicabit dari potētiam exequutiuā, quæ nō sit rationalis, & intellectualis, non .n. munus eius est intelligere, sed mouere, sicut nec munus volūtatis est speculari, sed imperare, quemadmodū & munus eiusdēmet intellectus nō est amare, sed intelligere.

9 Ad Quintum patet responsio ex loc. cit.

10 Ad Sextum Vulp. ait potentiam hanc non esse vitalē, ita disp. 16. art. 2. nu. 6. Responsionem hanc nō amplector, etenim potentia motiua, & exequutiua animæ est vitalis, ergo & Angeli. Item ipse docet cum Scotistis, & nobiscum, potentiam hanc idētificari realitèr, & distingui solū ex natura rei, quomodo ergo nō erit vitalis. Insuper motus viuentiū ab intrinseco, est operatio vitalis, ergo à principio, & facultate vitali. Quapropter ad argumentū negamus assumptū, est enim in Angelo, vltra facultates vitales intellectus, & voluntatis, potētia quoque exequutiua, tanquam facultas vitalis.

Potētia exequutiua est vitalis.

QVÆSTIO II.

Quousque se extendat potentia angelica in ordine ad Vniuersum.

1 IN Primis dicendum multa posse, adeoq; esse multa, & magna, quæ potest, vt de Angelo malo asserat Iob 41. *Non est potestas, quæ cõparetur ei: fortitudo eius in lumbis eius, & virtus illius in vmbilico ventris eius, ossa eius, velut fistulæ æris: cartilago illius quasi lamina ferrea. Ecce absorbebit fluuium: habet fiduciam quod influat Iordanis in os eius. An extrahere poteris Leuiathan, & fune ligabis linguã eius. Pluraque ex cap.41.& 42.*

Angelus potest mouere seipsum.

2 Singularitèr vero accedendo ad singula capita, dicimus, Angelos mouere posse seipsos, sicut de facto vnusquisq; se ipsum mouet, dum vel ad nostram descendit custodiam, vel ad alia exequẽda ministeria destinatur à Deo: hoc patuit in Disput. de Motu Angelorum.

Angel⁹ Angelum mouere potest.

3 An vero Angelus vltra seipsum, alium quoque mouere valeat, respondit Vasquez disp.194. cap.3. *Friuolum esse quod quidam comminiscuntur, Angelos aliquos tantæ esse virtutis, vt aliquo impulsu, quasi impresso alteri Angelo, ipsum moueant ad alium locum, vel alicui loco alligent.* Nihilominus tenendum, Angelum posse Angelũ mouere: Prob. potest Angelus mouere corpus, ergo & alium Angelum. Item potest mouere animã, ergo & Angelum: Ex his duobus modis intercluditur via ad effugiũ, si namque dicas, corpus posse, at non spiritum, cu mouet animas, quæ est spiritus, ergo & Angelum. Item quod potest seipsum mouere, potest quoque moueri ab alio eiusdem generis, & virtutis, imo virtutis maioris, Angelus mouet seipsum, ergo & moueri poterit ab Angelo altero cum sint eiusdẽ generis, vel speciei, habeatq; virtutẽ mouendi &c. Insuper mouetur à Deo, ergo & moueri potest ab Angelo altero: prob. conseq. nõ ideo mouetur à Deo, quasi requiratur virtus infinita ad mouendum, ergo, & si Angelus alter non sit virtutis infinitæ, adhuc poterit mouere. Deniq; Dæmones, qui mali Angeli sunt, facultatem habent naturalẽ, siue corpus mouendi, siue perditas animas rapiendi ad Infernum, nec etiam requiritur ad hoc virtus infinita, sed sufficit imperium, & sententia iusti Iudicis Dei, vt tales animas ducãt ad Infernum: Et de anima Lazari Luc 14. dicitur, *Factum est, vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ,* hinc arguitur, an fortè Angeli substantia erit grauior, & ponderosior, siue corpore, siue anima rationali, vt eam Angelus nõ valeat mouere? quod si dixeris dari Angelum, qui nõ sit tantæ virtutis: saltem non negabis, dari Angelum superiorem habere virtutem talem ad mouendum inferiorem, quod ergo præstare non poterit inferior, præstabit superior: Et hinc merito Scotus in 4.d.44. q.2. lit.B. inquit, *Contra voluntatem Angeli non habentis solum Angelum superiorem, non posset fieri sic detentio, nisi à Deo immediatè.* Hinc autem plura inferuntur, Primo, posse Angelum, Angelum mouere absolutè: Secundo, superiorem posse mouere inferiorem absolutè, siue velit, siue nolit inferior: primum remanet probatum, & secundũ patet, quia habet superior virtutem maiorem, ergo mouere poterit etiam inuitum, & è loco pellere, & in locum relegare. Tertio, æqualem posse æqualem mouere, si tamen mobilis velit, alias non poterit: æqualis enim in æqualem non habet imperiũ: Quarto inferiorem posse mouere superiorem, si tamen superior moueri velit, alias non; ratio patet, quia inferior in superiorem non habet imperium: Solum Zamel negat secundum illatũ, inquiens inferiorem non posse à superiori moueri inuite. Verum, hoc non recipitur.

6 Dices, virtus corporea inferior, & imbecillior nõ potest mouere corpus grauius, & ponderosius, ergo nec Angelus inferius superiorem. Resp. si

pondus

pondus corporis grauioris non attemperetur virtuti corporeæ inferiori, non vtiq; mouebit, oporteret namque, vel virtutem inferioris augeri, vel pondus mobilis attẽperari, & minui: in Angelis autẽ, licet cesset pondus molis, adest tamen pondus virtutis, quia, teste August. *In ijs, quæ non mole magna sunt, idem est maius esse, quod melius esse*, quo fit, vt quamuis virtus inferioris Angeli attingere nequeat de se sola ad superiorem, nihilominus poterit superior semetipsum attemperare virtuti eius taliter, ac tãtu, vt possit moueri ab eo. Posse autem Angelum mouere corpora, sæpè fuit traditum, & apertè testantur Scripturæ, vt Ezech. 8. *Angelus apprehendit Ezechielem in cincinno capitis, & eleuauit eum inter terram, & Cœlum*. Act. 4. *Spiritus Domini rapuit Philippum*. Supponitur autem, apparitiones, seù huiusmodi operationes ad extra fieri à Deo per Angelos: & Dan. 14. *Angelus portauit Habacuc in Babylonẽ*.

Mali Angeli à bonis moueri possunt inuiti.

Licet autem hæc vera sint, & etiam inuite inferior moueri possit à superiori, nihilominus modificatione indiget, quoniam habet solummodo locum in Angelis malis, possunt enim etiam inuiti moueri à superioribus, præcipuè bonis, vt patet Apoc. citando: item, quia Raphael religauit Asmodeum in deserto: tum etiã ex loco illo, *Factum est prælium magnum in Cœlo*, cap. 12. vbi habetur, quod peracto prælio, proiectus est Draco ille magnus. Item locum quoque habet in Angelis malis superioribus, siquidem ex pluribus habetur, superiores Diabolos coercere, inferiores, vt Disp. de Angelica custodia attigimus, loquendo tamen de bonis; tùm mouentibus, tùm mobilibus, asserendum est, quod quamuis physicè spectando naturalem facultatem Angeli superioris, possit id euenire, tamen id non continget, tùm quia Beati sunt, ideoq; concordes inter se: tùm etiam quia bene sciret Angelus bonus inferior talem esse Dei voluntatem, v.g. vt moueretur à superiori, ideoque libentèr moueri se sineret: linquo tamen pugnam illam pendẽs Dan. 10. vbi Angelus Regni Persarum restitit Gabrieli, etenim adhuc de diuina voluntate non eis constabat, ideoque conditionata erat altercatio, nempè si sic, vel sic Deo placuerit, ob quam conditionatam resistantiã nullus eorum peccabat, omnes namque pugnabant pro maiori gloria Dei, ac Populi illius beneficio, vt loco citato diximus: quod si tamen dicamus alterum eorum fuisse Angelum malum, vt ibi retulimus ex sententia aliquorum, iam cessat quæstio, cũ bene potuerit Angelus bonus malo etiam inuito resistere: vbi ergo constat bonis Angelis de Dei voluntate, nullus ipsorum vel inuitus mouebitur, vel minimum quid aduersus alterum attentabitur, id namque repugnat statui Beatorum, quin potius inferior, cognita voluntate superioris, v.g. de motu, statim ipsemet semetipsum mouebit ad ipsius nutum, vel sinet se ab altero moueri, si Deo placuerit &c.

Boni Angeli non mouent bonos, nisi, ipsis inuitis.

7 Et ex his infertur, quod licet Dæmones aliqui, & multi essent Angelis bonis superiores in natura, nil tamen obstaret, vt moueri possint ab eis: Assertio fundatur non in viribus naturæ Angeli boni inferioris, cum inualidiores sint, sed in virtute, & gratia Dei, etenim virtus gratiæ maior est virtute naturæ, quo fit, vt imperio, virtute, & gratia Dei inferior bonus mouere valeat, & alligare Angelum malum superiorem. Dices, de Christo Domino, ait Euangelista Luc. 7. *Assumpsit eum Diabolus in sanctam Ciuitatem*. & rursus *Assumpsit eum in montem excelsum valde &c.* ergo vel hinc etiam Angeli mali assumere, & mouere poterunt Angelos bonos. Resp. Christum Dominum sua sponte, ac sua voluntate id permisisse, sicut namque plures assumere dignatum fuit diuinum Verbum nostræ naturæ defectus, ita & permitti voluit ipse Christus asportari, imo & tentari &c. quod si Angelus bonus idipsum permitteret Angelo malo, posset vtiq; euenire de se ipso, vt moueretur, stante virtute naturali, at id non contingere, nec permittere, verisimile est.

Angelus inferior in natura potest, Dei virtute mouere Dæmonem superiorem.

Christus an asportatus à Dæmone?

8 Dum autem Angelus vel Angelum mouet, vel corpus, quæritur, an id facere possit mediante impetu impresso? ita euenire semper autumat Vasq. disp. 218. num. 9. inquiens, non posse in aere corpus ab Angelo detineri absq; impetu in eo nouiter, & nouitèr facto,

Angelus an moueat mediante impetu.

Verum, hoc superfluum est: & probatur oppositum ex eo, quod cõtingit in nobis, etenim non semper mediante impetu, siue nosmetipsos, siue alia mouemus: item in casu Vasquij, dum detinemus quidquam in aere suspensum, non opus est, vt in illo impetum imprimamus: insuper frustraneus esset talis impetus, quandocunque nulla ex parte mobilis adesset resistentia, & violentia: ergo nec in Angelo mouente siue Angelū, siue corpus, erit naturalis hic impetus, nisi tamen adsit violentia, & & resistentia. Potest ergo Angelus duplici modo mouere, tùm absque impetu, tùm cum impetu, quo secundo modo contigit penès Iob 1. *Repente ventus vehemens irruit à regione deserti, & concussit quatuor Angulos &c.*

Angelus an possit causare impetū. 9 An possit causare impetum: videtur autem non posse, quoniam non potest producere qualitatem, impetus autem est de genere qualitatis: Assumptum supponitur, & patebit inferiùs. ita Suar. in Metaph. disp. 35 sect. 6. & si lib. 4 de Angel. cap. 31. sit problematicus: Nihilominus affirmatiuam sententiam sequimur, & probatur, potest causare homo, ergo & Angelus, antecedens patet, & probatur consequens, est perfectionis in homine mouere tùm immediatè per absolutam potentiam motiuam, tùm mediatè per impulsum & impetum: at perfectio competens inferiori non est deneganda superiori. Vulpes disp. 16. art. vlt. sequens opinionem oppositam num. 5. respondet, mouere per impetum non esse perfectionē simpliciter in homine, sed perfectionem supplentem imperfectionē, quatenùs virtus motiua hominis est organica, nequiens sine instrumento medio, quod est impetus, causare motum: Sed arguo contra: In Beato virtus motiua nedum erit organica, sed etiam inorganica, quia poterit moueri tùm organicè, tùm inorganicè, vt habet Scotus in 4. d. 49. q. 14. lit. D. erit autem perfectio in Beato talis potētia, talisq; motus inorganicus, competens ratione dotis beatificæ agilitatis, ergo competit etiam Angelis beatis sic mouere immediatè absq; impulsu, & impetu medio. Item arguo ad principale, si non posset mouere cum impulsu, sequeretur, in mouendo debere semper esse coniunctum cum mobili, vbicunque fuerit, & hoc vilificat virtutem angelicam: Probatur assumptū, projiciendus sit v. g. lapis ab hac cella, vsque ad forum publicū, projiciat autem tùm Angelus, tùm homo seorsim, homo quidem projiciet hinc, absque quod hinc discedat, lapis vero proiectus, per impulsum, & impetum receptum, recipiatur inde in foro, absque comitatu projicientis: projiciat autē eundem Angelus, opus erit, vt Angelus eat secum vsq; ad forum, non enim absque impulsu eo lapis deuenire poterit, quem Angelus non poterit imprimere, sed semper Angelus comitabitur cum lapide: at hoc maximè vilificat virtutem Angeli. Confirmatur, potest homo per impetum agere in distans, absq; suo discessu è loco projectionis, ergo & poterit Angelus, cum sit virtutis maioris. Vulpes num. 4. ait, Angelum posse semper esse præsentem corpori, quod mouet, vnde sine necessitate ponitur impetus. Contra, non loquimur de libertate Angeli, pōt enim semper sic esse præsentem vbicunque mobile fuerit, at hinc sequitur, vt non voluntate, sed necessitate sit ibi sēper præsens, quod non contingit in homine, qui potest pro libito corpus mobile à se remouere per impetum, ipso remanente immoto, absq; discessu, quod est perfectionis, nam præsētia eius non remanet alligata semper cum mobili, cum tamen præsentia Angeli semper sit alligata mobili, semperq; ipsum ire necesse sit cum mobili, quocunq; mobile proiectum fuerit, & quocunque deuenerit, hæc autem vilificant naturam angelicam.

10 Ad rationem autem in oppositū de qualitate resp. posse impetum talē producere, non obstante quod sit qualitas; ratio, quoniam talis impulsus est quid consequens ad motum, licet non necessario, non enim omnis motus sit mediante impulsu, & impetu: sufficit autem posse consequi ad motum, ad hoc vt possit produci à producēte motum: Item est accidēs, & affectio motus, quamuis separabilitèr se habens à motu, quia tamen afficere potest motum, potest produci à producente motum.

rum. Insuper non egreditur virtute producentis motum, quapropter continetur in virtute eius, qui producit motum: potẽs autem producere principale, potest & accessorium, ergo ex quo producit Angelus principale, quod est motus, producet & accessorium, licet accidentarium separabile, quod est impetus.

Quanta sit Angeli potentia.

11 Quanta sit potẽtia motiua Angeli circa hoc Vniuersum, quis nouit? plura plures dicunt, at quis mensus est potentiam eorum: vnde quærunt vtrũ possit ignem trahere in terram ex propria sphæra: an commouere tempestates in aere, & aquis, causare submersiones: concutere ædificia, montes transferre, arbores euellere, causare terremotus, commouere totum Elementum terræ, aquarum, aeris, ignis, & huius generis: vtiq; tanta est ipsorum potentia, vt plura ex his compertum sit effecisse, prout penès Iob cap. 1. habemus. Item obedit eis materia prima ad nutum, quoad motum localem: insuper applicando actiua passiuis plura possunt inde effecta euenire, miranda facere, licet non miracula, miranda enim erant ea, quæ faciebãt Magi Pharaonis, miranda quidem nescientibus principia, & causas eorum non autem scientibus: de his, & similibus ita concludit Martinus del Rio disquis. magic. lib. 2. q. 7. inquiens, *Inferiora corpora parent Angelis quoad motum localẽ, adeo vt Cœlos rotare queant; sed cum queant eos mouere, sequitur, nullum adeo vastũ esse corpus, vt id Dæmones, quadam impulsus impressione, loco mouere nequeãt, dummodo tamen ea motione, ordo Vniuersi non turbetur: quare nec integrum Elementum loco suo mouere valebũt, nec poterunt etiam Cœlorum cursum mutare, impedire. Mouere vero corpora locali motu potest Dæmon velocissimè; & quo videmus motu Cœlos celerrimè moueri &c.* id ipsum currit de Angelis bonis: quod si ad bonos non applicat, ideo est, quia intentum sui operis est agere de magicis disquisitionibus, ac proinde de Angelis malis. Aliud vero animaduertendum, non totam virtutẽ ipsos expendere circa Vniuersum, plura namque, & maiora agere possẽt, sed eo vsq; potentiam siue bonorum, siue malorum se extendere, quousque placitum fuerit voluntati, & prouidentiæ diuinæ, sunt enim siue boni, siue mali, ministri, & exequutores imperij voluntatis diuinæ; potestas enim, quam Dæmoni Deus tribuit in bona Iob, fuit inde limitata dicendo, *Vniuersa, quæ habet in manu tua sunt, veruntamen animam illius serua* cap. 1. & 2. & Apoc. 10. Angelus ille quartus *clamauit quatuor Angelis quibus datum est nocere terræ, & mari dicẽs, nolite nocere terræ, & mari &c.* vnde concludit Aug. *Nec Dæmon, nec Angelus aliquid operantur secundum naturæ potentiã, nisi quod Deus illis permisit*, de Ciuit. Dei 18. plura infra.

Materia obedit Angelo ad nutum, declar.

Dæmones faciũt miranda, sed non miracula.

Plura possunt, sed impediunt.

12 Quantum inde sit tẽpus, quantaué mora, in qua moueant: Certum est id pendere ex mensura virtutis eorum, & resistentia rei mobilis: ergo si virtus obsistentiam superat, celeritèr, vel vt placet, & minus celeritèr, mouebunt: si obsistit, distinguendũ, si namque resistentia est vincibilis, mouebunt celeritèr ad mensuram virtutis vincentis: si vero est inuincibilis, nequaquam mouebunt. Quod si nulla prorsus interueniat resistẽtia, an possit quãtalibet celeritate mouere celerius in infinitum? affirmat Suarez de Angelo mouente Cœlum, nulla facta obsistentia, lib. 4. cap. 24. num. 6. Albertin. t. 1. Princ. 1. coroll. 16. num. 15. & ante ipsos Capreol. in 2. d. 6. q. 1. atq; Alensis par. 2. q. 33. memb. 1. ad 2. verum non attentimur, idemque Suarez priùs in metaph. disp. 35. sect. ita sentit minimè posse: & sequitur Vasq. disp. 197. cap. 4. quibus accedit idẽ del Rios lib. 2. q. 16. versus fin. §. Vnum restat, inquiẽs, *Nec etiam posse Angelum sola voluntate, & intellectu, illimitatè, & infinitè, quodcunque volet, & quanta velit celeritate, loco mouere, hoc enim damnasse intelligendus est articulus Parisiensis, & merito, quia hoc est virtutis infinitæ.* Adest ergo, vltra Authores, articulus etiam Parisiensis. Ratio Suarij erat, quia cessante resistentia, poterit mouere absque termino velocitatis ad summum, ad infinitum. At fallitur, non enim Angeli mouentis virtus metienda est solummodo quasi negatiuè ex eo quod nulla habeatur resistẽtia, hoc namque non sufficit

Celeritas motus angelici quanta.

Angelus nõ potest mouere ad summam, & infinitam velocitatem. Virtus motiua vnde metiẽda est.

ficit, imo est caput extrinsecum, & secundarium; sed metienda est primario positiuè ex tantitate virtutis: at quia virtus est finita, ergo non poterit mouere quantalibet velocitate in infinitum. Item mouere celeritate infinita est idẽ ac mouere subito, & in instanti, infinitas namque celeritatis excludit durationem, & successionem, ergo mouebit in instanti, sicq; dabit verum motum absque successione, & duratione in instanti. *Dices*, in tali infinita celeritate reperiri ordinem naturæ in transeundis partibus. Contra, quia ad essentiam motus non sufficit ordo naturæ, exigitur enim essentialitèr ordo temporis, vt constat,

13 Quæritur rursus, verum valeant formam, siue substantialem, siue accidentalem corpoream producere. Est communis sententia negatiua, ita Scot. in 2. d. 8. q. vlt. & in 4. d. 1. q. 1. D. Thom. q. 110. art. 2. D. Bonau. 2. d. 8. par. 1. art. 2. q. 2. Albert. d. 7. art. 3. Richard. Argent. Dur. Bassol. ad eum locum: & cõmunitèr Recentiores. Fuit autem sententia Platonis, Angelos ex præiacente materia produxisse res corporeas, referente August. 12. de Ciuit. c. 24. fuit quoq; sententia Auicennæ, Intelligentiam producere Intelligentiam, de quo sæpè dictum: Fuitq; hæresis quorundam, penès Iræneum, & Epiphanium aduersus hæreses, qui & damnati fuerunt à Concil. Bracar. 1. Can. 12. circa plasmationem hominis, vbi dicitur. *Si quis plasmationem humani corporis, Diaboli dicit esse figmentum, & conceptiones in vtero matrum operibus dicit Dæmonũ figurari, propter quod resurrectionẽ carnis non credit, sicut Manichæus, & Priscillianistæ dixerunt, anathema sit.* Item Can. 8. habetur, *Si quis credit, quod aliquantas naturas Diabolus in mundo fecerit, tonitrua, & fulgura, & tempestates, & siccitates ipse Diabolus authoritate sua faciat, sicut Priscillianus dixit, anathema sit*: Nota autem, *authoritate sua* etenim dependenter à Deo, & iussu, siue permissione Dei, facit quę facit, nõ enim Diabolus est author huius mundi, vt tales hæretici sentiebant. Dum vero Concilium negat fieri ab eo tonitrua, tempestates, & huiusmodi, non negat, applicare posse actiua passiuis, ex qua applicatione hęc, & similia euenire solent, vt communitèr docent Theologi, & vt patet de Magis Pharaonis, & de ijs, quæ Dæmonum opere acciderunt in bonis, & corpore Iobi. sed intentum Concilij est, confutare hæreses dicentium, Diabolum, velut Deum, pollentem virtute infinita, esse Authorem creaturarum: si quæ namque facit, Deo permittente facit, cuius permissione, & nutu cessante, nil potest amplius facere, vt de iisdem Magis constat, quibus permissum fuit ea solummodo facere ope Dæmonum, quæ fecerunt; cæterum non potuerũt sciniphes facere, Deo non annuente, nec permittente, vt Exod. 8. & confirmatur ex Concil. Ancyran. penès cap. Episcopi 29. q. 5. vbi dicitur; *De Domino scriptum est, Omnia per ipsum facta sunt; quisquis ergo credit posse fieri aliquam creaturam, aut in melius, aut in deterius mutari, aut transformari in aliam speciem, vel similitudinem, nisi ab ipso Creatore, infidelis est.* Accedunt nuper allata.

14 Non ergo, ex dictis, potest formã substantialẽ producere. Doctores varij sunt in assignandis rationibus, & profectò ardua res est, vnde alter alterius nititur eliminare probationes. Nobis vero pro forma substantiali sufficiant istæ; Angelus vel substantiam produceret vniuocè, vel æquiuocè: nõ Primum, quia nõ potest generare: nec Secundum, prob. Non potest formam substantialem educere de potẽtia materiæ, quia hoc competit Deo, & Agẽtibus naturalibus corporeis: ergo. Itẽ non operatur, nisi mediãte intellectione, & volitione: hæc autem sunt accidentia, at accidẽs non est principium producendi substantiam. Rursus non potest creare, cum non sit virtutis infinitæ, ergo nec per creationem, nec per generationem, siue per alium modum producendi, potest producere formam substantialem. Adde, causæ naturales sunt sufficientes ad producendam substantiam, ergo nequit Angelus. Ratio hæc infirma est, nõ enim per hoc, quod illæ sunt sufficientes, tolleretur virtus producendi substantiam, ergo ex alio capite non conceditur ei talis virtus. Item probatur, non continet Angelus

Angelus nõ potest formam substantialem producere.

formam

formam talem virtualitèr, & eminentèr, ergo nequit producere. In ratione tamen hac oporteret assumptum probare: licet autem verum sit non continere virtualitèr, attamen non probant, vt apertè conuincant. Rationes etiam nostræ allatæ fugam patiuntur, etenim quod accidens non sit principium producendi substantiam, assertum quidem Scoti est, quod tamen Thomistæ negant. Quod etiam educere formas de potentia materiæ competat solummodo Agenti naturali corporeo, id aiunt fore probandum, cur namq; non competit & Angelo: ita de probationibus istis, deque aliis aliorum.

Non possunt formas accidentales efficere.

15 Nec possunt Angeli producere formas accidentales, quantitatis, qualitatis, siccitatis, frigoris, caloris, nigredinis, aliorumque colorum, sicut nec lumen, aliasque species sensibiles. Assertio recipitur communitèr, præterquam à Thomistis distinguentibus de qualitatibus, ob quod non concedunt de omnibus: quidquid tamen sit, est sententia communis de omnibus. Ratio autē exquisitur, quæ efficax sit, nihilominus Doctores laborant hic, vt prius de substantia. Potior autem ratio esset, arguendo à maiori ad minus negatiuè, vt, non possunt producere formas substantiales, ergo nec accidētales; antecedēs constitit & probatur consequens, quia à forma substantiali emanant formæ accidentales, ergo negata productione illius, negatur, & istius. Item vice versa, si possent accidentia producere materialia, possent quoq; & producere substantiam, prob. nam accidētia sunt principia substantiæ. Thomistæ, vt dixi, aiunt, vtpotè nonnulli, Angelos, dum vtuntur corporibus, tanquā instrumentis ad agendum, eleuare, illa, imprimēdo illis virtutem, quæ est qualitas quædam intentionalis, ita Soncin. 7. Met. q. 15. &c. vnde duo genera qualitatum admittunt, physicas, & intentionales: de primis negāt cum cæteris, de secundis affirmant, & has vocant, veluti instrumentarias, vtpotè quod sint virtus impressa ab Angelo alicui corpori, dum eo vtitur, qua mediante dicatur corpus illud eleuari supra naturam suam, ad agendum. Verum, dari qualitatem hanc non est necesse: item superflua est, vt patet, dum namque Angelus v.g. velit hanc aulam dealbare, siue lignū hoc calefacere, sufficit illi albedinem parietibus & calorem ligno applicare, & habebitur effectus; cæterum qualnam opus est, vt calori, & albedini virtutem nouam imprimat, dum ex natura sua sufficientes sunt ad dealbandum, & calefaciendum? Quare de vniuersis generibus qualitatum corporearū concludimus producere non posse, & ita nec aerem posse illuminare absque aliquo corpore luminoso: nec species sensibiles, audibiles, visibiles, olfactibiles, gustabiles, tangibiles, producere sine obiecto, quod sit causa ipsarum; nec speciem soni, absque corporum intercepto aere, collisione: & in summa speciem nullam, siue qualitatem vllam corpoream physicam, aut intentionalem, eadem namque ratio militat de omnibus.

16 Vnum tamen excipimus, nempè species insensibiles, vt sunt species intelligibiles, & intellectionē: de volitione erit alias sermo. Primum dicitur de mente Scoti, qui, vt vidimus in materia de loquut. Angel. docuit, posse Angelum in intellectu alterius Angeli causare speciem intelligibilem, & actū intelligendi: hæc ergo possunt.

Possūt producere species intelligibiles, &c.

17 Dices, non est maior ratio de speciebus, siue qualitatibus intentionalibus insensibilibus, ac sensibilibus, ergo possunt, & illas. Responsio fuit allata alias, quia illæ sunt eiusdem ordinis, quia spirituales, vna cum Angelis spiritualibus, hæ autem alterius ordinis scilicet corporalis.

18 Dices, anima est principium substātiæ, & accidentium, ergo & Angelus, negatur conseq. tum quia anima est forma naturalis, tum quia non ex se sola hæc facit, sed cum corpore, cuius est forma.

19 Dices, Agens naturale corporeū producit formam substantialem, & accidentalē: at illud est imperfectius Angelo, ergo multo amplius idipsum potest Angelus. Resp. negando conseq. multa namq; possunt inferiora, & imperfectiora, quæ non conceduntur superioribus, & imperfectioribus: bruta quidem in multis euincunt homines,

Multa possunt Agentia imperfectiora, quæ non possunt perfectiora.

vt

ut Aquila in potentia visiua: Ceruus cursiua, & sic de multis, item Elementa sunt imperfectiora mixtis, & nihilominus ipsa erunt actiua, aurum tamen, lapisque, & huius generis nõ sic, vt habet Scot. in 1.d.7.q.1.lit.V.

20 Dices, Cœlum est causa generationis in inferioribus omnium mixtorum, & alterationis, ergo & Angelus: prob. conseq. Primo, quia Angelus mouet Cœlum. Secundo, quia Cœli sũt instrumenta Angeli ad producendas istas formas. Resp. negando Cœlum esse instrumentum Angeli ad producẽdas istas formas, sunt autem instrumẽta Naturæ, siue Authoris Naturæ, qui est Deus: Cœlum autem in ordine ad Angelum non habet rationem causæ, & principij, in ordine ad hæc inferiora, sed solummodo dicit ordinem mobilis ad *Motorem*.

Materia obedit Angelo ad nutum, declar.

21 Pro complemento tandem duo adnectimus, Primo, quod materia prima obedit Angelo *ad nutum*; sẽsus autem est, quem tradit Scotus, *ad nutum* quidem, nempè in ordine *ad motum localem*, non autẽ ad nutum, quoad transformationem, alterationem &c. Dices, August. l.3. de Trinit. cap.7. & 8. negat materiam Angelis obedire *ad nutum*,

Negare videtur Aug. sed declar.

Resp. loquitur ad sensum supra allatũ, quatenus docet, Dæmones non esse Dominos huius Orbis, non enim facere possunt pro libito, quodcumque voluerint, sed quantum permittitur eis à voluntate diuina, prout sententiam eius retulimus, ait enim, *Non est putandum, istis transgressoribus Angelis ad nutum seruire visibilium rerum materiam, sed soli Deo*.

Angeli plura possunt indirectè, quæ non directè.

22 Secundum est, posse ea omnia præstare indirectè, & si non directè: & ita applicando actiua passiuis, dum ex tali applicatione eueniunt generationes, corruptiones, alterationes, siue substantiales, siue accidentales, vtique dicantur, indirectè saltem præstare ea omnia &c. talis autem modus loquendi *indirectè*, non præiudicat singulis, quæ diximus, non enim possunt per se, ex proprijs viribus, nec directè.

Ad plura se extendit potẽtia Angeli, quæ tamen in singulis materijs pro occasione tractantur.

QVÆSTIO III.

Vtrum potentia Angeli valeat ad facienda miracula.

1 Miraculi natura in se exploranda primũ est, quo acto, de facili enodatur quæstio.

Miraculi Aethymon.

2 Miraculi vox deriuat à *miror* siue à *mirando vel admirando*. Hinc autem fit, vt *late* sumendo nomen istud, quidquid mirandum, seu admirandum proponitur, id appellari quoquo modo possit miraculum: dixi *late*, etenim *pressè* sumptum, & *strictè*, aliter censendum erit, vt dicemus. Concludimus ergo ex voce ipsa *miraculi* quod quidquid admiratione dignũ proponitur, id largo nomine, appellandum veniat miraculum.

Admirari cõtingit dupliciter.

3 Veruntamen est, quod admiratio duplex est, seu admirari contingit dupliciter, vel per se, vel per accidens: admiratio per se, prouenit ex natura rei, & ab intrinseco: admiratio per accidens prouenit ab extrinseco, ex parte admirantis: Primũ contingit quandocumque effectus excedit causas naturales, atque à solo Deo: Secundum vero quando non excedit vires causarum secundarum in efficiendo, sed solummodo excedit captũ, & intelligentiam intellectus creati; Et hinc est, vt miraculum seu admirandum, sit causa ignorantiæ, talis autem ignorantia vel erit per se, vel per accidẽs: Primo contingit quandocunq; ignoramus, ignorantia se tenente ex parte rei occultæ, quatenus effectus superat omnes vires naturæ: & Secundo, quãdo ignoramus, ignorantia se tenente ex parte nostri intellectus, non valẽtis penetrare causas talis effectus, producibilis quidẽ ab

ipsa

ipsa natura, ideoque appellatur per accidens, quia per accidēs est, vt à meo, vel alterius intellectu ignoretur, cum tamen plenè sciri poterit ab intellectu perspicaciori, siue hominis, siue Angeli. Exemplum primi, vt suscitatio Lazari: illuminatio cæci: Exemplum secundi, loquutio Serpentis cum Eua, & Asinæ cum Balaam: prima quidē superant totam naturā, ideoq; à solo Deo fuerunt facta: secunda vero non superant omnem, & totam naturam. Dixi omnem, & totam, quia etsi loquutio bene articulata superet vires Serpentis, & Asinæ, non tamen superat vires Angeli, & Dæmonis formātis illas loquutiones, vt in materia de Assumpt. corp. visum fuit: Ex hoc autē sequitur, vt qui bene perspexerit, optimè norit, Angelum, Dæmonemq; fuisse loquutum, est enim res de se perceptibilis, quod si alter ignoret, id erit per accidens.

Serpens, & Asina quali ter loquuti.

4 Atque hinc accedimus ad explicandam magis naturam miraculi, afferēdo definitionem, siue descriptionem eius. Valer. Max. lib. 1. cap. 1. in Prol. ita describit. *Miraculum est res, quæ vnde manauerit, aut qua ratione constiterit, dignoscere est arduum.* Alexand. Alens. par. 2. q. 3. memb. 10. cū Gabr. lib. 2. d. 8. q. 2. art. 4. ita describit, *Miraculum est opus, quod fit, præter solitum cursum naturæ.* August. autem lib. de vtil. cred. inquit. *Miraculum voco quidquid arduum, aut insolitum, supra spem, vel facultatem mirantis apparet.*

Requisita ad miraculum.

5 Hinc vero colliguntur conditiones miraculi, hę autem sunt: Prima, vt sit opus arduum: Secunda, sit insolitum: Tertia, quod sit supra spem naturæ: & Quarta, quod sit supra facultatem eiusdem naturæ. Circa Primam, arduum dicitur, quia est à solo Deo: insolitum: quia raro: supra spem, vt quia natura nihil ad illud cooperetur, vel nullum ius, aut dispositionem habeat: & supra facultatem naturæ, eo quod nulla creata natura id possit.

Iustificatio an sit miraculum.

6 Distinctiùs vero explicādo singulas conditiones, oportet, vt sit insolitum: Vnde est, vt iustificatio peccatoris, licet sit opus supernaturale, promanans à Spiritu sancto, nihilominus ex Theologis communitèr, nō est miraculum, quia frequentèr contingit, dum ex diuina Misericordia tot, & tot veniunt ad pœnitentiam frequentèr. Notandum vero, posse iustificationem quandoque censeri miraculosam, spectando modū, qualis fuit vocatio Pauli, tam singularitèr vocati ad pœnitentiam, tamque mirabilitèr conuersi in ipsomet gressu persecutionis Christianorum: sicq; de alijs singularitèr conuersis præter consuetum morem iustificandi: Consuetus namque modus est vocandi per internam inspirationem, at Paulo addita fuit etiam sensibilis, & externa: illa per voces Concionatorū, Patrum spiritualium, vel similium, at ista Pauli facta fuit ab ipso Christo clamante, & dicente, *Saule Saule cur me persequeris?* & alia huiusmodi singularia, inusitata, & insolita, quæ fuerunt in iustificatione Pauli, ob quæ meritò dicitur fuisse *miraculosa*. Requiritur ergo, vt opus sit insolitum, & non consuetum, ait namque Aug. 1. lib. Ret. 2. cap. 13. quod *si solita essent, miracula nō essent*. Quod si spectemus causam efficientem iustificationis, poterit, vt sic appellari miraculum, etenim Deus est Author, & initium iustificationis, non creatura, contra Pelagium, ex D. Tho. 1. 2. q. 113. art. 13.

7 Item oportet, opus sit arduum: ita quidem est: quis namque attingere poterit ad id, nisi virtus infinita, ac propterea ardua res est, & difficilis, imo impossibilis creaturę vt faciat miracula: Quis namq; facere poterit, vt Virgo concipiat, sitq; simul Virgo, & mater: Vt accidētia sint sine subiecto: vt detur penetratio dimensionum, & huius generis.

Sit opus arduum.

8 Insuper, vt sit supra facultatem totius naturæ; ita sanè. Hinc autem ostenditur, signa, quæ faciebant Magi Pharaonis de Serpentibus, & Ranis, non fuisse miracula, quoniam non superabant totam naturam creatam: superabant quidem potentiam Magorū, & potentiam Dęmonum, qui non possunt formas substantiales introducere, vt suo loco, attamen non superabant naturam cæterarum causarum vniuersalium, siquidem applicātibus Dæmonibus actiua passiuis, producebantur inde animalia illa virtute cœlorum, &

Sit supra facultatē naturæ.

aliarum causarum secundarum. Hoc autem magis constat ex eo, quod accidit virgis Moysis, & Magorum, nam dum virga Moysis conuertebatur in Serpentem, id sola diuina virtute fiebat, nulla concurrente causa naturali, ideoque erat verum miraculū; at conuersio Magorum fiebat virtute causarum secundarum, applicando actiua passiuis, ideo non erant miracula. Confirmatur, quia ex quo Moyses fecit Scyniphes, Magi tamen non potuerūt eos facere, Deo impediente Dæmones ne applicassent actiua passiuis, alias etiam oborti fuissent: requiritur ergo, vt superet totā naturam: Inquit enim August. lib. 3. de Trinit. cap. 9. *Neque occurrit alia ratio, cur non potuerint facere minutissimas muscas, qui ranas, serpentesq; fecerunt, nisi quia maior aderat dominatio prohibendi per Spiritum sanctum: quod etiam ipsi Magi confessi sunt, digitus Dei est hic.* Exemplum aliud sit de nō superante totam naturam, dum namq; eleuo sursum lapidem, siue impellendo, siue trahēdo; dumque, ex opposito corpus leue impello deorsum, an hæc appellanda sint miracula? nequaquam, dices, motus talis superat naturam, immo est contra naturā grauis, & leuis, dum trahuntur ad contra opposita. Resp. licet superet naturam particularem, & singularem grauis, & leuis; non enim ex seipsis potentiam habent ad contra eundi opposita, nec ex seipsis tendunt vnquam ad ea, ob quod dicitur *superare*, seù esse supra, imo contra naturam particularem, & singularem, tamen ascensus, siue descensus talis non superat vndequaque totam alterius Agentis naturam, nam de facili lapidem, & corpus leue, non improportionatum tamen virtuti motiuæ Agentis extrinseci, de facili, inquam mouemus ad opposita centra, & hoc viribus nostræ naturæ.

Sit supra spē naturæ. 9 Conditio illa remanet explicanda Augustini, nēpè quod sit *supra spem naturæ*: non autem de facili intelligitur, nec inuenio aliquem circa eam immoratū: puto autem ita explicari posse, vt idem sit, ac in materia, siue subiecto non sit aliqua potentia naturalis, siue dispositio; quod si sit, cessabit ratio miraculi: en exemplum de Serpentibus, & Ranis Magorum Pharaonis, nam applicādo actiua passiuis, statim in materia tali fiebat dispositio naturalis ad recipiendas formas Serpentum, & Ranarum, ergo non erat operatio talis supra spem, imo iuxta spem, seù iuxta dispositionem naturæ: hoc etiam modo infusio Animæ rationalis in corpusculum in vtero Matris, licet ex parte Dei superet totam naturam, quia natura creata non valet creare. Deus autē creat eam, & infundit, nihilominus, miraculum, tale opus non est, ratio, quia ex parte corporis reperitur naturalis dispositio ad eam, & inclinatio ex parte vtriusque, quemadmodum mutua inclinatio reperitur inter materiam, & formam, & è conuerso: non igitur superat totam vndique naturam, nec est supra spem naturæ, cum natura ex causis naturalibus disponat ad eam: Linquo, quod etiam aliundè nec erit miraculum, quia non est opus insolitum, imo consuetum, cū quotidiè fiat conceptio, & animarum infusio: Ita etiam D. Thom. recensitus docet, iustificationem ex hoc capite non esse miraculū, quia conueniens, & congruum est naturæ creatæ intellectualis iustificari: Hoc autem magis accipiunt Scotistæ sustinentes naturam habere inclinationem naturalē ad formas supernaturales ex q. 1. Prol. de qua re agemus infra de Beatitudine Angelorū. Dum vero ex parte creaturæ excludimus dispositionem, seù potentiam talem, non tamen excludimus potentiā obedientialem, quæ stat cum miraculo.

Opus miraculosū quoad substantiam, & quoad modum. 10 Ad hæc insuper attendenda est distinctio de opere miraculoso, aliud namque est miraculosum quoad substantiam, aliud quoad modum: Primū fuit suscitatio Lazari, illuminatio cęci, parturitio Virginis, integris claustris, vt virgo simul remanserit, & mater: & huiusmodi: itaut illud sit miraculosū, secundum substantiam, quod superat omnem facultatē creatæ naturæ, propterea; hæc fiant à solo Deo: quod vero est tale secundum modum, non superat absolutè totam naturam, sed secundum talem modum: puta, posset v. g. infirmo huic sanitas restitui per causas naturales, attamen requiritur

ex. gr.

ex. gr. longum tempus, magnum dispendium, intereaque infirmus quam male se habet, pressus doloribus, correptus denique passionibus, & cruciatibus, quæ secum afferre solent infirmitates, quod si tamen Deus virtute sua ipsum statim, vel ad modicum tempus, breuius tum fuerit longissimo, sanet, id opus miraculosum erit quoad modū: quæ enim sanitas, dum inducenda foret per causas naturales, ad longius, vel longissimum tempus, introducta, & restituta fuit ita celeritèr, & subito, ea censeri debet opus miraculosū quoad modum. Idem dicendum venit, spectando locum, & similia, vt si hoc v.g. in loco tardè quidem sanandus fuerit infirmus, vtpotè loci intemperie nil prorsus iuuante ad curationem, imo è contrario impediente, & retardante, si namque tunc cito conualesceret, miraculosum esset opus secundum modum, idest secundum locum, & his similia.

Potestas faciēdi miracula, qualiter communicatur creaturæ.

11 Quæritur tamen obitèr, vtrum potestas faciēdi miracula, possit saltem per Dei potentiam cōmunicari creaturæ, vt veluti instrumentum physicū, actiuè operando, possit, non quidem propria, sed communicata virtute, efficere miracula: affirmat Suar. t. 1. 3. p. disp. 31. sect. 3. de humanitate Christi Domini, itaut physicè operata fuerit miracula: asserūq; plures; Nihilominus docent ex aduerso vniuersalitèr de omnibus, tùm Christi humanitatem, tùm vero Sanctos cæteros, concurrere solummodo moralitèr ad miracula, esseque instrumentum morale, non physicum: talitèrq; se habere Sanctos, cæterosq; seruos Dei, cum per eos fiunt miracula: ita Alens. 3. par. q. 13. m. 3. art. 3. Altissiod. 3. par. tract. 1. cap. 4. q. 2. D. Bonau. & Richar. in 3. d. 13. ar. 2. q. 3. Gab. ibid. cum pluribus Nominalibus, Durand. 3. d. 14. q. 5. atque Scotus cum Expositoribus, eodemq; Dur. in 4. d. 1. versus finem, agens de instrumento, & q. 3. & 4. agens de virtute Sacramentorum. De qua tamen re non ibi &c.

Angelus nequit facere miracula, virtute propria.

12 His actis respondendum est ad quæsit. atque dicendum, Angelum, virtute propria non posse facere miracula. ita communitèr omnes: & significat Scot. in Prol. q. 1. art. 8. tùm in 2. d. 8. eum docet, non posse, nisi applicare actiua passiuis: atque D. Thom. 1. par. q. 110. art. 2. & q. 114. art. 4. Probatum autem remanet ex dictis, quia miraculum superat facultatem totius naturæ, ergo non habet vires ad facienda miracula. Item solius Dei est facere miracula, ergo potestas hæc nulli competit creaturæ, nisi tamen exorando, impetrando, merendo, atque consimilibus medijs obtinendo à Deo gratias, & miracula; sic enim dicuntur Sancti facere miracula, quod non est propria virtute, & effectiuè physicè ea agere, sed solummodo impetratoriè, & exoratoriè, quod est agere moralitèr. Antecedens patet ex Scripturis, ait enim Psalmista 76. *Tu es Deus, qui facis mirabilia.* & 71. *Benedictus Dominus Deus Israel, qui facit mirabilia solus.* atq; 131. *Qui facit mirabilia magna solus.* quod si *solus*, non ergo Angelus, nec creatura alia, vt ibi notat Genebrardus, *solus* namque est dictio exclusiua cæterorū, vt nulli competat, nisi Deo soli. idemque habet Basilius, ac Theodoretus: quod si Sancti miracula agunt, id dependētèr est à Deo, solus namq; Deus propria authoritate facit, cæteri vero potestate sibi tradita à Deo: Antichristus vero nec propria, nec accepta à Deo authoritate miracula faciet, quia non vera miracula faciet, sed illudet homines adiutorio Dæmonum.

Antichristi miracula falsa.

13 Gratia perpetrandi miracula appellatur ab Apost. 1. Corinth. 12. *Operatio virtutum:* est autem gratia hæc *potestas faciēdi miracula supra vires naturæ, in ordine ad aliorū salutem, & confirmationem nostræ Fidei.* Confertur nedum iustis, & Sanctis, verum etiam, & improbis, nam gratia gratis data stare potest cum peccato mortali: sic Prophetia fuit in Caipham: & Matth. 7. ait, *Multi mihi dicent in illa die, Domine, Domine nonne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo Dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes fecimus: & tunc confitebor illis, quia nunquā noui vos.* De qua re suo loco.

Miraculorū potestas est gratia gratis data: & stare potest cū peccato.

14 Demum, etsi creatura, miracula, propria authoritate non faciat, nihilominus signa facit quandoq; miranda, & mirabilia, portenta, atque prodigia: Talia autem appellanda sunt miranda,

Miraculũ, signum, prodigium, portentũ, quidnam.

no; autem miracula. Est vera differentia inter miraculum, signum, prodigium, & portentum. Signum quidem est paruum miraculũ: prodigium vero est miraculum magnum; miraculũ tamen est quid commune ad hæc duo, vnde de Stephano dicitur, *plenus gratia, & fortitudine faciebat signa, & prodigia magna in populo.* Portentum vero deriuat à *porro* & *tendo*: *porro* autem idem est, ac *procul*, & à longè, quasi sit signũ, quod procul, & à longè aliquid magnum in futurum protendat, siue portendat; & hinc portentum; hinc signa magna, & insolita, vt Cometæ; Monstra, & huiusmodi, aliquid inde magni momenti præsagientia, dicuntur portenta: Vera quidem miracula, quæ nullatenus creatura facere potest, facere tamen potest, alia, ope, & ministerio Angelorũ, vt mira, miranda, mirabilia, quæ vires quidem totius naturæ creatæ non superant, excedunt tamen captum, & intelligentiam plurimorum, licet non omnium: & ita simplices, signa, quæ Antichristus faciet, putabunt miracula, causam omnino ipsorum ignorantes, sapientes tamen comprehendũt non fore vera miracula, sed fictitia, & apparentia, quandoquidem ea non superabunt facultatem totius naturæ, cũ fiant à Dæmonibus, applicando actiua passiuis, vt de Magis Pharaonis; vnde appellanda venient, mira, & miranda, non tamen miracula: Deus autem illuminabit fideliũ mentes, vt cognoscant, ea fore falsa miracula.

Antichristi non erunt miracula; sed mira, & miranda.

QVAESTIO IV.

Vtrum Angeli potestatem habeant circa pœnas præsentis vitæ.

1 QVanta autem sit potentia Angeli tùm boni, tùm mali in punitione, & vindicta malorum hominũ; siue in exercitium, & punitionem bonorum, planè constat ex vtroque Testamento: & de hoc non est controuersia: adest vero, vt inuestigetur, verũ punitio talis fiat per Angelos bonos, an per Dæmones. De pœnis autem Purgatorij habebitur in vltima Disp. in fine.

Pœnarum multiplex genus.

2 Distinguendum vero est, aliæ namque sunt pœnæ temporales, & hæ insuper, aut sunt præsentis vitæ, aut Purgatorij: aut ex capite altero, sunt pœnæ æternales Inferni. Item, aliæ aliæ sunt pœnæ spirituales, aliæ corporales. Item aliæ medicinales, aliæ mortales.

Quarũ pœnarum Author ê Deus

3 Incipiendo à spiritualibus: hæ sunt priuatio gratiæ, donorum, virtutũ, Iustitiæ originalis, & denique, gloriæ, siue huiusmodi aliæ: De his dicendũ, pœnas has infligi immediatè à Deo: de facili probatur. Author gratiæ, & virtutum infusarũ Iustitiæ originalis, ac Visionis beatificæ est ipse Deus: ergo priuationis rerũ harum est causa idem Deus. Angeli super hæc facultatem nullam habent: habent enim hæc, suum esse per creationem, creare autem est solius Dei. Item Psalm. 83. *Gratiam, & gloriam dabit Dominus.* Quod vero Angeli circa hoc possunt, illud quidem erit, prouocare homines ad bene operandum, vti Angeli faciũt Custodes de suis Alumnis; quo inde mereãtur hæc adipisci: sicque dicentur ipsimet Angeli cooperari ad assecutionem, & promeritum rerum harum: at non inde dicentur Authores recensitorum, quorum est solus Deus.

4 Deueniendo tamen ad corporales præsentis vitæ: aut loquimur de iustis hominibus, aut iniustis: Loquendo de primis, dicendũ, per bonos Angelos, *saltem ordinariè*, ipsis pœnas infligi: ita Andr. Cæsar. in cap. 21. Apoc. docens, Angelos sanctos esse ad hæc, Dei Ministros, eosque punire, *tanquam misericordes, & condolentes Medicos*. de

Angeli boni sunt misericordes, & condolẽtes Medici.

quibus

quibus quoque cap. 17. dixit, *Eosdem gratias Deo agere de hominum punitione.* Ratio cōclusionis est, quoniam pœnæ iustorū sunt medicinales, ergo per medicas manus sunt infligendæ: tales vero manus habent Angeli, cuiusmodi fuit Raphael ad medendam cæcitatem Tobiæ: sicque serui Dei, vel affligi ob præterita peccata, nondum adhuc purgata, solent: vel etiam exerceri in tribulationibus ad ipsorū maiorem spiritualem profectum. Item in lib. 3. Pastoralis similis 6. & 7. habetur, reperiri Angelum quendam Præpositū pœnis hominum peccantium, eosque affligentem, donec à peccatis resipiscant. Et Dan. 7. explicans Hieronymus verba illa, *Millia millium*, inquit, *duplex Angelorum officium est: alterum, qui iustis præmia tribuunt; alterum, qui singulis præsunt cruciatibus.* Licet vero distinguat Hieronym. Angelos cruciantes à præmiantibus, ob quod videatur fortasse, præmiantes solummodo esse bonos, cruciantes vero malos: nihilominus ex hoc non ait, esse malos; colligitur autem esse potius bonos, etenim cū retulisset verba illa Dauidis, *Qui facit Angelos suos spiritus*, illico subdit, *duplex officium Angelorum est*: ibi vero Dauid loquitur de Angelis bonis: elicitur enim ex sequentibus, *Et ministros suos ignem urentem*, seu, vt alij legunt, *flammam ignis*. Flamma autē, & ignis ibi indicant charitatē proximi, & Dei amorem.

Gratias Deo agunt de nostra punitione.

Pœnæ iustorum ordinariè infliguntur per Angelos bonos.

5 Dixi ordinariè, quandoquidem fiunt hęc etiam aliquando per Dæmones, qualis fuit afflictio Iobi, vbi patet apertè fuisse Sathan ministrū talis afflictionis, ex capite namq; 1. habetur, *Factū est, vt venisset quoque Sathan &c.* & dixit Dominus ad Sathan, *Tu autem commouisti me, vt affligerem eum &c.* affligere autē, mediatè intelligitur, prout inde dixit, *Ecce in manu tua est. Egressus igitur Sathan percussit Iob vlcere pessimo &c.* Exemplum quoque habemus in Paulo 1. Corint. 5. dicēte, *Tradere huiusmodi Sathanæ in interitū carnis, vt spiritus eius saluus fiat.* ergo extraordinariè exercentur per Angelos quoq; malos, ipsi iusti, ac prædestinati.

Extraordinariè p Angelos malos.

6 Quinam vero sint Angeli, quibus ordinariè incumbat ministerium hoc, ignoratur. probabile vero est, esse Angelos Custodes: si quidem tām Hominum, tām Ciuitatum, & Prouinciarū, tām quoq; Regnorū, quorū cura fuerit ipsis commissa, si quandoque contingat, vltra Alumnos, affligi insuper Ciuitates, Prouincias, & Regna: Sicut eorundem insuper cura sit, iustitia persligare, & inimicos eorundem coercere.

Quinā sint Angeli punientes.

7 Loquendo vero de pœnis non medicinalibus, seu, vt dicam mortalibus, quales sunt, quæ procedunt ex diuina Iustitia, absolutè vindicatiuæ hę, ordinariè, executioni mandantur per Angelos malos: Prob. ex Psalm. 77. *Immissiones per Angelos malos*, vbi per malos, vti vox sonat, exponit Hieron. & August. de vere malis, non autem de malis, solùm ratione mali pœnæ, vt aliqui. Item Chrisost. homil. 3. de patient. Iob, *Ad malorum hominum pœnas postulandas, Dæmones transferunturque rursus, Lictores ergo sunt Angeli & absit.* ergo lictoris munus non bonis, sed malis Angelis attribuit. Et vbi 1. Reg. 16. habetur, *Spiritus Domini malus &c.* Hieronymus de malo exponit: idemque ait de Angelo, seu de spiritu *furoris, & ira Dei*, penes Psalm. 6. dicente Proph. *Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.* Similiter Saul. 12. malum fuisse scribit illum, de quo legitur, *Angelus Domini persequens eos.* Petes autem, si Angelus Domini est, quomodo erit malus? similiter vrgetur de Spiritu Saul, quem Scriptura ait, fuisse Domini. Respondet Gregor. 4. moral. 6. *Domini dicitur propter potestatem, non propter malitiā:* potestatem enim habuit à Domino: de qua potestate egimus Disputat. de Dæmonibus, qualis sit &c. Insuper 3. Regum 22. Angelo malo dicenti ad Dominum, *Ero Spiritus mendax in ore omnium prophetarum*, respondit ipse Dominus, *Egredere, & fac, decipies, & præualebis:* hoc autem pœna quoque est peccatorum, vt decipiantur per Dæmones. Idem docet Aug. lib. 5. contra Iulian. cap. 3. & Hieron. in Isa. 13. dixi ordinariè, etenim quandoque fiunt per Angelos bonos, Angeli namque subuertentes Sodomam, ex veriori expositione, erant Sancti,

Pœnæ mortales diuinæ, per malos Angelos infliguntur.

Spiritus Saul qualiter malus.

Gen.

Gen. 19. quoque occidit 85000. hominum Isa. 35. sicut & qui cædem fecit contra Exercitum David 2. Regum vlt.

Angeli sine ira, & sine passione.

8 A primo autem ad vltimũ concludimus pro vtraq; parte cum Chrisostom. de patient. Iob homil. 3. dicente, *Sicut inter homines sunt milites, qui homicidiis ministrando assistunt; & alii; qui ad pœnas exigentes segregantur, sic ad ministeria, & humanam dispensationes sancti Angeli; ad traictam vero hominũ pœnas postulandas, Dæmones transmitti.* & Aug. lib. 9. de Ciuit. Dei cap. 5. *Sanctos Angelos sine ira punire; & miseris sine miseria compassione subuenire.*

QVÆSTIO V.

Vtrum aßistentia Angelica extendatur vsque ad Eucharisticum Missæ Sacrificium.

Angeli assistunt ante Altare.

1 INter plurima, quæ de Sanctis Angelis ex Apocalypsi tradidimus, vnũ modo expedit recensere: est autem id, quod cap. 8. habetur, *Et alius Angelus venit, & stetit ante Altare &c.* Vltra autem varias loci huius expositiones, asseramus in præsentiarum, eam, quæ proposito quadrat: Ea vero est, specialis assistentia Angelorum ad Altare sacrosancti Sacrificij Missæ, dum Sacerdos tantum peragit mysterium.

Angeli defendunt Templum.

2 Quod vero ita sit, refertur de Leontio Abbate, quod cũ die Dominica ad Ecclesiam peruenisset, sacrum facturus, vidit ante Altare Angelum stantẽ: cui Angelus ipse dixit, *Ex quo sanctificatum est Altare illud, Ego custodire illud altare iussus sum.* ita penès Moschum cap. 4. in Prat. ita insuper de Ecclesia à S. Bonifacio consecrata enarrat Aim in Chron. sub Ann. 774. quod Saxones Templum illud incendere tentantes, à duobus Angelis coerciti fuerunt, & in fugam acti. Hinc ergo elicitur, cur nam Angelus ex Apoc. ante Altare astet, vt videlicet, Altare custodiat, Templumq; vindicet ab inimicis: quod & contigisse legitur quoque Militibus ab Imperatrice Eudoxa missis in Templum aduersus Chrisostomum, qui ab Angelis ante Templi fores stantibus, euaginato ense profligati fuerunt: vt in vita eiusdem Chrisost.

3 Damascenus orat. de iis; qui cũ fide dormiunt, Diuũ Gregorium Pontificem, dum sacrificium Missæ peragebat, *Angelum sacrosancti muneris socium habuisse.* Apparuisse quoque Angelũ celebranti Basilio, Chrisostomo, pluribusque. Itemque, Angelum apparuisse plerisque Sanctissimum Christi Corpus sumentibus; vt Diuo Bonauenturæ, D. Bertrandæ, ex Histor. S. Elzearij cap. 17. Marco Monacho penès Sozomen. lib. 9. cap. 29. & Palladio in laus. cap. 20. atque Onuphrio, cui singulis Dominicis diebus Angelus sanctissimã Eucharistiam deferebat, vt in Histor. Eremitarũ; Stanislao Kostkam assistente Beata Barbara sacram Communionem de manu Angeli recipienti: ita passim de plurimis. Beato item Ioanni à Parma inseruiuit Angelus Missam celebranti, vice Socij obdormientis.

Altare celebrantibus, & communicantibus.

4 Nec mirũ etenim in testamento veteri apparuit quoq; Angelus Zachariæ Sacrificiũ offerenti: *Apparuit Angelus Domini, stans à dextris Altaris incensi.* Luc. 1. Consimiliter & apparuit Manuë offerenti, Iud. 13. *Cumque ascenderet flamma Altaris in Cœlum, Angelus Domini pariter in flamma ascendit.* ita Abrahæ in sacrificio Isaac, cui subfecit Arietem, Gen. 22. liberans Isaac. Sicque Iacobo apparuerunt Angeli ascendentes, & descendentes per Scalam: ibique lapidem erexit in titulũ, *Hic Domus Dei est, & porta Cœli.* Genes. 28. Dauidi insuper apparuit in Area Iebusæi, qui & ibi iussu Gad Prophetæ, Altare erexit, pacifica obtulit, & pestilentiam profligauit 2. Reg. 24. atque Gedeoni sacrificanti Iud. 6.

5 Cur

Nostras orationes deferunt ad Deum.

5 Cur verò talis hæc, atque tanta Angelorum assistentia? Primo, vt debitam diuinæ Eucharistiæ honorem, reuerentiam, ac cultum deferant. Secundo, vt Nos, vel tacito instruant, atque dirigant in tanto munere, siue sacrificandi, siue communicandi. Atque Tertio, vt orationes, precesq; deferãt ad Deum, quas pro nobis fundimus, siue pro Mundi salute. Et hinc in Canone Missæ oramus dicentes, *Supplices te rogamus Omnipotens Deus, iube hæc perferri per manus Sancti Angeli tui in sublime Altare tuum, in conspectu Diuinæ Maiestatis tuæ.* Atque huc quadrat quod scilicet Ephrem tract. de Virgin. scribit, *Esto orationis tempore velut cœlestis Angelus: sicque contende, vt oratio tua sit sancta, ac pura, immaculata, & irreprehensibilis; vt cum illã sursum ascendere viderint portas cœli, gaudentes vltro eas aperiant; eaque ipsam cernentes Angeli, & Archangeli, cuncti laxantes illi occurrant, & coram Sancto, atque excelso Throno immaculatam Dei ipsam offerant.*

Angeli vltores aduersus indigne communicantes.

6 Verum est tamen, quod etsi præsto sint Angeli ad Sacrũ Altare, vt instruãt nos, orentq; pro nobis, indignè tamen sacra hæc peragentibus, veluti vltores, vibrato mucrone obsistunt, & insistunt, vt tantum facinus vindicent aduersus indigne siue celebrantes, siue communicantes; idque profectò exequerētur, nisi diuina tamen pietas impediret, & expectaret ad pœnitentiam? hinc D. Paschasius de Corp. Christ. c. 8. aiebat, *Neque vltores Angeli parcerent indignè communicantibus, nisi Christi bonitas gladium suspenderet, & remoueret interdum momentaneam mortem.*

Finis Decimaoctauæ Disputationis.



DISPV.

DISPVTATIO XIX.

De Hierarchijs Angelorum.

QVAESTIO I.

Hierarchiæ Ethymon, Natura, diuisio.

Hierarchiæ Aethymon.

1 Ierarchiæ nomen Græcũ est, & componitur ex *Hieros*, quod idem est, ac Sacer, & *arcos*, quod idem importat, ac Princeps, seu Principatus, vnde resultat sacer Principatus.

Hierarchia quidnam.

2 Definitio autem eius ex Dyon. de Cœlest. Hierarch. c. 3. talis est. *Hierarchia est sacer ordo, scientia, & actio, quæ ad Diuinitatis similitudinem, quoad eius fieri potest, accedit, & proportione illustrationum, quæ ei diuinitus datæ sunt, ad Dei imitationem traducitur.*

Cum Hierarchia coniuncta Prælatio.

3 Cum Hierarchia coniuncta est prælatio, vnde in Angelis inter eos reperitur prælatio, ita Glos. 1. Cor. 15. *Quandiu durat mundus, Angeli Angelis, Homines Hominibus, Dæmones Dæmonibus præsunt, singulariter autem infra.*

Hierarchia duplex.

3 Distingui solet ipsa Hierarchia in Hierarchiam Cœlestem, atque Ecclesiasticam; ita ipsam distinxit Dionysius, dum libros scribit, alterum de cœlesti, & alterũ de ecclesiastica Hierarchia, non agimus modo de ecclesiastica, sed tantummodo de Angelica, siue de cœlesti.

Additur Hierarchia diuina ex Bonau. & Gabr.

5 Addit D. Bonauent. in 2. dist. 9. circa literam Magistri vna cum Gabriele, tertiam Hierarchiam, nempè Hierarchiam diuinam; verùm hoc displicet multis, & præcipuè D. Thomæ 1. par. quæst. 58. art. 7. siquidem in diuinis inuenitur summa, & omnimoda æqualitas, & vna persona diuina non est maior altera, vnde idem Dionysius ait, *Deum esse super omnem Hierarchiã*, nihilominus licet discursus sit verus, tamen D. Bonauent. loquitur reddendo singula singulis, atque demptis imperfectionibus: Et quidẽ Hierarchia, quam ipse admittit, est impropriè dicta, & largè sumpta, quatenus Pater est principium Filii; atque vna cum Filio est principium productiuum Spiritus sancti; sub ista ergo ratione, & consimilibus loquitur D. Bonauent.

Verum ex danda.

Confirmatur.

6 Confirmatur ex Gersone Cancellario Parisiensi, qui tract. 4. in Magnificat, Deum appellat *Primum, & summum Hierarcham*, inquiens, *Virgo sola constituit Hierarchiam secundã sub Deo trino, & vno Hierarcha primo, & summo*, & Pomerius de Virg. lib. 10. par. 2. art. 1. cap. 5. loquens de eadem Virgine ait, *Non solum dignitate, sed etiam loco sit infra diuinã Hierarchiam.* Ecce quomodo, vltra humanam, & angelicam, fatetur quoque Hierarchiam diuinam; at si diuina est, ergo meritò Seraphicus Doctor admittit eam, demptis tamen imperfectionibus superioris, & inferioris, subiectionis, & imperij, & similium, sed attentis productionibus, quarum Pater est principium, indéq; Filius cum Patre ad Spiritum sanctũ, &c. Dices, Dionysius ait, *Deum esse super omnem Hierarchiam*, ergo in diuinis non est Hierarchia. Respond. loqui de Hierarchia creata, angelica, & humana, circa quas reperitur sub, & supra; depẽdentia, atque inæqualitas, cæterum in diuina stat essentialis identitas, & summa æqualitas.

Hierarchia cœlestis diuisio.

7 Hierarchia cœlestis, siue Angelorum, diuiditur in tres Hierarchias, speciales, ita Dionys. cap. 6. de Cœlest. Hierarch. quarum altera est suprema, altera media, altera infima.

8 In

In vnaquaq; Hierarchia tres Ordines, siue Chori.

8 In vnaquaq; insuper Hierarchia tres reperiŭtur Ordines, siue Chori Angelorum, nempè supremus, medius, & infimus; quia verò tria ter ducta faciunt nouē, hinc est, vt ex tribus Hierarchijs ter ductis, nouem habeamus Choros Angelorū; ita à D. Paulo Dionysius didicit; quem inde secuti sunt communitèr Theologi, atque Patres, & præcipuè Greg homil. 34. in Euang. vbi clarissimè explicat Hierarchias istas, siue nouem istos Choros Angelorum, idem habet Ber. lib. de consid. & cæteri Patres.

Augustinus non omnia Dionysij opera peruenerit.

9 Dices, Augustinū de re hac aliquando fuisse dubiū. Difficultas hæc ex superioribus proposita est, & resoluta, dum diximus non omnia Dionysij opera ad manus Augustini peruenisse.

Qualitèr ordinādi Chori Angelorum.

10 Circa modum verò ordinandi Choros istos, atq; Hierarchias Angelorum differre aliquantū videntur Patres; non enim eundem seruauerunt ordinem, plerique namque vt Greg. & Bern. Ordinem illū seruant, quē in Breuiario retinemus Romano, vt in Sancti Michaelis festo recensetur 29. Septembris; nàm incipiendo à supra, in prima Hierarchia ponit Seraphim, Cherubin, Thronos. In secunda Dominationes, Principatus, Potestates. Et in tertia Virtutes, Archangelos, Angelos. At Dionysius in prima quidem Seraphim, Cherubin, Thronos, & in hoc concordat; at in secunda, Dominationes, Virtutes, Potestates, & in Tertia Principatus, Archāgelos, Angelos; vbi constat aliquantò dissentire in secunda, & tertia Hierarchia. Quid autem sentiendum, D. Thom. q. 108. art. 6. ait, vtrumque ordinem habere suam congruitatem. Verùm idem D. Thom. cū D. Bonauent. cæterique adhærendum potius putant Dionysio, etenim à Paulo, veluti à suo Magistro profitetur doctrinam hanc accepisse; & Carthusianus refert se legisse librum quendam D. Bernardi, in quo dolere fatetur, quod recesserit in hac re à Dionysio.

11 Quod si rationem quæras differentiæ, ea vtique erit; quandoquidem D. Paulus diuersimodè videtur Ordines istos quandoq; recensere; namque ad Colossenses primo sic ait, *Siuè Throni, siuè Dominationes, siuè Potestates, &c.* & hunc Ordinem sequitur D. Greg. & D. Ber. scribens verò ad Ephesios primo, inquit, *Christum constitutum fuisse supra omnem Potestatem, & Virtutem, & Dominationem*, igitur vel hinc, vel etiā ex diuersitate Codicum aliter, & aliter impressorum in scriptis Dionysij euenire potuerit varius modus ordinandi Choros Angelorum.

Angeli, Archāgeli, Principatus quidnam.

12 Hoc habito, superest, vt quid singula importent, explanemus, incipiendo igitur ab infima Hierarchia, ex ipsa Angeli destinantur ad priuatas personas custodiendas, & ad priuata negocia; Archangeli ad personas destinantur Principum, Regum, Pontificum, Ciuitatum, Prouinciarū, Regnorum, siue ad grauiora negotia in ordine ad humanam salutem; Principatus vero sunt quasi Præsidentes in hos, quæ spectant tùm ad priuatam, tùm verò ad publicam hominū salutem procurandam per ministrū infimæ Hierarchiæ.

Potestates, Virtutes, Dominationes quidnā.

13 Ad secundam accedendo Hierarchiam, quæ media est inter supremam, & infimā; Potestates ex D. Gregorio vbi supra, peculiarem habent efficaciam ad arcendos, & profligandos Dæmones; Virtutes vim habent, & efficaciam ad facienda miracula ex eodem Gregorio; Dominationes sunt, quæ Præsident gubernio, & administrationi eorū, quæ spectant in ordine ad humanam salutem procurandam per ministeria Angelorum mediæ Hierarchiæ.

Throni, Cherubim, ac Seraphi quidnam.

14 Tertia denique, atque suprema Hierarchia, Thronos habet, qui sedes Dei appellantur; idque duplici ratione, vel quia maxima mentis quiete, & pace perfruuntur, vnde dici possunt, *Factus est in pace locus eius*, & propter id speciali modo appellātur *Sedes Dei*; vel secundo ex Gregor. *In ipsis residet Deus tanquam in Throno cum iudicia facit erga humanam naturam*; Cherubini idem sonant, ac sapientes; præpollent enim in Diuina Sapientia, atque cognitione; Seraphim denique, siue Seraphini idem indicant, ac ardentes, siue amātes, etenim isti beatissimi Spiritus ardentissimi sunt, ac accensissimi in Dei amore.

Angeli primæ, secundæ, & tertię Hierarchię quidnam.

15 Alij verò distinguunt, vt Angeli supremæ Hierarchiæ sint quasi Cubi-

culares, & *Assessores Dei*, per quos, reuelationes ad alios inferiores deriuentur, & his in Ecclesia militante correspondet Status eorũ, qui inter perfectos adscribuntur; quibusuè diuinæ fiant reuelationes; Angeli mediæ Hierarchiæ sunt ij, ad quos pertineat regimen, & gubernatio Vniuersi, quoad bonum vniuersale; Angeli verò tertiæ Hierarchiæ sunt ij, ad quos spectet regimen, & cura rerum in speciali. Distinctior tamen assignandi modus est, vt dicamus supremam Hierarchiam non esse per se destinatam ad ministrandũ extra, sed ad assistendum Deo, vt dictum suo loco. Dixi, *per se*, quia per accidens, & extraordinariè etiam aliquando ex illa mittitur; attamen per se competit assistere Deo. Secundam vero, & Tertiam esse destinatam ad gubernium Vniuersi, attamen cum duplici differentia; nam Secunda respicit gubernium in generali, siue de partibus principalioribus; Tertia autem in speciali, siue de personis priuatis; item Secunda destinatur ad gubernium per modũ imperij, & directionis, at Tertia per modum executionis.

16 Verum quæritur, cur Seraphini primum locum teneant; videtur enim potius deberi Cherubinis; patet, Intellectus præcedit Voluntatem, & scientia præcedit amorem; quia nil volitũ, & amatum, quin priùs cognitum, ergo Cherubinis debetur primus locus. Respondet D. Thom. q. 108. art. 6. ad 3. inferiorum quidem cognitionem præeminere dilectioni, at amorem superiorum præminere cognitioni, & ideò primi sunt Seraphini ab eminentia amoris. Responsio supponit Angelos inferiores non diligere Deum iuxta proportionem cognitionis, ita vt magis cognoscant, quam diligant; Cuius oppositum sit in Seraphinis. Respondetur etiam, quod Seraphini, sicut excellunt in amore, ita excellunt in cognitione. Dixeris, quare ergo non appellantur Cherubini, id est Scientes? Respondetur, denominationem sumi à nobiliori, at charitas est nobilior scientia, dicente Apostolo 1. Cor. 13. *Si habuero omnem scientiam, charitatem autem non habeam, nihil sum*, ergo hinc appellantur Seraphini, ab amore. Accedit, quod voluntas, & amor est nobilior intellectu, & cognitione, vt supponimus, & dicemus Tom. de Beat.

Cur non Cherubini in primo loco?

Charitas, amor, voluntas nobilior scientia, & intellectu.

17 Hierarchiam hanc supremam aliqui comparant tribus habitibus super infusis, charitati namque comparant Seraphinos, fidei, cui succedit visio in Patria, comparant Cherubinos; & denique spei, cui in Patria succedit tentio, comparant ipsos Thronos; etenim Throni ipsũ tenent, siue continẽt specialiori modo, tanquam in sede, ipsũ Deum.

Seraphim, Cherubim, Throni cõparati trib. Virtutibus Theol.

18 Nomina ista indicant Officiũ, & Ministeriũ, quod in ordine ad nostram salutem gerunt ipsi Angeli; Exinde autem sequitur, vt officia ista, & ministeria, licet alterius, & alterius ordinis, possint competere, & conuenire vnicuique Angelo, tùm supremo, tùm intermedio, tùm infimo; Exemplum sit de Michaele, qui cum sit de supremis Angelis, vt dictum fuit in propria quæstione, nihilominus appellari solet nomine Archangeli, quod quidẽ nomen competit infimæ Hierarchiæ. Item Gabriel Angelus est de suprema Hierarchia ex sententia Gregor. homil. 34. in Euang. & Scoti in 2. dist. 10. quæst. vnic. & nihilominus appellatur Angelus à Luca, *Missus est Gabriel Angelus*; nomina autem ista, sicuti Archangeli, siue Angeli dãtur Gabrieli, & Michaeli ratione ministerii, & officij, quod gerebant; & ita de singulis Angelis discurrendum est, vt quamuis sint de ordine superiori, nihilominus appellari solent nominibus ordinis inferioris, nõ quidem ratione naturæ, sed ratione ministerij, & officij, vt diximus supra agẽdo de ministerijs Angelorum.

Nomina officiorum variari solent pro singulis eorum.

19 Quæres, vtrum ministeria ista Angelorum, siue distinctio ista Hierarchiarum, & ordinũ, remansura sit post diem Iudicij. Respondetur, quod vel ista spectantur ratione ministerij, & officij, vel in ordine naturæ, gratiæ, & meriti; si loquamur de Hierarchijs in ordine ad ministeria, & officia erga nostram salutem, dicendum est, quod cessabunt; Ratio, quia terminabitur tùc cursus humanæ viæ; & ita loquitur Paulus 1. Cor. 15. *Christum euacuaturum omnem Principatum, & Potestatem, & Virtutem, cùm tradiderit Regnũ Deo, & Pa-*

Hierarchiarum distinctio an remansura post Iudicium.

& Petri in consummatione saeculi, loquendo autem in ordine Naturae, & gratiae, atque gloriae, dicimus, distinctionem Hierarchiarum, & Ordinum perpetuò esse remansurã in Coelis, ita D. Bonau. in 2. dist. 9. quaest. 6. & D. Thom. 1. par. quaest. 129. art. 8.

Animae beatae assumendae ad Choros Angelorum.

20 Ad Hierarchias istas, siue ad angelicos ordines ex communi sensu Theologorum, assumendae sunt animae hominũ beatae, reddendo singula singulis, ita vt pro varietate meritorum, fiat assumptio animarum beatarum ad varios Choros Angelorũ; Alij namque assumuntur ad Chorum infimum Angelorũ, alij ad Choros intermedios, & alij deniq; ad Choros supremos ipsorum Angelorũ, iuxta quidem quantitatem meriti, & operum bonorum. Hinc retunditur error dicentiũ, solas Virgines assumendas esse ad Choros Angelorũ; etenim quid fiet de Magdalena, quid de Maria Aegyptiaca, quid de caeteris maximis peccatricibus, & peccatoribus ad poenitentiam conuersis? igitur de omni statu ex hominibus assumuntur animae ad Choros Angelorum. Quod si dixeris, Christum dixisse, quod *Animae beatae erunt sicut Angeli beati in Coelo*, Angeli autem omnes sunt virgines. Respondetur fuisse intentũ Christi Domini docere, quod in Paradiso erunt casti, & coelibes, sicut sunt Angeli Dei, aiebat namq; Christus Dominus, *Non nubent, neque nubentur, sed erunt, sicut Angeli Dei.*

Infantes an assumentur ad Choros Angelorũ.

21 Petes, quid dicendum sit de Infantibus ante vsum rationis decidentibus cum sacro Baptismate, quid fiet de eis? Respondet ad hoc D. Bonauent. quaest. 7. cui etiã Suarez inclinat lib. 1. de Angelis cap. 14. in fine, ipsos Infantes constituere specialem Chorum, qui tamen Chorus sit omnino inferior ad infimum Chorum Angelorum; Ratio adducitur, quoniam illi non saluantur ex proprijs meritis operãtis, sed ex applicatione meritorum Christi: cum igitur non possint coaequari in merito ipsis Angelis, neque etiam eleuabũtur ad Choros Angelorum, sed habebunt Chorum decimum inferiorem infimo Choro Angelorum.

Decimus Chorus infimus omniũ ex Beat.

Non implicat assumi ad Angelos

22 Caeterum non implicat assumi ad Angelos; Ratio, quia non omnes Angeli, etiam eiusdem Chori, siue eiusdem speciei, sunt paris meriti, sed alter altero sanctior & tamen Angelus vltimae Hierarchiae infimus merito assumitur ad eandem Hierarchiam cũ Angelis eiusdem speciei altioris meriti. Dices, Angeli tales habent sua merita, quae tamen non habent Infantes ante vsum rationis. Respondetur, sufficit habere merita Christi Domini, ipsis applicata, ad Choros namque Angelorum assumuntur habentes, siue propria, siue aliena merita applicata. Eadem que doctrina currit de adultis habentibus pauca merita propria, assumuntur enim, sicut Angeli minoris meriti ad Angelos eiusdẽ Chori, & Hierarchiae. De re autem hac nihil est certum, quicquid tamen sit, id certum est saluari ex meritis Christi cum applicatione sacri Baptismatis; quod tamen assumantur, siue ad Angelorum Choros, siue ad proprium, & infimũ Chorum, de hac re nihil est certum, sufficit tamen scire, eos saluari, & gloriam Paradisi possidere.

Infantes cũ Baptismo decedentes saluãtur ex meritis applicatis Xpi.

23 Consimilis doctrina adinuenta fuit de Beatissima Virgine, de qua dixerunt aliqui, ipsam constituere de se sola vndecimum Chorum, qui tamen Chorus sit supra omnes Choros Angelorum, ita Gerson super Magnif. tr. 3. inquiens: *Virgo sola constituit Hierarchiam secundam sub Deo Trino, & Vno Hierarcha primo, & summo*, idem habet Ponter. de Virgin. l. 10. par. 2. art. 1. c. 5. inquiens, *Aliquorum est opinio diuersa, quod Beata Maria est super omnes Angelos, & Beatos, ac super Ordines omnium creaturarum in quarta Hierarchia soli Beatae Mariae propria.* Barrad. t. 1. lib. 6. cap. 12. subdit, *Supra nouẽ Choros, Virginis collocatus est Thronus, eaque sola vnum supremum Chorum efficit*, atque idem tenet Suar. 3. par. quaest. 37. art. 4. disp. 21. S. hunc etiã sustinet Cartagena tom. 2. de Virg. lib. 14. homil. 14. Rationem autem adducunt, quia canit Ecclesia, ipsam exaltatam esse supra omnes Choros Angelorum. Immo Maymonis serm. de Creat. An. Virg. ait, *Mater Domini dicitur habere septem Angelos notabiles, qui assistunt eius Throno*, Hoc quidem certissimum est, eandem Virginem post Christum, esse primam

Chorus singularis pro Beatissima Virgine.

inter omnes creaturas, tùm dignitate maternitatis, tùm dignitate gratiæ, & meriti, tùm denique gloriæ, ita vt superemineat, & supersedeat in gloria super cunctas tùm humanas, tùm angelicas creaturas; *Astitit* namque, ait Psal. *Regina à dextris tuis*, nempè Filij tui, *in vestitu deaurato, circumdata varietate*. Ita etiam D. Bonau.

23 Vulpes disputat. 24. artic. 3. numer. 5. ridiculum esse putat, Ordinem vndecimum pro Christo, & Virgine fingere, cum potiùs se habeant, veluti Principes, à quibus fiant illuminationes Angelis primæ Hierarchiæ; Christus enim est, in quo *Sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei*, & Virgo est *Sacrarium Spiritus sancti*, vnde Deus per Christũ, & per Matrem Angelos illuminat. Quia tamen habemus pro nostra sententia Authores magni nominis, ideo ipsos sequimur.

Virginis Chor⁹ quot continet. 24 Dices, Ordo, seu Chorus non fit ab vno, sed à pluribus; ergo Virgo de se sola non facit Chorum. Respondet ibi Carthagena, Chorum illũ non facere Virginem de se sola, sed vna cũ Christo, & ita erunt plures, quod probat ex Ecclesia. *Assumpta est Maria in Cælum, gaudent Angeli &c.* Contra, ergo erunt pares, quia eiusdem Chori: Resp. nego conseq. quia in Ecclesia militante non omnes eiusdem Chori sunt pares.

Hierarchiæ an differant specie. 25 Quæres, Vtrum Hierarchiæ istæ differant specie, athoma. Recensentur circa hoc opiniones, Diuus namque Thomas vbi supra, assereret omnes differre specie, quemadmodum asseruit omnia indiuidua angelica differre specie; D. Bonauent. omnes docet conuenire in specie; Nos autem, mediam viam tenendo, dicimus cum Magistro, & Mayrone in 2. dist. 9. Hierarchias differre specie, Ratio adducitur, quoniam ministeria Hyerarchiarum sunt inter se diuersa, seu diuersitas ministeri, & officij supponit diuersitatem naturæ specificæ, ergo dum ministeria differunt specie, differunt etiam specie ipsę Hierarchiæ. Fateor tamen rationem hanc habere locum in præsenti materia, quia sicut Deus ab initio gratiam contulit pro diuersitate naturæ, vt fuit suo loco dictum, ita & officiorum diuersitas in eis indicabit differentiã naturæ, cæterum non militant in omnibus, idem namque homo intra eandem speciem, siue plures homines varias exercent artes, specificèq; distinctas, vt psallendi, scribendi, nauigandi, militandi, & similium, tamen homines hæc exercentes, non differunt specie. Subdimus tamen, quod etsi Hierarchię differant specie, non tamen omnia vniuscuiusque Hierarchiæ indiuidua differunt specie, cum possint sub ordine vnoquoque esse plura indiuidua conuenientia in specie.

26 An vero Ordines, siue Chori vniuscuiusq; Hierarchiæ admittant distinctionem specificam Indiuiduorũ, an omnia indiuidua vniuscuiusque Chori sint eiusdem speciei? Si dixerimus, omnia esse eiusdem speciei, inde inferretur nouem tantummodo fore species Angelorum, sicut nouem sunt Chori, siue Ordines; at hinc sequitur species Angelorum valdè superari à speciebus rerum materialium, cum has quis dinumerare valeat? Ad hoc autẽ respondetur, paucitatem indicare potiùs maiorem perfectionẽ, plura namque sunt indiuidua seminum vegetabilium præteritorum, præsentium, & futurorũ, quam hominum: item præsentium, præteritorum, & futurorum de onis piscium, & huiusmodi, attamen homines sunt pauciores, & perfectiores his omnibus. Item omnis multitudo reduci debet ad vnitatem, vel ad tantam vnitatem, ad quantam reduci poterit: Hinc nõ plures Dij reperiuntur, sed vnus Deus; At quia angelicæ naturæ non congruit vnitas specifica, ratione diuersorum munerũ exequendorum, ideo non impedietur reduci ad tantum numerum, ad quantum reduci poterit, is vero sit. Vnitas quidem generica, pluralitas autem specifica, eaq; ad numerum nonarium? D. Thomas cum dicat singulos Angelos distingui specie, negabit tali numero nonario terminari species Angelorũ, ob idque esse plures, & tot, quot sunt indiuidua angelica. Vtrumque probabile quoad species, siue numeri nonarij, siue maioris, nil tamen certum, at species mihi videntur coarctari nimis ad numerum nonarium; Deus autem scit, & nos

Paucitas quandoque indicat perfectionem maiorem.

An Chori admittãt intra seipsos distinctionẽ specificam.

Omnis multitudo reducẽda ad vnitatẽ, vel ad tantã paucitatem, ad quantã pot.

meliori sententiæ incumbimus.

Hierarchiarum distinctio vndenam. 27 Petes, vndenam proueniat hæc distinctio. Respond. prouenire tum ab intrinseco, tum ab extrinseco: Primũ patet, quia vnaquæque distinguitur ab altera fundamentaliter ex suis intrinsecis rationibus formalibus, sicut accidit in rebus alijs. Et Secundũ quoque euidens est, quia diuersa sunt dona gratuita, diuersi gradus gratiæ sanctificantis, diuersa nomina, officia, & munera eorum, ex Magistro dist. 9.

Distinctio Hierarchiarum quādonam incępit. 28 Petes insuper, quandonam incępit talis distinctio Hierarchiarum. Respondetur, si loquamur in naturalibus, cępit ab initio creationis, dum vnusquisque Angelus creatus fuit sub specie sua; si verò loquamur in moralibus, subdistinguendum est, nam vel loquimur de gratuitis, & incępit tunc, quādo collata fuit eis gratia, & sanctificatio; vel loquimur de ministerialibus in ordine ad humanam naturam, & id incępit ab exordio mundi, circa quem exhibere cęperunt varia ministeria.

In Dæmonibus verũ Hierarchia. 29 Pro complemento totius materiæ Hierarchiæ, quæri posset, vtrum in Dæmonibus sit Hierarchia, siue prælatio, siue consimilis ordo subiectionis, & imperij, sicut in Angelis sanctis.

30 Respondetur, quod si rigorosè sumatur hoc nomen Hierarchia, vtiq; in Angelis malis non reperitur, ratio est, quia Hierarchia idem sonat, ac Sacer Principatus, vt est dictum, in Dæmonibus autem nihil est sanctũ, si verò sumatur largè ea ratione, qua destinantur Dæmones ad ministeria varia varia exequenda, siue in ordine ad Deum, siue in ordine ad humanam naturam, vtique tunc asserendum est, ita impropriè loquēdo reperiri in eis hũc modo Hierarchiã, & Ordinem, & Principatũ, siue quasi quodammodo quandam Rempublicam, alioqui autẽ diabolicam, in qua alij præsint, & imperent, & alij subsint, & obediant.

31 Suadetur hoc breuitèr Ioan. 6. & 12. vbi Christus habet, *Nunc Princeps huius mundi eijcietur foras*, Mat. 12. & Mar. 3. *in Belzebub Principe Dæmoniorum eijcit Dæmonia*, Lucæ 11. *Si Sathan in seipso diuisus est, quomodo stabit regnum eius.* & Matt. 25. *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo, & angelis eius*, nempè Diabolo, tanquam capiti, seù principi per anthonomasiam; & Angelis eius, velutì suis suis ministris. Item Ephes. 6. *non est nobis colluctatio aduersus carnem, & sanguinem, sed aduersus Principes, & Potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus*; ecce quomodo Apostolus etiam Dæmonibus nomen dat Principis, & Potestatis. Hieronymus Abac. 7. *Omnium Dæmoniorum vnum caput, & Princeps est Belzebub Princeps Dæmoniorum*, & deniq; Glossa super primum Corint. cap. 15. ait: *Quandiu mundus durat Angeli præsunt Angelis, homines hominibus, dæmones dæmonibus*, constat igitur in Dæmonibus reperiri Monarchiam; Verum est tamē, quod Monarchia ista est omnino diabolica, & satanica, vergit namque in odium Dei, & hominum.

Seraphim, ac Throni nomen nusquam datũ Diabolis. 32 Ex authoritate Pauli recensita habemus, Dæmones sortiri aliquando nomina aliorum Angelorum, vt Principatuum, Potestatum, &c. nihilominus nusquam Dæmonibus traditũ est nomen Seraphim, neque Throni, sed cur hoc? Ratio est, quia non ardent in Dei amorem, sed potiùs exardescũt in ipsius odium, prout loquitur Psalmus, *superbia eorum ascendit semper*, ideo nō appellandi sunt Seraphim; neq; Throni sunt ipsius Dei, quia recesserunt, & auerterunt se à Deo in prælio illo magno facto in Cœlo, Throni autem sunt sedes pacificæ Dei. Dices, ceciderunt etiam ex ordine Seraphinorũ, & Thronorum, ergo etiam nunc competit eis idem nomen, antecedens probatur ex August. & Magistr. in 2. dist. 6. agendo peccatis Angelorum. Respondetur id non obstare, quia etsi non amiserint naturalia spectantia ad tales ordines, non enim fuit eorum natura destructa, amiserunt tamen amorem, & pacem, iuxta quæ sortiri poterant talia nomina: Et ideo Lucifer, qui erat de ordine Seraphinorum, non appellatur inde Seraph, sed Cherub à Propheta, vt suprà diximus.

In Dæmonibus an Prælatio, & monarchia. 33 Dices, si in Dæmonibus est prælatio, & monarchia, igitur erit subiectio, atq; virtus iustitiæ, & obedientiæ, ergo à primo ad vltimum nō erit diabolica

bolica

bolica ista ipsorũ monarchia, sed virtuosa, & iusta, quia iustitia bona est.

34 Respondetur, quod si inferiores Dæmones obediunt, non vtique ex charitate id faciunt, sed timore correpti, alias enim punirentur. Item rationibus, & demonstrationibus veritatis ipsius coacti, at murmurando, oblatrando, atque escandescendo id faciunt; quapropter nulla ibi aderit iustitiæ virtus; ex parte etiam Dæmonis superioris imperantis, imperium illud non ex amore Dei procedit, neque ex charitate, sed in odium prorsus Dei dirigitur, & in damnationem proximi, nempè hominum, & idem est, vt tum imperando, tum in obediendo sint in continuo murmure, & latratu, atque odio contra Deum, & contra homines; Ex qua concluditur, cessante charitate, & amore, nullam esse ibi pacem, nullamquè veram concordiam, sed confusionem omnino, atque discordiam, ita vt verum sit, quod ibi *nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat*. Quod si deniq; contingat, ipsos inuicem concordare aliquando, & conuenire, dicendum est, fundamentum talis concordiæ non esse charitatem, & pacem, sed esse inuidiam, vnde ait Vates, *Inuidia Diaboli mors intrauit in mundum*, & in eo concordare, vt damnationem procurent humanam in odium Dei, & hominum.

De hac autem Prælationis, & subiectionis materia, ex professo egimus supra disput. 16. quæst. 9.

Finis Disputationis Decimanonæ.



DISPV-

DISPVTATIO XX.

De Beatitudine Angelorum.

QVÆSTIO I.

Vtrum Angeli fuerint beati ab initio suæ creationis.

1 DE vtrisq; cum etiã malis moueatur q̃stio, an omnes ab initio creati fuerint beati. Pro parte vero affirmatiua arguitur, & primo de malis, siquidẽ penès Ezech. 28. de Lucifero dicitur, *In delitijs Paradisi fuisti.* Secundo Bern. serm. 17. in Cant. docet malos Angelos ante lapsũ vidisse futura in Verbo: ergo videndo Verbũ, fuit Angelus beatus. Confirmatur ex August. 4. super Gen. cap. 24. inquiente, *Angeli in primo instanti creationis viderunt Deum, & in illo Creaturas,* quarum cognitionẽ appellat matutinam: loquitur autem de omnibus: vnde probatur multo magis de bonis, etenim idem August. cap. 22. scribit, *Cum sancti Angeli semper videant faciem Dei, Verboq; eius vnigenito, sicut Patri æqualis est, perfruantur; in ipso Verbo Dei prius cognouerunt Creaturam vniuersã, in qua ipsi principaliter sunt conditi.* Insuper 11. de Ciu. Dei cap. 9. inquit, *Partem sanctorum Angelorum eo beatiorem esse, quod nunquam est peregrinata à Domino.* at iuxta Apostolum, idem est esse peregrinum à Domino, ac ambulare per fidem, vt dicit, *quamdiu sumus in hoc mundo, peregrinamur à Domino.* vnde Beati, quia vidẽt Deum, non ambulantes per fidem, non dicuntur peregrinari à Domino; igitur, cum sancti Angeli nunquã fuerint peregrinati à Domino, vtique semper, etiam à creationis initio, Deum viderunt. Confirmatur ex ibidem, *Angeli sancti nunquam fuerunt tenebræ, sed simul sunt lux effecti, & illuminati, vt sapienter, beateq; viuerent.* Præterea lib. de Eccles. dogmat. cap. 28. hæc habet. *Tales creati sunt Angeli, vt si vellent in beatitudinis luce persisterent: si autem vellent, etiam labi potuissent; vnde & Sathan cum sequentibus se legionibus, cecidit.* Ex quo fatetur, Sathan excidisse è beatitudine. Item 11. ad lit. cap. 19. *Certe ratio est requirenda, quemadmodũ omnes sancti Angeli, si inter illos aliquando pariter beati cum suis Angelis Diabolus vixit, nondum habuerint ipsi certam præscientiam perpetuæ fælicitatis suæ, sed eam post casum eius acceperint: aut qua meritã ante peccatum suum Diabolus cum socijs suis à cæteris Angelis discretus fuerit, vt ipse sui casus futuri esset ignarus, illi autem certi permansionis suæ.* Ac denique de corrept. & grat. cap. 10. *Refugientes eam bonitatem, qua Beati fuerunt, non perseuerant eius euadere iudicium.* Item de Eccles. dogm. *Angeli, qui in illa, in qua creati sunt beatitudine perseuerant, non natura possident bonum, quod habent.* Accedunt rationes. Creatura corporalis statim ab initio fuit creata perfecta, & completa: & si informitas præcessit, non quidem tempore præcessit, sed natura, vt Augustinus ait 1. super Gen. ad lit. cap. 15. ergo creaturam spiritualem creauit multo amplius formatam, & perfectam, vltimata autẽ perfectior est beatitudo. Secundo, ex eod. Aug. ibid. quæ facta leguntur spatio dierum sex penès Moysen, facta fuerunt simul, vnde ex eodem, omnes dies illi sex fuerunt simul: at in diebus illis mane fuit cognitio angelica, secundum quam cognouerũt Verbum, & res in Verbo: sunt autem Beati, comprehensores per hoc, quod Verbum vident, ergo tales

erunt

erunt in via Angeli. Tertio fuerūt initio Beati beatitudine naturali, ergo & supernaturali. Prob. conseq. Causa efficiens beatitudinis supernaturalis est efficacior causa beatitudinis naturalis: ergo æquè cito, imo citiùs, illa fecit eos Beatos beatitudine supernaturali: Antecedens prob. quoniam in primo instanti habuerunt intellectum perfectum: & voluntatem, ac obiectū vtriusq; præsens, ergo. Quarto, habuerunt in primo instanti gratiam, ex August. 12. de Ciuit. cap. 9. *Erat Deus simul condens naturam, & largiens gratiam*: ergo fuerunt tunc Beati: prob. conseq. Angelus absq; discursu, statim assequitur suam perfectionem naturalem, habita dispositione naturali: ergo statim quoque assequutus fuit perfectionem gloriæ supernaturalem, habendo iam ab initio gratiam, quæ erat dispositio ad gloriam. Hinc Ludouic. Viues 12. de Ciu. cap. 9. explicans Augustinum, ait, Angelos ab initio vidisse, & perseuerasse in visione Dei.

2 In quæstione distinguendum venit, de beatitudine naturali, & supernaturali: Item de beatitudine inchoata, & perfecta, iuxta quam distinctionem.

Angeli ab initio beatitudine naturali.

3 Primo dicendum, Angelos tùm bonos, tùm malos creatos fuisse Beatos beatitudine naturali. Cōsistit autē beatitudo hęc, primo in exclusione omnis mali, tùm etiam in cognitione, ac perfectissima scientia rerum naturaliū; in primis vero in cognitione Dei abstractiua, iuxta conceptus communes, atq; vt Authoris, & Conseruatoris Naturæ, vt finis naturalis creaturarum, & huiusmodi, abstrahendo ab his, quæ sunt fidei, & ordinis supernaturalis. Accedit ad hæc, habuisse ab initio speciem intelligibilem repræsentantem distinctè, abstractiuè tamen, Essentiam diuinam, vt habet Scot. in 2. d. 3. q. 6. §. *Ad quæstionem*, & in 2. d. 4. q. 1. ad 1. sicut vero Aristoteles docuit 10. Ethic. cap. 7. & 8. beatitudinem naturalē haberi in contemplatione, ita & de Angelis asserunt Theologi in tali abstractiua cognitione beatitudinem naturalē, vna cum cæteris allatis, acquisisse.

Beatitudo naturalis quid.

4 Addunt vero Thomistæ aliqui, non sufficere contemplationem pro beatitudine naturali, sed requiri etiam dilectionem, ac rectitudinem voluntatis, rectitudinem quidem naturalem, qua Deum diligāt amore amicitiæ naturalis: & ex vtraq; completur, & integratur status beatitudinis naturalis: Insuper adiunt, quoniam de ratione beatitudinis est perpetuitas, hinc contemplatio talis, cum naturali amore Dei reddere beatitudinem naturalem perpetuam, atque inamissibilem. Confirmant, quoniam Angelus non potest peccare circa naturalia; vnde, dum necessario, vi, & acumine sui intellectus intelligit Deum: amatq; illum, veluti Authorem Naturæ, semper quidem hoc facit, nec potest desistere ab his, ob quod sic Beatus erit beatitudine naturali.

Ad beatitudinem naturalem amor requiritur.

5 Et quidem Angeli mali, ob peccatum, amiserunt beatitudinem naturalem: Dices, remansisse scientiam: Resp. 1. plura quidem scire potuisse absque peccato: vnde merito ipsorū intelligentia in plurimis, à Deo obtenebratam remansisse, vt tradidimus loquendo de eorum intellectu: Resp. 2. licet nunc etiam sint scientissimi, non tamen hoc sufficit ad beatitudinem naturalem, sed requiruntur quoque ea, quæ attigimus.

Dæmones carent beatitud. natur.

6 Ita quidem est, & probatur, quandoquidem, vera beatitudo, quouis modo sumatur, siue naturalis, siue supernaturalis, haberi, & stare non potest cum peccato; beatitudo namque excludere debet omnem miseriam; at summa miseria est peccatum, eiusque fons, & origo omnis miseriæ, quomodo igitur poterit Angelo beatitudo talis in perpetuum competere; prob. siquidem, iam peccauerunt mali Angeli, igitur nunc tali beatitudine naturali carent. Item, quod coniunctam cum contemplatione habeāt dilectionem Dei, contrarium colligitur ex Script. *Superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper*, omnia namque deprauant, fœdant, & deturpant, in odium Dei. De qua re quæstionem etiam egimus, vtrum Dæmones facere possint opus aliquod bonum.

7 Dices, igitur falsum erit, fuisse ab initio Beatos beatitudine naturali, cuius oppositum est dictum. Resp. 1.

vere

verè ab initio Beatos sic fuisse: at inde peccando, in miseriã corruisse: licetq; ipsorũ intellectus cogitet de Deo, quia tamen malus Angelus est erga Deum praue affectus, odio prosequẽdo illum, hinc magna miseria. Fuerunt igitur ab initio tales, modo autem non sunt. De re hac, an requiratur & dilectio, habebimus in mater. de Beat.

Beatitudo illis Angelorum imperfecta.

8 Dicendum Secundo, Beatitudinem illam, quam ab initio habuerunt, & per totum tempus viæ, non erat perfecta, non integra, sed imperfecta. Prob. tum quia erat amissibilis, & iam de facto amiserunt vna cum gratia Angeli corruentes: tum quoniam de perpetuitate nõ erant securi, etenim securitas pertinent ad beatitudinẽ, imo plures aiunt esse de Essentia beatitudinis: tum quoque, quia beatitudo cum peccato stare nequit, potuerunt vero peccare, sicut & peccarunt. Et Confirmatur ex Augustino 11. de Gen. cap. 20. dicente, *Diabolus, & Angeli eius, etsi beati erant antequã caderent, & se in miseriam casuros nesciebant, erat tamen adhuc quod eorum adderetur beatitudini, si per liberum arbitrium in veritate stetissent, donec istam summæ beatitudinis plenitudinem, tanquam præmium ipsius permansionis acciperent: idest, vt magna per Spiritum sanctum data abundantia charitatis Dei, cadere vlterius omnino non possent, & hoc de se certissimè nossent, hanc plenitudinem beatitudinis non habebant: sed quia nesciebant suam miseriam futuram, minore quidem, sed tamen beatitudine, sine vllo vitio fruebantur.* En qualis, & quanta erat eorum beatitudo ab initio.

Nullus Angelus ab initio beatus beatitudine supernaturali.

9 Dicendum Tertio, neminẽ Angelorũ initio fuisse beatitudine supernaturali superiorem: Prob. beatitudo supernaturalis est merces, corona, & præmium; at hæc præsupponunt merita, *Non enim coronabitur, nisi qui legitimè certauerit*, ergo non fuerunt beati ab initio. Item August. 4. super Gen. *Deus non prius discreuit bonos Angelos à malis, quam ipsi discreuerunt inter se*, ergo priùs ex parte ipsorum erant merita, & demerita antequam Deus eos vel beatitudine affecerit, vel damnatione. Item, si Beati ab initio, ergo securi de perpetuitate beatitudinis: ergo erat inammissibilis talis beatitudo: Hæ tamen duæ probationes, quæ sunt Suarij, non sunt efficaces, etenim Paulus in via habuit Visionem beatificam, & in ea aiunt consistere beatitudinem: quæ tamen fuit per modum trãseuntis, nec durauit. Item de securitate, de plerisque refertur raptis, & eleuatis in extasim ad videndũ Arcana Dei, non absque fama sanctitatis; qui tamen inde in superbiam elati, miserabilitèr spiritu, & corpore ceciderunt; poterant ergo Lucifer, & sequaces rapi ad videndum Deum, qui tamen inde corruerunt: Confirmatur, siquidem sola Visio beatifica Patriæ est inamissibilis, cum sua perennitate, & securitate: Beatitudo vero viæ amissibilis.

Poterat ab initio eos Deus beare, at non fecit ante merita.

10 Nihilominus dicendũ, quod etsi poterat etiam Angelis ita contingere, malis tamen non contigisse, ait Aug. lib. 11. Gen. ad lit. cap. 23. & 11. de Ciuit. cap. 11: inquiens, *Dæmones nunquam gustasse beatæ vitæ gaudium*. De bonis vero forte consimilitèr discurrendum foret, ac de plerisque Sanctis hominibus, vt Paulo, Moyse, pluribusque, qui licet in via Deum viderint per modum transeuntis, nihilominus perseuerantes in Dei obsequio, dignati fuerunt inde post mortem, beatitudine permanenti: Potuisset vtique Deus etiam cum Angelis hoc præstare, attamen verisimilius est non contulisse, & prob. Non est verisimile, Deum creasse aliquos in beatitudine, & aliquos extra eam: prob. Potuit quidem Deus id agere de potentia absoluta, cum sit ipse absolutus Dominus, attamen spectando legem ordinariam, nulli beatitudinem contulit absque præuijs meritis, talis namque est lex, *Non coronabitur, nisi qui legitimè certauerit*: Item si fecisset Deus disparitatẽ hanc, alios ab initio beando, alios minimè, vnde quæso ortum hoc haberet, an ex disparitate Naturarum, & Ordinum, an ex disparitate meritorum: Si Secundum, adest intentum, quia priùs fuerunt sub merito, & demerito: Si Primum, ergo beatitudo confertur ad intuitum Naturæ, siue naturalium: nullũ vero meritũ habet Natura ex se sola, nullumq; ius ad beatitudinem. Et denique Angelis Deus indidit liberum arbitrium,

atque auxilia, quibus promereri potuissent beatitudinem: ita Aug. de Corr. & Gr. cap. 10. *Deum sic ordinasse Angelorum, & hominum vitam, vt in ea prius ostenderet, quid posset liberum arbitrium, deinde quid posset suæ gratiæ beneficium.* Et ita concludit Mag in 2.d.4. Bonau. ibid. art.1. q.1. Alens. par.2.q.23.m.1. D.Thom. 1.par.q 62.art.1.

11 Cum hoc tamen est addendum, potuisse eam transferri ab initio. Probatur ex parte Dei, & ex parte Angelorum: Deus semper fuit potens beatitudinem conferre tùm in tertio, vel quarto instanti, tùm in secundo, & primo instanti creationis, ergo ex parte Dei non implicabat: Angelus quoq; semper fuit capax, & in potentia receptiua, atque obedientiali ad Deum, & beatitudinem, tàm in quarto, tertio, & secundo instanti, quàm in primo creationis, ergo non implicauit ita fieri sic Scot.2.d.5.q.2.lit.A. An vero ita factũ fuerit, nec ipse concedit.

12 Ad Primum vero in oppositum Resp. Primo, sensum esse de beatitudine naturali, non supernaturali: Secundo, quemadmodum Ada fuit in delicijs Paradisi terrestris, non tamen beatitudinis cœlestis tunc: ita & Lucifer fuit in delicijs beatitudinis naturalis, non supernaturalis.

13 Ad Bern. & Aug. Beccan. cap.3. de Ang.q.1.num.13. locum ait esse difficilem: indeq; addit sensum esse, quod Angeli cognouerint res melius in Verbo, quàm in genere proprio. Verum responsio apertè extorquet textus Sanctorum. Suar. de Ang. lib.5. cap.2. n.13. inquit, nunquam Augustinum dixisse, quod habuerint ab initio cognitionẽ in Verbo, sed post. Vulpes arguit afferendo Augustinum cap. 22. dicentem, *Prius in Verbo cognouerunt &c.* ergo in primo instanti. Fateor, locum esse dubium pro ambobus, nõ enim August. specificat an *ly prius* stet pro primo instanti, an pro prius quam fuerint in termino: pro lite autem componenda, optima est Scoti resolutio, cognouisse in Verbo, non quidem intuitiuè tunc viso, sed abstractiuè per speciem infusam diuini Verbi: & ita cessat controuersia. Ad cætera loca eiusdem Aug. dicendum loqui de beatitudine naturali, & imperfecta: sicut eod. lib. de Ciuit. cap.11. primos Parentes appellat beatos in Paradiso terrestri: subdit autem, *Et tamen non impendiò beatos vocamus, quos videmus in illè, et sic hanc vitam ducere sine crimine.* Ad illud de *Perseuerare in eadem beatitudine.* Sensus est de bonis Angelis, qui sẽper fuerunt Beati, initio quidem beatitudine naturali, postmodum vero supernaturali, & ita bene dicuntur perseuerare in beatitudine, siue sic, siue sic. Contra, quoniam inquit *in illa.* Resp. indicare absolutè beatitudinem in genere, vt semper fuerint Beati: diuersa tamen beatitudine. Ad illud de *Peregrinari* sumi potest, vel peregrinari à Domino per peccatum, quomodo filius prodigus peregrè profectus fuit, viuendo cũ meretricibus: hoc modo Angeli sancti nusquam fuerunt à Deo peregrini, quia nusquam peccauerũt, vel similiter vt loquitur Paulus pro carere visione Dei, & ambulare per fidem, & vt sic, dum Angeli erãt in via, peregrinabantur, quia ambulabant per fidem. Ad Primam rationem respond. quod sicut Deus contulit vnicuiq; perfectionem competentẽ proprio statui, ita & Angelis: at perfectio competẽs statui viæ Angelorum erat beatitudo naturalis, nam supernaturalis cõpetit statui Patriæ Comprehensorum. Ad Secundũ iam patet qualem cognitionẽ habuerint in via de Verbo. Ad Tertiam negatur conseq. & ad probat. respond. Deum esse Causam liberam, ideoque egit, vt voluit: at probabilius est, quod dictum est. Ad Quartam, datur etiam discursus in Angelis, de quo supra. Cæterum negatur conseq. de beatitudine supernaturali.

Angeli initio cognouerunt in Verbo abstractiue cognito.

14 Dices, in Dæmonibus naturalia remanserunt integra, ergo remansit in eis beatitudo naturalis. Resp. remansisse integra quoad essentialia, nõ quoad accidentalia, inter quæ fuit beatitudo naturalis.

Dæmonum naturalia remanserunt integra, [illegible]clarantur.



QVÆ-

QVÆSTIO II.

Vtrum Angeli gloriam essentialem meruerint per custodias hominum, seù per ministeria alia ipsis exhibita.

1 SEntentiarum Magister dist. 5. opinatus fuit Angelos prius gloriã consecutos fuisse tempore suæ creationis, & indè eam meruisse per custodiam hominibus præstitam, atque in tempore exhibitam per obsequia, & custodiã angelicam. Probatur autem eius opinio penès eundẽ Scot. dist. 5. q. 1. Et Primo sic. Angeli per custodiam angelicam aliquid merentur, sed per sua ipsorum merita non merẽtur aliquid, quod expectent accipere, igitur merentur id quod aliquando acceperunt: antecedens patet, & probatur minor, quia si gloriam, quam merentur, non haberent, sed expectarent accipere, sequitur ipsos de facto iam non esse beatos, quod est contra illud Christi Domini, Angeli eorum semper vident faciem Patris, immo sequeretur quã maximè affligi ipsosmet Angelos de carentia gloriæ, siue de expectatione gloriæ secundũ illud Eccl. spes, quæ differtur, affligit animam, ergo à primo ad vltimũ iam acceperunt gloriam ab initio, quã inde in tempore per hominum custodias meruerunt.

2 Secundo maius præmiũ requirit maius meritum, sed plures Angeli maiorem gloriam habeat pluribus hominibus, ergo debet in Angelis reperiri quoque maius meritum, sed maiora merita expostulant maius tempus, homines autem viatores habent in merendo longũ tempus, ergo Angeli præstantiores in præmiis, & excellentiores in merito debent consimilitèr habere longum tempus, immo maius tempus merendi; non poterat autem in tam modico spatio creationis & beatificationis Angelorum haberi tantum meritum, igitur opus fuit differre merita Angelorum ad tẽpora viæ, siue ad tempora custodiæ hominum viatorum.

3 Vltimò in Angelis non reperitur tanta difficultas ad bonum, siue ad meritum, quãta in hominibus, etenim virtus, & meritum consistit in arduo, igitur potuit ab initio gloria conferri facillimè Angelis sine vllo merito, quia si meritũ aliquod expostulatur, id sufficientèr haberi poterat ex obsequiis viæ præstitis hominibus viatoribus.

4 Confirmatur sententia hæc exẽplo militis, etenim militiæ Dux liberè conferre solet equum Militi iam veterano, & strenuo, de quo certò præsciuerit fore acritèr, & strenuè prægnaturum, talis autem equi collatio, siue donatio antecedit militis agonem, & pugnam, siue antecedit omninò eiusdem militis merita, & bellica gesta futura, quod si in humanis hoc accidit, cur nõ etiam accidisse consimilitèr affirmabimus in sanctis Angelis.

5 Sententia hæc, quæ aliquando placuit Antisiodorẽsi, est iam antiquata, & aboleta, ita vt cõmunitèr Theologis displiceat, quapropter etiam, & Nos communẽ sententiam sine controuersia acceptam assequemur, & cõfirmabimus breuitèr.

6 Sit ergo conclusio, Angeli prius beatitudinem meruerunt, antequam ipsam de facto receperint, ita Scotus vbi supra, & Thomistæ etiam communitèr; non assignabimus hoc in loco quantum temporis intercesserit intercesserit inter merita, & gloriã, etenim de hoc sermo fuit in propria quæstione, agendo de via, siue de moralis Angelorum; solummodo igitur in præsentiarum demonstrabimus meritum antecessisse gloriã Angelorum, & in primis Scotus sic arguit. Angeli prius meruerunt, inde præmiati fuerunt.

7 Primò arguitur, sequeretur namque, quod si homo non fuisset creatus, nec etiã Angelus fuisset beatificatus; probatur, quia per te gloriam adipiscitur Angelus propter custodiam hominum, ergo si non adesset homo, iam non habuisset Angelus merita, per quæ gloriam adipisceretur, & mereretur; hoc vero est maximè inconueniens, non enim Angelus dependet ab homine necessario in merendo.

8 Itē actus intrinsecus potest esse per se meritorius, circumscripto omni actu extrinseco, ergo poterat Angelus per actus immanentes, siue intrinsecos fidei, spei, & amoris in Deum, sibi mereri gloriam, absque eo, quod necessarium fuerit recurrere ad actum extrinsecum ordinatum ad custodiam hominum.

9 Insuper dispositio debet præcedere formā, cuius est dispositio, si namque subsequitur ad formam iam impressam materiæ, & introductam, vtiq; nihil ageret; consimilitèr verò procedit opinio Magistri, ita vt docere videatur ad dispositionem moralem, siue meritoriā Angelorum præcedere omninò formam, & & terminum beatitudinis, & gloriæ; hoc verò idem est, ac destruere ordinem naturæ, quæ tùm in naturalibus, tùm in moralibus talitèr se gerit, vt formam, & perfectionem vltimam nullatenus præbeat, nec introducat, nisi dispositione, præuia, non subsequenti, antecedenti quidem, non aduueniente.

10 Rursus nō omnes Angeli deputantur ad custodiam hominum, vndè ergo Angeli illi gloriam sibi promereri potuerunt? non ex custodia, ergo aliundè, ergo falsa est positio. Antecedens probatum fuit suo loco, quia non de omnibus Ordinibus, & Hierarchijs fit deputatio ad custodiam.

Origenis error de Custodib. Angelis.

11 Accedit, vt alia relinquā, quod opinio ista quam maximè fauet Origenis errori, qui in lib. Numeri homil. 20. 21. & 24. de Angelis custodibus ita aiebat, quod boni Angeli benè custodiendo homines, vtique præmia merebantur, & laudem; quod si ex opposito malè se gesserint in custodiēdis hominibus, flagitia consequebantur, & opprobrium. Quantus verò sit error iste de se patet, tum quia custodes Angeli fidelissimi sunt, atque vigilantissimi in custodiendis hominibus; tùm etiam quoniam indignum est, vt de Custodibus Angelis hæc, & similia legantur, & defendantur.

12 Id certissimū est, potuisse Deum de absoluta potētia, gloriam ipsis conferre antecedentèr ad merita exhibita, contentus solummodò de eorundem meritis præuisis, Verùm non ita egisse Deum de potentia ordinata, est communis sententia Theologorum vnanimitèr sentientium tùm Angelis, tùm hominibus gloriam non conferri nisi præcedentibus meritis iam exhibitis.

13 Sed quæres, Cur tantopere Origenis opinio hæc, tanquā error respuitur, cum in eandem etiam sententiam inciderit quandoque D. Hieronymus in lib. 2. super Michæam cap. 6.

Hieronymus nō sequitur Origenem de Custodibus Angelis.

14 Respondetur nunquam D. Hieronymum sententiam hanc defendisse, id autem, quod ibi agit, est referre sententiam prædictam ex mente aliorum, non itaq; loquebatur ex propria mente, prout etiam sic eundem Hieronymum interpretatur Xistus Senēsis lib. 5. Bibliothecæ adnotatione 126.

Talmudistarum insania de Gabriele.

15 Consimilis extitit error quidam quorundam Iudæorum Talmudistarū, qui de Angelo Gabriele ita fabulabantur, vt dixerint, quandoque in quoddā criminosum flagitium incidisse, talitèr, vt exinde iussu, ac mandato Dei fuerit flagello igneo castigatus. Verum hæc fabulosè dicuntur, & insania sunt; etenim Gabriel Angelus vna cum cæteris sanctis Angelis, postquam fuere confirmati in gratia, semper in gratia Dei perseurrauerunt, ita vt nunquam exciderint ex ea; Repugnat etiam statui beatitudinis peccare; quapropter indigna sunt, vt hæc, & similia inconuenientia audiantur de Angelis sanctis, præsertim de Nuntio Incarnationis.

16 Dices Iob 14. de Angelis dicitur, In Angelis quoque reperit prauitatem, ergo non erit vndequaque indignum id sentire de Angelis.

In Angelis reperit prauitatem, declaratur.

17 Respondetur Primo, loqui de Angelis, dum erant in via, de quibus verum est aliquos corruisse, & incidisse in peccatū, vt de Lucifero, & sequacibus, non autem loqui de sanctis Angelis, qui à gratia, quam ab initio acceperunt, nusquam exciderunt. Ad hoc autem ampliora diximus supra impugnando hæreticos, Tract. de Gratia Angel.

18 Respōdetur Secūdo, loqui Scripturam de Angelica Natura ex se sola spectata, seclusa omni gratia Dei, etenim vnaquæque creatura, quantum est ex se, peccaminosa est, & defectibilis, atque declinabilis à rectitudine rationis,

nis, & mandatorũ Dei; remota namq; gratia Dei, verè possunt omnes cadere in peccatum. Cæterum aliqui ex Angelis respuẽtes gratiam Dei, in peccatum inciderũt, alij verò in gratia persistendo, nunquam lapsi sunt in peccatum, ita Greg. lib. 25. moral. cap. 27.

19 Aliquantò etiam vltro se extendit citata opinio Magistri, etenim non solum aiebat gloriam essentialem promereri Angelos per opera subsequentia ad ipsam gloriam, verùm etiam addebat, prædictos Angelos in gloria essentiali, crescere, & augeri vsque ad diẽ Iudicii, ita habet in dist. 11. vtrum verò augumentum tale essentialis gloriæ vsque ad diem Iudicij possit rationabilitèr sustineri, videtur quod sic authoritate Innocentij III. in cap. cum Marta de celebrat. missar. vbi sic ait, *Licet plerique reputent non indignum, Sanctorum gloriam vsque ad Iudicium augumentari*, vbi Innocentius sententiam hanc non improbat, imo probabilem videtur asserere, dum ipsam reputat non indignam, ergo pariformitèr de Angelis nõ indignè sustineri poterit crescere in gloria essentiali vsque ad Iudicium.

Angelorũ meritum essẽtiale, etiã crescat vsque ad diem Iudicij.

20 Verùm nec sentẽtia ista probabilis est, imò reijcitur communitèr à Theologis. Ratio autem Theologica est, quoniam dum quis sit in termino, non potest ampliùs mereri, nec demereri, etenim in termino est, cuius natura talis est, vt terminet omnem accretionem meriti, siue demeriti, quandoquidem solummodo cursus viæ est status merendi, ac demerendi, nisi tamen dispensatio aliqua fiat, qua mediante, possit aliquis esse simul in termino, & in via, esse simul Viator, & Comprehẽsor, prout solummodo in Christo Domino accidit, de quo in materia de Incarnatione; non constat autẽ dispensationem talem factam fuisse cum Angelis, ergo optimè concluditur, Angelos, postquam adepti fuerint beatitudinem, nõ posse ampliùs mereri nec beatitudinem, nec augumentum beatitudinis. Ex quo fundamento completissimè reijcitur vtraq; propositio Magistri, ita vt post beatitudinem essentialem acceptam non possint ampliùs mereri eam per obsequia hominibus præstita, quoniam Beati jam sunt in termino, & per consequẽs non possunt mereri: nec demereri gloriam essentialem simplicitèr; & consequentèr infertur neque posse mereri vlteriùs talis essentialis gloriæ augumentum, siue accretionem.

21 Consonum etiam est hoc diuinis Scripturis, vt Ioan. 9. *Veniet nox, quando nemo poterit operari* Galat. 6. *dum tempus habemus, operemur bonum, tempore enim suo metemus*. Eccl. 6. *Ante obitum tuum operare iustitiam, quia non est apud inferos reperire cibum*, & denique Eccl. 11. *Vbicunque ceciderit lignum, ibi erit, siue ad Austrum, siue ad Aquilonem*; quarum Scripturarum sensus talis est, vt tempus merendi sit tempus viæ, siue tẽpus ipsius vitæ in mortalibus; Et quidem in Angelis, qui sũt immortales, tempus merendi gloriam erat tempus viæ, quo tempore, & interuallo transacto, ampliùs non potuerunt mereri, vnde est, vt post acceptã beatitudinẽ existentes in termino, nequaquam ipsis contingat gloriam promereri, neque augumentum gloriæ. De hoc ampliùs in materia de Beatitud.

22 Ad illud Innocẽtij respondetur duplicitèr. Primò, Innocentium loqui de augumẽto gloriæ accidentalis, quæ quidem non repugnat augeri Sanctis, & Beatis vsque in diem Iudicij, prout in sequenti quæst. habebimus. Et Secundò respondetur loqui Innocentiũ de honore, & gloria eorundẽ Sanctorum penès homines, ita vt in dies gloriosiores, & honoratiores, atque venerabiliores euadant, penès homines inquam, sicut ipsa etiam Ecclesia quandoque honorẽ talem Sanctis interpellat, dicẽdo, *Vt illis proficiat ad honorem, nobis autem ad salutem*, quæ sparsim reperiuntur in collectis.

Augetur gloria Sanctis quali-ternam.

23 Petes, ex quo capite prodeunt Sanctorum Angelorum obsequia, & ministeria, si namque non diriguntur ad consecutionem gloriæ essentialis, cur est, vt hæc, & similia obsequia, tàm sollicitè operentur circa nostram salutem?

24 Respondet Scotus vbi supra in responsione ad primum argumentum principale, & in 3. dist. 18 quæst. quod Angelorum obsequia licet non ordinentur

nentur ad vlteriorem perfectionē gloriæ consequendæ, nihilominus talia obsequia sunt opera redundantia ex perfectione Beatitudinis Angelorum; hæc ergo est ratio, ita vt solliciti sint erga nostrā salutē, non enim expectatione alicuius præmij essentialis id agūt erga nos, sed talia operantur ex plenitudine charitatis, ex abundantia amoris, & ex perfectione suæ Beatitudinis, siue ex congerie, & cumulo cęterarum virtutum existentium in ipsis, quæ quidem sunt motiua vrgentissima, accedente diuino mandato, ita vt sollicitè nos custodiant, atque ad salutem procurent nos peruenire æternam; gaudēt siquidem etiam maxime de nostra salute, & de consociatione animarum nostrarum cū ipsis Angelis in gloria, iuxta illud Lucæ 15. *Gaudiū est in Angelis in Cælo super vno peccatore pœnitentiam agente.* Exemplum affertur philosophicum de habitibus acquisitis, à quibus quidem habitibus procedunt actus; etenim tales actus promanant ex plena perfectione ipsius habitus: ita pariformitèr obsequia, quæ à Sanctis Angelis præstantur, non prōducunt in ipsis gratiam, & gloriam essentialem, sed promanant ex plenitudine perfectionis Beatitudinis, & charitatis ipsorum Angelorum, aduenit tamen ipsis noua gloria accidentalis, vt in sequenti quæst.

Custodes Angeli solliciti sūt de nostra salute, ex plenitudine charitatis cōtandem.

Gaudēt Angeli de nostra salute.

25 Dices, Christus Dominus erat Comprehensor, & Beatus, dūm erat in via, in carne passibili, & mortali, & nihilominus merebatur gratiam, & gloriam essentialem, ergo non obstante, quod Angeli sint Beati, poterunt per obsequia mereri gloriam essentialem. Item per merita Christi solūmodo prævisa, & non exhibita meruerunt Patres antiqui testamenti gloriam essentialē, ergo etiam merita præuisa Angelorū, & si non fuerint exhibita, poterunt esse meritoria Beatitudinis.

26 Respondetur Primo ad primū, variam esse rationem de Christo Domino, & de Angelis, quandoquidem Christus Dominus licet fuerit Comprehensor, & Beatus, nihilominus erat etiam Viator, vnde est, vt potuerit etiā mereri, quod tamen non est dicendum de Angelis Beatis post beatitudinem ipsorum, vnde fit, vt non potuerint mereri.

Christus cur meruit in via, & nō Angeli.

27 Respondetur Secundò, quod si Christus meruit gratiam, & gloriam essentialem, non vtique eam meruit sibi ipsi ex Scoto in 3. dist. 18. quæst. vnic. vna cum Thomistis, Bonauent. Riccard. pluribusque, licet meruisse dicant Antisiodor. Albert. Maior. Bassol. de quo in 3. sentent. meruit tamen alijs, nempè prædestinatis, & electis vtriusque Testamenti, quid verò sibi ipsi meruerit, habetur in speciali materia de Incarnatione.

28 Respōdetur Tertiò, quod ad merita Christi Domini fuerunt coniuncta merita Electorum, ita vt etiam ipsimet Electi cooperati fuerīt meritis Christi.

29 Ad Secundū dicitur, quod licet merita Christi non fuerint exhibita in Testamento veteri, nihilominus vna cum meritis Christi præuisis coniuncta erant merita exhibita Patrum antiqui Testamenti, igitur pariformitèr fuisse creditur de Angelis, vt gloriam meruerint mediantibus ipsorum meritis, non iām præuisis, sed exhibitis.

30 Respondetur insuper, quod tota ratio fundamentalis distinctionis meritorum, tūm Angelorum, tūm Christi Domini, tūm etiam aliorum Electorū ea erat, quoniam Angeli erant in termino, & ideò amplius mereri non poterunt; homines verò erant in via, & Christus etiā erat simul viator, & hinc est, vt potuerint verè mereri.

31 His actis respondetur ad principalia argumenta, & Primò respondetur ad primum, quod per obsequia Angelica merentur beatitudinem accidentalem, & de hac concedimus, quod ipsam paulatim acquirunt, & expectant: Cūm verò infers, expectationem inferre tristitiam, & afflictionem: Verum est de expectatione beatitudinis essentialis, quæ quidem afflictionem generat, & mœrorem: Angeli autem non expectant beatitudinem essentialem, quoniam iam ipsam possident, & hinc fit, vt nullo tristentur, quod si beatitudinem expectant accidentalem, hoc nullam causat tristitiā, etenim satiantur Beati plenissimè, & completissimè in beatitudine essentiali.

Spes, quæ differtur, affligit animū declaratur.

32 Ad Secundum respōdetur, quod

non

non defuit Angelis sufficient spatium sibi merendi gloriam, quantum potesant mereri, etenim ad magnum præmium non requiritur magna multitudo meritorum, inquit Scotus, sed multò magis requiritur vnum meritum intensium, quàm centũ millia remissa; in eis autẽ fuit motus meriti valde intensus pro illa morula, qua merebantur, in tantũ, fortè, quod nullus homo, inquit Scotus, secundum communem legem, posset habere ita intensum actũ meriti, sicut ipsi habuerunt: Excipito Virginem, ex specialissimo adiutorio, pluresque &c.

Ad magnũ præmiũ non requiruntur plura merita.

Angeli in via habuerũt sufficiẽs tempus merendi.

33 Respõdetur ad Tertium, In Angelis difficultatem ad bonum repertam quidem fuisse ex ratione, qua finis, seu obiectũ excedebant ipsam Angeli naturam; etenim finis erat obiectũ supernaturale, ad quod creatura non poterit solis viribus naturæ; aderat etiam difficultas ratione passionum, & variarũ Angelorum inclinationum, siue ad appetendum hoc, siue illud, iuxta prædominium naturalium passionũ; etenim superbiendo ambiuit Lucifer æqualitatem Diuinam; & sic de sequacibus Angelis iuxta propriam cuiusque inclinationem. Adfuit quoque difficultas in persistendo in gratia Dei, ex eo, quod Lucifer sequaces Angelos incitabat ad malũ, & ipsimet mali Angeli seipsos incitabant ad idem; hæc quidem, & similia difficultatẽ operabantur in Angelis taliter, vt benè potuerint circa opus arduum, suam virtutẽ exercere; atq; gloriam, & gehennam promereri. boni autem Angeli ipsi etiã tentati fuerunt à Lucifero, & sequacibus, ita vt ipsimet boni Angeli difficultatem fuerint experti in ostẽsione virtutis, resistendo Lucifero in prælio illo angelico, de quo Ioannes, *Factum est prælium magnum in Cælo:* Vndè concluditur, quod si Angeli difficultates illas, quas nos mortales in tentationibus nostris experimur, experti non fuere, nihilominus non defuerunt illis alia alterius generis tentamẽta, quibus fortitèr resistendo, potuerint laudabilitèr sibi gloriam promereri.

Difficultas ad bonũ, & tentamenta etiam inter Angelorũ fuere.

34 Ad illud de Milite dicendum est, ideò de Milite ea concedi, quia Miles est adhuc in via, est enim pugnator, & bellator, & de facto in agone contẽdit, nec adhuc ad brauium peruenit agonis, est namq; viator, & per consequẽs potest promereri; Angeli autem sunt extra statum viæ, & sunt extra agonẽ, quapropter dum sunt in termino, non possunt ampliùs mereri.

35 Sed petes, Cur est, vt existentes in termino Beati, non possint mereri. Ratio dubitandi, quia non repugnat; etenim Christus erat Beatus, & tamen merebatur, & si non gloriam animæ, quam habebat, tamen gloriam corporis, alterum in specie, inquit Scotus, supermerendo ablationem impedimenti redundantiæ gloriæ in corpus, merendo etiam exaltationem sui Nominis ex Paulo; ergo similiter, licet Beati non mereantur gloriam, quam habent, poterunt tamẽ mereri augumentum gloriæ, quod augumentum non habent. Respõdebis id peruenire, quia sunt extra statum merendi totalitèr, cũ tamen Christus erat simul Beatus, & Viator, & ratione status viæ poterat mereri. Hoc autem non obstat, quia hoc est, quod quæritur, cur in statu Beatitudinis non possit esse meritum, seù cur opera Beatorum non possint esse meritoria. Respondetur ideò non mereri, quia talis est lex Diuinæ Voluntatis, quæ statuit, in termino non haberi ampliùs meritum, nec demeritum; potuisset autẽ, si sibi placuisset, ordinare Deus, vt in illo etiam statu possint mereri, indéq; posset acceptare opera beatifica, vt meritoria, si de potentia absoluta ita ordinasset: Confirmatur ex Scoto, qui in 3 dist. 18. lit. D. ait, Nullam includere contradictionem, quòd Deus possit acceptare actum beatificum Michaelis, vel alterius Beati, tanquam dignum retributione, puta si Michaeli daretur aliquid propter actum meritoriũ Custodiæ, quẽ exerceret circa Ecclesiã &c. idemque magis ampliat de Christo, de quo multa ibi dicit: vide eum. A primo autẽ ad vltimum, de facto ita euenit, vt per custodiam non mereantur gloriam essentialẽ Angeli, quamuis de potentia absoluta fieri posse ex Scoto, an verò mereri possint gloriam accidentalem, videbitur quæst. seq.

Beati cur non possũt mereri.

Vide Tom. de Beatit.

QVÆ-

QVÆSTIO III.

Vtrum Angeli meruerint saltem Beatitudinem accidentalem per custodias hominum.

1 PRæsens dubitatio est appendix quæstionis præcedentis, vidimus namque Beatitudinem essentialem non mereri Angelos per obsequia hominibus præstita in tempore, videndum superest, vtrum nihilominus per ipsamet obsequia mereri possint Beatitudinem accidentalem.

Angeli merentur gloriã accidentalem.

2 Et quidē communis est Doctorum sententia Beatitudinem accidentalem mereri Angelos, sicut etiam & cæteros Sanctos; crescere quoque in augumento gloriæ accidentalis vsque ad diem Iudicij, ita præcipuè Scotus dist. 5. quæst. 1. in responsione ad primũ principale, & colligitur ex Lucæ 15. *Gaudium est in Cœlis Angelis Dei super vno peccatore pœnitentiam agente*, etenim quod peccator pœnitētiam agat, & quod iustus in pœnitentia perseueret, tùm persuasione sanctorum Angelorum, tùm vero exemplo, atque intercessione eorundem Beatorum Regnantium in Cœlis, id quidē gaudium nouum affert, nouamq; lætitiam, seu nouam gloriam accidentalem, tùm Angelis, tùm etiã ipsis Sanctis regnantibus in Cœlo; & hinc August. subiungit in soliloquijs cap. 27. *Angeli congaudent gaudentibus de te, & quoties bona agimus, gaudent Angeli*, sicut quoq; congaudere Angelos de salute, atque de introductione animarum in Cœlos, veluti specialissimè Ecclesia memorat de ingressu Beatæ Virginis, Corpore, & Anima in Cœlos ipsos, dum ait, *Assumpta est Maria in Cœlum, gaudent Angeli, &c.* plures rationes de hoc congerit D. Bonauentura in 2. dist. 11. art. 2. quæst. 2. constat igitur crescere Angelos in gloria accidentali.

Gaudiũ accidentale, quousq; durāturum in Angelis beatis.

3 Verum vero tale augumentum gloriæ crescat solummodo vsq; ad Iudicij diem, an verò progrediatur vltra; Communiter affirmant solũmodo vsq; ad diem Iudicij augeri D. Thom. Bonauent. Albert. Richar. Gabr. citandi. Ratio esse potest, quia tempus illud Iudicij erit tempus termini, ita vt terminandum sit tunc omne incrementum gratiæ, & gloriæ, tùm etiam quia ex decreto diuino nō procedit vltra creatura in merendi ratione, quoniam fiet totaliter in termino; Et hoc idem adstipulantur etiam de ipsis Sanctis, de quibus quidem posset esse similis ratio dubitandi, prout de Sanctis ipsis, siue de incremento accidentalis Beatitudinis penès homines, à quibus honorantur, tractari solet in 4. dist. 49.

An post Iudicij diē augebitur gloria accidentalis.

4 Sed quid obstat, vt post Iudicij diem, ipsismet Sanctis, & Angelis nouũ possit gaudium aduenire, noua iubilatio, noua congratulatio, noua reuelatio, siue noua gloria accidentalis, etenim ipsimet Beati in Cœlo inter se ipsos communicabunt perpetuò; & alter perpetuò de alterius felicitate gaudebit; tùm etiam quoniã poterit indè Deus quomodo, & quando placuerit intellectui Beati reuelationem facere de secretis alijs, siuè de operationibus laude dignis, siuè de secretioribus alijs donis alteri Beato exhibitis, & nondum Beato huic manifestatis; ex quo, & similibus, optimè sequi potest nouũ Angeli gaudium, noua Angeli gloria, atq; noua ipsius Dei collaudatio, quod si Ecclesiæ militantis status terminabitur in die Iudicij, ita vt Angeli non possint amplius mereri per obsequia exhibenda Ecclesiæ militanti, nihilominus nō implicabit, vt nouo repleantur gaudio ex noua diuinorum operũ manifestatione in Ecclesia triumphante: ideoq; Tannerius de hoc dubitat, quin & inclinat tom. 1. disp. 5. quæst. 6. dub. 1. 2. in fin.

Meritũ accidētale an nouum.

5 Solum superest quærere, vtrum meritum hoc Angelorum accidentale sit meritum nouum, an verò sit meritum antiquum, & vetus, nempè meritum habitum in via eorundem Angelorum. D. Bonauent. vbi supra, vna cum Riccardo, & Gabriele affirmant meritum hoc accidentale esse nouum,

ita

ita vt etiamsi Angeli sint in termino meriti, & gloriæ essentialis, nihilominus possint etiam dici esse in via, penes meritum hoc, & gloriam accidentalẽ. Fundamentum esse posset, quoniam ratio meriti accidẽtalis non repugnat cum termino meriti, & gloriæ essentialis, tùm etiam quoniam Angeli per talia obsequia aliquid merentur, ergo merentur de nouo; tùm denique, quia idem Scotus ait vbi supra, Angelos per obsequia mereri gloriam accidentalẽ.

6 Ex opposito D. Thom. 1. part. quæst. 62. art. 9. & Thomistę negãt meritum hoc esse nouum, dicũt enim obsequia ista esse effectus Beatitudinis, & gloriæ Angelorum, Scotus etiam q. 1. eiusdem dist. ibidem in responsione ad primum, docuit, & Nos quæst. præced. Custodiam hanc, & similia obsequia esse effectus Beatitudinis, & gloriæ Angelorum, prout in præced. quęst. explicauimus. Quid verò sit dicendũ, vtrum merita ista accidẽtalia sint noua, an vetera, res quidem dubia est, & est vtraq; opinio probabilis, qui namque cum D. Thom. id negauerit, pro fundamẽto habebit, ideò non esse merita noua, quia Angeli sunt in termino; terminus autem non est ratio merendi, & demerendi: Qui verò cum D. Bonauent. affirmat, pro fundamento erit id, quod diximus, non repugnare meritum, & gloriam accidentalẽ vna cum ratione termini meriti, & gloriæ essentialis.

Augmentum gloriæ accidentalis an cadat sub meritum.

7 Atque hinc oritur dubium, vtrũ augumentum gloriæ accidentalis cadat sub merito: affirmauit D. Thom. in 2. dist. 5. quæst. 2. art. 2. & in supplem. quæst. 98. art. 6. Alber. par. 2. sum. Gabr. in 2. dist. 11. cum D. Bonauent. & Lyrano. Negauit tamen inde idem D. Thom. 1. par. quæst. 62. art. 9. ad tertiũ, vbi priorem sententiam reuocauit, inquit Beccanus de Angelis cap. 3. q. 9. num. 4. Ratio, tùm quia sunt extra statum merẽdi, dum sunt in termino; tùm quoniam talis gloria accidentalis est potiùs quasi debita Beatitudini essentiali, nam cui conceditur magis, non denegatur minus, maior autem est gloria essentialis, ergo per hanc Beato cõuenit, etiam accidentalis.

8 Dices, hinc sequi talem gloriam cadere sub merito, probatur, datur per se titulo, & causa Beatitudinis essentialis, sed istam meruit Beatus in via, ergo & meruit gloriam accidentalem. Respondetur, si accidentalis subsequitur ad essentialem, saltem de congruo, vtique cadet sub merito, sub illo quidem merito viæ, sub quo cadebat gloria essentialis: vnde Beatus, ex ista positione merebatur in via gloriã vtramque; Dixi saltem de congruo, quia plenè Beatus est Beatus per gloriam essentialem, nec cogitur Deus ad conferendam hanc gloriam accidentalem, quod euenit in sententia dicentium gloriam accidentalem non cadere sub merito: Hoc tamen non obstante, quod non cadat sub meritum nouum, cadet nihilominus sub merito antiquo viæ, gratia cuius confert inde Deus gloriam vtramque essentialem atque accidentalem.

Gloria accidentalis cũ sit meriti & effectus.

9 Dices D. Thom. 3. par. quęst. 59. art. 6. docet, Angelos fore iudicandos à Christo quantum ad præmia accidentalia, quæ sunt gaudia, quæ habent de salute hominum, & etiam quantum ad pœnas accidentales Dæmonum; ita in corpore quæstionis; quod si iudicabuntur boni Angeli quantum ad præmium accidentale, ergo illud merentur nunc per custodiam hominũ; nam præmium supponit meritum. Vasquez vt saluet D. Thomam, ait nõ esse mentem eius, quod pro custodia Deus tribuat aliquod præmium, cum hoc negauerit quæst. 62. *sed quia id pertinet ad iudicium factum à Christo, &c.* quod si tamen in 2. sent. & in supplem. affirmauit, vt refert Becanus, addito loco hoc tertiæ partis, magnam coniecturam facit, fuisse talis sententiæ, licet quæst. 62. dicat oppositum, plura namque sunt loca affirmantia, quam negantia, & si Becanus inquit, D. Thomam reuocasse sententiam in 1. par. quæst. 62. nihilominus in 3. par. oppositum sonat. Tertia autem pars est in ordine posterior ad primã, vel ergo est problematicus, vel plura sunt loca fauentia opinioni affirmatiuæ, vt videatur magis inclinare in affirmatiuam. Quicquid tamen sit de D. Thoma, videant Thomistæ; nos enim Scotistæ habemus de Scoto, quod expressè negat cadere sub me-

rito custodiæ Angelicæ, vt retulimus quæstione præcedenti.

10 Obstatur tamen aduersus hoc, nam Apostolus 1. Cor. 6. inquit, *Nescitis, quoniam & Angelos iudicabimus?* Quod si Apostoli Angelos iudicabunt, etiam bonos vtique quoad meritum accidentale, seu quoad præmium accidentale iudicabūt eos, non quoad gloriam essentialē, cùm illam, sicut & gratiam non habuerint ex meritis Christi, aiunt Chrisost. Anselm. Bed. pluresque cum Alens. 3 par. q. 12 art. 2. Bonau. in 3. d. 13 art. 2 q. 3 ergo aliquid merentur in custodiendis hominibus.

Angeli an iudicandi in Iudicio finali.

11 Respondent aliqui, per Angelos ibi intelligi Sacerdotes, sicut à Malach. cap. 2. Sacerdotes appellantur Angeli; *Labia Sacerdotis custodiunt scientiam, quia Angelus Domini est*. Sed tamen hoc aduersatur cunctis ferè Patribus exponentibus Paulum de veris Angelis.

12 Dum vero certum est, quod de veris Angelis intelligatur, aiunt inde Anselm. Chrisost. Theophil. & Theod. intelligi de Angelis solummodo malis, attamen D. Tho. 3. par. quæst. 59. art. 6. de vniuersis absolutè Angelis docet, Christum fore iudicium facturum, affertq; prædictum locum Apostoli cum locis alijs Euangelistarum, in quibus agitur tùm de Angelis bonis, tùm malis.

13 Vasquez 1. par. disp. 230 cap. 2. num. 15. refert Patres Græcos non de Iudicio vltimo locum intelligere, sed loqui Paulum *comparatiuè*, vtpotè cōparando Angelos malos ad homines iustos, indeq; illorum improbitatem conuinci, & redargui per bonam vitā iustorum. Hunc tamen sensum non recipit Cornelius à Lap. ad citatum locum Pauli, aitque, *Non impropriè*, quemadmodum dicitur *Matt. 12. Regina Austri, & Niniuitæ surgent in iudicio, & condemnabunt generationem istam, Gentem scilicet Iudæorum; sed iudicio propriè dicto (tales enim iudicabūt secularia Corinthij) iudicabunt sua potestate, & authoritate Angelos, vti & homines.*

14 Hinc Lyranus ad eum locum sic scribit, *Licet Angeli mali, & boni habuerint suum principale iudicium à principio mundi, tamen de hominibus, quos ad malum incitauerunt mali, & ad bonum sancti, recipient pœnam, & præmium*. Fauet autem sententiæ D. Bonauenturæ.

15 Cæterum Nos duo dicimus. Primo, quod Apostoli iudicabunt Angelos bonos, & malos, iudicio quidem approbationis bonos, & iudicio reprobationis malos, ita D. Bonauent. in 4. dist. 47 art. 1. quæst. 4. & Richard. art. 1. quæst. 6. Dices, iam iudicium hoc habuerunt ab initio, ergo non habebunt inde: Respondetur, quod iudicium illud fuit priuatum, vnde non implicat inde iudicandos fore iudicio publico, communi, & vniuersali. Probatur autem ex 2. Petr. 2. vbi ait, *Si Deus Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus Inferni detractos in Tartarum tradidit cruciandos, in iudicium reseruari*; quapropter reseruantur etiam in Iudicium illud commune, & vniuersale. Secundo gaudebunt quidem Angeli de fructu Custodiæ, & Ministerij erga Speciem humanam, erga homines, ipsorum cura, & vigilantia saluandos. Item accedit nouus honor sanctis Angelis, dùm in conspectu totius Orbis apparebit fructus salutis administratæ per ipsorum ministeria, & custodiam, sicut ex opposito Angelis malis accedet noua ignominia, atque noua confusio, dum in conspectu totius humanæ multitudinis apparebunt insidiæ, fraudes, doli, versutiæ, tentamenta, millequè nocendi artes, contra Deum, & contra salutem hominum tantopere agitatæ; non enim nunc omnes notæ sunt, nec omnibus hominibus, præcipuè Infidelibus, fraudes Dæmonum, sicut nec omnibus agnitæ sunt omnes vigilantiæ, & quotidianæ curæ sanctorum Angelorum pro saluandis hominibus, tunc verò manifesta fient omnibus coram toto Orbe hæc & singula; indeq; sanctis Angelis honor, laus, & benedictio à cunctis saluatis accedet. Malis autem ignominia noua, confusio amplior, atque maledictio communitèr à tota humana specie, tota multitudine, tùm ab hominibus damnatis, dùm ipsorum damnationis causa fuere, tùm vero à saluatis, dum tantam aliorum hominum multitudinem retraxerunt à Regno Cœlorum.

Angelorū malorū & bonorū iudiciū quale.

Iudiciū publicū, & priuatum.

Dæmonib. accedet noua confusio ob tentamēta, & ruinā hominum.

Custodiæ Angelis accedet nouus honor, & benedictio in iudicio à saluatis.

Illud

Illud vero de merito gloriæ, & gratiæ Angelorum per Christum, *spectat ad* mater. Incarnat.

Dæmonibus in Exorcismis — Diei Iudicij comminatio infensa Dæmonibus in Exorcismis

16 Confirmatur ex Prospero lib. de vita contemplat. docente, Dæmones, adhuc damnatos, timere tamen diem futuri Iudicij, tanquam suæ punitionis complementum: vnde in Exorcismis, ad magis eos torquendos, faciliusque ex obsessis profligandos, fit eis comminatio futuri iudicij, propterea que Exorcismi sæpius concludi solent; *Per eum, qui venturus est iudicare viuos, & mortuos, & sæculum per ignem.* Plura supra Disput. de pœna Angelorum malorum quæst. 2. tradémusque amplius Tom. de Beatitud. disput. de Iudicio finali.

QVAESTIO IV.

Vtrum in Angelis sint dotes beatificæ.

1 QVemadmodū in humanis, inter cæteros contractus: & in Ecclesia, inter cætera Sacramenta reperitur contractus, & Sacramentū Matrimonij, gratia cuius introducta fuerūt nomina sponsi, & sponsæ, inter viros, & mulieres, quibus fit inuicem traditio corporum, vna etiam cum dote, ad perferenda onera matrimonij, ita quoque aliud reperitur sponsalitij genus, nempè spirituale: De hoc autem penès Scripturas, vt in 2. Corinth. 11. *Despondi enim vos, vni viro, virginem castam exhibere Christo.* Apocal. 21. *Paratam, sicut Sponsam ornatam Viro suo.* & rursus, *Veni, ostendam tibi sponsam, vxorem Agni.* atque Cant. 4. *Veni de Libano Sponsa mea.* & 5. *Veni in hortū sorer mea Sponsa.* sicut & passim in ipsamet Scriptura. Stat ergo sponsalitium duplex, carnale, de quo penès Iuristas: & spirituale, penès Theologos.

Dotes Beatorum quænam.

2 De dotibus autem loquendo, in præsenti materia: eę vel sunt corporis gloriosi, vt Agilitas, Subtilitas, Claritas, Impassibilitas: vel Animæ: de quibus tamen adest aliqua varietas inter Scholasticos, etenim D. Thom. 1. 2. quæst. 4 art. 3. tres ait esse, Visionem: Tentionem, seù Comprehensionem: & Delectationem. D. Bonauent. in 4. dist. 49. part. 1. quæst. 5. Visionem, Dilectionem, & Tentionem. Richar. ibidem artic. 3. quęst. 7. lumen Gloriæ: Habitum Charitatis: & Securitatem: Comprehensionem autem idem putat cum fruitione, vel visione. Et Palud. ibidem quæst. 8. artic. 3. Visionem, delectationem, & fruitionem, comprehensionē vero existimat esse quid commune his, non quid distinctum. Quidquid tamen sit, de qua re in materia de Beatitudine: Nos in præsentiarum nec de corpore agemus Beatorum, nec de anima, nec consequenter de dotibus eorundem: de quo ibi: Sed absolutè de Angelis loquēdo, quęremus breuitèr, vtrum in Angelis sint dotes, nec tamen postulando quid sint, sed vtrum insint.

Sponsæ conditiones.

3 Videtur autem primo loco negandum in eis esse dotes. Probatur Primo, Inter Christum, & Angelos non oritur sponsalitium, ergo in Angelis non sunt dotes: consequens sequitur, & probatur antecedens: Sponsi debent communicare in Natura, ac esse eiusdem speciei, vnde sponsalitium esse debet vnigeneum, seu homogeneum. Christus vero, & Angeli non communicant: non quidem in Natura creata, cum altera sit humana, altera angelica: nec in Natura diuina, vt constat, ergo. Hæc est ratio Diui Thomæ. Secundo, de ratione Sponsæ est esse generis, ac sexus fœminei: tales vero non sunt Angeli, ergo. Tertio, de ratione Sponsæ est, vt aliquando fuerit non Sponsa, seù vt non semper fuerit Sponsa: Angeli autem sancti semper fuerunt in gratia Dei. & est ratio Richardi.

4 Videamus tamen, vtrum rationes istæ vrgeant ad id probandum. Et quidem Prima, quod conueniant in Natura, si hoc sufficeret, sequeretur inter Animam, & Deum, non esse sponsalitium. Probatur, Anima, & Deus, licet in ratione spiritus conueniunt, aliundè tamen valdè differunt, veluti Creator, & creatura; forma corporis vt anima, Deus autem longè ab hoc. Independens, necesse esse, pluraque, quæ de Deo efferuntur, quæ tamen de Anima non prædicātur. Item Anima, & Christi humanitas sunt alterius rationis, ergo hinc sequeretur, Animam non fore sponsam Christi, sponsam Dei.

Sexus ratio non militat in Angelis.

5 Secunda, de sexu: Vtique in Angelis, sicut in cæteris spiritibus, non militat ratio sexus, ea enim est corporis, non spiritus: Nihilominus nomen *Angelus* non est nomen Naturæ, sed officij, vt initio huius libri diximus: igitur non potest hinc haberi, Angelum esse naturæ maris, seu generis masculini. Item, sicut ratione officij appellatur Angelus masculine, ita ratione, & vi intelligendi, appellatur Intelligentia ab Aristotele, & consentiunt Theologi, at nomen *Intelligentia* est fœminini generis, ergo saltem hinc *nominaliter* esset sponsa, ipse Angelus. Item ratio, & distinctio sexus attenditur quidem in sponsalitio carnali, vbi vterque sexus exquiritur ad liberorum procreationem: Angeli autem sunt incorporei, & incapaces huiusmodi functionibus, vt diximus Disp.

6 Tertia ratio, vt de non sponsa fiat sponsa: non vrget, quoniam Beatissima Virgo semper fuit in gratia Dei, semperq; Sponsa Spiritus sancti, ab initio suæ Conceptionis: tales insuper fuerunt Angeli sancti; talesque posset Deus animas alias creare ab initio in gratia. Excusari tamen posset, siquidem loquitur Rich. de his, quæ in humana politica de facto accidunt, vt Sponsa fiat, quæ prius non erat Sponsa: Habemus autem hinc, rationes denegantes sponsalitium Angelis non vrgere.

7 Hinc, pro resolutione dicendum, aliud esse loqui de sponsalitio carnali, aliud de spirituali; illud fundatur in carne, hoc autem in spiritu: Sicut vero de carnalibus sponsis dixit Dominus *Erunt duo in carne vna*, ita dum anima per gratiam desponsatur spiritualiter Deo, sunt vnum spiritualiter, iuxta loquutionem Christi Domini, *Rogo Pater, vt sint vnum*, vel vt loquitur Paulus 1. Corinth. 6. *Qui adhæret Deo, vnus spiritus est cum eo*: est autem Angelus spiritus, ergo sic spiritualiter desponsatur Deo. Vnde colligimus, spirituale hoc sponsalitium vniuersis creaturis intellectualibus competere posse, ratio, quia capaces sunt gratiæ, & charitatis, atque fidei, vna cum donibus correspondentibus in Patria: Confirmatur ex Oseæ 2. vbi Deus dicit, *Sponsabo te mihi in iustitia, & iudicio, & misericordia, & in miserationibus: & sponsabo te mihi in fide, & scies, quia Ego Dominus*. De vtraque vero Natura, tum humana, tum Angelica desponsata, confirmatur aperto testimonio Bernardi super Apocal. 21. explicans illud, *Vidi Ciuitatem sanctam &c.* vbi scribit, *Ad quid Ciuitas, vt sibi acquirat Sponsam de hominibus, Mira res, ad Sponsam veniebat, & absque Sponsa non veniebat: quærebat Sponsam, & Sponsa cum ipso erat: An duæ erant? absit, vna est enim, ait, Columba mea: sed sicut de diuersis Ouium Gregibus vnum facere voluit, vt sit vnum Ouile, & vnus Pastor, ita, cum haberet Sponsam inhærentem sibi à principio, multitudinē Angelorum, placuit de Hominibus conuocare Ecclesiam, & vnire illi, quæ in Cœlo est, vt sit Sponsa vna, & Sponsus vnus.*

Sponsalitiū spirituale inter Deū, & Animam iusti.

6 Currit quoque ex parte aliqua paritas inter Naturam angelicam, & humanam, quandoquidē, sicut Adam creatus fuit in gratia, ex communi, ita & Angeli producti in gratia, etiam ex communi sententia, de quibus supra. Insuper Eua ab initio fuit sponsa Adæ, quod patet ex contextu Pauli, Cum namque post Euæ eductionem ex costa Adæ, idem Adam dixerit, *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea* referens idipsum Paulus, continuo subiunxit, *Sacramentum hoc magnum est. Ego autem dico in Christo, & in*

Eccle-

Ecclesia, at Christus est Sponsus Ecclesiæ, ergo: & Eua declaratata fuit sponsa Adæ, illico, ac verba illa protulit Adam; sponsalitium namque Euæ Paulus explicat, veluti figuram sponsalitij Christi cum Ecclesia.

7 Nec autem sententiæ huic contradicunt omnino D. Thom. & Richar. etenim non omnino negant, sed loquuntur cum moderamine, inquit enim D. Thom. in 4. 40. docet non conuenire ita propriè Angelis, sicut hominibus. & Rich. aliquo modo, ait licet non ita propriè, sunt in Angelis.

Finis Vigesimæ Disputationis.

DISPVTATIO VLTIMA

De numero Angelorum.

QVÆSTIO I.

Quantus sit numerus Angelorum.

Angelorũ multitudinem an concessit Auicenna.

1 NGELORVM quam maximã esse multitudinem mox cõstabit: Cęterum in primis Auicẽna negauit multitudinẽ Angelorum, referente Baccone in 2. d. 1. 1. Verum an hoc ita sit de Auicenna, habemus quod ipse texuit catenam illam Intelligentiarum, itaut vna producat alteram, & altera alteram; statuitque numere Orbes, vt ad plenum refert, & refellit de productione vnius ab altera. Scotus in 4. dist. 1. quæst. 1. quomodo ergo negare potuit multitudinem Angelorum, siue Intelligentiarum. Fortaſſe tamen loquitur ibi de Intelligentia vltima, quam vocat Kolchoceam, seu Datricem formarum, de qua aiebat, præesse formis inducendis in sublunaribus, & hanc esse vnam.

[illegible] Aristoteles [illegible] numerauit Intelligentias [illegible]

2 Aristoteles lib. 12. Metaph. cap. 7. & 8. quem sequitur Auicebron, & Rabi Moyses, Angelos enumerauit vsque ad quadraginta septem. Enumerationem autem fundabat supra motum Orbium cœlestium, & motus Orbium aiebat esse 47. igitur & numerus Intelligentiarum motricũ erit 47. Hoc tamen stante poterit earum numerus augeri, vel minui, iuxta placitam enumerationem Orbium, cui namque placuerit Orbes, seu Orbium motus adaugere supra, vel intra 47. is consequenter dicet Intelligentiarum numerum fore maiorem, vel minorem numero quadragintaseptem, ad placitum Mathematicorum. Oppositum vero de Aristotele colligitur aliunde, vt nequaquam ad numerum 47. restrinxerit collectionem Angelorum, ita quidem colligere licet ex eodem Aristotele in lib. 1. de Cœl. cap. 9. vbi docet, extra Cœlum reperiri substantias separatas, tranquillam vitam agentes: Et hinc Augustin. Eugubinus lib. 4. de Perenn. Philos. reconciliat loca, vt primo loco loquutus fuerit de Angelis sub ratione motorum, seu mouentium Orbes; alio autem in loco multiplicet inde Intelligentias.

Bacconus paruum esse [illegible] numerum Angelorum.

3 Bacchonus significat non esse magnum numerum Angelorum. Ex hæreticis autem fuerunt qui dixerunt, vnicum tantum esse Angelum, penes Carthus. 1. d. 3. quæst. 3.

4 Cæterum sententia est catholica, Angelos nedum esse plures numero,

ro, verum & in magno numero. Et quidem Apocal. 5. habetur, *Erat numerus eorum millia millium*. Dan. 7. *Millia millia ministrabant ei, & decies centena millia assistebant ei*. Christus etiã Matth. 26 ait, *Possum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi plusquam duodecim legiones Angelorum*. legio autem penès antiquos continebat tria millia peditum, & trecentos Equites; penès vero Plutarc. constabat ex sex millibus peditibus, & trecentis Equitibus, siue ex alijs, sex mille sexcentum sexaginta sex militibus: Ex alijs constabat ex decem Cohortibus, habens Cohortes sex mille, & centum pedites, Equites vero septingenti triginta.

Legio ex quibus, & quot constabat.

Quidquid tamen sit, constat ex scripturis, Angelorum numerum esse magnum, & maiorem numero militum legionis: Hoc autem docent, insuper Patres, quorum præcipuus in hac materia extat Dionysius Areopagita lib. 14 de cœlest. Hierarch. quem sequitur Anselm. in Apoc. 5. & in Dan. 7. hinc Clemens Roman. lib. 8. Const. Apost. cap. 12. *Te adorant innumerabilis Angelorum copia*. Iren. lib. 2. cap. 6. *Multi sunt, & innumerabiles circa Fabricem Angeli*. Hieron. Dan. 7. ibi, *Millia millium*, ait; *Non quod sit numerus ministrorum Dei* [illegible] *definitus sit, sed quod maiorem multitudinem* [illegible] *explicare nequeamus*. Chrisost. homil. 2. de incompr. Dei Nat. *Gentem celestem innumerabilem*. Sophron. lib. de Angelorum Encom. *Multitudo innumera* [illegible]. Gregor. lib. 7. moral. cap. 9. *Numerus supernorum Ciuium infinitus est, & definitur* [illegible], *vt qui Deo est numerabilis, esse hominibus innumerabilis demonstretur*. Et consimiliter intelligendus venit Nyssenus lib. de Opific. Homin. cap. 17. [illegible] *quodam esse infinitam*. Denique Iob 25. *Numquid est numerus militum eius* [illegible]

Angelorũ numerum magnũ esse.

5 An vero tantus sit numerus eorum, vt superet numerum specierum rerum corruptibilium? affirmat Augustin. lib. 83. quæst. 2. Nazianz. orat. 3. de Theol. & Origen. homil. 13. in lib. Num. D. Bernardinus Senensis infra citandus: atque D. Thom. 1. par. q. 50. artic. 3. quem ad hunc sensum trahit Caetan. Capreol. Bannes, ac Recentiores, vt, dum ait, Angelorum numerum excedere numerum rerum materialium, intelligat non de indiuiduis, sed de speciebus. Addit tamen Bannes ad eum locum, non esse maiorem omnibus speciebus absolutè, sed iis dumtaxat, quæ sunt partes primariæ Vniuersi. Impugnat autem hoc Suarez lib. 1. cap. 11. num. 14. inquiens, singulis speciebus datur Angelus custos, ergo superat omnes species absolutè. Verum de assumpto fuit actum, an Custodes dentur singulariter singulis speciebus, etiam imperfectis, retulimus Disput. de Custodia angelica. Tannerium dicentem dari solummodo speciebus perfectis: quid autem dicendum de imperfectis, vide ibi: Quidquid tamen sit de impugnatione hac, iam concedimus esse maiorem omnibus speciebus etiam imperfectis. Et confirmatur quærendo, quantus quæso esse poterit numerus specierum vegetabilium, & quantus sensibilium tùm perfectorum, tùm imperfectorum, enumeret autem qui scit, & potest.

Angelorũ numerus an maior numero specierum.

6 Verum vero, sicut Angelorum numerus maior est numero specierum materialium, ita & maior quoque sit numero singularium, & indiuiduorum omnium rerum corporalium. Negant absolutè Caetan. quæst. 50. art. 3. Ferrariens. 2. contra Gent. cap. 92. Molina, Valentia, Vasquez disput. 180. ac Suarez loc. cit. Nullam tamen rationem adducunt, nisi quod incredibile videtur Angelos in numero excedere grana arenæ maris, pulueris terræ, seminum omnium, ac singulorum foliorũ plantarum numerum, & collectionẽ. Nihilominus nõ desunt, qui oppositum asserant; hi sunt in primis D. Bernardus Senensis tom. 3. serm. 48. fer. 3. post Resurrectionem; atque Dionys. Carthus. de quatuor nouiss. quibus fauent indefinitè loquentes D. Antonin. 3 par. tit. 31. cap. 6. §. 1. cum ait, *Excedere omnem multitudinem rerum materialium*. Raymundus de Sabandia lib. de Theol. Nat. tit. 270. Petrus Ribadeneyra in Festo S. Michaelis. Suadetur autem primo, authoritate Diui Thomæ, qui supra dixit, *Excedunt in numero intellectuales substantiæ separatæ omnium rerum*

Angelorũ numerus an maior numero omnium singularium.

rum

eum materialium multitudinem. Citati pro prima sententia Authores aiunt loqui D. Thomam, de multitudine *specierum*, non *individuorum*; probatque Caetanus, quia quæst. 112. art. 6. ad 2. dixit, *Excedunt naturas corporeas*; per naturas autem intelliguntur species: Item quæst. 6. de potent. art. 4. addidit, *Excedunt omnes species materialium*. Verum hæc non obstant, & primo ad illud de *Natura*. Natura dicitur de quocunque, tùm de genere, tùm de specie, tùm de individuo, & singulari: vnumquodque enim est talis naturæ, vnde dicimus natura generis, naturæ speciei, & natura singularis. Confirmatur, demamus ab vnaquaq; re suam intrinsecam rationē formalem, & demamus naturā rei; at tùm species, tùm singularia habent rationes suas intrinsecas formales, quibus constituuntur, ergo & singularibus cōpetit ratio naturæ. Adde, quod Natura dicitur verius de re singulari, & existenti extra causas suas, Natura namque generis vniuersalis, & speciei, est abstracta, & ob id minus perfecta, ergo perfectiùs nominabitur, cum contrahetur ad indiuidua, & singularia. Confirmatur, etenim Deus nō est Deus in abstracto, sed vere hic, vnus numero singularis, & in concreto: nec Natura Diuina habet esse in abstracto, sed vere à parte rei, est in hoc Deo, vno in numero, singulari, & indiuiduali, datur namque, ait Scotus, indiuiduū Deitatis. à primo ergo ad vltimum non obstat effugium Caetani de Natura. Item Maximus Tyrius naturam adaptat etiam ad singularia, inquiens, *Quot sunt hominum tot etiam Dæmonum esse oportet*, naturæ, idest singulares homines, ser. 27. Circa verò alterum locum, in quo nominauit species: non sequitur inde inferre, exclusisse indiuidua. Dices, reticuit, ergo exclusit, negatur consequēs, nam *Argumentum ab authoritate negatiuè nō valet*. Eo magis, quo locus primarius eiusdem Sancti Doctoris est indefinitus, cum loquutione vniuersali, inquiens, *Excedere omnem multitudinem materialium*. Si indefinité loquitur, non restringens sermonem ad species, cur restringunt, absque sufficienti ratione Expositores. Confirmatur, quia locus iste est proprius, & germanus locus loquendi de numero Angelorum, in isto autem absolutè ait, excedere multitudinem materialium: loca autem alia non militāt principaliter pro re hoc.

Natura accipitur pro sola specie.

7 Probatur Secundo authoritate Diui Dionysij cap. 14. de cœlest. Hierarch. vbi namque de numero Angelorum sic habet, *Multi sunt Beati cælestium mentium Exercitus, qui infirmā, & contractam numerorum corporeorum, quibus vtimur, modum superant*, ex quo dat intelligere, superare numera rerum omnium corporearum. Vasquez tamen, & Suarez, aiunt, non loqui Doctorem sanctum de numero rerum numeratarum, sed de numero nostro, quo numeramus: ita ut excedant numerum quo numeramus, non autem res numerabiles. Confirmari potest, quia vbi deuentum est ad numerum denarium, transiri ad numerum maiorem distinctum non potest, omnis verò indefinienda enumeratio consistet in reduplicatione eiusdem numeri, reincipiēdo iterum ab vnitate post decem, vt dicendo vndecim, duodecim, addendo supra denarium, vnitatem, dualitatem, siue reduplicando eam, quam ab initio simplici deductione traduximus, sic de multiplicatione numeri denarij, vt triginta, quadraginta quæ sunt vnitates denariorum superadditæ ad primum denarium: ita inde ad centenarium, ducentorum, trecentorū, vsq; ad mille, & ita deinceps vsque tandem deueniatur ad decies centies millia millionum: siue ad maximum numerū, quo vti solemus. hunc ergò numerum, aiunt, ex Dion. superare Angelos, non verò res ipsas materiales.

Numerus quousque crescit.

8 Verum aliter Dionysium explicat D. Bernardinus tom. 3. ser. 3. Resurrect. serm. 49 § Secunda contemplatio: inquit autem, *Secunda contemplatio est ipsorū Angelorum multitudo, nam Dionysius in suo libro Hierarchia, dicit, quod solum Angeli in Paradiso existentes sunt plures, quam sunt Stellæ, quam sint arenæ maris, & terræ, quam sint folia, & herbæ, & quam sint omnia quæcunque creata*, ita sanè Dionysium explicat contemplator Sanctus Bernardinus, ita etiam loquitur Dionys. Carthus. expendens

locum

locum Dionysij: recurrit Suarez ad traductionem Ambrosij Florentini, valdè fauentis sententiæ oppositæ: At cur potius standum sibi, quam alijs. Quidquid tamen sit, poterat & talis Traductor eiusdem esse sententiæ cum Suario, Vasquio, & sequacibus, ac propterea sic traduxisse. Cæterum, aliter sensisse in Dionysij expositores. Accedit Aeneas Gazeus Philosophus Christianus in lib. *Theophrastus*, qui habetur tom. 8. Biblioth. vet. Patr. qui de multitudine Angelorum ita loquitur, *Plenum est totum Cælum, plena est terra, plenus aer, plenum mare, plenus etiã æther Angelorum, atque Dæmonum, plena denique, quæ sub terra sunt omnia: ac quemadmodum ait quidam sapientiã nostrative, adeo nihil est in natura vacuũ, vt ne sit quidem, quo capillum injicias*, pondera, verba vltima, *vt ne sit quidem locus, quo capillum injicias.* at hinc arguitur, adsunt plurimæ Terrarum partes, adeo vacuæ, vt ne minimum quidem ibi virgultum oriatur, at nulla pars Orbis vacua est penès Angelos, imo adeo Angelis oppleta, vt ne locus capillo quidem sit, quo injiciatur: Quidquid autem sit de exemplo, hinc deduces quantum excrescat eorum numerus supra singularia rerum. Accedit Cassianus collat. 8. cap. 12. inquiens, *Tanta vero Spirituum densitate constipatus est aer ille, qui inter Cælum, Terramque diffunditur, in quo non quieti, nec otiosi peruolitant, vt satis vtiliter humanis aspectibus, eos Prouidentia Diuina abscondentur, atque subtraxerit.*

9. Vltra autem authoritates accedunt congruentiæ. Et quidem corpora, quo sunt perfectiora, eo excedunt in magnitudine, ergo naturæ rerum quo sunt perfectiores, eo excedere debent in multitudine: antecedens patet, etenim Elementum Aeris excedit in magnitudine Elementa Aquæ, & Terræ: Ignis excedit hæc tria: Cœlum Lunæ excedit hæc quatuor: Mercurij superat Cœlum Lunæ; Veneris excedit vtrumque: Solis Orbis maior est recensitis, sicque de cæteris vsque ad Empyreum, & consequens sequitur, Natura namque angelica est perfectior cunctis creatis, ergo excedit cuncta creata in multitudine.

Excessus Cœlorum, & Elementorum in se ipsa.

Antecedens quoque est Diui Thomæ eodem loco. Item, numerus granorum arenæ maris, & pulueris terræ, foliorum arborum, seminum, & huiusmodi, spectat ad perfectionem Vniuersi, nihil enim superfluum condidit Author Naturæ, ergo spectabit ad eiusdem perfectionem, imo maiorem, multiplicatio Angelorum vsq. ad numerum arenæ maris, terræ, ac recensitorum, imo vt hæc omnia excedant. Rursus, Deus produxit creaturas sibi valdè dissimiles in tam magno numero, vt sunt recensita, ergo produxisse existimabimus in maiori numero creaturas alias sibi similes in maiori numero: probatur conseq. semper enim Agens intendit assimilare sibi passum, eo modo, quo potest: similiores autem sunt Angeli Deo, quam grana arenæ maris, terræ, seminum, & huius generis; vt constat, ergo ita factum fuisse est censendum. Præterea ex parte nullius implicat, ergo: Non Dei, qui namque produxit tot semina, & grana arenæ, ac terræ, producere quoque potuit tot Angelos, & insuper plures: Non ex parte Angelorum, qui namque produxit tot Angelos, potuit & producere plures. Insuper, iam videmus grana arenæ maris, ac terræ, sunt seminum, ac foliorum, & similium, esse ferè innumerabilia: at supponamus in hac nostra Europa grana hæc arenæ, pulueris, seminum, ac foliorum non esse in tanto numero, sed ex. gr. non excedere numerum millenarium: Si quis vero nobis referret grana hæc in America esse quasi innumerabilia, nec posse hominem quempiam ea numerare, quid diceremus? profectò Authores isti dicerent, hoc esse incredibile, & rem non ita se habere: at quænam ratio talis incredulitatis? non alia, quam absentia, & inuidentia: & nihilominus ita est, quod vbique terrarum tum in Europa, Aphrica, America, omnia grana arenæ maris, terræ, aliaque recensita, in tanto numero sunt, vt nemo valeat enumerare: Hæc autem est ratio, vt contrarij incredibile putent Angelos tot esse, vt numerum recensitorum excedant, incredulitas vero nullum habet fundamentum, nisi in inuidentia: at hinc

An excedit numerũ arenæ maris, terræ, &c.

non

non licet arguere, mifteria namque fidei funt remota à fenfibus, & plura ex naturalibus sūt vera, quæ pro compertis tenemus, quamuis nobis fint ineuidentia. Nihilominus ita difcurrimus, probabile hoc exiftimando, licet in incertum nitamur.

10 At obftabis, eft namque fententia Platonis, *Quod fubftantiæ, quæ funt primo enti propinquiores, eo funt minoris numeri*; ergo non eft eatenus multiplicandus numerus Angelorum, funt namque Angeli perfectiores quacunque natura creata, & ob id, ratione naturæ, funt Deo propinquiores. Refpondet D. Thom. quæft. 1. de fpiritualibus creaturis artic. 8. ad 10. fenfum eius fuiffe non multiplicari indiuidualiter, fed folum fpecificè, itaut vnufquifque conftituat fuam adæquatam fpeciem. Sed contra inftatur, quia fequitur hinc non reduci fpecies angelicas ad numerum minorem, fed protrahi ad maiorem; Probatur, nam D. Thom. artic. 3. dixit, *Angelos effe in quadam maxima multitudine, omnem rerum materialium multitudinem excedente*. ergo multitudo fpecifica non minoratur, fed potius augetur, dum tot funt fpecies Angelorum, quot Angeli. Ideo refpondendo, aduerto vnū, quod eft declaratio axiomatis illius Ariftotelici, nempè, *Omnis multitudo debet reduci ad vnitatem*. Senfus autem erit, vt reducatur *vel ad vnitatem, fi fieri poteft, vel fi non poteft, reduci tamen debeat ad tantam paucitatem, ad quantam reduci poteft*: hoc fuppofito, ita intelligendum venit axioma Platonis; quod fi paucitas talis, ac tanta irrationabilis erit, reducatur ad maioritatem, fiue ad numerum maiorem, quo rationabiliùs fieri poterit. Hoc ftante, vtrum numerus Angelorum reducendus fit ad paucitatem? minimè, etenim ex fcripturis conftat, *Millia millium, & decies centena millia &c.* Patrefque, ex dictis in magno numero effe docent. Vtrum etiam reducendus ad numerum minorem cunctis rebus creatis? neque hoc, quare? rationes iam funt allatæ. Adde alteram, magno Principi magna debetur Cohors, & infcruientium numerus: magno Regi maior: Monarchæ autem, & Imperatori maximo debetur maxima: eft autem Deus Rex Regum, & Dominus dominantium, ergo debetur fibi maximus infcruientium Angelorum numerus, maxima Cohors, maximufque omnino Comitatus, hinc merito Scriptura dicebat, *Millia millium affiftebant ei, & decies centena millia miniftrabant ei*: vbi, vt diximus ex Patribus, ponitur numerus pro numero nobis ignoto: ac propterea Iob aiebat, *Nunquid eft numerus militum eius*.

11 Quantus fit in fpeciali talis numerus, difficillimum, imo imperfcrutabile eft, abfque diuina reuelatione, foli namque Deo notum eft, & Angelis, quibus ipfe reuelauit, vt docet Dionyf. loc. cit. inquiens, *Scienter diffiniuntur à fola rerum fumma, cælefti que intelligentia, ac fcientia, quæ eis feliciter conceditur à diuina Sapientium effectrice, quæ vniuerfarum rerum fingulari modo, & principium eft, & caufa efficiens effentiæ, & vis continens, & complectens determinatio*. Quantus fit in fpeciali numerus ignoratur.

12 Quæritur, quinam ex prædeftinatis fint plures, Angeli, an homines: Dixerunt aliqui, tot effe prædeftinatos homines, quot Angeli corruerunt: & videtur fuiffe fententia D. Bern. ferm. in Cant. 62. & fundari poteft in illo Pfalm. 109. *Implebit ruinas*. Alij plures prædeftinatos ex hominibus, quam reprobati ex Angelis, vt Anfelm lib. 1. Cur Deus homo cap. 18. & Auguft. Enchyrid. cap. 29. Alij, tot prædeftinatos homines, quot Angeli remanferunt, vt Gregor. homil. 34. in Euang. Prædeftinati an plures Angeli, quā homines.

13 An fint fimpliciter Angeli in maiori numero, quam homines, præfentes, & futuri: Aliqui aiunt effe pares in numero, & probant ex Deuteronom. 32. *Conftituit terminos populorum, iuxta numerum filiorum Ifrael*, vbi Septuaginta vertunt, *iuxta numerum filiorum Dei*, ideft *Angelorum*. Alij afferunt maiorem effe numerum hominum, probant, quia tot homines faluabuntur, quot Angeli remanferunt in Patria ex D. Gregor. hom. 34. in Euangel. Magiftri fententiarum in 2. dift. 22. cap. 2. & Guilelmi Parifienfis lib. 2. de Vniu. fed ex hominibus plures damnantur, quam faluentur, ergo plures An plures Angeli, quā homines.

funt

sunt homines, quam Angeli: Minor supponitur ex materia de Reprobat. Probatur vero consequens, quia de Angelis Apocal. 12. dicitur, Draconem cauda sua traxisse tertiam partem Stellarum, ergo si homines beati sunt pares in numero Angelis beatis, & homines damnati excedunt numerum hominum beatorum; sequitur, vt maior sit numerus hominum, quam Angelorum. Confirmatur ex Psalm. *Implebit ruinas*, quem locum Bernard. lib. de dilig. De. cap. 30. vna cum plerisque alijs Patribus intelligit de hominibus beatis, vt tot homines saluentur, quot Angeli ceciderunt: sed de hominibus damnantur plusquam duæ partes, ergo, dum homines beati adæquantur tertiæ parti Angelorum cadentium; & dum ex alia parte homines damnati erunt in maiori numero, quam sit eorundem hominum saluandorum, siue dupla, siue tripla, siue etiam decupla pars, ex Viegas Apocal. 12. sect. 12. supereſt, vt maior sit numerus hominum, quam Angelorũ, etenim de Angelis, ex dictum saluatur v. g. dupla pars, & damnatur tertia, siue vna vex hominibus vero saluetur vna, correspondens tertiæ cadenti Angelorum, tunc damnabitur dupla, tripla, &c.

14 Alij denique absolutè asserunt, numerũ Angelorum esse omnino maiorem numero hominũ: & hoc communitèr testantur Theologi, & Patres. Suadetur autem, singulis hominibus destinantur singuli Custodes: sunt autem Custodes Angeli de infima Hierarchia, ergo supersunt Angeli aliarum duarum Hierarchiarum. Insuper supersunt Angeli mali, quorum numero, Angelorũ numerus supercrescit. Item Custodes Angeli, nedum destinantur hominibus, verum & cæteris rerum speciebus, Prouincijs, Regnis, Regibus, & huiusmodi, vt diximus. Præterea Dionys. Carthus. lib. 1. de Cœlesti Hierarchia, refert authoritatem, seu reuelationem Beatæ Brigittæ dicentis, *Si computarentur omnes homines, qui nati sunt ab Adam vsque ad finem Mundi, plusquam decem Angeli inuenirentur pro vnoquoque homine*. lib. 4. Reuelat. cap. 11. Insuper hoc spectare videtur, quod D. Athanas. refert Epist. 2. ad Antioc. *Talem esse proportionem numeri Angelorum ad numerum hominum, qualis est proportio nonagintanouem ad centum*; hinc autem videtur centesima pars spectare ad numerum hominum, nonagenaria autem ad numerum Angelorum: Et huc quoque alij trahunt parabolam de Pastore, relata à Christo Domino, qui, cũ perdiderit Ouem vnam, relictis nonagintanouem in deserto, perrexit ad quærendam illam vnam. Sicut etiam parabola de muliere habente dragmas decem, quæ cũ perdiderit vnam euertit totam domũ ad inueniendam eam: hæc autem à Patribus explicari solent de Natura angelica, & humana: sicque concludunt Scholastici, maiorem esse numerum Angelorum, quam hominum: licet Suarez lib. 1. cap. 11. num 10. loca hæc, & alia ad sensum alium trahat, vt infra.

Pro vnoquoque homine plus quam decẽ Angeli posse destinari Brigitt.

Quanta est proportio Angelorũ ad homines.

15 Dices fortasse, vnum, eundemque Angelum custodire plures saltem successiuè, ergo non hinc excrescit numerus Angelorum. Iam responsum fuit ad hoc in materia de Custodia Angelorum, vt ibi. Item respondetur amplius, quod licet non excresceret ex hoc capite, non desunt capita alia recensita; etenim, dum Custodes destinantur ex vna, eaque infima Hierarchia, supersunt tamen adhuc octo alij Ordines ex duabus alijs Hierarchijs.

16 Ad id vero, quod dicitur, tot esse Angelos, quot homines, iam rationes, & parabolæ adductæ probant oppositum, & in hunc sensum trahunt eas ferè communiter Patres: Item lectio vulgata præfertur: interpretatio enim, seu versio illa, peregrina est, inquit ad eum locum Abulensis: eo magis, quo Israelitæ quoque appellari poterant filij, erant enim tunc Populus Dei electus; sicut & de iustis dicitur, *filij excelsi omnes*: Vel etiam notatur sic illa diuisio, eo quia Regna diuisa erant iuxta numerũ Angelorum, qui custodiebant ea ex Theodor. in cap. 10. Daniel.

17 Quod vero tot homines saluandi sint, quot Angeli remanserunt, res vtique incerta est, multi namque locum illum, exponi posse aiunt, de ruina ho-

An tot homines saluãdi, quot Angeli remanserunt.

na hominum, qui ceciderunt à fide, præcipuè de Iudæis, tẽpore Antichristi, vt Molin.quæst.50.disp.1.art.1.

Tertia pars Stellarum quid indicat.

17 Quod denique obseruabatur de tertia parte Stellarum, etiam incertum putant aliqui, vt Glossa, Nicolaus de Lyra, pluresque, vtrum illud intelligatur de Angelis; etenim exponunt de hominibus, siue de bello acto contra Populum Dei; siue de Antichristo, vt Gregor. lib.32.moral.cap.14. Ambros. Richar. Primas; Lyranus ibi. subditque Viegas ibi in fine, id intelligi de fidelibus seducendis ab Antichristo in fine mundi, qui fideles, tanquam Stellæ videbũtur cadere de Cœlo militantis Ecclesiæ, propter infidelitatem: Additque insuper, quod quamuis intelligatur de Angelis, tunc tertia pars non est sumenda mathematicè, sed pro magna parte, sicut Ioannes Apocal.9. inquit, *Tertiam partem terræ combustam; tertiam partem arborum concrematam: tertiam partem maris conuersam in sanguinem: tertiam partem creaturarum, quæ viuebant in aquis, interijsse: tertiam partem Solis obscuratam: Item, tertiam partem Lunæ &c.* Vbi tertia pars sumitur pro magna parte: ita, & hic, *Traxit tertiam partem Stellarũ*, seu Angelorum non præcisè tertiam, *mathematicè*, sed *moraliter*, seu pro aliqua parte.

An tot solũ modo homines saluãdi, quot sufficiunt ad replendas sedes.

18 Denique, dubium est, vtrum tot homines solũmodò, saluandi sint, quot sufficiãt ad implendas sedes ruentium Angelorum. ait autem August. Enchyrid.29. & Anselm. lib. cur Deus homo. cap.18. *Non solum homines saluandos esse, vt ruinas impleant Angelorum, verum etiam fore multo plures saluandos, vt numerum impleant Electorum.*

19 Penès Milensium in sua Gigantomachia fol. 85. reperitur quædam signata enumeratio Angelorum: scribit enim, vnumquemque Chorum Angelorum continere legiones numero 6666. vnamquamque legionem continere numero itidem Angelos 6666. facta autem multiplicatione vnius numeri per alterum, reddunt 44435556. tot ergo sunt, inquit, Angeli in quolibet Choro. Multiplicando insuper prędictum numerum per nouem, (quemadmodum nouem sunt Angelorum Chori) reddunt 399920004. tantusque erit numerus Angelorum in Cœlo, in tres Hierarchias diuisus: diuiso tamen numero hoc in duas partes æquales, quælibet pars numerum continebit 199960002. vnde deducit, quod cum partes duæ Angelorum remanserint in Cœlo, vtique tertia pars, quæ cecidit, numero sit 199960002. concludit tamen, nec eorum, qui Cœlo sunt, neque Dæmonum certo assignari posse numerum, vtpotè, quia plures sunt &c. Et ita Nos quoque concludimus, incertum omnino numerum esse, alias, vt quidam ex Recentioribus agunt, præcipuè Author libri *delle grandezze della Trinità*, alias, inquam, foret diuinare. Nota autem sunt hæc non hominibus, de communi lege, sed Angelis ipsis, ac Deo, cui, vna cum sanctis Angelis, sit laus, honor, & gloria, per infinita sæcula. Amen.

Incertũ Angelorũ numerum.

Quidã quẽ rundã computant.

Ego autem omnia mea, ac meipsum subijcio pedibus, & correctioni Sanctæ Romanæ Ecclesiæ; quoniam ipsa est fundamentum, basis, columna, ac infallibilis Magistra veritatis.

FINIS.

APPRO-

APPROBATIO OPERIS.



Poteſt imprimi: Neapoli 1. Februarij 1642.

D. Io. Dominicus Aulisius Can. Deput.

Poteſt imprimi: Neapoli 7. Februarij 1642.

Marcus Antonius Palumbus Deput.

IMPRIMATVR.

Gregorius Peccerillus Vicarius Generalis.

INDEX
RERVM NOTABILIVM
IN HOC OPERE CONTENTARVM,

In quo Prior numerus folium, Secundus vero §. continet.



Anima

Animalia

Anti-

Deci-

Decimus

Deliberatio

Dæmones

Falsitas

Idolum

Prae-

FINIS.